MED
836

Digitized by Google

60 2 11 A 28
57 2 19

Digitized by Google

Digitized by Google

Librería del collejio Dieziozo de Alcala.
I. 6. 16
61
V46e
R

CHRISTOPHORI

A VEGA, COMPLVTENSIS,

CAROLI HISPANIARVM
Principis Max. Medici à cubiculo, & in
Complutensi academia publi-
ci professoris,

LIBER DE ARTE MEDENDI.

Cum Indice locupletißimo.



LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO.
M. D. LXIIII.
CVM PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
FACULTAD DE MEDICINA
Digitized by Google

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy est permis à Guillaume Rouille Libraire de Lyon, d'imprimer, ou faire imprimer, vne foys ou plusieurs, ce present traitté intitulé *Christophori à Vega Medici, Liber de Arte medendi.* Lequel liure il a recouuert à grans frais, mises & despenses: & pouree est faict defense de par ledict Seigneur, à tous autres libraires, Imprimeurs & personnes quelconques, de non imprimer, vendre, ne distribuer, en ses pais, terres & seigneuries, ledict liure nouuellement imprimé par ledict Rouille, si ce n'est par son consentement, & ce iusques au temps, & terme de dix ans, à compter du iour & datte que sera paracheuee la premiere impression dudict liure sur peine d'amende arbitraire & de confiscation dudict liure qu'ils auroyent imprimez. Et afin qu'aucun ne puisse pretendre ignorance du present priuilege, ledict Seigneur veut & entend, que l'extraict diceluy estant mis au commencement dudict liure, serue pour toute notification, sauf en demander copie audict Rouille (si bon leur semble) & ce à leur despens. Car tel est son plaisir, non obstant oppositions & appellatiõs quelconques, comme plus à-plein est contenu & declaré par lesdictes lettres du priuilege, sur ce donnees à Fonteinebleau le xiiij. iour de Mars, mil cinq cens soixante, & de son regne le premier.

Par le Roy, en son conseil.

Signé, de Vabres,

Et seelé du grand seau en cire iaune à simple queüe.

Soy de la Libreria
del Colegio
de la Concepcion
de Alcalá.

BIBLIOTECA

CAROLO HISPANIARVM PRINCIPI MAX. CHRISTOPHORVS A VEGA MEDICVS, CORPORIS ET ANIMI SALVTEM PRECATVR.

CVM ANIMI tui præſtantiam, & virtutum omnium ſplendorem conſidero, Carole Princeps optime, vehementer admiror Dei ſummi maximi in ſua ſeruanda republica prouidentiam, qua regibus animum ſuis facultatibus reſpondentem inſinuauit: cuius rei appoſitiſsimum habes exemplar Philippum magnum Hiſpaniarum Regem, in cuius animo coniunctas reperies cum ampliſsima poteſtate, ſummam liberalitatem, & erga ſubditos beneuolentiam: quæ omnia ita indies imitaris, vt non minùs animo, quàm corpore parentem referas: quin & iure vniuerſa Chriſtiana reſpublica patris ac filij ſalutem exoptat, quos ſuæ ſalutis ſingulares habet patronos. Ego verò eandem ſeruare omni ſtudio, & omni arte procuro, quam tuendam ſuſcepi. Verùm qui ſe totum ſui Principis miniſterio deuouit, meritò ſuos labores, ſuásque lucubrationes eidem dicabit. Librum hunc nuper compoſui, ſed longo ſtudiorum tractu, cui titulum feci de Arte medendi tribus partibus diuiſum. Prima corporis humani conſtitutionem, & eius naturales cauſas docet, quas ſæpius à me audire dignatur tua Celſitudo. Secunda ſanitatis tuendæ præcepta tradit. Tertia de curandis morbis tractat, quàm aliis adiungere

Digitized by Google

et placuit, ad legentium vſum eſt operis integritatem. Opus tibi conſecratum eſt: nam hæc & non alia ſunt munera, quæ tuæ celſitudini offerre valeo. Spero tamen vt liber hic, vel tuo tantùm nomine munitus, honorificè apud omnes ſuſcipiatur. Vale, virtutis & humanitatis exemplar clariſsimum.

CHRISTOPHORI A VEGA COMPLVTENSIS, CAROLI HISPANIARVM PRINCIPIS MAXIMI MEDICI, A CVBICVLO,

IN LIBRVM PRIMVM DE ARTE MEDENDI

PRAEFATIO.

VAM arduum, difficile, ac penè impoßibile eſt, eos qui prauis diſciplinis, aut corruptis moribus inſenuerunt, à ſuis ſectis & placitis reuocare, tam facile eſt adoleſcentes bonæ indolis & eos qui libero animo ſunt educati, bonis moribus inſtruere, & ipſos liberalibus diſciplinis informare. Porrò vt eos qui vitiis animum deprauarũt, & rationem corporis affectibus ſubiecerũt, corrigere haud poßis, ita eos qui ſectis prauis ſunt addicti, aut difficilè, aut omnino nunquam emendabis. Adeò enim aut vitia animi, aut ſcientiarum errores intellectus arcem obſederũt, vt nulla via ſit aut dicendi, aut ſuadendi, aut demonſtrandi, aut deniq; vis docendi, quæ animũ ab erroribus liberare, aut intellectum à tenebris eripere poßit. Quare quod ſæpe admonui medicinæ ſtudioſos publicè in ſchola, atq; priuatim, id rurſus exhortor, vt non minus fugiant ineruditos præceptores, & barbarorum cõuerſationem, quàm immedicabilem peſtem. Vereor enim, ne quis ipſorũ malo omine, aut infelici ſorte eos à bonis diſciplinis auertat, aut ab Hipp. & Gal. placitis dimoueat. Intellexi nanque, quàm ſit hominum ingenium ad ocium natura pronum, quàm laboris impatiens. Illi verò quorum peſtiferam conuerſationem Deus ſummus maximus, malorum auerſor iam de medio tollat, via quadam facili incedere docent, ſine puluere, ſine ſudore, & quæ ſex tantùm menſibus peragatur, delitiarum & diuitiarum plena. Cuius rei ſeipſos teſtes

perhibent, qui cum magnatibus diuersantur, apud eos in mensis discumbunt, sine musis, sine philosophia, epulantes, parasitantes, vnde magnam mercedem reportant. Sed hæc quibus nō placent? quos non allicient? certè pauciſsimos, quos æquus amauit Jupiter. Adde quòd ſtrenuos quoſdam duces ſequacibus proponunt, Zoarū, Auicēnam, Raſium, qui nullis (vt ferunt) ambagibus, nulla verborum cumulata copia morbos proponunt, quibus remedia adhibent, quo nihil ſalutarius eſſe poteſt. Quid enim, inquiunt, aut ægro conducibilius, aut medico honorificentius, quàm remediorū copia? Nos verò longè alia via incedere docemus, vigiliis, ſudore, & erūnis plena, quam is tantùm perficiet, qui fuerit in dialecticis diſſertationibus exercitatus, & in philoſophia peritus. Præterid quòd non ſtatim morbos curandos proponimus, ſed primùm ab elementis auſpicati, & à temperamentis & humoribus, longa progredimur via. Sed hæc quem non auertent, aut à medio itinere non reuocabunt? Certè ſi me mea non fallit opinio, hæc via eligenda eſt, hac vobis eſt incedendum, qui probe noſtis, δύσκολα εἶναι τὰ καλὰ. hoc eſt, difficilia eſſe, quæ honeſta, ac pulchra, & quæ ſine labore conſequi non eſt, minimè verò medicinam, quæ præter hæc, virum exigit, cuius mores alij ſint exemplar, & inſtitutum: qui enim viuendi leges contemnit, iniurius eſt aliis, viuendi normam inſtituens. Cuidam namque medico ſcabie fœdato ludibrio dictum eſt, τῶν ἄλλων ἰατρὸς, σὺ δ' ἕλκεσι βρύων. Noſter verò Aſclepiadarum chorus talem virum expoſtulat, talem efflagitat medicina, prudentem, temperantem, continentē, non tantùm naturalem, ſed & moralem, philoſophum. Hunc cenſeo arte Pæanea dignū, tales futuros ſpero viros ſtudioſos huius artis, vbi ſub Hippoc. & Gal. doctrina militantes, hoc tanto animo propoſuerint, vt aliorum ſaluti opem ferant, quamuis id magno labore cōparetur. Sic enim futurum exiſtimo vt principes & magnates, tales ſibi ſeligant medicos, barbaris ab aula turpiter exploſis. Fuerunt autem ex præſtantiſsimis

Medicinæ parentes.

medicis, quos Græcia honore habuit, primus Apollo, qui in deorum numero colebatur, quòd herbarū vires noſſet, & morbis quibuſdam mederetur. Quem ſequutus eſt Aeſculapius filius, qui præcepta patris ſeruauit, atq; ex parte medicinā propagauit: hic princeps fuit in Icaliria Græciæ ciuitate, vbi aduerſus Troianos triginta naues parauit, ſub Agamemnone, duobus filijs ducibus, Podalyrio & Machaone, medicinæ quoque peritis, vt Homerus refert. Eo tempore vixit Chiron centaurus medicus, Achillis præceptor. Poſt Aeſculapium

lapium diuinum propè hominem, ac inter deos antiquis annumeratum, ordine 20. sui generis fuit Hipp. qui medicinam docuit ratione & obseruatione, multaq; scriptis mandauit, quorum quædam antiquitate temporis perierunt, nonnulla obscura sermonis breuitate reliquit: Gal. tamen omnium bonorum nobis magister & parens, post sexcentos annos, obscura Hipp. scripta comment. lucidissimis explanauit, reliqua elaborauit atq; perfecit. Medicina verò, dixit Hip. lib. de Flat. est adiectio & ablatio: adiectio eorũ quæ desunt, ablatio eorum quæ abundant, quod verũ est in ægris curandis & seruandis sanis: adiicimus enim alimenta, & auferimus excremẽta. Gal. verò dixit lib. Artis med. Scientia est sanorum, ægrorum, & neutrorum, intellige humanorum corporum & signorum, & causarum. Homo enim est cuius sanitatem, ægritudinem & neutram dispositionẽ considerat medicina, cuius pars est factiua, pars verò cõtemplatoria, hæc θεωρητικὴ, illa verò ποιητικὴ Græcis appellatur, continet enim medicina multa theoremata, quæ ab opere longissimè distant, & quæ philosophiæ cõmunia sunt, vt considerationem de elementis, de humani corporis dissectione, & de vsu partium ipsius: continet quoque nonnulla, quæ opus aliquod præcipiunt, vt quæ in lib. de Sang. missione continentur, & lib. de Meth. med. Gal. tamen lib. de Constitut. artis med. medicinam artem esse dixit de factiuarum genere, quoniã scopus ipsius est sanitas, quam facere intendit. Cum tamen sit duplex genus artium ποιητικῶν, id est factiuarum, (quædam enim nouũ opus efficiunt, quædam iam factum reparant, & resartiunt) ex hoc secundo genere est medicina. non enim in totum sanitatẽ efficit, sed labantem reparat. Autor libri introductorij quinq; partibus medicinam contineri dixit. hæ sunt, φυσιολογικὴ, hoc est naturæ rerum contemplatio, qualis exercetur in libris de elementis, de temperamentis, de anatomicis administrationibus: & vsu partium, de Diff. pul. de diff. sib. de diff. morb. & symptomatum, & dignoscendis pulsib. αἰτιολογικὴ, id est, causarum notitia. de iis sunt libri de causis morb. & de causis sympt. hæc non minus causas sanitatis conseruantes considerare docet, σημειωτικὴ, id est signorum scientia: quæ circa cognitionem signorum versatur, de quibus in lib. de locis patiẽtibus, & circa præsagia, quæ inde elicit medicus, præsentium quæ nondum vidit, ac præteritorum, & futurorum, de quibus in prognosticis Hipp. & lib. de Prædictione, & Gal. lib. de Diebus decret. de Crisibus, & de Prænotione & præsagitione ex pul. ὑγιεινὴ, id est quæ sanitatem tuetur, quam

Medicina.

Medicinæ partes.

docet Gal.in lib.de Sanit.tuen.& lib.de Cibis boni & mali ſucci,& de facult.ali. θεραπευτικὴ,*id eſt,curatiua,cuius tres ſunt partes,* διαιτητικὴ,*id eſt,quæ victum morbis inſtituit:quamuis hæc pars,cum ea quæ ſanitatem cuſtodit,ſit communis,vti &* φαρμακευτικὴ, *quæ per medicamenta morbos curare docet.* χειρουργικὴ *verò eſt,quæ morbos manus opera tractat,ſed hæ omnes in partibus duabus primæ diuiſionis continentur,hoc eſt in contemplatoria,& factiua. Nam quæ rerum naturam docet,& quæ cauſarum, & quæ ſignorũ notitiam præſtant,in contemplatoria continentur:quæ verò ſanitatẽ cuſtodit, & quæ morbos curat,in ea quam factiuã appellant.Diuiſerat quoque Gal.medicinam in diagnoſticam,prognoſticam, & curatiuam, de quibus lib.de Cõſtit.artis medicæ egit,meminitq; huius diuiſionis multis in locis,vt lib.1.prog.in expoſitione 1.c.præfat.diximus,atque partium earundem totius artis ordinem ſeruandum præcepimus:ad has verò,ſingulas partes ſecundæ diuiſionis facilè reducemus.nã naturæ contemplatio & cauſarum notitia,in diagnoſtica continentur. Signorum tamẽ ſcientia partim attinet ad diagnoſticam,partim ad prog.quatenus enim ex ſignis ſanitatem,aut morbum,aut neutram diſpoſitionem contemplamur,ad diagnoſticam:quatenus verò ex ipſorum notitia docemur,præſentia non viſa aut præterita,aut futura prænoſcere,ad prognoſticam:quæ verò ſanitatem tuetur,& quæ morbos curat,in curatiua continetur,ſiquis amplo ſignificato voce (curatiua) vtatur,quæ ſimiliter factiua dicta eſt. Harum trium partium diagnoſtica, conſiderare docet ſingula quæ ad hominis ſanitatẽ ſpectant:hæc autem tribus generibus continetur. aut enim ſunt homini ſecundum naturam,aut ei accedunt non conſtituentia naturam, neque ſemper à natura recedentia, neque ſemper ei vtilia, aut ſunt à natura omnino aliena,& cõtra naturam. Quæ natura inſunt nobis, ea ſunt elementa, humores,temperaturæ, membra,facultates,ſpiritus,actiones. hæc ſunt quæ humanum corpus conſtituunt. In ſecundo genere ſunt,aer nos ambiens,cibus & potus,ſomnus & vigilia, motus & quies,abundantia & defectus,ſiue plenitudo & inanitio,animi ſymptomata. Sunt hæc cauſæ ſalubres,circa quas ars conſeruatiua ſanitatis verſatur, vt Gal.ca.85.artis med.dixit. Nam vbi hæc qualitatem ac quantitatem ſeruaucrint, cauſæ ſalubres ſunt: vbi verò modum in his exceſſerint morboſæ redduntur,quemadmodum & lib. de Pulſ.ad tirones dixerat. A natura vero omnino aliena, tria tantùm genere ſunt,morbus,cauſa morbi,& ſymptoma. omnis nanque*

Medicina tribus partibus concluſa.

nanque effectus præter naturam qui in humano corpore consistere potest, aut humanum corpus afficere, à naturali constitutione recedens, (vbi affectus significato ampliori vtamur, inquit Gal.) aut morbus est, aut causa morbi, aut symptoma morbi. Nam affectus corporis præter naturam per se vitians actionem, morbus est. Qui hunc affectũ antecedit, morbi causa. Quod verò morbum sequitur, vt vmbra symptoma morbi. Hunc autem ordinem in hoc opere seruabimus, vt lectores facilè dicenda assequãtur. In prima igitur parte agemus de his quæ insunt homini secundum naturã. In secunda de his quæ non secundum naturam ei accedunt, vt causæ: quæ duo ad partem artis contemplatoriam attinent, cui negotio adiuncta est pars artis quæ sanitatẽ tuetur. In tertia verò de his quæ sunt ei præter naturã: quæ pars partem habebit quæ in cõsideratione, partẽ quæ in opere consistat, docebit enim morbos cognoscere, & hæc signa cõtinebit, & præsagia, docebit quoq; morbos curare, adiecta parte factiua parti contemplatoriæ. Seruabimus tamen in prima arte ordinem cõpositum, vt compositione doceamus, resolutione inuenta. Ars siquidem medica resolutione inuenta est, quæ procedit ex finis notione. Cùm enim medicus primùm agnoscit sanitatem, quæ est scopus artis, ab hoc procedit in actionum perfectionem, quarũ gratia sanitas expetitur, tanquàm in finem qui est possidere & frui sanitate, per actionum vsum, atque statim intelligit ad actionũ perfectionem, necessarias esse facultates, & instrumenta, quorũ quædam sunt organa corporea, quædam spiritus, & quædam ex his sunt membrorum temperamenta, in quibus facultatum robur situm est, temperamẽta verò ex humoribus & elementis, hæc quidem resolutione prima esse debent, vbi quis singula quæ inuenit resolutione, ordine docere voluerit. Eritq; is ordo cõpositiuus, ea rursus componens quæ resolutione inuenta fuere. Ac perinde primò de elementis agemus, deinde de humoribus, tertiò de membris, quartò de temperamentis, quintò de facultatibus, quibus adiungemus doctrinam de spiritibus, vnde actiones quoque constabunt, & ipsa sanitas: & quamuis Gal. lib. de Temper. primò, ad initiũ dixerit, eum librum sequi post librum de elementis, hic ordo nobis magis placet, quo primùm de elementis, deinde de humoribus agemus: nam & Gal. ipse cum de elementis egit, de humoribus tractationem inseruit. Cùm autem humanum corpus, cuius constitutionem prima totius operis pars docebit, nõnunquam sanum ac validum sit, aliquando verò ægrotet. secunda pars sanitatis custo-

Caput agendorũ.

Ordo in docendo seruandus.

executione

diam

diam docebit, tertia ægrotantium curationem instituet. Prima operis pars Philosophis & Medicis est omnimodo necessaria, secunda medicis necessaria, Philosophis verò volentibus rerum naturas exacte nosse, utilissima, ac valde grata, tertia Medicis quidem apprime necessaria, vt quæ suæ artis scopum doceat, & methodo complectatur, Philosophis verò non aliena, sed quàm modicè tangere admonemus, vt quæ aliquando sit profutura, quam etiam præuiis prima & secunda parte, studio, diligentia, & exercitatione comprehendent, & eadem vti valebunt, vbi prius peritos huius artis præceptores adierint. Nam primam & secundam modicè exercitatus in philosophicis, sine præceptore consequetur: tertia nanq; iam scopum assequitur. Omnes siquidem artis partes ὑποκείμενον, id est subiectū attingunt, nempe humanum corpus, tertia tamen scopum, scilicet sanitatem. Finis verò artis est sanitatis possessio: qui enim sanitatē possidet, ea fruitur, atque ea ratione sanitas à nobis expetitur, vt ea fruamur. Medicus sanè quà medicus est, scopum assequitur, non tamen finem, nam ea ratione qua medicus est, sanitatem inducit, & inductam seruat: qua tamen non perinde fruitur, nisi in suo ipsius corpore sanitatem induxerit, aut seruauerit, sibi autem ipsi sanitatem parare alienum est à medici ratione. In hunc eundem scopū medici omnes contenderunt, diuersis tamen viis ad eum assequendum processerunt. Quidam enim solo innitebantur experimento, quidam solis rationibus cōmunibus: quidam ratione & experimento vtebantur, atque hæ fuerunt tres medicorum sectæ. Prima secta (siue dogmatum congeries, ad artem docendam, aut exequendam) fuit empirica, secunda methodica, tertia rationalis. Empirici autore Gale. solo experimento nitebantur, omni posthabita indicatione, siue comprehensione, iuuantis simul adueniente cum comprehensione nocentis, non expectato discursu, aut ratiocinio. sic enim indicationem Galen. diffinit lib. de Optima secta. Morbus nanque semel cognitus ex se citra ratiocinium aliquod, statim indicat sui ablationem esse prosequendam, fugiendam autem conseruationem vt nocentem, & morbi comprehensio sub hac ratione, qua præter naturam est, indicatio appellatur. Vtebantur tamen Empirici ad morborū curationem μνημῃ, hoc est memoria, αὐτοψίᾳ, id est, propria inspectione & historia. Memoria obseruatio quædam erat eorum quæ longo experimento è diuersorum medicamentorum vsu, in diuersis quoque hominibus inuenerunt. Hæc autem tribus constabat fortuna, vti si quis febrem

Medicorum sectæ.

patiens

patiens continentem vulneretur, fluente autem sanguine liberetur à febre consilio etiam constabat, vti si febricitans frigidam bibens ad satietatem, refrigeratus à febre euadat. Imitatione quoque, quæ in quibusdam fieri viderunt, in alios transferentes, quod erat ipsis maximum ad morborum curationem instrumentum, qui nulla generali via vtebantur, quæ foret multis ægris cõmunis. Ad quod non parum conducebat historia, siquidem in omnibus ægris, vnumquenque medicum, syndromen siue signorum congeriem, & concursum spectare foret impossibile, aliorum igitur traditione, quæ per historiam, erat opus. Fuit huius secta inuentor, teste Plinio, Creontes Agrigentinus, Galenus Acronem vocat, Celsus Serapionem dixit, alij Philinum Coum fuisse testantur. Hos secuti sunt Gorgias, Sostratus, Hieron, Hamonius Alexandrinus. Secunda secta fuit Methodicorum, qui solis vtebantur cõmunitatibus, siue generalibus quibusdam præceptis, proponentes omnem morbum esse adstrictum, aut laxum, aut ex his compositum, vnicam autem esse indicationem quæ ab effectu desumeretur, ab adstrictis naturalibus excrementis laxationem à laxitate fluxionem, ab vtrisque mixtam curationem, contemnebant tamen indicationem quæ sumitur à temperatura, ætate, aut partis patientũ natura. Huius secta princeps fuit Themison Laodicæus, quem secutus est Thessalus Trallianus, deinde Mnaseus, Dionysius, & Proclus. Tertiæ secta conditor fuit Hippocrates Cous, (de Æsculapij stirpe, vt Plato inquit in Protagora) omnium medicorum primus, qui sectam inuenit Rationalem, Medicinam ratione & obseruatione constare docens. Hunc sequutus est Diocles Carystius, Praxagoras Cous, Herophilus Calcedonius, Mnesitheus, Asclepiades, Galenus verò quæ ipse reliquit obscura, sermonis breuitate amplificauit, dilatauit, exposuit, atque ad perfectionem duxit.

In librum de Arte medendi Christophori à Vega errata. primus numerus Paginam indicat: secundus lineam.

Pag.1.lin.15.Cum dicat, tum. p.2.25.secundo, Aqua frigus primo.lin.41.sed aere. 6.25.alimentis. 11.49.sed. 12.44.Nam. pag.16.lin.1.scaturire. lin.17.non est idem. lin.21.contentiosius. lin.38.homomera. lin.50.in ipsum. pag.17.lin.52.vitiat pag.19. lin.14.quare ver. 20.3.secundo.lin.5.esse calorem. pag.23.lin.20.quando abundat.in secundo loco. lin.48. in errore, aut aut &. pag.27.lin.16.Is porro medicus verò. 29.37.sanguine lin.46.possa pag.31.lin.24.meruisse pag.32 lin.1.fane. 46.27.materia.pag. 48.lin.52.speciei. 51.27.temperaturam. 56.16 aut gubernentur abundat. 61.11.addas temp. 64.18.& extremum. 72.30.lin. 73.48 permanentiam. 77.2.& humidum ipsum quod remanet ardens,& magis terrenum abundat. 78.42.ac addebit. 79.10.remissus. 80.6.discernuntur. 82.11.tantam. 84.7.si herba. 85.58 procedere. 94.13.vaporem lin.32.intellectionū. 100.43. vt ipsius lin.52.qui libro artis medi.cap.95. pa 102.lin.10.motu. 106.35.morbida. 112.25.dolo premente pus. 117.28.vsu ac. lin.41. vsum.pag. 121.lin.33.potius quam.lin 45.nisi summo. 122.19 & fine. 133.24 ab oculo exit. 135.20.ante illuminatū. 142.19.humori. 148.37. attemperamentis. 151.lin. vlt qui non. 155.16.Neruus. lin.penul. vel volentibus. 159 26.magnalis. lin.35.extrementa.pa.160 li 42. sensus. 162.12.cum per. lin.ead.sensus. lin 21 statim. lin.51.recensere. 164.43.dolorem. 165.15.colore lin.25.in aëre hoc lin.27. viam paras.lin.32.in contrarium.pag.166.lin.21. At. 168.4.vtraq. lin.30. Ad quartum.lin.43.calore. 170.7.duo. lin.11 imprimenti. 171.16 pairu.lin.34.ita vt. lin 52.non satis. 174.52.vere. 175.lin.7.decrede. 176.10.naturali quam aliorum ferri.lin. 34.causa.lege.curro.lin.19.ab hac. 177.23 iidemq. 178.50.Barbarorum. 179.25 praeinde. 181.39.fit. 183.44 hac.184.9 corpore. 185.16 gerit. 186.4.repraesentat.lin.16.in vita. 187.13.sic. 188.21.supprimam.lin.27.aërem. 189.24 conseruatio. pag. 190.lin.4.Rhetores 191.1.planta. 193 18.circuitum. 195 33.ordeatur. 198.4.dicantur. 201.42.fenebat. 202 2.aliorum.lin. 4.paratam, longitudinis 40.pedum. lin 51.mundificationi. lin 39. mutatur. 203.18.angina. 204.20 afferret. 205.41 tussis & raucedines. 206.3.immediatè.lin 13.quidam. 207.lin.2.simpliciter sed collatione.lin.20.verò.lin.13.planta.lin 51 attemperatis. 209.42.contrariarum.lin.31 aut.lin.32.aut.lin.49 non. 215.51.ἐπαγόμενον &. 216.20.[illegible] 220.21 naturam esse. 221.51 perferri.lin.53.&. 223.32 omnes. 225.27.tremitur. 226.31.seruat. 227.26.ex frequenti. 228.45.quapropter. 2[illegible]. cum.13. 230.1.balnei. 235.45.sapa. 233.9.sindalo.lin.20 post praedictam lin.22.hordei. 239.2.quod 240.48 non ex sen. 243.lin.31.polenta.lin.35.redduntur lin 38.ozaldres.lin.45.verorum duo lin.48.porta. 245 8 purgat. 57.superbiore. 251.5.habet. lin.12.[illegible] lin.eadem.[illegible]. 253 22.contingit. lin.22. Praecep. 254.18.carnibus lin 50 calore. 255 lin 52. vnctus lo- cus est, vt. 256.6.ventre.lin.7.8.multam.lin 14.habeant.lin.20.dulcibus.lin.28.maturo.lin.31 creatos.lin.42.& humore. 257 34. calore.lin.15.coadiunet. 258 27.quam. 259 38.delatiuum. 260.lin.vlt scarolas. 261.4 illa. 263 2.decerpuntur lin 3.quae vel. lin.eâ.lesparagu lin.4.germina.lin.17.ob[illegible]lin.36. Mustaceus & ita in reliquis. 271 1 arrhabone. lin 44. moretum. 278 40. [illegible] lin.eâd.[illegible] lin 47.legenda.lin.eâd.[illegible]. 281.15.non erat. lin 58 [illegible]. 286.29.[illegible]. 288.49.vt.lin. 292.57 dispari. lin.41.nebula lin.penul.stagna. 296.20.verò. 298.7 temperaturibus. lin. 30.dissoluto lin.41.natis. 299.12.nihil lege,motus.lin 23.lege.sunt versi lin.40.sensum. qui tractione,ac [illegible] excitatur: tum quia. 300.38.consistit,eget prae. 301.31.quantitatis lege,qualitatis. 302.45.alimenta. 301.26 tolerant lin.48 lege,ventres grauitatem. 311.12.cùm vitiatur humor quantitas lin.48 morbo, commissione. 314.9.quantitas.lin 25.si vitium [illegible] lin.42 facidem reddunt. 315.12.corrumpitur.lin.16.secundam lin.33.aspera arteria. 316.41 & seq.elegenda.lin.48.[illegible] 317.5. Debet. lin.11.sola natura. 319 20.31.quae in. lin.52. verum. 321.18 consistentia. 322 45 partim. 323 42 secundo 324.12.[illegible] sanguinis. 326.30 magnitudo. 327.1.curat.[illegible] ventris. 330.40.Cangaiol. doceret, abundat. 331.2. accedentibus lin.5.insectio. lin.6.praecipit abstinere.lin 29.ab ead.lin.50.cogimur. 332.32.praecauenda. 333.1 [illegible] naturam. 336.8 quam opinioni. 337.50 restituendo. 338.17 rectum. 344.14.abluenda.lin.41.& vires modo. 345.11.ratione.lin.31.[illegible] lin.42.[illegible]. 346.24.contrem ac qualit.lin.36.pro par. 347.5 purgans lin.9. Misso. 349.1 aluus. 351.23 non totū.lin.44 effusio. 352.30.humida. 354.12. medicamento. lin.32.videt. 350 51 crudos. 360.47 sanare tamen. 362.1.& fumus. lin.1.purgationū lin.32.foruit. 363.4 lib.1. lin.14.accidit.lin.42 à bono separatus. 354.41.adfuerit ardor. lin.44.aut vna acerbe prodest, & eadem aut alrum [illegible]. 365.2.praesente. 366.18. vnum esse.lin.18 phlegmonem. 368.[illegible] aqua memoris lin.48 lib.iij. 369.2.quocunq.lin.3.habet. lin.14 contrena. 370.40. vnum trahit. 371.30. Multam. 377.27.vlcerant. lin.33.enarrato. lin.48.transgredimur. 379.6 aluminosa lin. 17.& potus eorum.lin 25.appellant,de quibus lin.58.quandoq. 381.1.[illegible]lin.16.Conducit.lin.34.Quo. 383 48.morb. 385 16. similes. 386.20.eo malo capi.lin.35.eisdem. 387.5.cutâ. 390.12.ne indicationem. 395.2.breui aer. 397.33.ad quod. 398.21 totum temperamentum. lin.25.ea erant mod. 403 11. valide exsiccare.lin.25.frigiditatē cordis. 405.29 redundantia. lin.43.medio. 406 31.eàdem verò [illegible]. 411 51.in eàdem. 412.18.calor. 424.26 lasionū.lin.40.bracchiali. 433.28. malignas & perniciosas. 435.33.quae nunquam. lin.19. excrementis. 438.51.libri primi. 439 2.facultate. lin.12 ea de causa. lin.56. nonnulli vitam amit. 440.24.imagines.lin.48.vt praesentia. 441.52 trahatur. 442.31.symptoma sequens morbum. 445.10.atrophia. lin.21 an calor. 446.7.in crisibus.lin.23 mutatur,cum calorem. 448.13.oblata. 449.45.& visus. lin.52.in tempore sit. 452 lin. vlt.[illegible]. 453.2.constrictionem.lin.49.constrictione. 458 5.doctrina.lin.14.vt lubricitate. 459.12.dolore. lin.47 demonstratione. 460.55. consideratur. 461.36.& incumbens.lin 49 oblitu.lin.50.medicina. 465.lin.32. A simul hoc. 466 51.enim natura lin.penul. medicamentis,natura calli. 467 4.& specula,& laquei. lin.43.curantur. lin 51.eadem,forma. 468 9.[illegible]. 469.28 corpori. 471.39.extinctione.lin.48 abstinendi. 474.28.detergenda. 476.5.medicaminum. 477.13.secundo. 478.7 siquis lin.14.mul-to. 479.1.mederum sumptum.lin.43 indicatio,nisi.lin 48.paret. 482.1.non ostenditur,aut indicatur,vt Gal. & c.lin.5. adhibenda. Situs.lin.32.subitam alterat. 483.32.partes lin.36 ad subterranea. 484.11.aggredimur, tener. 487.20.generant. lin 24. à morbo.lin.43 phlebotomiam. 488 7.ex al[illegible]. 490.12.ascensum lin 33.admis[illegible] lin.38.perdices[illegible] lin 50.refrigerâti. 492.lin. 27.aliorū. 495.11 [illegible] lin 46.Cerbulaa vbique legendū. 496.56.flatus. 498 5.ex esse.libus lin 55 differebat. 499.10.multis ex. 503.24.inexpugnabilem.lin.36.discussione. 507.47.arteriarū. 508.14.abstrusior est. 509 8.dissolutione.Secundam. 512 3.loco. 513.33.transmittente. 514.19.audire ferunt. 516.46.anno. 517.30 lorum. 519.42.siue epilep. 521.14.explicat. 524.22.mordere. lin.penul.admouenda,quae. 525 23.vel mansione.lin.51.tum quoniam. 528.11.ad animal lin.19.grauiore redd.lin.14.alimentis. 532.9.discutit fomentum. lin.46.syropum. 533.42.corneam lin. empyema. 534.24.calidam & lin.52.[illegible]. 536.8.membrana quod. 538.3.dilatatio.lin.42.aut media.lin.48 locis. 540.7.subiectum ob propinquitatem lin.39.affectio. 541.24.ab aure. lin.44.cochleae. 543.20.instillatum.lin.22 oleum irinum. 544.14.sternutatorijs. 545 40.aut roto. 546.2 notio. 547.21.diuersa. lin.44.dracontium. 548 22.assidua. 553.11.tumores.lin.15.de Simpl.lin.37.aut. 554.15.partiatur. 558 22.sententiam. 560.13.obtundendas.lin.23 radicis dulcis.Sed. 561 2.à [illegible]. 563.41.[illegible] lin.45 [illegible]. 575.17.distillatio. 576.1.tumorem alium.lin.23.crebritate. 579.46.qualia. 580.16.qj. 582.7.id sensum emulgendum. 584.3.auersione lin.56.fuerint. 589 50.cum aqua acco.lin.vlt.salsi in. 591.28.quae in.592.16.ad cibos. 593.14.nidorosi. 594.25.capacitate. 600 17.aliquis. 601.14 ii verò. 604.9.morbus ibid sorba.lin.43.sanguinis. 610.2.mutatione.ibid.Nephritici.lin.9.vtrisque.lin.30 asellus, multis.lin.41 infestiones. 617.23.medica.lin 39.auersione. 618 36.eupatorij. 619.35.eupatorium,adiantum. 620.16 aut ipsum.lin.37.transuersi. 623.8. tactu.lin 40.extrema. 624.6.in manu. 625.1.alimentis. 626.lin.penul.calidam solidorum. 627 1. si radicatione. lin 9 ardor adsit. 628.20.rarefacienda. lin.21. vniuersi. lin.41. facilè. 629.24. leucophlegmatia. 630.43.asari 3 631.13.post ipsum, aut. 632.24.pipere.lin.41.asari. 633.19.prouocatione. 634.45.morsu. 635.49. tenuem. 637.48 caseus. 638.12. madidum. 639 6. vina. 640.1.radicibus cum. 646 40.vtrisque. 647.37.vaccini. 649.12.assistunt. 650.11. contraria. 657.7 correpta.lin. 31 gallia.lin.22 amplius lin.37.sepulam. 658.15.linteo. 659.11 grumis,sic in seq. 660.46.inflammatio. 661 15. morbo. 662 1. si vero.lin 36.vnguenti. 666.1.desecta. 667.5.cedat lin.6.flaccescere. 668.31.partium. 669.20.cibo. lin.50.nigrescat. 671.5. radicibus cum. 672.14.experimento. 673.3.soleat. lin.20.quod.

Digitized by Google

CHRISTOPHORI A VEGA COMPLVTENSIS, MEDICI, ATQVE PHILOSOPHI, LIBER DE ARTE MEDENDI,

Ad Carolum Hiſpaniarum Principem maximum, Liber primus de Arte medendi.

De Elementis CAP. I.

ELEMENTORVM naturam,numerum,& in mixtis corporibus conſiſtentiam, medici,atque philoſophi, quotquot inſignes habiti ſunt, poſteritati literis mandarunt. Nos verò de eiſdē agere volentes, in primis quæ medicis neceſſaria omnino ſunt,& à philoſophia naturali non abhorrent, ſed medicis, & philoſophis ſunt cōmunia : tyronibus verò ad medicinam introductio,trademus:& quānis notitia cauſarum, quæ vitam prorogare, aut breuiorē efficere poſſunt, ſimul cum conſideratione facultatum animæ, atque functionum ipſius,à quibus mixta omniū perfectiſsima gubernantur,philoſophi munus abſoluant, medicum verò ad artis inquiſitionem & conſequutionem alliciant,ab ea quæ de elementis eſt tractatione exordiri decreui:quoniam hæc non ſatis eſt à philoſophis exarata,nec quæ à Peripateticis de eiſdem dicta ſunt,integram obtinent veritatem,aut ex his quę apparent, euidentem demonſtrationem.Elementa quoque vitę principia eſſe notum eſt.Primùm verò à definitione,qua vſus eſt Ariſt.lib. 5. Metaphyſices auſpicabimur,cum inquit,Elementum eſt id,ex quo componitur aliquid inexiſtens, indiuiſibile in ſpecie, in alteram ſpeciem. Quapropter id dicetur elementum, apud Ariſt.quod alterius rei compoſitionem ingreditur.Cùm tamen ipſum adeò ſimplex ſit, vt ex nullis ſpecie diuerſis componatur, ſiue, quod in ſpecie diuerſa diuidi non poteſt. Quemadmodum vocis ſimpliciſsimum elementū litera eſt, & corporū generabilium,& corruptibilium mixtorū ignis,qui in diuerſa ſpecie nō diuiditur,quanuis millies diuidatur.Quòd tamen ex materia,& forma conſtitutus ſit,non obſtat.quoniam hæc nō ſubſiſtūt per ſe,neque poſſunt ſeparari,aut diuidi.Gal.verò ad initium libri de Elementis,Elementum(inquit)eſt minima portio eius,quod conſtituit.Hæc eſt elementorum natura, quorum numerū Ariſto. cōſiderauit,li.2.de Generatione,& corruptione ca.5.cōfutauit quoq; eorū opinionem,qui vnicum ſtatuebant elementum,quemadmodum, & li.1. opinionem illorum,qui infinita indiuiſibilia corpora,rerum elementa dixerūt.Omnes enim concedere tenentur,non eſſe rerum generationem, aut corruptionem, ſed ſimplicem alterationem.Qui enim infinita elementa ſtatuerunt ex diuerſa indiuiſibilium compoſitione,& figura omnia fieri,generari,& corrumpi affirmabant:vt Democritus,& Leucippus:nullū autem horum eſt generatio,aut corruptio,quæ

Elementum quid.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FAC. DE MEDICINA

circa ſubſtantiam verſatur. Qui verò vnicum tantùm elementum aſſeruerunt, omnem negabant mutationem.quoniam non eſt a quo alterationem, aut mutationem id vnum ſuſcipiat,neque eſt in quod mutetur.Cùm tamen omnis alteratio,atque mutatio,de potentia tali in actu tale fiat,quod tamen omnia eſt,non eſt aliquid ipſorum in potentia:non ergo recipiet in aliud mutationem.Probauerat tamen libro ſecundo de Generatione, capite ſecundo & tertio, quaternarium numerum elementorum eleganti via, quæ ex numero primarum qualitatum agentium procedit. Sunt enim generabilia.& corruptibilia, tangibilia.nam tactu generatio omnis, & corruptio fit.Corporum ergo generabilium & corruptibilium principia,& elementa,ex contrarietate inueniũtur, per quã tangibilia ſunt. per eam enim,& alterant,& alterantur,& corrumpunt & corrumpuntur. Quod ſequitur,quoniã illa erũt principia generabilium & corruptibiliũ,quæ ſunt principia generationis,& corruptionis:generantis vero forma,aut ſubſtantia, aut facultas,aut omnia hæc generatum ipſum conſtituunt,tranſeuntia à generante in genitũ.Tranſeunt vero mutatione,quæ tactu fit,& per tangibilia.Hæc verò ſunt, calidum,frigidum,humidum,ſiccum,graue,leue,molle,durum, viſcidum,aridũ, ſcabrum,glabrum,craſſum,tenue.Verũ iſtæ differentiæ, ad quatuor primas qualitates,quas actiuas vocant,reducuntur.Hæc ſunt,caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas.Hæc rurſus ſex modis componuntur,vti caliditas cum humiditate,caliditas cùm ſiccitate,frigiditas cùm humiditate,frigiditas cùm ſiccitate, caliditas cũ frigiditate,humiditas cùm ſiccitate.Sed hi duo poſtremi nõ ſunt poſsibiles.Reliquum eſt, vt quatuor alij, quatuor principijs generabilium, & corruptibilium debeantur cuilibet vna earum qualitatum primo & in ſummo gradu, altera ſecundo,& in gradu remiſsiori.Igni calor primo,ſiccitas,ſecundo, aëri, humi,primo cali.Secundo, aquæ, frigus. Primo humiditas, ſecundo, terræ, ſiccitas primo,frigiditas ſecundo.Nam vna natura,quæ eſt forma elementi duabus naturis ſpecie differentibus,non copulabitur æquè primo,ſed alteri primo,reliquæ ſecũdo.Hæc elementa quatuor eſſe probauerat ex qualitatibus motiuis, ſumpto argumento 4.li.de Cœlo cap.4.Hæc inter ſe agentia inuicem mutantur, alterãtur, & corrumpuntur,& quodlibet in quoduis alterum tranſit, quamuis quæ ſymbola ſunt,& qualitate vna de dictis participant,facilius inuicem mutentur, vt ignis in aërem,& aqua in terram. Quoniam facilius eſt,vnum, quàm multa mutari,teſte Ariſtotele.Sed obſtrepet aliquis probare contendens, pari facilitate tranſire aquam,in ignem,& in aërem. Nam vti in ſymbolis vna qualitas corrumpitur ab vna qualitate contraria, ita in diſsymbolis duæ qualitates ab duabus contrarijs ſuperantur,ac pari facilitate.Ad quod reſpondemus ex noſtra ſententia, diſsymbola vna ſumma qualitate diſsidere,vt ignis,& aqua,non tamen ſymbola,vt aër, & aqua,modò ſi aliquod ſummum in aliud ſummum mutari debet, longiùs diſsidens,atque ſeiunctum,quàm ſummum à non ſummo,quauis æqua proportione vtraque mutatio,& æqua celeritate fiant,eorum quæ magis ſecedunt, tardiùs finietur.Licet enim quod longiùs ſecedit,cùm altero minùs ſecedente,pari celeritate moueatur,tardiùs tamen ad finem perueniet.Non igitur ad qualitatum numerum referendum quod Ariſtoteles dixit.Sed ad magnitudinem ſiue intenſionem eorum quæ corrumpi debent.Galenus tamen libro tertio de Temperamen. negat ignem in aquam trãſire immediatè,aut aquam in ignem. Sed aërem intermedio fieri. Hanc eandem ſententiam libro primo de Natura. facult. ſcripſit dicens:Rubrum in flauum ſimplici alteratione tranſire. Si verò album in nigrum mutari debet,omnes quæ in medio ſunt alterationes exiguntur.Verùm neutrum demonſtrari ſatis poteſt. His quatuor elementis ſimul concurrentibus, agentibus, ac patientibus, mixta omnia corpora, circa locum medium generantur. Non enim ex vno, aut duobus, aut tribus tantùm mixta perficiuntur, ſed ex omnibus.Neque iis,vtcunque confuſis,ſed diuiſis, ad minimas partes, & inuicem alteratis. Præterea decet nullum eorum tantùm reliqua potentia ſuperare, vt ea vincat,& corrumpat:commutabit enim ipſa in ſui naturam, eritque hæc mutatio

Elementorũ numerus quaternarius quibus rationibus.

Symbola facilius inuicem mutari qua ratione.

ratio elementi, generatio non mixtio. Erunt igitur elementa corporum quatuor, ex quorum actione mixta generantur, ipsis omnibus ad mixtionem accedentibus in debita quadam mensura, in qua postquàm ad minima diuisa fuerint (quod ad meliorem actionem est necessarium) nullum, nec duo superent, immodice reliqua. An tamen elementa in tali actione solam patiantur alterationem, per quam eorum qualitates reprimantur, ac minuantur, vel simul formas substantiales amittant, in dubium vertunt. Cæterùm Aristoteles, cuius mentem modò referimus, libro primo de Generatione, non manere actu elementa in mixtis corporibus, sed potestate tantum, docet. Nam eorum quæ sunt, quædam actu sunt, quædam potestate: quæ igitur miscentur, potestate sunt in mixto, quoniam ante mixtionem separata sunt, & post mixti corruptionem separari possunt, actu verò non sunt, quod ipse sic probat. Nam si quæ miscentur manerent, ea potius partium compositio quam mixtio esset appellanda. Quanuis enim ad minimas qualsque partes diuidantur elementa (in totum enim diuidi nequeunt) partium erit compositio & applicatio. Nam etsi sensui humano imponat, lynceo cognita erit partium iuxta se positio. Hoc est quod ferunt, non quælibet pars mixti esset mixta, si elementa in mixto manerent actu. Itaque inquit Aristoteles de hac mixtione, contrariorum, agentium, alterabilium, nec corrumpuntur ambo, neque alterum: nam saluæ manent virtutes eorum, hoc est cum contraria miscentur, non corrumpuntur contraria, ita vt non maneant actu neque potentia: neque corrumpitur alterum, nempe potentia ratio est, quoniam saluantur virtutes eorum, quæ miscentur. Cum enim Aristot. ibidem loquatur de actu, & potentia, ac dixerit mixta non manere actu, sed potentia, meritò addit, non corrumpi ambo, scilicet, actum, & potentiam, neque alterum, scilicet potentiam miscibilium, & adiungit rationem, quoniam saluæ manent vires eorum. Quod si cum dixit, neque alterum, non loqueretur de potentia, & virtute, eorum quæ miscentur, inceptam reddidisset rationem, dicens: quoniam saluæ manent virtutes eorum, atque hæc quidem est genuina huius loci expositio. Hanc quoque fuisse Aristotelis opinionem, & Stoicorum contrariam testatur Galenus commentar. primo, libro de Natura humana, dicens: Iam verò hæc opinio duplex est, nam quidam quatuor tantum qualitates, inter se totas commisceri, quidam substantias censet. Peripatetici priorem, alteram tuentur Stoici. Manent autem potentiæ elementorum in mixto, partim quoniam in mixto est potentia calefaciendi, infrigidandi, humectandi, & exiccandi: partim, quoniam mixtum, potest in elementa dissolui, in ipso igitur elementa erant in potentia salua. Vult itaque Aristoteles elementa corrumpi in mixtione, id est formas suas substantiales amittere ex alterna actione & passione ipsorum, ob idque non manere actu in mixto, manere tamen in potentia, duobus modis dictis, libro quoque secundo, de partibus animalium capite primo, Aristoteles aperuit mentem suam, dicens: Cum itaque triplex sit compositio, prima statui potest, ea quæ ex primordijs conficitur, iis quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aquam, aerem, ignem, sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus, confici elementorum, isque non omnibus, sed vt antea expositum est: humidum enim, & siccum, & calidum, & frigidum, materiæ corporum compositorum sunt. Philosophi iuniores, placitum hoc multis rationibus confirmant sic: Si elementa in mixto, cum suis substantialibus formis manerent, ex pluribus entibus, in actu, fieret vnum ens per se, quod est contra Aristotel. & assumptum probant, quoniam homo res est per se subsistens, & ex elementis cõstituta, quæ sunt consistentia in actu, per suas formas substantiales, quæ vere actus sunt. Rursus ignis forma existeret in materia admodum frigida, veluti in lactuca, aut in humano osse, atque in materia admodum densa, vt lapidis aut ossis, quæ formæ ignis pugnare videntur. Rursus non esset illud Aristotelis placi-

Elementa in mixto an maneant.

tum perpetuo verum, generatio vnius est corruptio alterius, cum mixtum generetur, ex elementis non corruptis. Hæc, & multa huiusce modi, ad comprobandam mentem Aristotelis adducunt. Hippocrates tamen aliter sentire videtur libro de Humana natura, quem sequutus est Galenus libro de elementis, quo in loco elementa considerantur, quatenus humani corporis sunt elementa, quemadmodum Aristoteles & reliqui Philosophi ipsa cõsiderant, vt generabilium, & corruptibilium elementa. Quæ igitur de vnius hominis elementis, ad doctrinam Hippocratis dicemus, id ad omnia generabilia corpora transferre licet. Duo itaque vult Hippocrates, non esse vnicum humani corporis elementum, & quatuor elementa hominis compositionem sub propriis formis ingredi. Elementum, vt inquit Galenus libro de Elementis, & octauo de Placitis Hippocratis & Platonis, est minima pars eius cuius est elementum, eritque elementum in prædicamento ad aliquid, quemadmodum magnum, ad paruum collatum, & pars ad totum, ita elementum ad id cuius est elementum, tanquam simplex ad id quod ex simplicibus constituitur, dicitur eodem modo, quo & elementa dictionis literæ sunt, dictionem ipsam, tanquam simplicia componentes, quæ etiam minimæ partes compositi sunt: minimæ verò dictæ sunt, non quod ad sensum attinent, sed quod natura minimæ. Minimum verò secundum naturam id dicitur, quod non est constitutum ex diuersis naturæ rebus, neque in diuersa secundum naturam diuidi potest, quemadmodum ignis, aut aqua, aut aer, aut terra. Id est quod Aristoteles dixit, indiuisibile in alteram speciem. Erunt ergo hominis plura elementa, nam si vnicum tantum esset, neque id à quo ortum haberet minima ipsius pars, id est, simplicissima diceretur, neque homo esset quid compositum, cuius collatione elementum & simplicissimum quid est. Verum hæc cõpendiaria ratio est. Sed iam Hippocratis ratione eorum opinionem confutemus, qui hominem vnicum esse elementum dixerunt. Nam quidam ignem, alij aërem, nonnulli aquã, reliqui terram astruebant, quidam verò id esse impatibile, quidam incompacta corpuscula. Græci, ἀνάρμους ὄγκους appellant, quidam indiuisibile, & ex indiuisibilium congerie fieri affirmabant: quidam colores, & qualitates sola apparentia, non re ipsa existere: contra quos validissima est Hippocratis ratio, si homo vnum esset, non doleret, sed dolet, non ergo est vnicum humani corporis elementum. Sic probatur assumptum, Quæ dolent, omnia alterabilia sunt, & sensu participant, sed si homo esset vnum, id non haberet has duas conditiones, non ergo doleret. Nam quod dolet, alterationem patitur a re dolorem inferente, quoniam dolor passione fit: si igitur dolor est, alteratio est, dolens ergo homo patietur & alterabitur, hominem autem alterari, si vnum sit, est impossibile. Nam omnis alteratio, à contrario fit, & id elementum quod humanum corpus constituit, constituet vniuersa alterabilia, & alterantia. Non erit itaque in vniuerso contrarium, neque a quo homo alterationem suscipiat. Præterea quod alteratur in potentia est, ad id quod alterat, cùm ergo id elementum, quod est homo, sit omnia generabilia, & alterabilia, ad nullum eorum erit in potentia, & à nullo ipsorum alterabitur. Quod si contendas id patibile esse ac diuisibile, sensu tamen carere, constat quod non dolebit, sed erit, veluti lapis, qui patibilis est & alterabilis, non tamen dolet. Quod tamen id quod non patitur, non sentiat, constat, quia sensus omnis passione fit, apud Aristotelem & Galenum, sed tamen si corpus humanum constitutum esset ex atomis, vt dixit Epicurus, aut ex incompactis corpusculis, vt dixit Asclepiades, (quod tenentur dicere, qui vnicum statuerunt corporum elementum. Quoniam cum id impatibile sit, non aliter fient omnia ex ipso, quam ex infinitorum atomorum diuersa compositione,) inde fieret, hominem non dolituru, vbi acu pungeretur caro. Nam aut acus vnum tantum tangeret corpusculum aut plura, si vnum & id indiuisibile, atque impatibile est, non ergo diuidetur aut patietur acu punctum:

Hippo. de elementis.

Elementum ex Gal.

Hippo. placitum de elementis.

Hippocratio.

Asclepiades & Epicurus refutantur.

quòd

quòd si duo aut plura acus tetigerit, nullum eorum alterabitur, ergo neque totum, quod enim compositum est ex impatibilibus, impatibile est. Numerum enim mutat non rei naturam, præter id quòd quemadmodum, vbi quis duos digitos contiguos separans, dolorem non infert, ita qui duo impatibilia ac indiuisibilia seiunxerit, nullum dolorem inferet, aut alterationem: & quemadmodum vnum ipsorum impatibile est, omnia erunt impatibilia, neque à causis alterantibus alterabuntur: indiuisibile verò inalterabile esse constat: quoniam qualitas extensa est, & subiectum exigit extensum. Hinc fit corporis plura esse elementa non vnicum, & hæc quidem non impatibilia, vt quidam voluerunt: atque hi in duas sectas diuisi fuerunt, quibusdam dicentibus, elementa corpus componentia impatibilia esse, sed sensibilia, aliis verò impatibilia simul & insensibilia. Qui verò patibilia esse dixerunt, pariter fuere bipartiti: nam quidam asserebant componentia esse patibilia, ac sensibilia, quod verum esset, vbi per prima componentia, simplices & primas particulas intelligeremus, quamuis verum sit prima componentia patibilia esse, sed sensus expertia. Neque est à ratione alienum ex patibilibus principiis quæ non sentiunt, aliquod fieri patibile simul ac sensibile, vbi ex contrariorum actione vnum aliud conficiatur nouam formam, nouásque vires adeptum. Rursus secundò placitum suum sic probat Hippocrat. Si homo vnicum esset elementum atque doleret, vnica tantum esset curandi via, erítque argumentum priori simile. Diximus enim si homo vnicum esset elementum non doleret, sed dolet, non ergo est vnicum elementum: modò verò si homo esset vnicum ac doleret, vnica esset curandi via: sed non est vna tantum via curationis, non ergo est vnicum & dolet homo, sequitur enim in bona consequentia ex opposito consequentis oppositum antecedentis. Iam ergo probo primam consequentiam. nam si homo vnum est, vnam habent homines sanitatem, ad vnam autem sanitatem vnica tantum via est, erit ergo vna tantum curationis via. Valet hæc ratio: quoniam si vna tantum sanitas est, vnicus tantum erit morbus: nempe qui sanitati contrarius est, & inter duo tantum contraria, vnica tantum est via, qua sanitas in morbum migrat, & qua à morbo sanitas restituitur, sicut vnica via est Athenis ad Thebas, & Thebis ad Athenas. Quòd tamen non sit vna tantùm curandi via, notum est: nam esset quoque (inquit Hippocrates) vnica curationis species, si vnicum esset homo: nam vnico tantum morbo, sanitati contrario ægrotasset, sed non est vnica curationis species, non est ergo homo vnicum. Quòd verò non sit vna curationis species cõstat: quidam enim calfactione, quidam refrigeratione, quidam humectatione, quidam exsiccatione, & quidam ablatione, quidam adiectione sanantur, non ergo est vnicum elementum homo, aut ex vnico elemento, neque vniuersa generabilia ex vno tantum constituta sunt, vt voluerunt: quorum mentem confutauimus. Ad quod accedit quod ex his, qui vnicum dixerunt esse elementum, diuersi diuersa senserunt: alij ignem, alij aerem, alij aquam, alij terram esse dicentes: verùm vnica tantùm via ad id asserendum procedebant: vt inquit Hippocrates libro de Humana natura, dicens: Idem sanè omnes sentiunt, at verbis discrepant: ratio verò ipsis communis est: quia siue ignem, siue aquam, siue aerem, siue terram elementum dixerint, id diuersa rarefactione, aut densatione, aut alia quauis mutatione in singula transire asserunt. Habuerunt itaque vnicam errandi viam, & diuersa placita. Quo confutandi modo Aristotel. vsus est aduersus eos, qui male de principiis rerum naturalium senserunt, libro primo de Physico auditu, cap. quinto. Sunt tamen vt Hippocrates docet, quatuor mundi elementa, calidum, frigidum, humidum, siccum: ex quibus humannm corpus constitutum est. Per calidum autem & frigidum, humidum & siccum, non tantum primas ipsas qualitates intelligere oportet, sed substantias. Hoc enim loquendi schemate, sæpe

Numerus elementorum ex Hippoc.

vtitur Hippocrates, vt cùm dixit, qui crescunt, plurimum habent innatum calidum, & rursus, Ventres, vere, & hyeme, calidissimi sunt natura, vbi per calidum, non qualitatem, sed substantiam intellexit, vt ibi & multis aliis locis, Galenus probauit, ignis ergo aer, aqua, & terra, vniuersa constituunt per suas substantias & qualitates: vtrunque enim significare voluit Hippocrates libro de Humana natura. Ex qualitatum nanque contrarietate actio consurgit, & mixtio, nullo elementorum reliqua in actione vincente, sed omnibus conuenienti mensura, & potentia pugnantibus, per quam mixtum fit, in quo elementa substantiis integris, qualitatibus tamen remissis manent, quæ tamen ab initio summæ erant. Docet id generatio & interitus mixtorum, homo nanque membra diuersa continet ex semine genita. Semen verò ex humoribus habet suam generationem, humores ex cibis, veluti ex ouina, aut hœdina carne: hæc vero ex herbis, herbæ tamen ex elementis quatuor. Neque enim aquam solam terræ mixtam continent, nam essent quale lutum, sed & nonnihil aëris & ignis. Hæc autem est vniuersæ transmutationis via, non etenim corpus nostrum vnica mutatione, ex elementis fit. Præterea si corporis alimenta ex quatuor elementis constituuntur vti herbæ & fructus, nostrum quoque corpus ex eisdem constitui par erit. Nostrum etenim corpus duobus modis mutatur, aut simplici alteratione, quæ per primas qualitates aut substantiæ dissolutione. Restitutio quoque bifariam fit, aut contrariis alterantibus, quæ corpus ad pristinum temperamentum reducant, aut his quæ corpus reficiunt, qualia sunt alimenta, quæ substantiæ dissolutæ similia esse decet. Corpus igitur nostrum alimentis simile est, alimenta verò ex elementis constant, colliges igitur & nostrum corpus ex eisdem constare. Alimenta sane elementa in seipsis continere facile docet ratio sumpta ab his alimentis, quæ medicamentosam habent facultatem in quibus vnum elementum præ aliis abundat, in quibusdam, nempe ignis, in aliis aqua, aut quoduis aliud, vti in pipere, allio, euphorbio, & venenis calidis, ignem vere adesse dices, cum partem quampiam vrunt, aut in ea bullas generant. Nec tamen putare decet, in humano corpore non adesse quatuor elementa, quoniam nullum eorum manifeste conspicitur, (vti Galenus libro primo de Elementis abunde docet,) satis enim est, si in ipso fuerint partes singula elementa referentes: ossa etenim quamuis terra non sint, terrenam habent naturam, & humores aqueam, in spiritibus verò & calore, quamuis nullum eorum purum sit elementum, ignis & aer continentur. Nec mirum est nullum elementum purum ostendi, quamuis corpus ex eisdem constituatur, nam in vnguento tetrapharmaco, quod ex cera, resina, pice, & adipe componitur, nemo post mixtionem alicuius eorum portionem quampiam ostendere valebit, nec tamen ipsa corrupta sunt, quoniam vbi tantum ea liquaueris, omnia simul consistent, & nullum ostendes, præter id quòd nullum elementum impermixtum in vniuerso inuenies, nedum in mixtis ipsis corporibus. Ad hunc modum homo ex elementis constituitur, quod eiusdem dissolutio, in quatuor elementa pariter docet: vbi enim quis carnem vrere voluerit, partem videbit in ignem trãsire, partem in aerem, ad vaporis speciem, partem defluere ad speciem aquæ, & partem in cineris formam residere, id est, quod Hom. dixit Iliados ἀνδρῶν καὶ γαίης γένεσθαι Quod est, in aquam & terram reuertamini, & verba Hippoc. idem confirmant, cùm libro de Humana natura dixit: Rursus cùm hominis corpus moritur, singula ad suam naturam discedunt: humidum ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum: omnia similiter generantur, similitérque intereunt omnia, id quod potest probari Platonis sententia, in Timæo, vbi non tantùm ex quatuor dictis elementis humanum corpus constitui, sed ex eorum temperatura pendere sanitatem, & ex intemperie morbum voluit, dicens: Cum quatuor sint genera, ex quibus corpus nostrum compactum est, terra, ignis, aqua, aer, horum sanè præter

An elemẽta in mixtoma neant.

Alimenta

Elemẽta in mixto ex Platone.

nat

naturam, redundantia, & defectus & sedis è propria in alienam facta mutatio, ignis scilicet & aliorum, cùm plus ex vno habuerint partes, neque quod sibi conuenit, vnaquæque assumpserit, cætera quæ huiusmodi seditiones & morbos afferunt. & rursus: Cùm enim præter naturam vnumquodque afficitur & transmutatur, calefiunt, quæ prius frigebant, humescunt, quæ sicca fuerant: leuia item grauitatem adipiscuntur, sicque omnia, omnes mutationes suscipiunt: tantummodo enim circa idem, idem dicimus, & similiter id quod pro rata portione, vel accedit, vel recedit, id quod idem est, sospes ac sanum esse permittit. Sed si peccauerit aliquid præter hæc accedens, vel recedens alterationes variat, & morbos interitúsque innumerabiles inducit. Quibusdam aliis rationibus id placitum confirmari potest, quamuis dicta maximam fidem faciant. Nam si elementa in mixto non manerent, non rectè dicerentur corporum elementa, sicuti neque literæ dictiones, si literæ suas formas amitterent, in dictionis constitutione, neque satis foret materiam præstare: nam pari modo diceres, ligna varia esse ignis elementa, vbi comburantur.

Præterea in lapidis generatione, nemo mentis compos negaret terram, licet non puram manere, & in lapide existere, ignem autem silex nobis ostendit, à quo exilit, vbi vehementer ferro, aut alio lapide collidatur. Nec tamen aliter fieri id contigit, quàm quòd motu illo vehementi aer impulsus intus penetrat, qui ignem ab aliis elementis oppressum, atque densatũ ventilat, atque rarefacit. Quamobrem ostenditur palam, qui intrò conclusus, ac quodammodo in aliis sepultus erat, quod libro primo de Differentiis febrium in nostris Commentariis ostendimus. Ad ea tamen quæ pro Aristotele adducta sunt, dicemus ad primum, quod elementa corporum non sunt minima ad sensum, sed ob id minima dicuntur, quoniam naturalia sunt: quanuis ex se diuidi amplius possint. Nec refert, vt inquit Galenus libro de Elementis primo, si à lynceo partes percipi possunt iuxta positæ. Satis enim est ipsas sic esse natura minimas, vt in diuersa specie secari non possint.

Præterea quanuis elementorum minimæ partes verè mixtæ non sunt, sed iuxtà positæ, nulla pars mixti signabilis est, quæ per se existere possit, quin quatuor elementa contineant, mixtæ verò dicentur, quòd aliis sint, & commixtæ, & coalteratæ. Ad aliud quod afferunt dicentes, ex pluribus entibus in actu non fieri vnum per se, verum est, nisi forma vnica toto composito superuenerit, superuenit tamen forma mixti, quæ individuum in specie constituitur. Nam neque negare fas est formam ossis & carnis esse substantias diuersas, & hominem esse vnum per se, quæ tamen actus sunt çompleti & perfecti, quod de formis elementorum negant, qui ad hoc respondent iuniores Philosophi, dicentes: ex pluribus entibus in actu perfecto non fieri vnum, sed in his quæ sunt, in actu incompleto, qualia sunt elementa. Sed hoc falsum est, elementa non esse in actu completo, & eo dato de forma carnis & ossis non esset verum quæ completæ sunt, ex quibus cum animali forma vnum actu constitui nemo negabit.

Ad aliud quod adducunt: nam forma ignis esset (inquiunt) in materia admodum graui & admodum densa, verum est, neque tamen, vt Philosophi putant: nam materia ignis in mixto minus leuis & minus calida & minus rara est, quàm vbi secundum naturam existeret. Veruntamen in osse ignis non adeò densus est aut frigidus, vt os, sed ex densitate & frigore terræ mixtis raritate & calore ignis medium constituitur, & hæc cum reliquis elementis similiter attemperatis os constituunt, nulla ipsarum in extremum contrarium, nec propè ipsum recedente, sed à suo extremo remissionem tolerante. Ad aliud cum contendunt, non esse generationem vnius corruptionem alterius, nec ecõtra, id in elementis cum inuicem transmutantur est perpetuum, non in reliquis, quod docet mors

bruti,membris suis manentibus sub forma ossis & carnis,quæ præfuerunt nulla superueniente loco formæ bruti corruptæ. Quod enim ferunt de forma cadaueris,puerile est, & generatio formæ bruti idem ostendit, quæ formæ carnis genitæ in materia sanguinis superuenit,non corrupta forma carnis. Rursus ergo dicemus,quod in prima generatione mixti ex elementis quatuor ipsa conueniunt,potentiis non multum disparia,quæ ad minimas partes diuisa miscentur,vt melius agant & patiantur, ex quorum actione vnumquodque non nihil amittit sui vigoris, & suarum qualitatum, tam primarum quæ sunt calor, frigus,humiditas,siccitas,quàm secundarum: vt duritiei, mollitiei, grauitatis, leuitatis,raritatis & densitatis. Neque tamen materia ignis formam suam amittit,neque alterius subit,neque remissionem patitur: id enim naturæ substantiæ repugnat:sequeretur enim ad substantiam esse per se motum. Sensim nanque incalescente aqua,forma aquæ recederet,& corrumperetur,rursus sensim refrigerata forma aquæ gradatim produceretur. Verùm hic inter errores Auerrois est annumerandus:hæc quidem vera sunt, & ab aduersis rationibus facilè tuentur, quæ Galenus libro primo de Elementis secundum Hippocr.latè probauit,quamuis lib.de facultat.natur.substant. qualitatibus inuicem agentibus fieri temperamenta,non substantijs probabilius existimet: & libro octauo de Pla.Hippocr.& Plato.elementa corpus humanum constituentia qualitatibus Hippocr.nominasse dixit:quoniam in ipso potestate sunt non actu.& libro primo de Elementis ad finem:si non alterius saltem securitatis gratia placitum hoc seruandum voluit.Nos elementa formis, & qualitatibus mixta componere affirmamus, & abundè probatum existimamus. His habitis de qualitatibus elementorum,his quę diximus,quædam ad dictorum integram notitiam nobis addenda se offerunt.Dictum à nobis suprà est, ex Aristotelis opinione, ignem summè calidum, aerem summè humidum, aquam summe frigidam, terram summè siccam.Verùm Galenus de Temperatura aquæ & aeris diuersa sentit. Aristoteles enim libro secundo, de Gener. & corruptione, cap.tertio & quarto,Elementa qualitatibus distinguit: dicens,ignem esse calidum & siccum, aerem calidum & humidum,aquam frigidam & humidam, terram frigidam & siccam: verùm aquam magis frigidam, quàm humidam, aerem magis humidum quàm calidum.Galenus tamen aquam dixit esse summè humidam. primo libro de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap.octauo, & cap.trigesimo,inquit:& aqua quæ supra quàm quòd refrigeret,omnium sit vel humidissima: nihil est enim aqua humidius. Idem voluit libro de Elementis 1. & primo libro de Temperamentis. fauet quoque Gale. experimentum. docet enim id maximam esse aquæ vim humectandi, & maiorem quàm aeris. Rursus vt ipse libro primo de Simplicium medicamentorum facultatibus ait: aqua tepida summè humectat, quod frigiditatem amittere potest, non tamen humiditatem, humiditas ergo magis sibi familiaris est. Verùm ad rerum naturas magis aduertit Aristoteles à priori elementorum requirens qualitates, quas natura singulis elementis est impartita,aquam verò cùm intellexisset summè frigidam,ipsi non tribuit duas qualitates summas. Galenus tamen rerum effectibus magis intentus,quos ipse maximè perscrutatur,aquam humidissimam dixit,quòd maximè humectet,sed id ad potentiam referri debet: minor enim qualitatis intensio in subiecto densiori, magis agere poterit, eritque aer humidior intensione,aqua verò potentia, sed & aer quodammodo magis humectat, quatenus altius penetrat corpora alteranda. Quòd tamen frigiditatem non conseruet perpetuò,sed humiditatem, nihil agit: nam terra nec siccitatem perpetuò conseruat,quam in summo habet, & aer calefieri, humectari, acexsiccari potest.De aeris quoque temperatura,quam dixit Aristoteles primò humidam, & maximè humidam ac calidam, Galenus aerem frigidum potius

quàm

Elementorum conuersus.

Aqua an sit summè humida.

Aqua summè humida ex Galeno.

An aeris temperatura sit calida & humida.

quàm calidum esse, contra Aristotelem docuit octauo libro de Vsu partium, vbi ipsum non esse natura calidum testatur, ac recte dixisse Aristotelem, respirationem ad cordis refrigerium ordinatam, recte quoque obiectum sui placiti, qui alias aerem calidum esse dixerat. Ad quod confirmandum accedit, quod aqua frigidissimo aeri exposita congelatur, quod indicat aerem aqua frigidiorem, & quòd in media regione, vbi minimè ab alijs elementis alteratur, magisque suam naturam obseruat, frigidissimus est, vt grando & nix & aqua, inuicem genitæ docent, vbi minimè videntur ab externa causa suscepisse frigiditatem. Veruntamen hæ rationes non satis probant aerem natura frigidum, etsi frigidus sit, qui aquam congelat, à Septentrionali plaga & congelato mari procedens, à quibus locis frigus susceperit, & astrorum frigidam influentiam, quod tamen ad mediam regionem attinet, diceret Aristoteles ibi non esse purum aerem, neque alibi posse inueniri ob rerum aliarum mixtionem, vt vaporum & exhalationum, quæ magnam frigiditatem ostendunt, vbi à causa alia non calefiant, licet hæc à prima generatione calida sint, ventos enim à Septentrione flantes, & nebulas hyberno tempore videbis frigidissimas, à calore tamen ieiunas, accedunt quoque potentiæ astrorum, quæ extenduntur vsque ad mediam regionem, & non amplius. Quòd si dixeris, quare non infrigidabunt supremam? dicemus ab igne impediri astrorum infrigidantium vim. Nisi velis omnino ignis elementum negare in sphæra quapiam per se situm, contrarium namque nulla via probari posset. Comprobat rursus aeri calorem, secundum naturam inesse, quod ex aqua generatur, vbi aqua frigiditatem amiserit, & calorem susceperit, vt constat in generatione vaporis ex aqua, & inde aeris, ex vapore. Meminit huius rationis Galenus libro secundo de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap. vigesimo. Quamuis, an aer calidus sit, maximam esse quæstionem referat, ac clarissimis Philosophis dubitatam, Aristotele dicente ipsum esse calidum, Stoicis vero frigidum. Quod tamen dixit Galenus octauo de Vsu partium, bene dictum esse ab Aristotele aerem respirationi seruire, non probat aerem absolutè esse frigidum, sed comparatione ad cordis calorem qui verè maior est, calore aeris: si verò cum medio temperamento in tota substantia conferatur, & secundum naturam existat, calidus dicetur. Tenemus ergo cum Aristotele aquam summè frigidam, aerem natura calidum, ac summè humidum: præsertim quoniam & Galenus libro de Humana natura, commentar. decimoquarto, dixit aerem esse humidum in summo, & aquam frigidam in summo, maxime vero omnium humectare, non ex humiditatis intensione, sed ex vehementia, quam ex subiecti densitate, & formæ copia consequitur, ignem vero esse summe calidum, & terram summe siccam, non est qui ambigat: longe tamen à veritate aberrat, qui dixerit, aerem neque calidum neque frigidum: quoniam facile incalescit ac refrigeratur, & esse veluti ceram & oleum, quæ quoniam tẽperamento accedũt, materiæ sunt medicinales. nam pari ratione cùm facile exsiccetur & humectetur, non erit siccus aut humidus. At Aristoteles & Galenus elementa omnia simpliciter talia, & summe talia appellant. Referant igitur hanc facilem mutationem ad substantiæ tenuitatem (cum eas mutationes admittere possit) dicente Hippocrate quinta Aphorism. sect. Aqua quæ citò calefit, & citò infrigid. leuissima est, & Galenus in commentar. eam citò penetrare dicit, quod tenuitati est adscribendum. Libro autem primo de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap. decimoseptimo, inquit. Ergo quæcunque corpora tenuis sunt essentiæ: cum facile perpetiantur, prompte tum incalescunt, tum refrigerantur. His quatuor elementis simul ad mixtionem accedentibus: mixtionem fieri Aristoteles docuit, libro primo de Generatione & interitu, cap. vlti. Decet autem quæcunque mixtionem efficere debent tangibilia & alterabilia esse, ac diuisibilia. Alterantur autem & alterant inuicem, vbi nullum eorum valde superet suum contrarium, ne fortè

ipsum

ipsum in sui naturam mutet,sed agat, atque ab ipso patiatur, agens enim dum agit,repatiturà patiente,inquit Aristoteles. Quod tamen dubium visum est iunioribus Philosophis. Si enim calidum frigidum calefacit,vt ignis aquam,atque rursus aqua ignem infrigidat,idem collatum eidem foret ipso valid.us, & minus validum.nequit enim actio procedere,nisi ab eo quod maius & validius est altero,& minus validum id quod validius est non mutat. Præterea superiora agentia,hæc inferiora mutant,à quibus non mutantur. Præterea manus mouentis,lapidem sursum impellit,à quo tamen neque mouetur, neque repellitur. Præterea vbi agens longius absit,ita vt ad eam distantiam vis patiẽtis non pertingat,actio euenit sine agentis repassione, idem etiam fieret, vbi agens roboretur à causa quapiam adiuncta: tunc etenim quanuis agat, non perinde repatietur. Hæc autem exposcunt cognitionem virium primarũ qualitatum, à quibus actio omnis ac repassio ad mixtionem,necessaria procedit. Sunt autem primæ qualitates quatuor,quas actiuas appellauit Aristotel.libro de Generatione & interitu,libro tamen quarto Meteorologicorum cap.primo. duas dixit actiuas,nempe calorem & frigiditatem:duas verò passiuas,humiditatem & siccitatem,nec tamen sibi repugnat: quoniam cùm quatuor dixit actiuas, citra distinctionem loquutus est,cùm vero duas tantùm dixit actiuas, ad alias duas fecit collationem:caliditas enim & frigiditas actiuæ sunt,si ad alias conferantur: humiditas verò & siccitas non sunt actiuæ ad calorem & frigiditatem collatæ: quoniam inferiores multò habent agendi vires. facilè enim calor, aut frigiditas agunt & contraria mutant:humiditas verò & siccitas,difficile & tardè:quamuis & calor validior sit frigiditate, & humiditas siccitate. Passiuæ quoque dicuntur humiditas & siccitas: quoniam sunt veluti materies eorum quæ generantur. Aut quemadmodum Galenus, libro primo de Naturalibus facultatibus voluit,humidum & siccum,ad Hippocr.doctrinam pati dicemus,in animalibus & plantis,magis quàm agere, non tamẽ in omnibus. Maximam igitur agendi vim habet caliditas, secundum locum habet frigiditas, tertium habet humiditas, quartum siccitas. Obsistendi verò contrarium seruant ordinem: nam maximè omnium obsistit siccitas,deinde humiditas,deinde frigiditas, deinde caliditas: huic sententiæ obstare videtur Galenus:qui libro septimo de Method.meden. difficilius reliquis dicit curari posse intemperiem, quæ humectatione corrigitur:inquit enim: Ac facillimè quidem ad curandum alterationes sunt,quæ ex calido & frigido consistunt, propterea quòd maxime actiuis qualitatibus corriguntur,ægrius curantur,quæ in humido,siccóque habentur:quod imbecillis,& (vt sic dicam) magis materialibus qualitatibus eorum curatio perficitur,in hoc loco difficillimam statuit mutationem,quæ ab humiditate proficiscitur, putat igitur minimam habere potentiam,quod confirmat statim, postquàm de caliditate,& frigiditate loquutus,inquit: In reliquis duabus qualitatibus securitas similis est. Tempus curationis in sicca intemperie multo amplius, sed sicca intemperies humiditatis actione curatur. Humiditas igitur tardissimè omnium agit:verumtamen non ob id siccam intemperiem difficilius curari dixit: quoniam humiditas tardius agit, & minus valida est siccitate: sed quoniam siccus morbus ob humoris defectum fit, humorem autem dissolutum reparare difficile admodum est: quoniam languet facultas cui id munus incumbit Humida autem intemperies, tum siccitate, tum etiam calore exsiccante perficitur. Hæ autem duæ qualitates vehementius exsiccant, quàm sola humiditas humectet, ac facultas reparet dissolutam substantiam. Falluntur autem qui existimant in naturalibus agentibus, eandem esse actionem ac resistentiam, & nullam esse resistendi rationem aliam ab actione: nam multæ sunt passiones cum resistentia, sine aliqua actione, ignis enim in sphæra sua,à luna,aut astris alteratur, ac resistit sine aliqua actione: idem contingit ligno cum inflammatur ab speculo concauo, reflexis Solis æstiui radiis, ac resistit sine actione:omnis

Repassio an sit.

Qualitũ ordo agendi & patiendi.

An sit idem agere & resistere.

ne:omnis enim actio ab agente in passum procedit: nullum autem est patiens,vt dicemus. Repassionem fieri testatur Aristo.libro primo,de Gene.& interitu,capite septimo, quam etiam docet experimentum.Si enim aquam calidam frigidæ admisceas,calida minus calida fiet,& frigida minus frigida:& si quis pomum frigidum manu capiat, manus à pomo infrigidabitur, & pomum à manu calefiet. Repatitur etiam vnumquodque à sibi contrario æqualium portionum, quod philosophi peripatetici non receperunt.Id tamen affirmat Gale.libro tertio de natura.fa.dicens:Neque enim fieri potest, vt duo corpora, quæ ad agendum, ac patiendum sunt nata,vbi conuenerunt, non vel simul patiantur; agantque, vel alterum agat,alterum patiatur.Quippe si vires pares iis sunt,ex æquo tum agent, tum patientur.Accedit quoque ratio.si namque calidum septem portionum agit in frigidum 6 portionum, ab eodem repatietur: quod si frigidum sex portionum mutare potest calidum septem portionum, id facere poterit frigidum septem portionum.Calidum igitur septem portionum,in frigidum septem portionum agit,& ab eodem repatitur.Nec tamen in vniuersum id verum est, sed vbi non impleatur ex vtrisque contrariis, quæ sunt in diuersis subiectis, summa latitudo qualitatum exquisitè.Exemplum est,si summa latitudo caloris, aut frigoris fuerit decem portionum,calidum quinque portionum nõ aget in frigidũ quinque portionum, quoniam summa latitudo impleta esse debet ex vna qualitate, aut ex eadem. & si ei contraria. Quapropter fiet, vt si calidum quinque portionum fuerit,quinque etiam frigoris contineat:non igitur aget in frigidum quinque portionum, neque patietur ab ipso, quod eidem omnino simile est: simile enim non aget in sibi simile. Quod tamen summam latitudinem deceat esse impletam, constat ex Aristot. libro quarto Meteor. Qui dixit; Absentia caliditatis, frigiditas est.Vt igitur caliditas corrumpitur, ita frigiditas inducitur, sempérque impletur latitudo.Præterea præcipua intentio agentium, est sibi similia generare,ad seruandam speciei perpetuitatem, corrumpunt autem contraria ex accidenti, quatenus fieri non potest, vt contraria simul existant. Ad corruptionem igitur cuiusuis portionis frigiditatis omnino necessum est portionem alteram caloris induci.id verò est summam seruari latitudinem. Nihil autem refert in tota hac oratione,portiones qualitatum, aut numeros dixisse, aut id quod vnam portionem tãtùm caloris habet,vt vnum calidum dicere, & quod septem frigoris habet,vt septem frigidum appellare, quod fecimus aliquãdo lib. 1.de Diffe.fe.in commentariis nostris,cum non erat nobis loquẽdi curiositas, sed veritatis docendæ amor.sequebar enim cõmunem scholæ vsum dicendi.Nam & lib.2 eius operis comm.cap.sexti, videre licet me aliter nominibus vtentem, vt qui neutrũ vsum ignorauerim,etiam si latinè dicatur, quod vno numero calidũ est, calidũ vt vnũ numero, & quod septẽ numeros habet caloris, calidum,vt septem,numero.Sed viderint,ne,qui impudenter nostram dicendi normam reprehendũt, à vera rerum cognitione,& communi hominum consensu turpiter prolabãtur.Audio enim eos dicere,quod tres gradus cum dimidio habet frigoris,& quatuor cum dimidio caloris,calidũ est vno gradu.Nam statuamus, vt ipsi summam caloris latitudinem octo portionum, siue graduum, quod habet quatuor portiones,cum dimidia caloris est calidũ vno gradu:igitur quod habuerit quinque cum dimidia,erit duobus gradibus calidum.Siquidem vnum tantùm gradũ nouum superadditum recepit,& quod habuerit sex cum dimidia,erit tribus gradibus calidum,& quod habuerit septem cũ dimidia, erit quatuor gradibus calidum,& quod habuerit octo,erit quatuor gradibus cum dimidio calidum, id verò quàm falsum sit,ipsi dixerint,sed neque ipsas vocum significationes,ad hominum placitum(cum latinè,& curiosè loqui se putant)obseruant, cum nullus vnquàm quod summè calidum est,& octo portionum, dixerit calidũ, quatuor graduum cum dimidio,aut quod calorem,quatuor portionum, cum dimidia sortitur,vno gradu calidum.& vna portione calidum nominauerit, aut quod habet sex portiones cum dimidia,dixerit esse calidum tribus gradibus. Rectius autem

Repassio fit inter æqualia.

An summa latitudo qualitatum semper impleri debeat.

fece

fecerint,si depositis conuitiis,quibus vti solent,in sapientissimos quosque, atque in suos ipsorum venerandos præceptores, nobiscum deinceps id calidum, quatuor portionum,cum dimidia,appellauerint,aut calidum vt quatuor cum dimidio aut calidum quatuor numeris cum dimidio, & quod vnum tantùm caloris gradum continet,calidum vnius gradus,aut calidum,vt vnum numero,aut calidum vno numero,aut vna portione dicant.Non etenim quod vno gradu calidú est,simpliciter calidum,& per exuperantiam calidum est,aut dicitur, vt putant, sicuti neque qui dentibus albus est,perinde erit albus:sed sunt hæc quæ secúdum quid talia ab Aristo. appellari solent, albus dentibus, calidus vno gradu. Adde quòd calidum sex portionum,sex portiones caloris inducere potest, in subiectú aptum easdem suscipere.Quapropter erit sex numeris calidum, & quod septem numeros caloris valet inducere,erit septem numeris, aut portionibus calidum: cùm omnia talia agentia, ab effectibus, quos producere valent, denominentur. Diuersa res foret,si vellet quis inuenire ordines medicamentorum, quibus portionibus caloris,aut frigoris constaret,quod est calidum in primo, secundo, tertio,aut quarto ordine.Sed ad institutum redeamus.Porrò quamuis verum sit agentia perpeti ἀντιπαθείας,id non citra distinctionem verum in omnibus actionibus est.Si enim mouens per intermedium mouet, ita vt in actione, aut motione sit mouens aliquod primum,& aliud postremum,siue proximum, non est necessum primum mouens moueri,sed ipsum manebit immotum,vti Aristo. docuit, lib.quarto de Gene.ani.cap.tertio,dicens: Causa vt omnes motus soluatur,est q̃ omne agens patitur,etiã à patiente,vt quod secat,hebetatur ab eo quod secatur: quod calefacit refrigeratur à calescente.Denique,quodcumque mouet excepto primo,mutuo mouetur aliquo motu,verbi gratia, quod pellit, pellitur quodam modo, quod premit reprimitur. Primum igitur mouens, non subinde mouetur, neque mouens,quod in materia cum moto non communicat,nam cęlum mouet hæc inferiora, à quibus non mouetur. Cùm autem Aristoteles dixit, primum mouens non moueri, caue putes primum mouens, de sola prima causa dici,quoniam hæc infinita est,& repati nequit:nam id de quauis causa,quæ non est, patienti immediata dicitur: ac si diceret,non esse necessario, repassionem in causis mediatis.Non enim patitur artifex à domo,quamuis causa sit,quæ domum conficit. Neque patitur medicus, à sanabili corpore,quamuis suæ sanitatis sit causa.Neutra tamen de prædictis est infinita,& prima causa,sed prior,atque mediata.Quod tamen ita sit,apertè Aristo.testatur lib.1.de Gene.& interitu.cap. septimo dicens:Nihil igitur vetat,in motu,quo minus primum mouẽs immobile sit, imò in nonnullis necessarium existit.At vltimum, semper subeundo motú moueat necesse est:in actione autem ipsum quidem primum nihil patitur, vltimum verò patitur.Quæ enim eandem materiam non habent,ea citra passionẽ agunt, ceu medendi ars:ea enim sanitatem efficit,& nihil ab ea patitur, quod sanari solet.At cibus dum agit,ipse quoque patitur quippiam:aut enim calefit, aut infrigidatur,aut aliud quippiam patitur,& simul agit. Est autem medendi ars, veluti principium:cibus verò vltimum ac tangens.Hæc Aristo.vbi docet primas,ac nõ tangentes causas non repati,sed postremas,ac immediatas, siue tangentes, siue priores,sint finitæ,siue infinitæ.nam neque ignis,qui à longissima distantia calfaceret lignum,repateretur ab ipso,sed medius aër.Præterea cælum,aut astra ignẽ in sphęra sua aliquando infrigidabunt,à quo nihil repatientur. Rursus inferiorẽ aëris regionem sol calefacit,non calfacta media: non reaget autem infima, cùm enim incalescit frigore,reagere deberet.at regio media frigidior est infima, nõ ergo ipsam infrigidabit infima. Postremò æstiuo tempore,cum speculo concauo soli opposito generamus aliquando ignem,ex ligno,quo tempore lignum incalescit,& non reagit,aut in speculum,aut in aërem medium reageret etenim per frigiditatem:constat autem speculum, & aërem, tunc non esse frigidiora ligno, vel ab ipso actionis initio.Quæ verò in materia cõmunicant,& immediata sunt, omnino necesse est,vt repatiantur sensibilem,aut insensibilem passionem. Gladius

Repassionem esse non citra distinctionem ferendum.

Digitized by

dius siquidem ceram secans tandem obtunditur,& vt in versiculo prouerbiali habetur, μάτηρ κοιλόνει ῥανὶς ὕδατος ἐν τροχιάῃ. hoc est, mollior assiduis saxum cauat ictibus vnda. Patitur igitur lapis a mollissimis aquæ guttis, non solum ab omnibus,sed a singulis:alias si vel vna gutta, ac prima nihil ageret, sic neque secunda,aut tertia, aut prorsus nulla,vt Galenus inquit, libro primo de Lo.pati. Dicemus igitur, vel ipso primo etiam occursu aquam in lapidem egisse, & ceram in gladium,quanuis id præ paruitate sensuum effugerit. Rationes aduersas sic facile solues,non enim sequitur vt idem sit suo contrario validius, & minus validum. Nam quoduis etiam paruissimum,suum contrarium mutare quadantenus valet parua, aut magna mutatione: nec perinde validius est, nisi funditus contrarium subuertere aliquando valeat,quod minus non valet efficere Superiora verò agentia non communicant, vt diximus in materia cum his inferioribus,manus quoque impellentis lapidem ab ipso repellitur. Agentia tamen quæ longius iacent,a paruis non mutantur longe distantibus: quoniam hæc immediata non sunt, neque vt decet propinqua. Colligamus igitur repassionem in causis,quæ non communicant in materia non reperiri, neque semper in causis seiunctis & mediatis.neque enim Gale.perpetuo in actionibus esse repassiones voluit,libro 3.de Naturalibus facult.cum dixit: neque enim fieri potest, vt duo agentia quæ ad agendum & patiendum sunt nata, vbi conuenerunt non simul, vel agant,patianturque: vel alterum agat,alterum patiatur.quippe si pares vires sint,ex æquo tum agent,tum patientur:si longe superet,vincátque alterum magnum quiddam,& quod sensus percipi possit in id quod patitur efficiet, ipsum verò vel exiguum aliquid, & quod sensu deprehendi non possit, vel omnino nihil. Duabus tamen rationibus id placitum conantur euertere. Si enim duo contraria agentia aere intermedio agant:quorum alterum calidum sit, alterum frigidum:aer medius mouebitur cõtrarijs motibus,calefiet enim à calido: quoniam quod potest frigidum distans calfacere,poterit & medium aerem & frigidum,quod infrigid.caldum mediũ infrigidabit. Sed intellige, non omni parte aerem medium calefieri aut infrigidari. Incipiente enim actione medium parte propinquiore calido agente incalescet: & propinquiore frigido infrigidabitur, eritque aeris portio calefacta maior quàm infrigidata, ea proportione qua calidum frigido fuerit validius,aut contrà,pars infrigidata erit maior,si frigidũ fuerit vehementius. Pars vero aeris infrigidata non incalescet:sed solam caloris similitudinẽ admittet,& pars calefacta ad calidum vsque, pariter solam speciem frigoris recipiet, non etenim repugnat magni frigoris similitudo, siue species magno calori, nec vehementis caloris similitudo magno frigori, nec perinde mouebitur medium contrarijs motibus. Sed sunt qui multis antè annis agentium omnium species negarunt,aut similitudines quas diximus, quas prius confutabimus,quam ad secundam accedamus rationem. Quidam etiam in solo gustu & tactu eas negat hac ratione:nam si calidum intactum suam similitudinem imprimeret,fieret vt calidum omnino simile tactui a tactu sentiretur:cuius contrarium constat experimento. Ratio hæc lubrica est & debilis:nam pari ratione in omnibus sensibus species improbabis:nam fieret, vt is qui alia comedit,alliũ pariter comedentem sentiret: quoniã similitudo odoris in similiter affecto sensu imprimi posset.negat Aristoteles,& experimentum simile à simili pati,aut è duobus alia comedentibus,vnum alterum sentire. Dices ergo,temperatè calidum à simili,neque speciem pati,aut non ab ipsa immutari, vti si de prædictis duobus alia comedentibus,alter ab alio spiratum aerem inspiraret, non sentiret ipsum. sed iam demonstremus caloris, frigoris, & aliarum primarum tangibilium qualitatũ species esse & effundi,primùm ratione qua vsus sum in Commentarijs libri 2. de Differ.febr.quo loco idem omnino de singulis corporis partibus docui,quod modo de aere intermedio duorum cõtrariorum agentium: nempe omnes corporis partes calorem & frigus sentire in epiala febre: non quòd contrarias qualitates eædem partes simul suscipiant, sed similitudines

An verum sit species, siue simulachra, à rebus mitti sensibus omnibus.

quæ ad ſenſum ſatisfaciunt. Si enim quis ſubitò ante magnum ignem manum gelidam traduxerit ſemel, ignem calidum ſentiet: at nemo dicet eo temporis momento ignem aliquem caloris gradum immiſiſſe manui, & alterum frigoris corrupiſſe, ſimilitudine igitur ſenſum factum putandum. Rurſus apponat quis manum longo tempore, magno igni intermedio aere, ac conſequatur ignis actiones ex caloris portione: deinde aer intermedius moueatur flante vento aliquo non admodum frigido, maneat autem quieta prope ignem manus, notũ eſt manum adhuc calorem maiorem ſuſcepturam non ab aere, ſed ab igne, id verò per ſpecies. Præterea nemo dubitat omnem actionem per medium procedere, & omne agens agere per cõtactum, ignis itaque per aerem medium aget, aut igitur caliditatem, aut ſpeciem non caliditatem: nam ea non foret in aere breuiſsimo tempore ſex portionum & plurium, minor verò non ſufficeret augere calorem manus ſex portionum: cum igitur aer medius motus, nunquam calorem ſex portionibus maiorem recipiat, aer non deferet calorem manui, defert autem aliquid quo mediante agens tangit manum, & ſex portionum calorem augeat. Quapropter cogeris ſpeciem mediam ſtatuere. In febribus præterea Epialis Gale. calorem & frigiditatem in omnibus partibus ſentiri aſſerit, quod non fiet calore & frigore introductis, ſed ipſorum ſimulachris, ac via veram Galeni ſententiam ſaluauimus, idque placitum humaniter ſenſerunt omnes Philoſophiæ profeſſores. Sed audio quendam contradicentem: ſunt enim quorundam animi, ad inuidiam & æmulationem adeo propenſi, vt omni ſtudio & ſummo labore contendant, ſapientiſsimorum quorunque placita obſcurare, nunc quidem impropertis, nunc verò ludibriis & irriſionibus, interdum friuolis argutiis vtiliſsima quæque artis præcepta ſubuertere conantes, cum ipſi nec minimum quid ſtudioſis artis prodeſſe potuerint. Hos ſanè audio primùm ſpecies, aut ſimulachra ſenſibus obiici, præſertim tactui & guſtui negantes, deinde in febre Epiala, non eſſe eaſdem partes, quæ calorem & frigiditatem ſentiunt: præterea medium inter duo contraria agentia & repatientia, non eodem tempore incaleſcere & refrigerari, ſed per temporis parua interualla, quæ in omni motu adſunt: quoniam motus continuum quoddam non eſt, ſed ex morulis quibuſdam paruis interpellatus, quibus Galenus celeritatem & tarditatem in motibus diſtinxit. In illis igitur contrarium agit, dum reliquum ab agendo ceſſat. Horum primum de ſimulachris ſenſui oblatis abundè refutauimus. Secundum improbandum ſe affert Galenus, etenim non ſenſit in Epiala diuerſis partibus calorem & frigiditatem ſentiri, ſed in eadem omnino parte: Inquit enim libro 2. de Different. febr. cap. ſexto. Hoc genere continetur febris Epiala propriè nominata, quoties ſimul febricitant ac rigent, & vtrumque ſentiunt eodem tempore in quauis corporis parte. non potuit Galenus clarius noſtram ſententiam affirmare. quod ſi in quauis parte calor & frigiditas ſentiuntur, non tamen per ſpecies ſiue ſimulachra, ſed per ipſas qualitates, vt volunt ſimul contrariis motibus mouerentur. Rurſus Galenus libro tertio, de Simplicium medicamentorum facultatib. cap. 16. probans idem contraria eodem tempore perpeti, adducit in exemplum aquæ vndas in circulum agitatas à duobus lapidibus in aquam tranquillam proiectis, & addit, cõtrarios conſpicies in quauis aquæ particula motus. Idem probat de dulci, & amaro ſapore, vbi ſimul linguæ admoueantur. Idem de medicamentis, quæ laxant & reprimunt, ſi mixta parti alicui inflammatæ applicentur. Quòd ſi Galenus ſuam ſententiam nõ de eiſdem partibus, ſed de proximis intelligeret, quorſum id tot mediis probaret, quod quiuis facile fieri poſſe agnoſcit. Rurſus Galen. eodem cap. de Medicamentis diuerſa facul. prædictis, vbi mille corpora in ſucci cyatho contineantur, diuerſarum facultatum ac contrariarum ſic mutua mixtione temperata (inquit) vt partem nullam ſenſibilem accipere ſit, quãtumuis paruam, quæ non ſit omnium particeps: vt in linguæ contactu omnes quidem agant, diuerſa tamen vnaquaque eius parte, nempe cui ipſam appropinquare contingat, ipſa verò

An in Epiala ſe. calor & frigus in eiſdem par. ſentiatur.

verò affectio,ex eo quod primò affectum est,in totam eam diffundatur,veluti si in frigore ingenti digitum vnum in aquam gelidam repente immittas,tota interim manu horrebis, fæpenumero vero & corpore toto. Hoc loco Gale. à contrariis facultatibus, in diuersis partibus fieri mutationes affirmat, deinde verò singulas earum in totum membrum effundi, transit igitur alteratio a parte vna in alteram,quæ contrariam patitur alterationem, & simul eadem pars contrariis agitur motibus.Adducunt in contrarium Gal.qui lib. de Inæquali intemperie dixit:in febribus verò Epialis, tum ab interno,tum exiguis portionibus,eóq; vniuersum corpus ambo sentire videtur, quum enim tenuissimis portiunculis aspersum per corpus,tum calidum sit,tum frigidum, nullam sensiem alterius portiunculam ita paruam desumas,in qua non alterum sit compræhensum.hæc Gal.quæ nostram probant assertionem omnino: nullam enim quæ sentiri possit,portionem dicit esse, quæ non sit contrariorum particeps, quoniam id non aliâs quàm sensu assequi possumus euidenter. Verùm qua ratione, vel imperitissimo alicui suadebitur,ex his verbis Gal. velle nõ omnes partes, aut easdem, à contrariis simul occupari,& mutari? nulla certè. Præsertim cùm ex aliis adductis locis idem sit probatum.Sed iam ad tertium errorem accedamus,ac perpendamus,an verum sit,vbi duo contraria agentia seiuncta aërem mediũ mouent, id diuersis temporum interuallis fieri. Quantum autem veritatis habeat Gale. placitum qui dixit motum habere interpositas quietes,ac morulas,non est nostri instituti modo,sed cum Aristotel.& omnibus fere Philosophis recipiamus, omnem motum esse continuum,& esse vnum. Afferam tamen Gal. ex 3. libr.de Simpl.me.fa.cap.citato,ad reprobationem eius erroris,cùm enim probare niteretur contraria in idem agere, & idem contraria perpeti, eodémque tempore omnino,inquit:Neque enim partitis inter se agendi vicibus operarentur, tanquam si vtriusque,exempli causa,totum diem impositis,ex horis prioribus medicamentorum alterum suo vicissim munere fungeretur, nugax enim hæc est hypothesis,nec solum demonstratione, sed omni quoque probabilitate destituta. Vides vt Galean eisdem partibus, & eodem omnino tempore,contrarias fieri alterationes admittit.Non igitur oportet mutationes eas quæ à calido, & frigido,aeri applicitis,euentunt,ad diuersa temporis interualla referre.Secunda ratio probare conatur nullam esse in contrariis agentibus repassionem:sit enim calidum tripedale,septem portionum,quod agat in frigidum septẽ portionum, aut quoduis aliud, repatiatur quoque ab eodem, verbi causa, per vnius pedis spacium vnam frigiditatis portionem nequaquam fieri posse videtur, vt calidum possit in materiam frigidam seiunctam agere, & non valeat suamipsius partem mutare, & assimilare, ac portionem illam frigidam corrumpere, quæ sibi est à contrario illata, cum omne agens agat validius in propinquum quàm in distans. Facilius quoque superantur,quæ minora sunt, quàm maiora contraria. Ego sanè quanquam multos audierim sapientissimos Philosophos, de hac re differentes,neminem tamen inueni,qui aut priorem, aut hanc secundam rationem absoluerit.Priorem absoluimus,hanc autem facile absoluemus, si prius statuamus, quæ omnibus Philosophis sunt in confesso, nempe actionẽ omnem ex contrarietate nasci, contrarietatem ex repugnantia. Quapropter non omnis calor omni frigiditati contrarius est,neque in idem agẽdo alterabit,vt enim probabimus qualitates contrariæ in eodem existere possunt, intra tamen summam latitudinem,ea ratione fiet, vt summa latitudine caloris octo portionum statuta,calidum quatuor portionum non mutet frigidum quatuor portionum. Porrò si actio naturalis à repugnantia manat, quò fuerint aliqua magis repugnantia, eò maiorem agendi, & patiendi sortientur inclinationem naturæ. Sic itaque euenit prædictis duobus, quorum alterum est septem numeris calidum, alterum septem numeris frigidum, nam cum calidũ tripedali latitudine, numerum vnum frigoris admittit, id fit quoniam ei non valde repugnat, quem cum tota fere latitudine caloris admittit, nam vnus frigoris, qui cum septem caloris

manebat, & alter aduenies duo sunt, cum sex caloris eo existere valentes. Is igitur qui aduenit alteri adiunctus non valde repugnat calido præexistenti, repugnat tamen quàm maximè calor septem portionum, aut etiam sex, frigori septem portionum. Accipe iam sic dubij solutionem, calidum maius maiori frigori magis repugnat, & ex repugnantia manat, & concitatur actio, maior igitur actio atque contentio orietur contrariorum maiorum quàm minorum, & minor, eorum quæ sibi ipsis magis similia sunt, vt calidum agens de quo loquimur, & sua pars parum à contrario alterata, ac repassa, quæ non longe à natura totius distat, & ea ratione agens, non admodum difficile admittit repassionem, nec magna contentione aduersus receptam qualitatem pugnabit, vt ipsam corrumpat, passum autem omnem contentionem apponit vt generet, generabit igitur in alio sibi simílem, & corrumpet in alio valde contrariam, & valde repugnantem qualitatem, & in seipso contrariam patietur. Has agendi & patiendi causas vbi agnouerint Philosophi, multa absoluent dubia. Sed dices, nonne vbi calido alicui valido duo frigida inæqualia, sed ipso minora obiiciantur minus, celerius mutabit, & maius tardius, ac perinde non aget validius in maius? At non est inde actionem aliquam, aut motum esse celerem, aut esse vehementem: vbi enim calidum septem portionum egerit in frigidum sex portionum, tres eius portiones corrumpens, intra spaciũ horæ vnius, & egerit in frigidum trium portionum: vnam corrumpens in sexta horæ parte, celerius in frigidum trium portionum egisse dicemus, sed validius, & cõtentio suis in frigidum sex portionum. Huius differentiæ celeritatis & vehementiæ Gale. meminit in dignoscendis pulsibus, atque est accommodatissimum exemplum hirundo boui collata, quæ multò celerius boue mouetur, bos autem vehementius & contentiosius. Nauis item vehementius agitur ventis, sed adhuc celerius lapis mouetur deorsum. Contrariæ rationes superius adductæ facilè soluuntur. Non enim sequitur, si quid agit in aliud, id esse statim ipso validius, sed sequeretur, si non tantum ageret, sed etiam vinceret ipsum. Adde in quibusdam vti calidis & raris: quanuis potentia sit magna, obsistentia est parua, cui potentia contrarij confertur. Manum quoque graue impellentis deprimi, & obstare non dubitandum, ad alia ex his quæ diximus constat quid dicendum sit.

De Humoribus. *Cap. II.*

DIximus de primis mundi elementis, quantum satis nobis visum est ad eorum naturas indagandas atque eorum mutuam alterationem, in mixtorum generatione, qualémque habeant in mixtis corporibus consistentiam: nunc verò de humoribus agendum est, qui quandam habent elementorum naturam, sicuti & simplices corporis particulæ: hæ nanque vt homioperæ partes organicas constituunt, ipsæ verò ex humoribus constitutæ sunt. Simplices nanque particulæ, vt venæ, arteriæ, nerui, ossa, caro ex semine genitæ sunt, & sanguine menstruo, semen quoque ex sanguine, sanguis ex quatuor constat humoribus: sicuti & humores ex cibis, cibi verò ex elementis generationem habuerũt. Iam ergo humores simplicium membrorum, quodammodo sunt elementa: sicuti & alimenta ipsorum rectè dicentur: alimentum enim triplex est apud Hippocr. libro de Alimento. quoddam est futurum alimentum, quoddam veluti alimentum, quoddam est verè alimentum, alimentum in ventriculo acceptum, vt panis & lactuca futurum est alimentum, vbi multas susceptit mutationes, a liud est tanquàm alimentum, quod loco alimenti succedere promptum sit, tales sunt humores, qui in vasis continentur, qui nondum particulis ipsis sunt appositi, est tamen verè alimentum, quod appositum est particulæ, promptum in ipsum cõmutari, aqua actu iam transmutatur, & ipsam alit: Alimentum quod futurum est alimentum, ab extra veniens ore sumptum mansum (si liquidum non fuerit) saliuæ quoque mixtum interim aliquam recipit alterationẽ: quinimo & in alteram speciem mutationem, vt Ga-

Alimentum triplex apud Hipp.

Alimentorum confectio.

lenus

lenus inquit libro 3.de Naturalibus facultat. Quod docet alimenti pars, si quæ per noctem dentibus hæserit odore,colore,& conditione mutata. Aristotel. tamen hanc solam præparationem,ad melius patiendum esse dixit,lib. 2.de Part. ani.cap.3.cibi enim illa minutatim diuisio facit,vt calor facilius cõficiendo expediat.Sed Galen.per speciem conditionem intellexit,colorem & odorem, ac perinde non discordant. Id à ventriculo trahitur,gula tanquam manibus deglutiente,recipitur primò in stomacho,id est ore ventris ac summa eius parte,deinde in ampliore & inferiore,vbi integre transmutatur coctionem passum, quæ ἕψησις, Græcis, Latinis elixatio dicitur,quoniam multo humore abundante fit. Hanc actionem solus ventriculi calor nunquam perficeret: quoniam id membrum exangue est ac pauci caloris, nisi à circũiacentibus particulis foueretur, hæ sunt,iecur à latere dextro,quod ventrẽ anterius amplexatur,vt in corporibus dissecandis oculis inspeximus,lien à sinistro,multitudine venarum & arteriarum calore abundans, à parte posteriori vena caua,id est descendens,ac lumbi ab anteriori quoque adeps,& musculi abdominis, quæ duo receptum calorem conseruant, atque retribuunt ventri, inde quoque iecur accedit.Recipit tunc alimentum formam chyli (sic etiam à Græcis nuncupati) qui colore albus est,substantia liquidus:albus fiet ex necessitate causæ agentis assimilantis:nempe ventriculi,qui cum suæ vtilitatis gratia id potissimum efficiat,id quoque maximè intendit, vt sibi cibum assimilet: postquàm verò eius tantum applicuerit,quantum sibi vtile est,reliquũ quantitate abundans,trudit per infimam partem,quæ superiori angustior est facta,ne per ipsam cibus intempestiue aut affatim descenderet:ea pars pyloron appellatur. Recipitur id primùm duodeno intestino,quod ἐκφυσιν dicunt, & inde in reliquis intestinis: non tamen trahitur ab ipsis:quoniam fibris carent oblongis,interim verò dum per ea descendit adhuc perficitur à virtute concoctrice intestinorũ non propria, sed à ventre mutuata,qualis ori tribuitur per communem membranam, quod tamen vtile alitioni est,à venis meseraicis sugitur,sua & iecoris tractrice facultate, hiant enim earum venarum oscula multa ad intestina patentia,quibus id rapiunt,vt inquit Galenus.quanuis Aristot.lib.de Somno & vigil. cap.3.dixerit, alimentum euaporatione,in venas transire, & libro 2.de Generatione animi cap.4.dixit, alimenta per venas & meatulos resudare,quemadmodum aqua per crudiusculam futem,sed hæc bonum sensum habere possunt.Hæ tamen venæ non tantum intestinis distributæ sunt, sed & ventriculo, & nonnullæ gulæ ipsi, à ventriculo namque interim dum coctio perficitur aliquid trahunt, deinde ab omnibus intestinis quod reliquum est: ob id enim & multæ sunt hæ venulæ, & intestinorum inuolutiones,ad quarum singulas multæ ex his perueniunt, vt nihil vtile suctionem effugeret,cum aliqua ex parte conuersum,osculo alicui patenti obiceretur. Nam si id effugeret tractionem iecoris, ac non essent in intestinis circumuolutiones,voracissimus esset homo & auidissimus,vt Aristoteles dixit libro de Generatione animi,cap.4.quod verò reliquum est excrementum primę coctionis,fæx & deiectio Græcis διαχώρημα, & ὑποχώρημα,per eandem viam à corpore pellitur expressis intestinis per fibras transuersas:nam hæ tantum intestinis insunt,quanuis enim duas habeant tunicas,vnicum tantùm inest eis fibrarum genus,excretionis tamen tempore musculus claudens sphincterim laxatur, ac concedit:illi verò qui sunt in abdomine compressione expellunt excrementum ipsum,quanuis enim excrementi descensus per intestina natura fiat, ad rectum vsque intestinum,inde liberè propellitur.Quod itaque vtile est,id ab innumeris traducitur venis,quæ omnes ad pauciores numero, & ipse ad vnicam finiunt,quæ iecoris simam ingreditur, quam ab officio πύλαρ, id est ianuam, antiquiores Galeno appellabant.Prius verò quàm cibus,hunc locum conscendat in prædictis venulis mutationis principiũ accipit,iámque rubrum (non tamen exactè) colorem obtinet:quoniam non tantùm ortum hæ venulæ à iecore, vt omnes aliæ accipiunt, sed & naturalem facultatem sanguificam, ne quidpiam

Chylus quare albus.

Alimenti transitus ad iecur.

ὑποχώρημα.

Humorum generatio.

piam in corpore otiosum esset. Placuit autem Hippoc. & Galeno sexto de Plac. venulas has arborum radicibus conferre, ventriculum autem terræ: eo namque modo, quo plantæ à terra fugunt alimentum per radices, ita animalia à ventre & intestinis per has venulas. Verùm interest quod plantę, vt quæ imperfectæ rudiori, atque inconfecto vtuntur alimento, animalia vero vbi prius in ventre mutationem receperint. Habent quoque plantę id sibi proximum: quoniam locum non mutant. Animalia quoque nonnulla, vt ostrea, perfectiora verò aliunde id diquirunt, appetitu ventriculi excitata, & motu secundum locum consequentia. Aristot. itidem libro 2. de Par. ani. cap. 3. dictam similitudinem plantarum & animalium comprobat, plantas vti terra, vt ventre: dicens idem libro 4. cap. 4. & cap. 10. dixit hominem plantam esse, vice mutata, vt superiora infrà, inferiora suprà habeat. Rursus alimentum id quod ex chylo mutationem quandam accepit, iecur ingreditur per innumeras venas, in quas vena porta, multas excipiens distribuitur, quæ & angustæ sunt, & tenuissimæ, vt à carne iecoris alimentum propius alteretur. Suscipit iecur vniuersum alimentum, quemadmodum & in plantis radicatio, quæ medium locum tenet radicum, & trunci, conficitur eo loco plantarum alimentum, in iecore quoque animalium, distribuitur inde plantæ, & a iecore animali, commutatio vero coctio est atque perfectio, per quam alimentum formam sanguinis recipit, qui quatuor humores continet: nempe exquisitum sanguinem, pituitam, vtranque bilem, flauam & atram. Hi omnes χυμοι, id est succi & humores appellantur, & sanguis largiori voce vt humorem eum significet in venis, & iecore contentum, confusum, ac mixtum ex dictis quatuor. Continebantur hi in alimento ipso, quemadmodum & elementa quatuor potestate, cuius causa quatuor humoribus generandis materiam obtulit. Distinguuntur omnes vnica tantum actione caloris: quanuis non omnes similiter mutentur: nam pars quæ modice cocta manet, sanguis est, quæ modum excedit, bilis flaua, quæ modum non attigit pituita, quod verò ex coctione subsedit, bilis atra, siue melancholia etsi pituita, & melancholia non proprie generentur: nam melancholia subsidet tantum, pituita verò leuem quandam coctionem recipit, non mutationem substantialem. Ea enim in ventriculo generatur, vt dicemus. Hæc coctio à carne iecoris perficitur, quod color totius chymi, ex quatuor humoribus ostendit: vt enim Galenus inquit 4. de Vsu partium, ea quæ diuersas admodum qualitates habent, non facile inuicem mutantur, nisi medius quibusdam interuenientibus, quod de primis elementis ex doctrina ipsius supra retulimus. Cum ergo chylus albus sit & substantia tenuis, cum in carnem iecoris conuerti debeat (id enim est quod intendit agens) prius ipsum in sanguinem conuertet, rubrum colore, qui mediam crassitudine, & colore naturam habere videtur, inter chylum & iecoris carnem: cuius naturam & causæ efficientis sanguinem repræsentat, sed quoniam cum de principatu membrorum agemus, latius probabimus carnem iecoris succos conficere, id tantum postea demonstrandum in præsentia supponimus, sanguinem nulla ratione fieri posse, vt à venulis iecoris generetur, quæ album ipsum efficerent; minimè vero à membrana ipsum tegente, aut neruo paruissimo ipsi inserto; aut à vasis, quæ bilem vtramque deducunt, vt ibidem Galen. hinc constant efficiens materia, & locus generationis humorum, eritque humor corpus liquidum ex chylo genitum, alitioni mediate destinatum secundum naturam: erit etiam humor æquiuocum nomẽ, de naturalibus & præternaturalibus dictum. Chylus etiam in se pituitam continet. Horum humorum quinis duplex in corpore reperitur, naturalis & præter naturam. Sanguis naturalis liquidum ac fluidum corpus, rubei coloris purissimi, saporis dulcis, crassitudine medius inter extremos humores, nempe bilem flauam & atram. Sic Aristoteles libro tertio de Historia animalium, cap. decimonono. Sanguis si integer est, ruber & dulcis saporis est, continetur is in venis, arteriis, iecore, & corde, à moderato fit calore, vt reliqui ab immoderato, libr. 2. de Natur. fa. vnde fiet ipsum moderatum

Iecur radicationi plantaris simile.

Humorum generatio.

Humores à iecoris carne generantur.

Sanguis naturalis.

ratum esse,quod etiam libr.8.de Placitis Hippocra.& Platonis docuit, vbi flauam bilem,ignis loco,in corpore humano,ostendit atram loco terræ, pituitam loco aquæ,aërem verò non habere sibi respondentem humorem.Quoniam ipse verus aër ostenditur in respirationibus,& palpitationibus,& pulsibus,ac subdit:Aequabilis autem ex omnibus quatuor elementis temperatura,exquisitum sanguinem creat.Intelligendum tamen,quòd calor moderatus vt diximus,potest ob diuersam materiam,id est chyli partes dissidentes, generare omnes humores,sed tamen sanguis à calore moderato fit, id est in subiecto quod calorem moderatum suscipit, sanguis generatur: in eo tamen quòd immoderatum, reliqui.Contrarium tamen dixisse videtur, libro de Cautis morborum, vbi omnes humores actu humidos pronunciauit, potestate tamen differentes, nam bilis calida est, & sicca. Pituita vero frigida & humida, sicuti & libro de Humana natura commentario illius, In anno autem. Sed tamen commentario illius,Vere autem,explicat, quare verè dictum sit Philosophis,calidum, & humidum,nempe quoniam ad autumnũ ipsum comparant,tanquam optimum tempus pessimo, quemadmodum quoque inter corpora, animalia plantis collata, calida & humida dicemus, sic quoque sanguis temperatus, quamuis sit ad melancholiam collatus,dicetur calidus,& humidus. Adde quod ex humoribus solus sanguis viget,his duabus qualitatibus simul, & quod membra nostri corporis summè refert, calore atque humore. Præterea non sic volumus, sanguinem temperatum,vt cutis temperati hominis est,sed ita vt calidum innatum dicimus temperatum.nam Gal.lib.primo,de San.tu.in sanguine dicit elementum calidum excedere frigidum,& humidũ siccum,hæc de syncero sanguine. Nam & eum qui ex quatuor humorum mixtione fit,temperatum dixit Galen.lib de Humana natura com.illius,simili modo. Prædicta ratione Aristot. loco citato, sanguinem calidum, & humidum esse dixit, interim dum in animalis corpore continetur.Quamuis ipse lib.2.de par.anima.cap.2.sanguinem per se,& natura frigidum esse,velle videatur.Distinxit enim calidum multis modis,& præ cæteris bifariam calidum dici retulit,aut per se, aut per accidens. contigit tamen calidum per accidens magis sensum immutare, quàm calidum per se. & infra inquit:Itaque iudicium vtrumnam ex duobus calidius sit,non esse simplex, apertum est,quando fieri potest, vt hae alterum,illa alterum ratione calidius sit,non nulla ex his,ne dici quidem simpliciter calida, aut non calida possint. Subiecto enim quod tandem sit,non calida sunt, sed per associationem calida sunt: velut si ferro calido, aut aquæ nomen imponens: hoc enim modo sanguis calidus est. Manifeste hoc in loco indicat sanguinem per associationem calidum, atque vt ferrum,aut aqua,quæ tamen natura calida non sunt,sed ex accidenti, & cap.sequenti idem ostendit dicens.His itaque præfinitis,apertum iam est,sanguinem, quodammodo calidum esse, videlicet, eo quale est, ei sanguinem esse,perinde quasi aquam feruentem nomine vno significaremus:at verò subiecto, & quod tandem cum sit,sanguis est:non calidus est,& quodammodo per se calidus,quodammodo non per se calidus est, caliditas enim in eius ratione inest, quemadmodum albedo in albi hominis ratione. Vbi vere aduertit in sanguine, alterum quod ipsum subiectum est & ens,alterum quod sanguis est,hoc est viuentis pars & alitioni destinata, hac ratione calidus est, priore verò non nisi ex accidenti. Ad quod similiter comprobandum accedit, quod sanguis à corpore deductus statim concrescit,quamuis in aere temperato cõtineatur, quod significat ipsum esse natura frigidum,cùm omni externa causa calefaciente semota,ad frigidum mutetur per se. Præterea sanguis membra frigida alere debet,alitio verò alteratione fit,qua membra alimẽtum mutant,huius mutationis calor est principium instrumentale.Si ergo calor sanguinis maior esset calore ossis,sanguis nunquam alterationem,ab osse minus calido susciperet. Neque existimes decet Aristot. sibi contradicere,qui libro 4.Meteor.cap.11.dixit sang.medullam, & semen genitale secundum naturam se habentia,esse calida, corrupta verò & à natura re-

Sanguis tẽperatus an calidus, an frigidus sit.

Sanguis tẽperatus ex Aristot.

ced

cedentia,frigida:nam ibi ſanguinem dixit,vt aquam feruentem, & vt corporis partem,libro tamen de Partibus animal.vt ſanguis eſt ens,& hæc ſubſtantia,primo modo eſt natura calidus,ſecundus verò natura frigidus. Præterea Ariſtote. & Galen.contrarios eſſe non exiſtimo.Ariſtot.nanque accidentalem & aduentitium putat eſſe dolorem ſanguini, quemadmodum corpori albedinẽ. Quod tamen Galenus non negaret:calor enim accidens eſt,& ipſum à ſanguine ſeparari poſſe,non eſt à ratione alienum. Manente nanque forma ſanguinis, poſſe ipſum refrigerari credimus apud Galen. Quod tamen dixit Ariſtotel. calidum eſſe ſanguinem,vt ferrum,aut carbo,aut aqua feruens,non eſt cur Gale. neget. qui ſanguinem conſiderauit,vt ſe habet in venis & corde,vbi calorem a iecore & corde recepit,atque actu recipit,quem ſic conſideratum Ariſto. quoque cum Galeno diceret calidum eſſe,quod ipſe libro 3.de Hiſtor.anim.cap.19. teſtatur, calidum & humidum ipſum affirmans, qua ſanguis eſt, id eſt qua ratione corporis eſt pars,& alimentum. Sanguinem enim dicimus, vt aquam feruentem, quod nomen præter aquam feruorem indicat,ſic etiam ſanguis in rerum natura eus eſt,ſed non eſt alimentum & corporis pars,hac eadem ratione. Alio modo ſanguis eſt,vt alimentum corporis,& eius pars,qua ratione ſanguis calorem includit:acſi,ob id ſanguis dicatur, quòd calorem eum contineat, & reliquas conditiones ad alendum neceſſarias, quanuis aliunde eueniant per aſſociationem non ex ſe,& ſecundum naturam.hæc eſt apud Ariſtotel. ſignificatio huius vocis ſanguis vno nomine multa comprehendens, vt ſi vno nomine ſignifices aquam feruentem,quod nomen ſubſtantiam includat, & aduentitiam qualitatem:ſic enim ſanguis comprædit ſubſtantiam, calorem, & alendi aptitudinem.Cui rei atteſtatur,quod Ariſtotel.vult libro 3.de Hiſtor.anim.cap.19.Sanguinem non eſſe extra venas & cor,acſi diceret,eum qui non eſt intra venas,calidus,in potentia ad alendum non eſſe ſanguinem, quia ſubſtantiam cum his ſignificat conditionibus,ob id loco citato dixit calidum & humidum eſſe interim dum in animalis corpore continetur. Verum cum ipſum conſideraret præter omnem aduentitiam qualitatem,vt eſt extra corpus, aut vbi eſſet in corpore,& a præcipuis particulis nullam qualitatem ſuſciperet.Ariſtotel.ipſum frigidum appellauit,cui ſententiæ nullibi Gale. contradixit, qui ſanguinem conſiderauit cum his qualitatibus,quæ in ipſo ſenſu patent. Qua ratione habita,lib. de Humana natura,ipſum temperatum dixit,& libro 2.de Naturalibus facult. à temperato fieri calore:ſanguis enim qui in venis & iecore continetur,temperatus eſt,quanuis ad melancholiam comparatus, calidus, & humidus dici poſſit,aut quemadmodum calorem natiuum,temperatiſsimum, calidum & humidum dicimus,& rurſus dicimus vitam conſiſtere in calido & humido: ſic etiam libro 1.de Temperamentis, ſanguinem calidiſsimum eſſe in humano corpore teſtatur.ſed paulò poſt inquit: Sanguis verò à corde ſuum accipit calorem.erit ergo ſanguis calidiſsimus,non à ſe,ſed ex accidenti,quod voluit Ariſtot. Quoniam eum calorem ſuſcipit a corde,atque ſpiritũ, qui cum eo per arterias mittitur.qui ergo in iecore generatur,atque ab ipſo procedit, temperatus eſt, & à calore temperato genitus:quanuis modo dicto calidus & humidus dici poſsit.is verò qui à corde procedit, & ab ipſo calorem & ſpiritum ſuſcipit, calidiſsimus. omnis verò ex accidenti talis,vt dixit Ariſtot. id eſt per aſſociationem.Nihil tamen probat ratio,qua quidam conatur probare, ſanguinem eſſe à ſe calidum: quoniam membra eo ſublato refrigerantur, ab ipſo igitur calorem ſuſceperũt. Nam pariter diceres,ipſum à membris ſuſcepiſſe calorem:quia ab ipſis ſeiunctis frigeſcit.Neque contradicit huic ſententiæ Galen. qui lib.de inæquali intemperie dixerit,calidiſsimum quod exiſtit in corpore eſſe bilem:nam ſanguis calidiſsimus eſt naturali calore,bilis verò ſimpliciter calidiſsima.Bilis præterea poteſtate maiorem caloris gradum ſubire poteſt,quàm ſanguis, quòd morbi biliosi,multo ſanguineis calidiores ſe oſtendunt.Aut dices ſanguinem ex quatuor humoribus eſſe calidiſsimum:quoniam bilem comprædit,licet partiũ componentium

Sanguis frigidus quomodo.

3.de Hiſtor. ani. cap.19.

Sanguis à calore temperato fit.

Sanguis calidiſsimus, & bile calidior an ſit.

ponentium facta collatione temperatus sit. Bilem verò calidissimam dixit, vbi so la sanguini solo conferatur. Fallitur autem qui putat sanguinem, vt alimentum esse bile calidiorem, quod hinc facilime conijcabit: quoniam membra bilioli hominis calidiora sunt, quam sanguinei, ob id tantum, quod alimentum ex sanguine & bile calidius, quam ex solo sanguine est. Diximus itaque qua ratione sanguis syncerus, & ex quatuor humoribus mixtus temperatus dicatur, & quare calidus & humidus. Quare etiam calidissimus, & quare ab Aristot. frigidus. Ad eas verò rationes, quas adduximus, facile respondebimus: quod enim sanguis concrescit, statim extra corpus, id tantum probat, adscititium sibi fuisse calorem: concrescit autem potius fibrarum ratione, quæ terrena substantia sunt, quàm frigoris actione, aut alieni, aut proprij. Quod rursus diximus de alitione ossium, constat ipsa naturalem quendam calorem habere, partim proprium, partim adsciti tium. Is est, quo mediante, suo funguntur munere, alimentum sibi proprium trahendo, atque immutando: trahunt autem sibi ex toto sanguine quatuor humores continente, partem magis frigidam, atque terrenam, qua aluntur: quoniam hæc caloris ossis actionem ferre potest. Sed de sanguinis temperatura dicta sufficiant. Rursus ad reliqua percurrenda redeamus. Sanguis hilares reddit homines, placidos ac simplices, vt inquit Galen. lib. de Humana natura: excrementa, sanguine abundantibus hominibus, fœtida magis, quàm aliorum sunt, atque hircos redolent, libro 9. de Metho meden. Aristotel. quoque libro 3 de Historia animalium, cap. citato dixit, Sanguis, & quæ sanguinea sunt, facile putrent, quod ad calorem & humiditatem, quæ putredinis principia sunt, referri debet. Animatum rursus esse, Aristot. voluisse putant, cùm eodem loco de sanguine dixit, solúsque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est, & semper quandiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet. At vero male locum hunc Theodorus transtulit, de sangui. Etenim loquens Aristot. inquit: καὶ ὅτι δὲ τῶν ὑγρῶν μόνον καθ' ἅπαν τὸ σῶμα τοῖς ζώοις, καὶ ἀεὶ ἕως ἂν ζῇ τὸ αἷμα μόνον. quod est, atque est ex humoribus solus per totum animalium corpus, & semper, donec tantummodo, efferbuerit sanguis. sed rursus dubium videtur: nam sanguis pars animalis est, nõ excrementosa sed vtilissima, & per quam animalis vita seruatur, quod fidem facit ipsum esse animatum. Sed tamen apud Galen. id non satis constare potest, qui animæ essentiam ignorauit, & lib. 2. de Causis sympto. inquit: Etenim animæ essentiam in alia quapiam tractatione diffinire, audax fortasse facinus putabitur: in præsenti verò, & præter audaciam superuacaneum videtur, at quæcunque tandem ipsa fuerit, ex duobus alterum existimare oportet, aut quod ad omnes functiones vtitur sanguine, & spiritu, vt præcipuis instrumentis & aut alterius, aut vtriusque calore, aut quod in his ipsis consistit. Ecce quo in loco Galen. dubitat, an animæ essentia in sanguine & spiritu consistat. Sed tamen hęc dubitatio altior est, quam vt in præsenti loco possit extricari: interim tamen cum omnium ferè medicorum consensu dicemus, humores animatos non esse, & sanguinem alitioni materiam præstare, quæ possit animam mutatione suscipere: hanc autem esse hominis formam substantialem, rationalem, indiuisibilem, naturali potentia incorruptibilem. Sanguis non naturalis vitiosus redditur bifariam, aut quantitate, aut qualitate: quantitate vbi maior eius moles in corpore fuerit, quàm vt possit probe ab altrice facultate superari (quod peccatum facilè transit in peccatum qualitatis) aut tanta vt vasa distendat, a qua periculum immineat rupturæ vasorum, vt in bono habitu exercitatorũ præditis, hæc plethora, siue plenitudo, quæ ad vasa appellatur, illa quoad vires: qualitate verò vitiosus fit, quoniam calidior, frigidior, humidior, aut siccior redditur, quàm par est, aut quoniam multus humor alius ab ipso, ipsi miscetur, aut qualitate mutatus. quod fit vbi multa bilis, aut pituita, aut melancholia sanguini miscentur, aut aliquod horum, quod quanuis non sit quantitate maius, peccet tamen malitia qualitatis. Istæ cacochymiæ dicuntur medicis. Duo vitia dicta in sanguine seiunctim eueniunt, quod fit: aut sola quantitate, aut sola qualitate peccante sanguine. In reliquis tamen humoribus,

epi.

Sanguis effectus.

Sanguis animatus an sit.

Sanguis uitiosus.

Humorum vitia.

mala qualitas sine peccato in quantitate contingit, non tamē peccatum in quantitate, sine malitia qualitatis. Nam bilis si quantitate maior est, quàm deceat, cùm sanguine calidior sit, totum corpus plus iusto calefaciet: sic de pituita ad refrigerandum. & si quis contradixerit, statuamus bilem, tanto naturali minus calidam, quanto quantitate maiorem redditam. hoc dato nulla qualitate extranea corpus mutabit, eritque peccatum in quantitate tantum. dicemus tunc vtriusque peccatum inesse: nam neque quantitas, neque qualitas debita seruatur. Posset tamen quis contra dicta obiicere, humorem aliquem sanguine, non posse qualitate peccare, quin quantitate peccet, nam bilis calidior debito, aut pituita frigidior, à corpore duci postulant, abundant ergo, & quantitate debita sunt maiores. Ad quòd respondemus, bilem, ac pituitam, qualitate peccantes, aut calidiores, aut frigidiores, sæpe corrigi posse alteratione tantū, quantitate adhuc seruata, verum quoq; esse

Bilis flauæ generatio.

qualitatem vitiatam paulo post vitiare quātitatem. Bilis flaua in iecore ex chylo generatur ex ea parte, quæ paratior est, quęque magis igne participat, ac tāto plus eius in iecore gignitur, quanto in ipso chylo plus est paratū formam bilis suscipere. Hoc fit vbi calor iecoris moderatus fuerit, nam vbi is fuerit immodicus, partem etiam ex iis, quæ aliis humoribus fuerint paratæ, in bilem mutabit. Fit bilis (vt inquit Gal.) ab immoderato calore: id verò, aut quia in iecore fit, tanquam in generante, aut in alimento ipso, tanquam maximè ad patiendum parato: vtraque enim ratione euenit. Porrò naturalis bilis, ad hunc modum in iecore generatur, reliquis humoribus supernatans, veluti spuma in musto, efferuescente, colore pallida, vt 2 lib. Prog. expositione 38. docuimus. Eius pars quędam cum sanguine mixta manet, vt cum ipso membris quibusdam calidioribus alendis applicetur, &

Flaua bilis.

reliquos humores, calfaciat, & attenuet, ac pituitæ frigiditati obsistat, hęc potius pallida quàm flaua appellanda est, quoniam multo seroso excremento mixta est, & aquositati vrinæ: flaua verò syncera est, calidior multo, cuius serosa pars, calore dissoluta fuit, ad vitellinam prope accedens. Quapropter amarior redditur, qualis est bilis, quæ in vesica fellis continetur, naturalis quidem, sed excrementis annumeranda, non enim inseruit corporis alitioni, ob calorem, crassitudinem, & amatorem: quamobrē eam non naturalem merito quis appellaret, quatenus excrementitia est, hanc vesica fellis trahit, per porum cauæ iocinoris parti adnatum: reliqua verò pallidior est minus calida, & parum amara, quæ cum sanguine tendens dictis interuit vsibus. Neque tamen inde sequitur, vt totum sanguinem amarum reddat, quòd eius amaritudo remissa sit, & multis dulcibus, & insipidis mixta. Quæ verò flaua est, syncera, atque amara valde, ad fellis vesicam tracta, ad

Flauæ bilis vsus.

duos vsus necessaria est. Primus vt sanguinem muniat: secundus, vt ad intestinum duodenum transmissa intestina, ad expulsionem fæcum excitet, & pituitam ipsorum detergat. Quod enim medicus summa arte, ad pituitam intestinorum detergendam, machinari posset, id natura seipsa boni prouida sponte fecit: nempe bile, vt detersorio medicamento vsa: eius temperatura calida & sicca est, de

Bilis temperatura.

iguis natura, quamuis Aristot. lib. 2. de Par. anim. cap. 3. ex accidenti siccam dixerit, quod vt de sanguine diximus, audiendum est. nam sanguinem calidum, & humidum, per se docet frigidum & bilem per se humescere. Hanc ob rem homines

Bilis non naturalis quas habet species.

reddit agres, mutabiles, ad iram & libidinē pronos. Bilis non naturalis quædam est vitellina, quædam porracea, quædam æruginea, quædam ista fatodis, vitellina vitello oui similis, Græcis, λεκυθώδης: flaua est syncera, adustione genita, flauior, crassior, & calidior ea, quam vesica fellis continet, nunquam in corpore genita, secundum naturam, generatio eius, bilis pallidæ assatione fit, de qua multa diximus lib. 2. Prog. in expositione citata, vbi pariter confutauimus Auicennam, & eius sequaces, qui ex mistione flauæ bilis, cum crassa pituita bilem vitellinam fieri putarunt: cùm tamen ad eum colorem, ex mixtione nunquam perueniat, sed

Bilis porra.

semper pallida remaneat. Bilis porracea Græcis πρασοειδὴς dicitur, duobus modis generatur, aut in ventre ex corruptione ciborum, maximè calidorum, aut in venis, ex assatione. Generationis eius in ventre meminit libro de Atra

bile,

bile,& ſecundo de Naturalibus facultatib. Gale. ſed vtriuſque generationis mentionem fecit lib. 2. Prog. cõment. 39. in cuius expoſitione de his multa diximus, quæ ad hunc locum ſpectant, hæc vitellinæ aſſatione fit in vaſis, quemadmodum & vitellina ex aſſatione pallidæ. Bilis quoque ærugínea, quæ Græcis ὠδώδης dicitur, ærugini ſimilis eſt, aſſatione genita ex vitellina, aut flaua bile, cuius naturam in expoſitione citata explicui. Iſatodis, ſic etiam Græcis dicta, cærulcum, & glaſti colorem præfert, calida quoque hæc, & vſtione genita. Eſt etiam quædam rubra bilis, de qua meminit Galen. libro de Atra bile, & Actuarius, libro de Vrinis, cap. de Vrina rubra, & Gale. lib. vj. de Mor. po. parte. 5. Comment. illius, Lingua humorum ſerum, appellat ſerum ſanguinis rubram bilem, dicens: Sic & rubram bilem vocant, quæ ſerum eſt ſanguinis: quoniam tamen non concreſcit, bilis appellatur, & hæc naturalis eſt. Audio quoque nonnullos dubitantes, an ſit bilis aliqua zinaria: cuius meminit Auicenna, cum tamen omnes planè concedant bilem ærugineam, fortè ignorant eandem eſſe zinariam & ærugineam. Nam zinar, apud eos ærugo eſt, & id Auicẽnæ litera docet, qui pro generatione ærugineæ refert generationem zinariæ bilis. Si tamen de temperatura dubitant, & colore, non eſt quod dubitandum ſit: nam aſſata bile, pallida ſit flaua, hac aſſata ſit porracea, ea rurſus vſta, ſit ærugínea. Hanc autem tanta aſſatione, ſicciorem fieri, parum humidam & craſsiorem, nemo dubitat, quod verò hæc iam ad albedinem inclinet præ ſiccitate: quanuis liquida, quanuis parum maneat, ærugo ipſa nos docet, & ærugínoſa bilis, quam Didacum à Vargas Metimnenſem, propè mortem vomentem vidimus. Auicen. verò non dixit ipſam albam eſſe, ſed ad albedinem mutari incipere. Pituita Græcis φλέγμα, ſimiliter duplex eſt, naturalis, & præter naturam. Naturalis alba colore, inſipida, ſiue qualitatis expers, talia ſunt, quæ ἄποια ſolent Græci nuncupare. Cum enim ſapor ſit paſsio humidi facta à ſicco, guſtus ſecundum potentiam alteratiua in actum, & pituita aquæ ſimilis ſiccitate careat, carebit quoque ſapore. Hæc cum ſanguine tendit ad membra frigidiora alenda, vtque vrgente vſu crudus is ſuccus actione caloris coquatur, ac perficiatur, & in ſanguinem mutetur per alimentorum inopiam. Nulla pars eius, quę ſecundum naturam eſt, in ſanis hominibus habet locũ, in quo reponatur, quemadmodum bilis vtraque lib. 2. de Naturalibus facult. vbi ſimiliter dulcem pituitam, animanti ſalutarem ac naturalem eſſe dixit: nam inſipida mutata dulcem ſaporem aſſumit. libro de Atra bile. Generatur hic humor in ventre, cuius pars in ipſo manet, atque in inteſtinis, reliqua verò cum chylo tranſit: vbi ſi coctionis integritatem aſſequatur, ſanguis fiet: vbi verò non pituitæ formam ſeruans cum ſanguine, ad vſus dictos traducetur. Quod Gale. lib. de Atra bile in hunc modum ſcripſit: Nos autem pituitoſum humorem ex cibis pituitoſis in prima ventriculi actione fieri demonſtrauimus, vt bilioſum & melancholicum, in iecinore, mutatur, & pituitoſus in ſanguinem concoctione, qua iecur perfungitur. Atque hac ratione, nullum eius proprium organum, ad ſanguinis purgationem, natura machinata eſt, quemadmodum vtraſque veſicas & lienem, illas ſeroſi excrementi & bilioſi, hunc melancholici, quippe in ventriculo generatum phlegma, dum ſimul cum ijs, quæ ex cibis potúque in iecur digeruntur, concoctum eſt, ſanguis euadit, quod in ventriculi ſpacijs manet à bile ex iecore in ea defluente, expurgatum per ſedem deijcitur. & lib. de Humana natura comment. illius (ſimili modo) inquit, pituitæ natura ad morum cultum nihil facit: quare in ciborum prima mutatione generari videtur, & lib. 3. de Tempetamentis, inquit, & quod his maius eſt, quódque Hippo. notauit, pituita ipſa, quanuis ſuccus ſit, atque ex cibis in ventre iam coctis nata, nihilominus frigida tangentibus ſentitur. Quòd ſi quis concedat, verum eſſe pituitam in ventre generari, quando pituitoſa natura ſunt alimenta. Inueniet quoque Galen. qui 2. de Ratione victus acu. commen. 30. pituitæ generationem præcedere vult generationem ſanguinis in omnibus cibis mutandis, adhuc ſalubribus admodum, vt panis, chondrum, & ſemidialis, atque media pituita, cibos in ſanguinem tranſire. Pituitæ ergo generatio in ventre cum chylo fit, atque cum

Bilis ærugínea.

Bilis rubra.

Bilis zinaria.

Pituita.

Pituita, an uentre generetur, an in iecore.

chylo in iecur tẽdit, vbi si perfectè superetur, ex ipsa sanguis fiet, sin minus, cum sanguine ad dictos vsus per venas tendet, quòd si adduxeris in cõtrarium Gale. sententiam, qui lib. artis med. cap. 43. dixit, iecur frigidum & humidum sanguinem generare, tendentem ad pituitæ naturam, nihil obstat: nam iecur frigidum non satis potest pituitam cum chylo venientem in sanguinem mutare, multa ergo relicta cum sanguine mixta, ipsum sanguinem reddet magis quàm in corpore temperato, pituitosum. Sed rursus futilem quidam addunt rationem, in iecore infantis adhuc in vtero manentis sanguis generatur, qui pituitam continet, sed nullam suscipit à ventriculo substantiam. Scias sanguinem matris à iecore infantis trahi, huic verò adesse pituitam genitam in vẽtriculo matris. Hic humor cum frigidæ & humidæ tẽperaturæ sit, homines reddit pingues, subalbidos ac segnes.

Pituita non naturalis.

Non naturalis pituita alia acida, alia salsa, alia vitrea. Acida, cruda omnino est, & frigida, sed non adeò vt vitrea: tanto namque acida, naturali frigidior est, quanto quam acida, vitrea, vitro fuso similis: salsa verò calida est, genita ex pituitæ putredine, aut eiusdem vstione, vt lib. de Differen. febrium 2. & lib. de Atra bile, aut ex mixtione salsæ serosæ humiditatis. Præter hæc est mucus Græcis βλέννα, & quę catarrhis descendit pituita, quam ad dulcem reducit Galen. 2. de differ. febr. Est etiam aliqua gipsea appellata pituita, quam non humorẽ, sed tophum, aut grandinem appellarem, vt quæ in articulis gignitur, & nonnunquam in pulmone & oculorum palpebris. Dubitant nonnulli an sapor salsus pituitæ fieri possit, ex bilis vstæ mixtione cum pituita. Cui quidam respondent, id omnino impossibile esse: quoniam amarum mixtum insipido ipsum amarum reddet, quod etiam faceret, vbi dulci misceretur: quanuis dulce, aut insipidum multum, amarum verò paucum esset. Quod docet experimentum. Si quis parum fellis, aut succi absinthij, multæ aquæ immisceat: nam tota amara reddetur. Veruntamen si quis rem penitus aduerterit, salsum saporem ex amari, & insipidi mixtione fieri posse concedet. Intelliget enim salsam aquam vstione fieri amaram. Nam vt Galenus inquit lib. 4. de Simpl. medic. fac. cap. 19. aqua lacus bituminosi amara est, ac perinde nullum animal in ipsa degit, facta verò talis est ex vstione, plurimũ elaborata salsa aqua. Neque manet salsa, vt marina, quæ dulces fluminum aquas excipit, quæ impedire possunt, ne calor Solis vrens, ad tantam vstionem, atque amarum saporem, ipsam ducere valeat. Licet quoque ex marina bituminosam facere, vbi Soli æstiuo exponatur: quod cum ita sit, poterit eadem aqua amara facta, aquæ dulcis mixtione, salsa reddi, quod mare ipsum patitur, amarum futurum, nisi dulcibus aquis misceretur, & aqua in olla sale mixta, quæ diu efferbuerit, salsa primùm, deinde amara facta, cui si aquam dulcem effuderis, rursus ex amara salsam efficies. Ponamus iam modò succum aliquem dulcem, aut insipidum in corpore multæ terrenæ substantiæ mixtum, à calore salsum fieri (quod in mare fit) deinde à calore vstum, atque plurimum elaboratum, amarum reddi, nónne si rursus dulcem, aut insipidum succum ei effuderis, salsum reddes, vt in aqua bituminosi lacus, ex marina facta amara diximus? Nemo certè ambigit. Sic ergo fiet, vbi succo alicui amaro, ac bilioso vstione facto, quis pituitam insipidam admisceat, sapor totus salsus euadet, quod fit in his, quæ terrenam habent substantiam, vbi enim vrentur, prius salsa, deinde amara fient. Neque tamen Gale. doctrinam excedit, qui dixerit ex bilis amaræ mixtione cum pituita naturali, salsam fieri pituitam. nam duobus modis ipsam fieri dixit, aut putredine, aut mixtione salsi serosi excrementi, quod etiam nos asserimus: nempe amarum excrementum salsum fieri debere, vt pituitam mixtam salsam efficiant. Salsum ergo excrementum, aut ex salso amarum factum, vbi pituitæ insipidæ mixtum fuerit, salsam faciet pituitam, sicut & ipsa pituitæ putredo. De speciebus pituitæ diximus lib. 2. de Differ. febr. cap. 6. in expositionibus nostris, quæ lege. Melancholia à Græcis appellata & μελαγχολικὸς χυμὸς, id est, melancholicus succus, humor est frigidus, ac siccus, substantia & qualitatibus terræ similis, præterquàm quòd humidus actu est, vt reliqui omnes humores. Naturalis, vbi fuerit, in iecore generatur, ex ea parte

Salsæ pituitæ generatio qualis.

Melancholia naturalis.

quæ

quæ in chylo terreni elementi naturam refert, potius ex accidenti, quàm ex naturæ intentione: interim enim dum alij humores generantur, pars percoctionis tempus, vt fæx, subsider, quemadmodum in vino, cùm conficitur fæx vini, quæ aut terræ impuræ formam seruat, aut imperfectam aliam suscipit. Veruntamen si à moderato calore fiat, vel à frigida & sicca iecoris temperie magis, diximus lib. 3. Prog. in annotatione, circa 27. comment. calorem moderatum plurimam generare naturalem melancholiam: eam nempe, quæ vstionem nullo modo sequatur: eam verò quæ fit ex vstione, quanuis fæcalis sit, in calidis naturis magis fieri, reliqua eodem loco diximus. Ad quorum comprobationem accedit, quod ex frigida & sicca temperatura, non aceruatur melancholia, sed pituita. Inquit enim Galen. lib. 2. de Temperamentis. Etenim si quis, ab initio ficciori, frigidioríque temperamento statum fuit, is non melancholicus est, sed ab excrementis pituitosus. Adde quòd si à frigida & sicca temperatura melancholicus humor generaretur, & non residentiq modò, sequeretur frigiditatem iecoris debere esse maiorem moderata. Nam si frigiditas melancholiæ, maior est moderata, & media, causa generans deberet esse frigidior moderata, quod non fit in sano iecore: quanuis in tali melancholia generetur. Dicemus ergo eius generationem non aliter, quàm residentia fieri. Residet autem plurimum, vbi calor paulò validior accesserit: nec tamen ob id me de atra bile exquisita loqui putes. Huius pars cum sanguine tendit, ad alenda membra crassa, dura, & terrena, pars verò per porum ad lienem ducitur à caua iecoris parte. Huius gratia sanguis à melancholia abundante purgatur. Ad hanc actionem lien necessarius est, vt excrementa, inquit Aristo 3. de Par. anim. cap. 7 nam eo modo, quo melioris gratia oportet excrementa separari, ita lien, vt ipsa ad se traheret. Deinde ex doctrina Gale. lib v. de Vsu partium, cap. 4. pars ad ventriculum mittitur, quæ ipsum acerba cum sit cõstringit, vnit, ac robo rat, quod tamen in liene abundat, per ventrem purgatur. An tamen is melancholicus succus à liene in ventriculum fundatur, quoties fames excitatur, nondum satis perspectum est: quanuis alij de hac re prolixius disseruerint. Nos sanè de Auicenæ sententijs parum curamus, veritatem tamen colimus, & Galen. cum Hippoc. veneramur. lib. etenim 5. de Vsu partium Gale. ventriculum non sic ab atra vti à flaua bile offendi docens: inquit, Quod autem non lædit quidquam ventrem, saporis qualitas ostendit: acerba enim cum sit & acida atra bilis, cõgregare, & constringere eum non subuertere, vt flaua nata est. Manifestum igitur est, quòd hæc flaua ob id quòd cibaria in ventre diutius manere, & inde coqui prohibet, nocere dicebatur. Atram verò non solùm ventri innocuam esse, sed etiam actiones ipsius adiuuare inueniemus. Ipsa enim ventrem intendit, & colligit in seipsum & compræhendere diligenter cogit cibaria & retinere, quousque sufficienter coquantur. Ex quibus verbis manifestum fit, melancholicum succum ventriculo adesse, ante famis tempus, tum quia ex dissectione nobis ipsis inspicientibus constitit, à liene venam coronalem sanguinem, copiosum melancholicum ducẽtem propagari, tum quia retentioni ciborum, & cõpræhensioni adiuuat, atque etiam ad concitandam famen, vt Gale. lib. de Plenitudine, cùm inquit: Ex atra submissi animo, morosi, & horribiles, à potu abstinentes, saliua abundantes, cibum auersantes, non omnes, sed quidam ex ipsis liberaliter edunt, quibus melancholia acida qualitate exuberat. Hoc autem euenit, vbi ipsa malignior euadit, hoc loco saporis ratione famem excitare melancholiam docet. Quòd tamen eo sapore præditam esse, cùm malignior fit, dixerit, nihil obstat: nam & naturalis, vt libro 5. de Vsu partium docuit, de ipsa loquens, in præadducta sententia acida est. Exuberantem autem dixit, lib. de Plenitudine, malignitatem ostendere: quoniam ad atram bilem exquisitè mutari incipit. Acidus autem sapor, præsertim acerbo adiunctus, famem mouet, & appetitum excitat: talis autem est melancholiæ sapor, vt dixit. Docent autem res externæ hoc idem: nam poma austera, acida, qualia nos appellamus mançanas, xauis, & mala coronea toletana: mirum in modum ad id prosunt, vel summè iam deiecto appetitu, quod à melancholia pariter euenire putan-

Melancholia ustione genita.

Melancholia an appetitum ciborũ alliciat.

dum est. Veruntamen illud quoque considerandum, melancholicum succum à liene per latam venam, ad ventrem fundi, quæ in numerosas propagines deriuatur, apprehendentes ventriculum omni fere ex parte. Hæc sunt sanguine melancholico plenæ, humor autem is perpetuo comprimit, & cõstringit ventriculum: quæ enim acerba sunt, terrenam & astringentem habent naturam. Præterea retentionem & coctionem ciborum adiuuat. Postea vero quàm alimenta descenderint à ventre, melancholia, vti ante, comprimens ipsum exprimit eius humorem reliquum, & partes inæqualiter adplicat, hæc acerbitatis ratione. Acidus deinde sapor accedit, mordens exterius vētris membranam internam, vnde fames, & appetitus alimentorum, quibus possit ab eo affectu releuari commouetur. hęc

Melancholia non naturalis.

à succo melancholico fiunt. Est quoque melancholia quædam fæcalis, non naturalis, ex vstione genita, huic materiam præstat humor ipse melancholicus, ex cuius vstione fit nonnunquam. Fit quoque ex vstione bilis, quæ tantò deterior est prædicta, quantò biliosus humor est efficacior melancholia. Fit quoque ex sanguinis vstione: quum enim sanguis præassatur, tenuior eius pars in flauam, crassior in atram bilem transit. Quoniam tamen substantia tenuior facilius alteratur, quàm crassior, inde est quod citius flaua bilis generatur ex tenui parte, quam

Melancholia an fiat ex pituita.

atra ex crassa. Ex pituita vero an fieri possit melancholia vsta, diuersimode opinati sunt medici. Cæterũm verius videtur ex pituitæ mutatione nunquam fieri melancholiam. quoniam vrens calor agens in pituitam prorsus ipsam in vaporem vertet, si tenuis & aquosa fuerit: si vero tenax, potius in tophũ, aut lapidem, quàm in melancholiam mutabit: quod si crassa fuerit, non tenax, ex vstione salsa reddetur. Si tamen calor naturalis, ipsam alteret, vbi pituita naturalis fuerit, sanguinem generabit: quòd si non naturalis, calor moderatus agens ipsam coquet, ac superabit, calor verò igneus, non adeò vehemens, vt vrere possit, putrefaciet ipsam, & aucta putredine simul, & calore præter naturam, salsus generabitur

Atra bilis exquisita.

sapor, & vtcunque formam pituitæ seruabit. Est similiter atra quædam bilis exquisita, quam Græci μέλαιναν χολὴν vocant, tertia atræ bilis species, à naturali differens, & ab ea, quæ præter naturam est, fæx vstione genita. Differt quoque & à nigro sanguine per deiectiones sæpe excreto. Ne igitur hæc, quę maximum malum minatur, quotiens in corpore generetur, medicis imponat, eam à reliquis distinguemus. A nigro sanguine: quoniam is concrescit, non tamen ipsa. A melancholia verò, quoniam quamuis neutra concrescat, atra tamen exquisitè talis, saporem acidum habet, aceto acerrimo similem, terræ effusa ipsam ebullire facit, hanc animalia gustare detrectant. Præter has humorum differentias nosse oportet, quòd eo tempore quo prædicti humores naturales in iecore generantur, pars chyli cruda, pituita vere existens, coctionem patitur, per quam in sanguinem transit: quæ vero non, cum ipso per venas tendit, pars quoque ipsius in sedi-

Vrinæ sedimentum.

mentum mutatur, & cum vrinæ fusione secernitur. Hæc namque sanguini in iecore miscetur, simul cum potu, & aquosa ciborum parte proueniens, vt sanguinem per angustos meatus iecoris perducat. Diximus in iecore, humores generari, ac quatuor numero esse quodammodo elementis respondentes. Dubium tamen est, an hi quatuor numero sint, an pauciores: vt enim refert Hippocr. libro de Humana natura, quidam dixerunt hominem esse sanguinem, quidam bilem,

Humorũ numerus, an sit quaternarius.

quidam pituitam, quos facillimum est confutare. Nam si homo vnum esset, nempe aut sanguis, aut quiuis alter humor, non vtique doleret homo, atque vna esset omnibus morbis communis curationis via. Hæc ratio contra eos, qui dixerunt, hominem vnicum esse elementum, validissima monstrata est, suprà cap. præcedenti: verùm modò simpliciter non est valida: non enim sequitur, homo sanguis est, ergo non dolet: licet ergo homo vnum sit, ab alio alteratus dolebit: sed colliget ratio ipsum non dolere, ab intrinseco dolore concitato ex alteratione: non enim esset contrarium vi cuius alteratus doleret, cum homo esset vnum, sanguis vtique, aut bilis, aut pituita, sed dolet homo ab intrinseco, vt constat, ergo homo non ex vno tantum, sed ex multis, atque contrarijs constituitur. Sequere-

tur quoque,

Digitized by Google

tur quoque, vnicam tantum esse curationis viam: id manifestum est: esset enim tantum ea via curationis, per quam in calidum proceditur, aut frigidum, si hoc, aut illud esset homo hæc ratio in morbi intemperatura valida est. Præterea experimentum docet, in omni homine, omni ætate, & anni tempore, quatuor esse humores in humano corpore, non ergo est vnicus humor. Præterea id docet vsus medicamentorum purgantium. Si enim quis medicamentum purgans pituitam biberit, pituitam purgabit, post hanc bilem flauam, deinde bilem atram, & ad finem sanguinem. ueluti si quis biberit medicamentum educens bilem flauam, ipsam primum educet, deinde pituitam, deinde bilem atram, & tandem sanguinem. Si verò biberit medicamentum purgans bilem atram, ipsam primò, deinde flauam, deinde pituitam, & ad finem sanguinem, quod hic sit familiarissimus naturæ, ac maxime ab ipsa retineatur. Quatuor igitur sunt corporis humores, & omni tempore, & omni ætate, nec hominem sine aliquo horum viuere, fieri potest. Quidam ex iunioribus medicis dixit, sanguinem non esse humorem quartum ab alijs tribus distinctum materia, sed forma. Asserit enim tres solos esse humores, pituitam, & vtranque bilem, eis tamen formam quandam superuenire, quæ forma sanguinis est, introducta in materia aliorum trium, quæ reliquos humores leui quodam ligamine detinet, ac perinde fieri, vt sanguine misso ex vena, breui tempore, & facili alteratione, forma sanguinis corrumpatur, & vnio soluatur. Resoluitur nanque paulò post in ea, ex quibus conflauerat, in fæcem crassam, ac nigram, quæ melancholia est, & in spumosam partem, quæ respondet flauæ bili, & in partem serosam, quæ pituitæ. Hinc quoque apud medicos factum, vt sanguinem bilio sum, pituitosum, aut melancholicum ferant, nunquam verò sanguineum, quod in hoc, ex tribus humoribus mixtura vnus trium abundare soleat, cùm tamen sanguis nullus sit præter hos, nunquam dixissem, sanguinem esse sanguineum. Multis vijs hanc suam sententiam probare nititur. Primò ratione facta de sanguinis dissolutione, in tres tantum humores. si enim ex quatuor constaret, in quatuor dissolueretur. Secundo similitudine lactis. est enim lac ex tribus substantijs constitutum, sero pituitæ simili, butyro bili flauæ, caseo atræ. Cùm ergo lac ex sanguine generetur, si in sanguine plures essent humores tribus, plures quoque ostenderet lac. Tertio si sanguis esset aliud a tribus humoribus, ipse solus per venas tenderet, cum ipse alitioni optimus sit, neque aliorum mixtura egeret. Procedunt autem dicti tres: quoniam ipsi tantum sunt, & aiunt. Quartò quia esset, inquit, aliquod medicamentum eum humorem expurgans, quemadmodum & alios tres medicamentorum viribus purgatos videmus, verum nullum vnquam tale inuentum est. Quintò quia sequeretur, non esse tria tantum genera febrium putridarum, vt putauit Gal. li. 2. de Differentijs febrium. cap. 9. nam sanguis ipse, vbi putresceret, non minus febrem efficeret, quam pituita, & vtraque bilis. Is porrò rerum medicus nouator, gloriæ potius cupidus, quàm veritatis indagator, temere admodum Hippocr. & Galeni placitis aduersatur. Hippocr. nanque lib. de Humana natura in hanc prorumpit sententiam: Dico autem sanguinem, esse pituitam, & bilem tam flauam, quam atram, & rursus inquit: deinde naturaliter formas discrepare: minimèque sanguini pituitam similem esse, aut sanguinem bili, aut bilem pituitæ. Et Galen. in Comment. inquit: cùm aperta est eius omnis oratio, tum quod instituerat, demonstrat: nam hic quatuor humores in corpore inesse inter se diuersos ostendit. Similiter id constat ratione suprà adducta, de purgantibus medicamentis, educentibus quatuor humores. Galenus quoque lib. de Humana natura comment. illius (certum mea quidem opinione) inquit: Sanguis iam cùm bifariam dicatur, tum hic, quem in venarum sectione, & vulneribus euacuari videmus, vtriusque bilis & pituitæ, vt docuimus participem, tum purus ille, & integer alijs humoribus, non confusus, & reliqua. ecce sanguinem, qui alius humor est a tribus. Et lib. 8. de Pla. Hippo. & Plato. non tantùm sanguinem in corpore esse asserit, sed sanguinem ex quatuor humoribus constitui. Inquit enim, Ex cibis in hominibus sanguis gignitur, pituita

Humores tãtum tres.

Humorũ numerus ex Hippoc.

tur,pituita,& geminæ biles:sed sanguis plurimus,vnde solus ex omnibus in venis apparet,alia pauciora creantur, atque hic sanguis est nostræ generationis, quasi materia,qui ex quatuor quidem humoribus constat, à dominio tamen sic appellatur. Hic locus manifeste aduersatur ei,qui dixerit,sanguinem ex tribus tum humoribus conflatum.Et lib.2.de Elementis,secundum doctrinam Hippoc. multa docuit hoc idem comprobantia. Rationibus similiter idem suadetur.Si namque in venis tantum tres humores existerent, totus sanguis frigidus esset potestate: quod probo. Nam pituita tam est frigida,quam bilis calida,& maiori copia in venis continetur.constitutum igitur frigidum erit, maxime accedēte melancholia, quę frigida similiter est.hoc ego quidem libenter concederem,vt suprà,cæterùm ab ipsis falsum putatur. Rursus in iecoris actione aliquid immodicè coctum est, nempe bilis flaua,aliquid nō satis coctum, quod est pituita:erit ergo aliquid probe coctum.quod qui negaret naturæ iecoris iniurius esset, quæ vt reliqua naturæ agētia,omnia melioris gratia facit. Rursus pituita coctione maiori in sanguinem transit, sed sanguis constat ex bile vtraque, & pituita,transiret ergo in pituitam. Præterea sanguis rubei coloris est,quod non esset,ob pituitæ,aut bilis flauæ, aut atræ colorem, est igitur humor alius rubeus præter hos. Præterea sanguis vbi præfiatur transit in flauam,& atram bilem.Quis ergo humorum transibit in bilem?non bilis:nam bilis in bilem non transit:non melancholia, quia in hanc quoque sanguis degenerat:non autem pituita,quoniam si ita esset,rectius diceremus, pituitam,quàm sanguinem, in flauam bilem migrasse. Dices forte,sanguinem in bilem flauam,& atram affatione transire,nihil aliud est,quàm in hos humores ipsum componentes dissolui,vt si mixtum aliquod,in quatuor elementa dissolui diceretur.Sed hoc falsum est. nam sanguis ex ipsorum opinione ex tribus componitur,ergo in corruptione transibit,ac dissoluetur in pituitam, & vtramque bilem.quod non fit. Male itaque opinatus est contra veritatē, & maiorum dogmata.Sed ad eius rationes respondeamus.Ad primā,de dissolutione sanguinis in tres humores tantùm,dicemus,bilem cum fero sanguinis misceri,pituitam verò melancholiæ,& sanguini.Ad secundum de lacte dicemus,in butyro esse partem,quæ respondet sanguini,& bili.Præterea Gal.lib.4.de Simp.med.fa.cap.3.in lacte, vino,oleo,& reliquis omnibus succis, quatuor partium differentias contineri affirmat & demonstrat. Ad tertium dicimus,non solùm sanguinem procedere, ad alenda membra,quoniam non omnia sunt eiusdem temperaturæ,sed adeò diuersæ, vt alijs humoribus egeant,& ipsis multis modis, atque mensuris commixtis. Ad quartum respondet Galen.libr.de Facultate purgantium medicamentorum, esse non nulla medicamenta sanguinem educentia,de quorum numero est illud, quo inuento,quidam ipsum ad malos transtulit vsus: sed à magistratu populi, in supplicium oculis vinctis ductus est, ne herbam alijs ostenderet, cuius ibidem copia erat. Ad vltimum dicimus,febrem à sanguine putrescente,aut esse continentem, aut bilis motum seruare, quoniam putrescens statim in bilem transit. Sed de his circa librum 2.de Diffe.febr.diximus. Quod autem ab initio proposuimus constat,sanguinem appellari totam mixturam humorum propter dominium sanguinis.Non igitur oportet, sanguinem sanguineum dicere. Rursus ad alimenti mutationes redeamus,quas donec in corpus alēdum migret,susceptit. Procedit namque à iecore simul cum seroso illo excremento & aquoso, quod ad sanguinis penetrationem fuit necessarium. Cùm autem quatuor humores iecur prætergressi fuerint,cauam venam ingrediuntur.In quam,omnes quæ in iecore sunt venulæ finiuntur. Serosum tamen excremētum,à renum facultate trahitur, neque enim deinceps vtile erat, vbi latiores meatus, ac plures humores subeunt, nisi parua quædam pars, quæ etiam tractionem renum effugit, reditura quoque ad renes, cum alimentum ad fines venarum perduxerit,nisi per cutem inflatum,aut sudorem digeratur.Id excrementum serosum ad renes trahitur per venas emulgentes. Deinde a renibus per meatus vrinarios percolatur, quod excipit vesica, ampla quędam,ac nota capacitas,vt ipsum per colum extrà mittat,quum momorderit,

Serosum in sanguine excrementum.

derit,aut grauauerit.Cohibetur tamen ad tempus eius excretio in vesica, quemadmodum, & in reuolutionibus intestinorum fæx, ne ob frequentem mictum, aut deiectionem homo amusos,& aphilosophos fieret. Nunquam enim vacaret musis,aut philosophiæ.Procedens autem sanguis per venas.quandam mutationem recipit,quemadmodum & fæx interim dum per intestina descendit, sed neque venæ sanguificam,neque intestina chylificam facultatem habent ex se, sed aliunde sibi demandatam,intestinis quidem à ventre, venis autem à iecore. Hæc diximus de futuro alimento in ventre,& de eo quod est, tanquàm alimentum in venis,nunc de vero alimento differamus. Singulæ nostri corporis partes, ex alimento per venas deducto ad se trahunt, quod in ipso sibi vtile est, ac secundum substantiam simile.Id cum est in exilibus venis,& arteriis,iam aliquam leuem suscipit mutationem:& hæc est prima de iis,quas secundas humiditates appellant. Est ipsa medium quo sanguis transit in membra, quæ valde dissident à natura eiusdem.Deinde verò hæc humiditas transit in vacua spacia membrorum, vt præstet membris singulis alendis materiam,quæ à similitudine,ros appellatur.huius meminit Galenus libro 1.de Semine.vbi alimentum exhalationis modo testatur,in membra transire,dicens: Deinde post proprij humoris in singula membra attractionẽ, id quod est attractũ in multas particulas dissolutum,paulatim,quasi exhalationem attrahentibus membris adiungitur, ac quadam temporis mora immutatur. Transit sanguis in particularum quarundam substãtiam, veluti quadam incrassatione,aut concretione,vt in carnem,& pinguedinem.Transit etiam ros in substantiam solidarum particularum,ipsis solidis appositum:carnis,& adipis substantia erit tertia,& solidarum partium humor,qui eas agglutinat,quarta. De his tres tantùm ordinẽ mutationis seruant:nam ea humiditas quæ in exilibus venis, & arteriis cõtinetur,transit in rorem:ea enim est humiditas, ex qua membra nutriuntur,ergo si prior humiditas ea nutrire debet, in ipsam prius mutabitur:ros autem transibit in solidas particulas, vbi seminis speciem acceperit. Sanguis verò concretione transit in carnem,& adipem,in extremis venis,quæ ad carnem finiuntur,facta appositione,concretione,& vnione,sine mutatione in humiditates appellatas secundas,has Galen.nosse constat:quoniam libro 7.de Metho. mede.meminit quatuor siccitatum:(quibus quatuor dictæ humiditates oppositæ sunt.) siccitatem consumatam appellans eam,per quam substantia solidarum particularum absumpta est,minorem hac esse dicit,cùm consumpta est humiditas,qua constant partes ex humore concreto,vt caro & adeps:deinde ea quæ sequitur consumptionem roris effusi in spaciis particularum, & minor hac est ea, quæ fit absumpto humore,qui in exilibus venis,& arteriis continetur.Hunc verò sanguinẽ reficimus.An tamen ipsæ humiditates differant specie ab ipsis humoribus,qui in vasis continentur. De ea quæ in exilibus continetur venis, certum est,nondum integram recepisse mutationem. Nam quemadmodum chylus per venas meseraicas procedens aliquam mutationem recipiens, & ruborem ipsum adhuc chylum,non sanguinem dicimus,ita humiditas ista,quanuis leuem mutationem susceperit in via ad membri formam suscipiendam, formã priorem non mutauit.De rore tamen quoniam hic majorem mutationem adeptus est,suaderi potest,aliam formam à sanguine habere,nec tamen demonstrari potest, præterquàm ex colore. Reliquæ verò humiditates verè substantiæ membrorum sunt, optimam illam coctionem posse,quæ facultatis altricis est finis. Hæc autem coctio apud Galen.mutatio est in qualitatem similem corpori alendo : nam & finis alimentorum est,partes similes eis, quæ ex sanguine menstruo contractæ fuerunt subrogare.An tamen omnes quatuor humores alimentum corpori præstent, vel solus sanguis,dubium fuit à medicis agitatum,circa quod nonnulla dicemus,quæ ad veritatis agnitionem sunt necessaria.Volumus tamẽ in hoc opere potissimum in prima eius parte,quæ tota ad partem medicinæ theoricam spectat, & naturali philosophiæ est coniuncta,non tantum quæ vera sunt docere, sed falsas opiniones refellere, & quàm malè placita quædam antiquorum iuniores medici inter-

Venæ sanguificam facul. habent.

Humiditates secundæ, quas appellauit Gal. qui, quot & quales.

Coctio.

An quatuor humores nutriant.

pretati sunt, patefacere,& quæ pro suarum opinionum confirmatione adducũt, soluere. Sunt ergo qui Aristot. opinionem fuisse testantur, solum sanguinem per venas incedere, atque ipsum solum alere, esse quoque postremũ atque immediatum alimentum, circa quod considerandum est in primis, an solus sanguis alat. Nam Aristot. libro 3. de Histor. animal. cap. 19. dixit, palpitat intra venas sanguis omnium animalium, pulsúque simul vndique mouetur, solúsque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est. Si ergo solus spargitur per corpus, solus nutriet. Præterea lib. eodem cap. 2. excrementa esse dixit fæcem, pituitam, & bilem tam flauam, quàm atram. Sed excrementa non alunt, ergo solus sanguis alit. Quod autem excrementa non alant, constat: quoniam quod alit nec abundat, neque excrementum est, neque à corpore secernendum. Adde quod Aristot. libro 1. de Generatione ani. cap. 18. excrementũ ab alimento distinguens, inquit: Excrementum appello reliquias alimenti. cum ergo reliquos humores à sanguine, excrementa dixerit, non erunt alimenta, sed alimenti excrementa, atque reliquiæ. Hanc fuisse Aristot. mentem credimus, cui adstipulatur, quod tantum dulcia alere possunt, & ex humoribus solus sanguis dulcis est. Adde, quod Auerrois scribit in huius opinionis comprobationem, lib. 2. collectionum, cap. 1. ex eisdem nanque sumus, & nutrimur. Sed sumus à prima generatione ex sanguine mẽstruo tantùm, ergo ex solo sanguine nutriemur. Præterea, inquit, si pituita alere potest, id est cum in sanguinem mutatur, ergo sanguis est qui alit, non reliqui humores. Addit quoque occasionem errandi accepisse medicos: quoniam cùm intelligerent, sanguinem transire in flauam, & atram bilem, quia sanguis alit, crediderunt, bilem vtramque alere: cum tamen biles duæ non faciant vnum cum sanguine, neque in ipso actu, sed potestate contineantur. hæc ex Aristot. & Auerroe. Quibus accedit quod melancholia, ob terrenam substantiam, & bilis ob immodicum calorem alitioni sunt admodum ineptæ. Præterea si omnes particulæ corporis alerentur ex quatuor humoribus, singulæ quatuor minimas partes sibi acciperent, quod falsum est: nam minima pars carnis, cui respondebit ex situ bilis eam tantum cõmutabit, non pituitam, aut sanguinem, loco distantes. Contrariam sententiam tenet Hippocr. lib. de Humana natura. cùm inquit: Cæterùm mea quidem opinione, qui hominem sanguinem, & nullam aliam rem esse censet, is deberet demonstrare, eum non mutare formam, aut omnimodum fieri, aut saltem aliquod anni tempus, aut hominis ætatem ostendere, qua sanguis solus appareat, esse in homine. Galen. quoque in comment. inquit. Qui sanguinem solum humanam esse naturam astruunt, hoc perinde est, ac ex sanguine solo, fictas omnes esse eius partes, solóque sanguine semper ali. Sanguis vero, cum bifariam dicatur, tum hic quem in venarum sectione, & vulneribus, euacuari videmus vtriusque bilis, & pituitæ participem, tum etiam purus ille & integer, aliis humoribus non confusus, ex sanguine secundum priorem significationem formari fœtum, fortasse verum sit ex sanguine, secundum secundam, non item: nunquam enim solus ille in prægnantibus est. Lib. item 2. de Elementis, dixit, non adeo facile esse, probare humanum corpus, ex quatuor humoribus constitui, sicut ipsum ex quatuor elementis componi. Verùm Hippoc. sententiam veriorem esse, quatuor humores esse necessarios ad hominis conseruationem, & alitionem. Rursus libro 8. de Placitis Hippoc. & Plat. eandem voluit sententiam, quam suprà quoque retulimus. Quibus accedit, quòd si nostrum corpus ex sanguine menstruo a principio constitutum est, vt nouerunt aduersari, in ipso quatuor humores contineri, non est dubium: quoniam quicunque humor in corpore fœminæ abundauerit, in sanguine menstruo purgatur, & ipsum multa bile, aut pituita, aut melancholia mixtum conspicimus ex colore, nos vero ex eisdem nutrimur, & sumus. Præterea in medicamentis purgantibus, quæ cum purgant, & vt diximus diuersos humores ex venis ducunt, experimentum docet, quatuor humores in vasis contineri, & non nisi alitionis causa, alunt igitur. Id quoque diuersa admodum membrorum natura docet, quæ ex vnico tantùm humore nunquam refici posset. Quidam è humoribus

Auerrois.

Hippoc. & Gale. opinio de alitione ex humido.

ribus medicis voluit, Galen.& Hippocr. non contradicere Aristot.& Auerroi: quoniam cum Aristot.animalia sanguine prædita,ex solo sanguine ali. recte dixit Galen.id tantum voluit,cum sanguine reliquos humores procedere, non tamen præstare materiam ipsis, sed tantúmodo attemperare sanguinem, vt aptum fiat membrorum diuersarum temperaturarum alimentum. Verùm hic non nouit Aristot. (vt supra diximus in enarranda eius opinione) voluisse solum sanguinem per venas tendere,Galenum verò quatuor humores simul.Præterea,si ad temperandum tantummodo procedunt per venas reliqui à sanguine, an ibi retineantur,vel qua parte pellantur, nescient respondere. Præterea Galenus manifeste cum Hippoc.docet,quatuor humores,principium generationis præstare, & deinde alimentum viuente animali.Sed tamen Aristotelé eius fuisse opinionis dicemus,& Auerrois autoritatem nullius esse momenti,eius tamen rationes facilè diluuntur Sumus enim & nutrimur, ex sanguine quatuor humores continente. Pituita quoque alere potest duobus modis,aut sanguini mixta,aut in sanguinem mutata.Sanguis item vere bilem vtramque,& pituitam continet: nempe is sanguis,qui ex humoribus constituitur, non ille simplex,qui ex moderata coctione fit,vnicus humor. Ad reliqua dicemus. Primò quòd melancholia & flaua bilis, quanuis distemperatæ sint,simul,& aliis humoribus mixtæ alere poterunt,maxime membra lapsa.Ad vltimum dicemus,non esse minimam partem in carne, quę non suscipiat mixtos quatuor humores,adeò,vt nullus sine aliis percipi possit, eo modo quo de elementorum mixtione,cap.præcedenti diximus. Secundum considerandum est,an sanguis sit postremum alimentum.id enim voluit Aristot.lib. 2.de Part.anim.cap.3.& 4.vbi dixit,sanguinem esse vltimum alimentum, in sanguineis animalibus.Sed tamen Galen.mediam aliquam inter se mutationem docuit,in prædicta sententia ex 7.de Metho.medendi.vbi totem singulis particulis alendis materiam præstare dixit.Sed tamen dicemus,aut Aristot.non nouisse secundas humiditates,aut eas,à sanguine nondum distinxisse specie : quoniam 3.libro de Histor.anim.cap.5 dixit:Humor circa neruos,mucori similis,albidus,glutinosúsque consistit,quo ipsos neruos,& nasci,& ali certum est, hæc de humoribus modò dicta sint:nonnulla verò,quæ hìc omittimus,in operis processu suum locum sortientur commodum.

Medici inferioris opinio confutatur.

Sanguis an sit vltimum alimentum.

De membris humani corporis. Cap. III.

MEmbra humani corporis,quædam similaria sunt, quæ ab Aristot.homiomera appellantur.A Gal.verò,simplicia:prima,homogenea,quædam instrumentaria,quæ à Galeno heterogeneæ,& organicæ partes dictæ sunt.Aristot.vero lib.2.de Part.anim.cap.2.dissimilares,organicas, officiales,& instrumentarias appellat.Similaria membra sunt,ea quæ in partes essentia diuersas minime diuiduntur,vt neruus:is enim non nisi in neruos secari potest.Dissimilaria verò sunt,quæ in partes diuersæ essentiæ diuidi possunt, non in similes,vt caput,aut manus,quæ in os,& carnem diuisionem patiuntur. Hæc eædem partes instrumentariæ appellantur, quanuis instrumentaria pars ampliori significato,omne instrumentum significet,de quorum numero vena est: quæ tamen pars est similaris. Definiuit autem Galenus libro 1.de Method.med.sic,Instrumentaria pars est,quæ perfectam operationem edere potest,vt oculus visionem,& lingua loquelam. Diuisit tamen Aristotel. partem dissimilarem, in eam, quæ ex pluribus dissimilaribus constat,vt facies,manus,& similia,quædam ex similaribus constant pluribus,cuius exemplum sit oculus,quædam ex vnica similari (inquit) vt viscera nonnulla. Constant enim ferè omnia,multiformi figura, itaque ex sola figura vult membrum aliquod esse dissimilare, quia non diuiditur in partes sibi similes,id est cordi similes,& rursus eodem cap. inquit : In sanguineo autem,id est,compote sanguinis, cor tale habetur membrum :quippe cum cor & in partes similares secetur,quemadmodum quoduis,ex aliis visceribus & dissimilare sit,propter suæ figuræ formam : verùm Aristotel.non aduertit cordis

Similaris pars.

Instrumentaria pars.

Dissimilaris pars ob figuram.

Digitized by Go

compoſitionem ex diuerſis fibris membranis,& carne ſunt quoque nonnullæ ex diſsimilaribus,quæ in alias diſsimilares diuidi poſſunt,vt crus,in femur, tibiam, & pedem,& manus maior,in brachium,cubitum,& ſummam manum, & manus ſumma in digitos,& poſtbrachiale:digiti vero oſſa continent neruos, carnem, & muſculos,muſculus item,neruos,venas,arterias,& carnem. Similares tamen particulæ ſolidæ ex ſemine genitæ ſunt,ſemen,ex humoribus,humores, ex alimẽtis, alimenta vero ex elementis:quamuis nonnulla,non ſtatim ex elementis,ſed per alias intermedias mutationes. Nam animalia,quæ nobis eſui ſunt,ex herbis alimẽtũ capiunt, herbæ tamen ex primis elementis conſtãt. Dubiũ tamen videtur apud Galenum quas velit ipſe ſimilares particulas appellare. Nam libro de mor. diffe. cap.3.arterias,& venas inter ſimilares particulas annumerauit,dicens: Atqui corpus animantis trifariam componitur,ſiue cõformatur,in primis ex his partibus, quæ ſimilares appellantur,vt ſunt,venæ,arteriç,nerui,oſſa,cartilagines,ligamenta,membranç,carnes. Verùm li.de inęquali intemperie cap.2.venas,& arterias videtur excludere à numero ſimilarium,& earum, quæ in partes diuerſæ rationis, minime diuidi poſſunt:inquit enim,digitorum vero particulæ,ſunt oſſa, cartilago,ligamentum,arteria,vena,membrana,caro,tendo,vngius,cutis,adeps. has autem diuidere in aliam ſpeciem non eſt,ſed ſunt ſimilares, ac primæ, exceptis tamen arteriis,& venis. hæ namque ex fibris,& membranis ſunt conditæ,veluti,in tractãdæ diſſectionis ratione eſt traditum. Hoc in loco manifeſtum eſt ipſum excludere à numero ſimilarium,& primarũ partium,venas,& arterias. Hoc dubium ſoluit Fuchſius in commentariis li.de differen.morborum. Animaduertens primùm duas ſimilarium partium differentias.aut enim ſunt ſimilares, quoniam omnes eius particulæ ſunt eiuſdem ſpeciei,quæ reuera ſunt primæ ac ſimilares,nõ enim poſſunt:in partes diuerſarum rationum diuidi,neque aliæ, ſunt eis priores hoc modo venæ,& arteriæ ſimilares non ſunt,quia in partes diuerſæ rationis diuidi poſſunt,vt recte dixit libro de inæquali intemperie. Quo loco à numero ſimilarium ipſas excluſit. Qua ſignificatione vſus eſt li.de elemẽtis,dicens: Homo ex primis & ſimplicibus,ſenſibilibus elementis,ſimilaribus nominatis,conſtat, fibris,membranis,carne,adipe,oſſe,cartilagine,ligamentis,neruis, medulla, & aliis vniuerſis,quarum vniuerſæ particulæ eiuſdem inuicem ſpeciei ſunt. Sunt autem ſimilares partes,alio modo dictæ,quæ ſimplices ſunt,ſenſus dumtaxat iudicio,nõ natura.quomodo venæ,& arteriæ,inter ſimplices, & ſimilares recenſentur.li.de morborum diffe.loco citato,& ad eum modum,li de optima corporis conſtitutione dixit. Similares partes vocantur,quæ ſimplices ſunt,hoc eſt,ſunt partes quas ſenſus,& ſi reuera compoſitæ ſint,iudicat eſſe ſimplices. Itaque cùm dixerit Gal. venas,& arterias eſſe ſimilares,id ad ſenſum intellexit eſſe referendum. cùm autem dixerit,eas non eſſe ſimilares & ſimplices, quoniam conſtitutionem habent ex membranis,& febris:id intelligi debet exrei natura,à qua compoſitionem habent,quamuis ſenſu non ſit cognita. At vero hæc dubii ſolutio non eſt ad mẽtem Gal.quod probabo.nam cum Gal.li.de inæquali intemperie, dixit digitum eſſe conſtitutum ex oſsibus,neruis,venis,& arteriis,omnes dixit eſſe ſimilares,& poſt excepit venas,& arterias. Fuchſius tamen dicit ipſas nõ eſſe ſimilares in re ſed ad ſenſum tantummodo. Quòd ſi eas tantum vult eſſe ſimilares Gal quæ reuera tales ſunt,vt non habeant ex diuerſis conſtitutionem, neque oſſa erunt ſimilaria: quoniam ex elementis componuntur,in re quamuis ſenſui non conſtet. nam neque omnes partes oſsis,vere ſunt oſſa:ſed quæ per ſe,& ſubeadem forma conſiſtere poſſunt. Rurſus Gal.lib.de inæquali intemperie,loco citato,non tãtum reipſa, ſed ad ſenſum cõpoſitas dicit eſſe,venas & arterias,vt tradidit in diſſectionis ratione: Quæ verò diſſectione nota ſunt,ſenſui patent. Erunt ergo venæ, & arteriæ vtroque modo dicto à Fuchſio compoſitæ,nempe,ſecundum rem,& ad ſenſum. Rurſus li.1.o.de metho.medendi ad finem inquit: ſi quidem in ſingulis ſimplicium ac primarum,quas vocant partium(vt in diſſectionibus es contemplatus)alia portio ſubſtantiæ eorum eſt veluti fibroſa,alia membranoſa, alia carnoſa ſicut,exem

Similares parti.apud Gal.quæ.

Fuchsij ſolutio dubij.

Fuchſius taxatur.

pli

pli cauſa,quum vena vnicã tunicam habeat, & eam tenuem, licet fibras in ea inuenire multas,quæ ſint arachnoidis quibuſdam interſitis contextæ,quibus vtriſque ipſa propria venæ ſubſtantia adnaſcitur. Hæc alia in aliis partibus habetur, nec vllum commune nomen eſt nacta.Cæterùm docendi cauſa nihil vetat, eam carnoſam ſubſtantiam voces.Ecce vbi fibras, & carnoſam ſubſtantiam dicit venis adeſſe,& in diſſectionibus eſſe contemplabile,non ergo re tantum, & natura venæ compoſitæ ſunt,ſed id ſenſu conſtat. Partes itaque quas Galenus ſimilares appellat,quæcunque ipſe fuerint,ſenſu tales eſſe intelligit.Sed tamẽ ſimilaris pars bifariam dicitur,vno modo vt ab Ariſtotel.lib.1.de Hiſtor.anim.c.1.qui partes dicit ſimilares,quæ in plures ſimiles ſibi partiri poſſunt, quomodo venæ & arteriæ ſimilares ſunt:ſicut & os,& neruus, non tamen manus,aut digitus, quæ in plures manus,aut digitos,non diuiduntur.Altero modo ſimilare membrum eſt,quod in partes diuerſæ rationis diuidi non poteſt. Vſus eſt Gale. hac ſignificatione lib.de Inæquali intemperie,vbi explicans quare oſſa,cartilagines,ligamenta, membranæ,& caro,ſimilares ſunt, inquit:Has autem diuiſiſſe in aliam ſpeciem non eſt,ſed ſunt ſimilares ac primæ,& ſtatim excepit venas, & arterias:quoniam hæ diuidi poſſunt in ſpecie diuerſa,ac perinde ſimilares non ſunt,ſic etiam lib. 1. de Metho. mede.dixit:Similaris pars,vt ipſum indicat nomen,eſt,quæ vndique in ſimiles diuiditur,quæ ratio,vt conſtat venis,& arteriis non conuenit. Quod ſi pars ſimilaris fuerit ea,quæ in ſimiles diuidi poteſt,arteria & vena ſimilares dicentur, & in hac ſignificatione accipitur ſimilare lib.de Differ.morborum.vena enim diuiditur in partes,quæ venæ ſunt.lib tamen de Inæquali intemperie.quum venas & arterias dixit non eſſe ſimilares:ſimilarem partem voluit eſſe,eam,quæ in partes ratione diſsimiles diuidi non poteſt.id vero arteriis & venis non cõuenit. Præterea Galenus lib.de Optima corporis conſtitutione, nulla facta partium diſtinctione in vniuerſum dixit:Erit itaque corporis ſtatus optimus,in quo partes omnes homiomeræ, id eſt ſimilares (vocantur autem ſic videlicet, ſenſu ſimplices) propriam ac familiarem habent temperaturam. Sed ex omnium ſimilariũ partium temperatura conſtat bonus corporis ſtatus,omnes igitur appellauit ſenſui ſimplices.Hac etiam ratione,lib.de Different.morborum, cap.4.dixit: Itaque ſi vel oſſium aliquot,vel caro,vel reliquorum corporum,(quæ ſenſus iudicio ſimplicia eſſe videntur) aliqua adeo fuerint vel aditricta:vbi carnem,& os,& reliqua ſimplicia,ſenſu talia eſſe vult.& ita eſt.nullum enim noſtri corporis membrum,compoſitione caret,ſed ſimplicia dicuntur membra, quæ primo ſenſu talia iudicantur:ſiue primo ipſo intuitu:ſimilaria verò,vel diſsimilaria,propter id quod in eorundem definitionibus diximus. Definiuimus enim partem homiomeram, ſiue ſimilarem bifariam,affirmatione,inquam,& negatione.Affirmatione quidem, vt pars homiomera ſit,quę in partes ſibi ſimiles diuidi poteſt,& in hac amplitudine continentur venæ,& arteriæ.Negatione vero,quę non diuiduntur in partes ſibi diſsimiles,à qua diffinitione venę,& arterię excluduntur. Rurſus ex ipſis primis, ac ſimpliciſsimis particulis,quædam generationem & nutritionem, ab humoribus habent,quędam verò ex humoribus ſolam nutritionem,ex ſemine verò primam generationem.Quanuis ſemen ex humoribus primum fuerit.Caro,adeps, ſeuum,ex ſanguine generationem,& deinde refectionem, reliqua membra ſimplicia ex ſemine. Totum itaque ex quatuor elementis conſtat, igne, aere, aqua, terra,quæ in duobus continentur,apud Galen.pri.de San.tuen.in ſemine,& ſanguine menſtruo: ſemen magis habet igneæ, & aereæ ſubſtantiæ, ſanguis menſtruus,plus aquæ & terræ,ſemen plus ſicci,ſanguis plus humi.ex ſemine verò tanquàm ficciori,& amplius exſiccare valenti,ſolidæ particulæ generantur. Hæc ſequuntur cartilagines duricie proximæ ipſis,& natura ſimillimæ:deinde venę quę in totum corpus alimentum deferunt, & arteriæ venis duriores, quæ calorem & ſpiritum ſimul cum calidiſsimo ſanguine deducunt,& nerui,per quos animalis facultas demandatur, & ſyndeſmi, qui oſſa alligant ac confirmant,nullo ſenſu prædicti:quoniam nullum habent cum cerebro conſenſum nerui motus in muſculos

Similaris pars bifariã dicitur.

Membrorũ generalis diuiſio omnia compræhendens.

disseminantur,carne intercluſa per capita muſculorum, hoc eſt, ſupremas partes ingredientes:in egreſſu tamen ad finem muſculi,ſiue eius caudam in tendines degenerant,fibrarum multitudine congeſta,quibus fibræ etiam ex ſyndeſmis ortæ copulantur. Vnde fit,vt cum neruus,maximè omnium ſentiat,ſyndeſmi verò nequaquàm:tendo,neque adeò inſenſilis ſit,vt ſyndeſmus,neque adeò acri ſenſu,vt neruus. Sunt etiam ex ſimilaribus particulis,ex ſemine genitis,membranę ad multos vſus à natura inſtitutæ:nam quædam loca interſepiunt, aut alicui functioni deputantur,aut partes alias obuoluentes,eas cuſtodiunt, muniunt,aut roborant, ipſis verò natura tenuia, neruorum germina inſeruit,quæ eis ſenſum præberēt, ne fortè ſubiectæ particulæ eſſent omnifariam plantæ. Harum omnium partium integram diſſectionem,& vſum,ex lib.de Anatomicis adminiſtrationibus, & de vſu partium accipies. Nos tamen in præſentiarum omnium generationem & naturam oſtendere decreuimus. Principium generationis hominis ex ſemine eſt, quemadmodum & plantis. Nutritio vero,& auctio,in plantis ex alimento:in animalibus ſanguine præditis ex ſanguine, & partes ipſæ quæ à ſemine materiam non capiunt,à facultatibus,quæ in ſemine ſunt mutatione alimenti facta, generationis,& mutationis principium accipiunt. At verò animalis prima generatio hoc ordine procedit. Semen maſculi vterus concipit,cum ſemen à teſtibus fœminæ reiectum per duo vteri cornua viam ſublimiens,ei miſcetur. Verùm ſemē vterus amplexatur,& vndique ſe colligens tangit,ore adeò compreſſo,vt neque ſpecilli acumen capere poſsit, calore verò ſuo externam ſuperficiem ſeminis ſiccat, atque obdurat,ita vt intra ſex dierum ſpatium putamini interiori oui ſimilis reddatur, vt dixit Hippocr.de ſaltria fœmina,quæ ſemen conceptum reiecit, ſexto die,quod Hippocr.conſpexit,ac vidit,membranam illam intus ſemen continere pellucidum,cui rubrum quoddam ac rotundum inerat. In ipſa tamen membrana fibræ quædam albæ ac craſſę ineſſe cernebantur,craſſo quodam ac rubro cruore obuolutæ. Extrinſecus quoque circum membranam,cruenti humores, in medio tenue quidpiam habat,quod vmbilicum eſſe putat Hippoc.erat craſſum illud ac rubrum iecur. Hoc eſt formationis hominis initium. Porro ſemen,id ſua facultate naturali trahente,poſtquàm ſemel vtero adhæſit, ſanguinem ex vtero traxit per eas venas quibus ſanguis menſtruus purgari ſolebat: eas nanque cum teneræ eſſent,vt ſolent,ipſarum cicatrices parum a purgatione diſrumpi, atque inde hiare facile fuit, quanuis contingat fœminam concipere, cui nunquam menſes proceſſerunt:hinc ex ſemine ſimiliter meatus generantur, & in ipſa membrana, quæ chorion appellatur,ſiue ſecunda,magna vaſorum multitudo, venarum inquam,& arteriarum,ab vtero ſanguinem ſugentiū,non aliter, quàm à terra plantarum radicis:hæ omnes in chorio venæ & arteriæ, in duas venas, & duas arterias finiuntur:qua parte in tantis vmbilicum pertingunt. Cùm tamen ad iecur ipſius veniunt, venæ in vnam coincidunt. Arteriæ tamen veſicæ annecti cernuntur,ac inde verſus ſacrum os procedunt,donec ramis arteriæ magnæ deſcendentis à corde per dorſum cōmittantur. Vena hæc vna in multas ſecatur, ad iecoris formam ſpacium formantes, quibus caro adnaſcitur iecoris, ex ſanguine inde exudante,per anguſtiores venarum fines. Hoc eſt,quod rubrum ſexto die inſpexit Hippocr. Interim verò natura nunquam otioſa ex ſemine duas parat membranas:quarum altera Amnios eſt,ſiue ſudoralis,quæ ſudōrem fœtus excipit: altera vero alantoides,hoc eſt,inteſtinalis,prædicta tenuior, vrinam per meatum, quem vracon appellant,ab infantis veſica recipit:ea verò ab vmbilico naſcitur, duobúſque vteri cornibus appenſa eſt. Hæc vrinam tantum recipit, non ſudorem:quoniam tenuis eſt,nec valeret totum fœtum ambire,ad ſudorem excipiendum. Parua quoque facta eſt aliarum collatione,ob id quòd fœminæ ſemen paucum eſt,ex quo conficitur. Habet autem alium vſum,nempe primis diebus, membranas ſemen obuoluentes,vteri cornibus alligare. Habuit enim hæc a principio generationem,& vſum. Iecur tamen inter præcipua membra,primam habuit generationem,neque enim cor interim genitum eſt:quoniam partem generationis

habet

Membrorū generatio & fœtus formatio quo ordine, & an iecur primò uiuat.

Amnios.

Vracos.

habet à semine,partem à sanguine,sanguis verò prius ad iecur,quàm ad cor deuenit:quoniam venæ sanguinem deferentes ad iecur finiunt: arteriæ tamen sanguinem cordi deferentes longius incedunt, vt dicemus. Iam quidem apud Hippoc.in prædicto loco,iecur & chorion sexto die apparuerũt, sed cor quod secundo loco generatur,& cerebrum, quod tertio intra triginta dierum spacium: verùm nulla dies est præfinita,iustum tamen fuit, vt quemadmodum iecur primo generatur, quoniam prius sanguis ad ipsum peruenit, similiter quoniam vtero propinquius:ita secundo cor generetur, quod vtero & principio alimenti magis accedit quàm cerebrum. Adde quòd fœtus, vt planta primo viuit, plantæ verò ad suas functiones corde non egent,multo minus cerebro,quod etiam docet fœtus ipse,qui prioribus diebus suæ generationis,tribus ipsis membris iam genitis, iecoris validissimas actiones obit: cordis autem languidas, cerebri vero nullas. nam neque videt,neque audit,neque olfacit,neque quippiam meditatur, & aut non mouetur,aut raro,& breuissimis quibusdam motibus in loco. Quamobrem iure institutum est,à summo omnium opifice, vt iecur primo, cor secundo, cerebrum tertio loco generaretur. Quanuis Aristotel.his contradicat, qui facultates omnes à corde oriri existimauit.Sed tamen venæ, & arteriæ, ex semine generantur,interim dum cor,& iecur,quę duo sanguine per venas & arterias delato egẽt. Verùm neruorum,& spinalis medullæ cerebrum,& eius membranæ, sunt germinationis origo.A iecore vena caua,aliarum omnium origo & truncus, à corde magna arteria,à qua reliquæ,sicut & venæ,sursum & deorsum vergunt. A cerebro verò spinalis medulla progerminat,à qua nerui fere omnes originẽ trahunt, Quum tamen hæc membra dispertita fuerint, singulis membranas obducit natura ad suos quoque vsus,quos non proposuimus in præsenti loco referre, atque peritonæum generat, & septum transuersum, & cerebri meningas, & medullæ dorsi. Et inde præter eas tres, quas à principio genitas diximus: nempe chorio, amnio,& alantoide quartam generat, quæ fœtum totum obuoluit, & quæ interim fœtum à sudore,in animo congesto munit:deinde verò cùm ei caro agnascatur,cutis corporis efficitur. Rursus natura partes ex semine delineatas distinguere,ac diligenter absoluere consueuit,quo tempore terrenam, ac crassiorem partem seminis ossibus gignendis,& formandis transmittit,à qua parte quod pingue est separat,aptum ob tenacitatem, ad generationem ligamentorum & membranarum,quæ ossibus obductæ sunt,quibus quoque neruorum fibras implantat,sentiendi facultatem tribuentes.Fibræ quoque in ventre,intestinis,vesicis, & membranis generantur ex semine ortæ:sed fibræ musculorum ex neruis procedentes post ossa generantur,& ipsorum membranas.Præterea carnem ossibus agnasci facit,sed hæc iam non ex semine,sed ex sanguine generationis habet initiũ, quemadmodum & adeps. Sanguis verò ex vtero delatus est per venas & arterias iecori,cordi,& reliquis particulis,quæ cùm semel ex semine generationem habuerunt,alitionem habent ex sanguine: quemadmodum caro & adeps, primam generationem & conseruationem per alimentum à sanguine mutuantur.Omnium harum particularum conformationem,delineationem,& excauationem, facultas efficit formatrix, diuino quodam artificio, captum humanũ excedente,hanc in semine existere,& formæ seminis peculiarem esse credimus.Quæ etiam in ipsis particulis ex semine genitis,in testibus verò maximè relinquitur. Quod constat:quoniam viuente animali,semper partes ex semine genitæ reficiuntur, per simile genitum ab ipsismet, seipsas reficientibus. Quod si simile est, quod in neruum conuertitur neruo,& neruus ex semine factus est semen,erit quod à neruo perficitur.Semen autem facultatem habet formatiuam,ergo & nerui alimentum proximum, ac ipse neruus.Hanc fuisse Galenum constat ex lib.xiij.de Vsu part.cum de generatione seminis,in vasis seminariis loquens, inquit: Forsan aũt dicet aliquis,Propter quid in nullo aliorum vasorũ inuenitur hoc fieri:Cui promptum est respõdere,quod scilicet,neque plurimo tempore, sic in alio vase tardat: neque enim sunt alicui aliorum vasorum non solùm adeò multæ circũuolutiones

Iecur primo, cor secundo, cerebrum tertio loco generatur.

Cutis generatio.

Formatrix facultat.

Singula membra an semen generent.

& spiræ

& ſpiræ ſibi inuicem ſuperiacentes,ſed neque vna ſimpliciter.Si verò tardaret,& non flueret,neque euacuaretur cito,eſſet vtique in alia parte animalis inuenire talem humorem:& nimirum talis quædam eſt ea,quæ connata eſt in ſingulis vaſis humiditas,quæ eſt per ipſas eorum tunicas, à qua eædem nutriuntur. Ex his conſtat,ſingula ſolida membra ſemen generare,& ex eo alia refici. Ad quod accedit,quòd multo tempore poſt ortum dentes formantur,& ſi pars aliqua foret mutilata,vbi non deeſſet materiæ copia, adhuc reparari,ac iterum formari poſſet.Hanc validiſsimam teſtes habent,quoniam in ipſis maior eſt facultas generandi ſemen,& quoniã maior copia ſanguinis eis ſuppetit,ex quo ſemẽ generari debet.Procedit hæc in ſemine cum generatiua facultate.Verùm ambæ altricis animæ facultates ſunt. hæc verò anima in ſemine exiſtit,tam plantarum, quàm animalium.In plantis eadem eſt,quæ in ſeminibus: in animalibus vegetatiua anima,in ſemine exiſtit,in forma quæ ſtatim alimento præſente operatur,vt ea quæ in ſeminibus plantarum,ſed plantis nulla ſuperuenit: animalibus verò poſt formationem,quæ à vegetatiua exercetur,anima ſenſitiua ſuperadditur,in viuiparis à fœmina,in aliis a cauſis ſupremis.Iam verò & homini ſuperadditur rationalis anima,nulla priorum amiſſa.Diuina igitur hęc formatrix facultas membris ex ſeminegenitis,quod ſemen ſibi ipſis omnino ſimile generare poſſunt,inſeparabilis eſt:veruntamen ſemen quod in aliis membris conficitur, adeò ipſis inſitum eſt,vt nunquã generationi ſeruire poſsit,neque quod in vaſis ſeminariis: vtrumque enim teſtium facultate generatiua eget:teſtes verò multum ſemen perficiũt à vaſis traductum,nondum perfectum,quemadmodum & alia membra commu nem vſum in corpore habentia,quod tamen à ſua alitione abundat, generationi ſeruit.Hanc facultatem Ariſtoteles mentem quandam exiſtimauit, quæ aduenit ab extra,& ſeparatur pòſt.Cum tamen membra conformata ſunt, ſingulis propriæ diſtribuuntur facultates:ſimiles verò nonnullæ aderant in ipſo ſemine, nam præter formatricem,naturalis,altrix quoque in ſemine præfuerat.quod docet iecoris,cordis,& carnis generatio,quæ non ſine tractione, & mutatione alimenti facta eſt.Iecur porro genitum ex ſanguine, facultatem recipit altricem, vel vt Plato ait in Timęo,animam concupiſcibilem,quæ circa alimentum, & generationem negociatur.Hæc verò non eſt diuerſa ab ea quæ in plantis,quæ tantum circa alimentum verſantur.Situm tamen habet iecur in animalibus,quem radicatio in plãtis:is eſt locus inter radices,& truncum:verùm qua parte ventrem reſpicit venas,vt radices mittit:qua tamen parte vniuerſum corpus, venam cauam, quæ eſt veluti venarum truncus.In corde ſedet vitalis facultas, quam animam animoſam,aut iraſcibilem dixit Plato.Ab hoc vitalis,ſiue pulſatilis procedit. In cerebro verò anima ſenſitiua ſedet,quam Plato rationalem dixit, quas animæ partes,aut eſſentias,aut facultates dicere licet.Cæterùm modò de partium principatu loqui non propoſuimus,ſed infrà latè Ariſto.& Gal.placita referemus.fœtus in vtero his diebus formatur, finitúrque formatio maſculis trigeſimo,fœminis quadrageſimoſecundo die,ex Hippocrate.Nam maſculi citius:quoniam humidum eorum celerius extenditur,& calor minori tempore ad extenſionem ſufficit.Docet id Galenus 6.de mor.po.com.par.2.& Ariſto. li. 7. de hiſtoria animalium cap.3.Eo tempore rationalem ſuſcipit animam à Deo ſummo maximo creatam,nulla vi naturali coagente, ſed tantummodo præparante ad ſuſtantialem aliquam formam,vi ipſarum,& agentis,diſponentis, inducendam. Mouetur autem fœtus,pilis & vnguibus formatis,mas trium menſium,fœmina verò quatuor magna ex parte,geſtatur fœtus conglobatus,naſus inter genua,oculi ſup genua, aures extra genua, omnibuſque animalibus caput primum ſuperius eſt, ſed cum creuerint, & exitum appetãt,deorſum ducitur.Rurſus oritur ac ſeruatur,ſeptimo, aut nono menſe àconceptione,tamdiúque in vtero ſecundum naturam moratur, quãdiu ſanguis menſtruus ſit alimẽto ſufficiens,& calor cordis,ſine aëre externo, & reſpirato ſeruari poteſt.Quàm primùm nãque aliquod horum non ſufficit,calcitrat in vtero infans,& exitũ parat,ruptis acetabulis,ac perinde amnion & inteſtina

Formatiua facultas in ſemine.

Iecoris ſitus ſiue ſtebe.

Formationis fœtus tẽpus.

Fœtus quo tempore mouetur.

Fœtus ſitus.

ſtinalem rumpit,& aqua multa,& vrina fluunt,quæ laxiorem viam efficiunt:interim quoque nonnihil ſanguinis deſcendit,tandem acetabula diſrumpit vi propria,& facultate vteri,expultrice coadiuuante ſimul,& muſculorum abdominis, vteri oſculo relaxato,quam maximè:quinimo & os pubis à cõmiſsione ſolui credibile eſt. Prodeunt in lucem partus ſecundum naturam, nono menſe, maſculi quidem à ſexto in decimum diem noni mentis: fœminæ verò à decimo in decimumquintum ferè.Hos Hippoc.appellat decimeſtres partus, vt lib.3.de Difficili partu agentes diceemus,ſeptimo menſe infantes omnes conturbationem & agitationem patiuntur,& quanuis nondum integrè maturuerint, excluduntur aliqui, ex quibus pauci admodum vitales ſunt: hi nempe; qui validum habent natiuum calorem ad lactis coctionem,& ferendam ambientis temperiem. Nec putes ſeptimo menſe quoſdam partus perfectos.id enim falſum eſt: non enim ea ratione eos viuere exiſtimamus, ſed quoniam animalibus quibuſdam vti & plantarum fructibus accidit,qui à plantis decerpti matureſcunt. Septimeſtres itaque partus eo menſe paſsi ſunt magnam conturbationem & agitationem à ſeipſis commoti,victum & frigidum aerem quæritantes,& à matre ægre ferente fœtus & ſanguinis copiam:iis quandoque occaſiones accedunt,quibus de cauſis infantes quidam in lucem prodeunt, (& pauci quos diximus viuunt,) quoniam earum conturbationum cauſæ magna ex parte fuere naturales.Octimeſtres autem vitales non ſunt: quoniã ſedata iam conturbatione,à naturalib.cauſis,tum à matre,tum ab infante orta,cum infans quieſcere ac reparari deſideret,lethale ſibi erit, in lucem cum labore prodire,ſola pariter cauſa præter naturam & extranea id operante.in ſeptimo nanque menſe vis eſt iuxta rationem dierum, è quibus ſeptimus in morbis iudicat,Hippocr.teſte lib.de Septimeſtri partu.Oritur infans in caput verſus maſculus ore ad matris podicem, fœmina verò ore ad ventrem matris: eius ortum multa purgatio ſanguinis menſtrui ſequitur:craſſa nanque,& fœculenta pars excluditur,purior vero ad mammas tendit,vt in lac mutatum,alat infantem natum: id enim eſt ſibi familiariſsimum alimentum,ex quo partim formatus, partim altus fuit.ſed intereſt:quoniam in vtero fœtus per vmbilicum puriſsimam ſanguinis menſtrui partem alliciebat,& à qua parua pars redundabat,quæ in amnion,& inteſtinalem ferebatur,multum quoque ſeruabatur ad horam partus, quod non traxerat fœtus.Poſt ortum verò cum totus menſtruus ſanguis in mammas deferatur,ſine depuratione, (alia ab ea,quæ partus tempore fit, præter quàm in quibuſdam) totus ab infante ſugitur,multúmque excrementum ſeparatur, maximè in prima coctione, quæ in ventriculo exercetur. Is enim in vtero ocioſus erat, neque inteſtina fæcem aliquam continebant,pars enim fæcalis terrena, cùm non trahebatur,neque excernebatur quidem,quanuis pauciſsimum quid, per meſeraicas delatum ad inteſtina, parum ab ortu deiiciat infans,id colore cruentum eſt,nigrum & piceum,quod Ariſtoteles μηκώνιον appellauit, & Gaza papauerculum vertit. Sed lib.1.de Semine Gal.fœtus formationem quatuor temporibus diſtinxit:quorum primum eſt,cum ſeminis naturam refert, quo tempore genitura ab Hippoc.non κύημα id eſt conceptus appellatur, id ſex primis diebus conſiſtere diximus.Hoc idem ſeruat Ariſtot.lib.7.de Hiſtor.anim.cap.3.cum inquit:Sed ſi in ſeptimum diem intus permanſerit,conceptum iam eſſe certum eſt: ſecũdum tamen tempus,id eſt,per quod natura ſuis facultatibus vſa manifeſtam fecerit ſeminis mutationem,& cor,iecur,& cerebrum nondum diſtinctam habuerint formam,ac magnitudinem.cæterùm tota ipſa ſubſtantia potius carnea, quàm ſeminalis apparet,multo ſanguine plena,id iam conceptum tempus appellat Hippoc. Tertium eſt, quum euidentior apparet trium principiorum formatio, exquiſitè etiam deprehenduntur ſuis formis & ſitibus: reliquorum tamẽ membrorum delineatio oſtendit, partium tamen ventris obſcura formatio adeſt,obſcurior tamẽ crurum,& brachiorum:hæc enim poſtremò loco delineantur & apparent.Quartum tempus eſt,cùm extrema membra exquiſitè conſpiciuntur, iam integrè formata,quo tempore palpitat,atque moueri incipit,appellatúrque ab Hippoc.non

Septimeſtres partus uſitati, quare.

Infantis ortus.

Fœtus formatio quatuor temporibus diſtincta.

Digitized by Go

ἔμβρυον, id est fœtus, sed παιδίον, hoc est, puer aut infans. Vnde posses intelligere, ante id tempus quo mouetur, embryum appellari ab Hipp. Sed lib. 3. de Causis symptomatum, duobus primis mensibus, κύημα, id est, cõceptus appellatur à Galeno, ac perinde fiet, vt postquam animam susceperit, adhuc conceptus dici possit. Verumtamen expedit, vt altius repetamus generationem humani corporis, ab ipsis causis exorsi. Generabilium & corruptibilium materiam quatuor elementa præstare suprà diximus. Cæterùm quibusdam prima ipsorum mixtione, quibusdam multis factis intermediis mutationibus. Quæ enim multum ab elemẽtorum perfectione distant, non statim ab elementis fiunt, quæ verò parũ, fiunt. Lapides enim & mineralia, proximè ad elementorum naturam accedunt, ac ex ipsorũ mixtione, nulla alia intercedente mutatione generantur. Animata verò corpora ab iis magis absunt, sed animalia magis plantis. Verùm ex plantis & animalibus quædam adeò sunt imperfectæ naturæ, vt elementis proximè accedant. Cæterum in ordinibus animatorum plantæ infimum locum sortitæ sunt. Quia tamen omne deterius melioris gratia factum est, elementa plantarũ ratione facta sunt, & plantæ propter animalia, hoc est, vegetatiuum, propter sensitiuum, & sensitiuum propter id quod loco mouetur, & hoc propter intellectiuum. Et quemadmodum in plantis elementa consistunt, ita in animalibus sentientibus elemẽta, & plantarum vegetatiua virtus: in eo verò quod loco mouetur, elementorum, vegetabilium, & sentientium, facultates insunt, quibus additur potentia mouendi de loco ad locum. Quæ omnia continentur in eo, quod rationalem vim animæ possidet: eam nempe, quam intellectualem nominamus. His quoque omnibus animæ viribus appetitus immixtus est, perfectior pro ratione eius, cuius est facultatis. Voluntas enim, quæ rationali animæ debetur perfectior est, quouis animalium appetitu, aut plantarum phantasia. Ex plantis ergo nonnullæ ob imperfectionem ex elementis primam habuerunt generationem, quas sponte prodire videmus, elementorum facta mixtione, Sole coagente. Quarum terram matrem, Solem verò patrem rectè quis dixerit. Quæ verò adhuc perfectiorem habent essentiam, ex semine fiunt: semen verò ex alimento plantæ, alimentum verò ex elementis est. Primam igitur generationem per quædam intermedia tales plantæ elementis ipsis acceptam referent. Sunt etiam & ex ipsis plantis quædam tantam perfectionẽ assequutæ: vt sexum quodammodo distinctum ostendant, vt ficus, & caprificus, & palmæ: quarum quædam phœnicobalanos ferunt, quædam non, & hæ maribus similes. Sic & ex animalibus quædam generantur ex putredine ab ipsis elementis Sole coagente, aut terræ affiguntur, quæ plantis admodum affinia sunt, atque omnium imperfectissima. Neque eiusdem sunt speciei, quæ putredine generantur (vt Aristot. probat 1. de Generatione ani. cap. 1.) cum his, quæ sibi similia sunt, sed ex semine propagarunt. Reliqua verò, vt perfectiora ex semine ortum habent, maximè tamen omnium sanguinea, in quibus ferè omnibus sexus distinctus est in marem, & fœminam. Mas quidem qui in alio generat, fœmina quæ in seipsa, hæ sunt maris & fœminæ distinctiones. Rursus Aristotel. sic: Mas est, quod motus & generationis principium tenet, fœmina quod materiæ. Distinxit tamen hos sexus natura: quoniam quod generatur, interim dum fit, causa eget generante proxima: causa verò proxima coniuncta esse debet, vt effectum tangat, quod in quibusdam insectis semen non emittentibus constat, quæ coniuncta manent, quousque constituant, quod procreant suo vapore, vt Aristotel. primo de Generatione anim. cap. vlti. Siue ergo mas & fœmina virtutem generandi habeant, siue solus mas, necessum est, vt virtus maris, materiq; ex qua generatur animal proxima sit: materiam verò aliunde exposcit. Hoc in plantis fit semine in terram effuso. Semen enim est vt mas & efficiens, terra verò vt fœmina & materia, licet in seminibus plantarum: quodammodo sexus cõmixti sint, ac maris & fœminæ facultatem contineant. Sic igitur in animalibus, aliquod terræ locum habere debet, quod recipiat in se semen, & quod semini agenti materiam præster generationis: hæc tamen duo cõiuncta seruet interim, dum generatio perficitur. Cuius rei gratia mari

Hominis generatio ex causis.

Sexus quare distincti.

tia mari & fœminæ instrumenta dedit natura, quibus mas in altero, fœmina in seipsa generarent. Mari quidem vasa seminaria testes & colem, fœminæ verò vasa seminaria, testes, & vterum. Hac tantum re differentes, quòd mas membrum habuit, quo semen in locum transiceret, ne in itinere, aut corrumperetur, aut exhalaret virtus generatiua: fœminæ vero vas, in quo proiectum semen custodiret, & aleret, respondet collo vteri, collis: pudendum præputio, vterus scroto, testes testibus. Quod intelliges si genitalia maris intus conuersa mente conceperis, membrum nanque id aut toras, aut intus versum à natura distinguit fœminam à mare, apud Galenum. Nec tamen hæc ad individui conseruationem fuerunt necessaria, sed vt prolem procrearent, & speciem perpetuam efficerent, quòd per se singula animalia nullatenus consequi poterant, vnica communi ratione, quòd ex contrariis constitutæ sunt elementis, quæ omnibus corporibus constitutis ex elementis adest. Animalibus verò peculiaris celerrima humidi à calido facta dissolutio, quod probè, & priori simile reficere non contingit. Natura verò interim vires tradidit animalibus, quibus antequam deficerent, sibi simile producerent, ad id quoque ea prædictis membris ornauit, quibus semper addidit magnam in coitu delectationem, vt titillatione quadam excitata mouerentur, nec sui muneris obliuiscerentur. Animaduersione quoque dignum duximus homines non omni ætate generationi aptos. Sed decimoquarto anno primum semen generare, quod prolificum non est, vsque ad 16. in maribus magna ex parte. Cæterùm cum semen generare incipiunt, vox eis mutatur, testes maiores redduntur, & mammæ fœminis augentur, & pili in pube oriuntur. Sufficiunt tamen generationi mares vsque in annum sexagesimumquintum, quidam etiam vsque in septuagesimum. Fœminæ vsque ad quadragesimumquintum, nonunquam verò & vsque in quinquagesimum. Ante quatuordecimum tamen semen non generant: quoniam ante id maximè augentur, & sanguinem vniuersum in membrorum substantias commutant. Decimoquarto verò anno, iam aliquid supereſt ex sanguine vtili, ex quo semen generetur. Nec tamen cum primùm semen generatur, seruit generationi. quoniam vasa quæ semen nondum confecerunt, non possunt ipsum perficere, nisi validiora facta fuerint. transacto quoque 65. aut 70. anno, non amplius generant mares: quoniam semen frigidius debito redditur. Fœminæ rursus infœcundæ fiunt 45 aut 50. anno, quo tempore menses ipsis deficiunt, atque tantum eo tempore generant, quo sanguinem conficiunt, non tantum alitioni, sed propagationi. quod non fit post dictos annos, & non ante 14. nisi rarò. Quo enim tempore mares semen ferunt, & sanguis abundat ex quo semen generatur, in fœminis tantus abundat, vt aut procreandæ proli impartiri sit necessum, aut vt inutile alitioni, à corpore singulis mensibus expellatur, vt fit. Quartodecimo nanque vitæ anno primùm menses erumpunt magna ex parte, quo tempore mares semen producunt, & non ante: fœminæ quoque pari ratione: quoniam in vtrisque minus augmento membrorum tribuitur. Abundat autem sanguis maiori copia in fœminis quàm in maribus: quoniam mares valentiorem calorem habent, tantúmque, vt non modò generare multum sanguinem, sed & discutere ipsum possit. Calor verò fœminæ generationi multi sanguinis valet: non tamen discussioni abundantis, quod proli procreandæ decebat. Sed de temperatura fœminarum, & quare tales factæ sint cap. sequen. dicemus. Rursus ad membrorum generationem, & causas redeamus. Cùm masculus decimumquartum annum attigerit, semen generat, fœminæ verò menses erumpunt. An tamen fœminæ similiter semen prolificũ habeãt, nondum diximus: hinc enim pendet aliud mentione dignũ non tantũ medicis disquirendum, sed etiam philosophis, quibus cõuenit naturas rerũ scrutari: nempe, an fœmina in procreãda prole, aliquam habeat efficaciam. Porrò hæ duæ quæstiones aliam nobis proponunt differendam, An testes facultatem habeant seminis generatiuam, an tantum melioris gratia dati sint animalibus. Singula verò ordine percurremus à materia seminis orsi. Aristo. genituram quam γονὴν vocat, distinguit à semine, quod appellat σπέρμα. Genitura namque,

Maris & fœminæ genitalia.

Tẽpus prolem procreandi.

causa est,quæ à generante prima proueniens,principium obtinet generationis.Semen verò,quod prouenit in his,in quibus sexus maris & fœminę distincti sunt,ab ambobus,vt conceptus quidam promiscuus,quod in semine plantarum totum contineatur,quatenus sexus distinctos non habēt.Sed de genitura primū agamus, quam genitale semen appellant,de qua dicimus materiam primùm,ad finem verò,an in vtroque sexu contineatur.Hoc genitale semen, excrementum esse recte docet Aristo.excrementum enim quod secernitur dicitur, quod ex conuenienti alitione,& secundum naturam facta,abundat.Quomodo etiam Gal. excrementum appellat,primo de semine dicens, Demonstratum enim est, vnumquodque membrum,ad se accommodatum sibi alimentum trahere:deinde vbi ex eo quicquid sibi necessarium est perceperit, reliquum excernere:quod cum ipsi excrementum sit,alteri subsequenti alimentum efficitur, hoc modo semen à testibus, per supergeminale mittitur,vt abundans & excrementum. Quod similiter probatur.nam semen vt suprà diximus,non in omnibus ætatibus adest,sed in quibus sanguinis copia abundat, vt à decimoquarto in sexagesimum annum. Id autem excrementum vtilis & vltimi alimenti est.Vltimi quidem, quoniam Aristoteles sanguinem dicit esse vltimum alimentum, in sanguine præditis, ex sanguine verò fit.Nos quoque ex sanguine fieri, qui quatuorhumores continet, ad Gal. doctrinam tenemus: nec tamen partem sanguinis esse putamus,sed ex parte sanguinis vtili confici, vt ex materia,cui forma superuenit,& generandi vis, vt suprà diximus.Erit ergo semen,substātia genita ex vtili,& vltimo alimento viuentis,potestate aut actu continens ipsum viuens. Hæc dixerim, quoniam semen plantæ actu continet formam vegetatiuam plantæ, quamuis ob alimenti defectum non alatur,donec in terram missum fuerit.Proximè verò accedente alimento per insitam sibi altricem facultatem operatur,quemadmodum & pars arboris abscissa,aut auulsa,semen verò animalis potestate continet animam sensitiuā, actu verò altricem,quod docet res ipsa:nam semen quoduis non læsum præsente alimento,vt viuens operatur. Quod confirmat Gal.li.2. de naturali. facultat. vbi docens actionem seminis circa sanguinem attractum in roris, & halitus speciem inquit:Sic enim fit,vt facilè eum vincat semen,& celeriter assimilet, & sibi nutrimentum faciat.Idem Arist.li.2.de gene. animaliū.cap.3.Inquit enim:Quippe cùm nihilominus semina & conceptus animalium viuant,quàm stirpes & aliquandiu prolifica sunt.Ergo animam in his haberi vegetalem palam est. Addit deinde tempore procedente sensualem animā recipi, qua animal est, deinde rationalē qua est homo. nō enim simul animal fit & homo, neque animal & equus. Vtile verò est,id alimentum,non vt quidam putarunt,colliquamentum.Generatio enim secundum naturam,ferè semper fit:colliquamentum verò præter naturam est non enim pendet generatio animalis à colliquamento,quod rarò fit,neqi in animali benevalenti,atque secundum naturam.Similiter, quia animalia partua multa sunt,maioribus fœcundiora & tenuia pinguioribus,cùm tamen à maioribus & pinguioribus,maius colliquamentum esse deberet:contingit tamē quod ab illis minus secernatur,quæ ad suam alitionem pluri egent alimento,quod etiā vitibus contingit,& multis aliis plantis,& inter animalia hirci pinguiores minus sunt fœcundi,quod τραγίζειν, dicunt Græci,hoc est hircire. Qua voce vtitur Aristo.hoc in loco ad significandum eos qui ob pinguedinem capris similes fiunt. Verùm li.7.de histo.animalium cap.1.& lib.5.de generatione ani.cap.5.hircire inquit.nominant,cum aliquis vocem mittit inæqualem fidibus incontentis & asperis similem. Talia similiter excrementa, natura secernere solet, quum sanguis multus, nulla mala qualitate præditus fluxu ex naribus manat.Id enim vtilis & vltimi alimenti excrementum est,sola quantitate abundans.Semen quoque genitale vtilis & vltimi alimenti excrementum est,id est, pars quantitate abundans, nulla qualitate peccans.Verùm id excrementum, vt generationi vtile fiat, mutationem recipere debet:quatenus sanguinis pars abundans non mutata,inepta generationi foret: siue in testibus:siue in vasis tantum seminariis cōficiatur.Quidā

Semen genitale.

Semen excremētū est.

Semen actu vivat an nō.

à toro

à toto corpore ſemen prodire dixerunt, multis rationibus ad id moti, quas Ariſt. recitat primo de Gener. anim. Quoniam qui coeunt, maxima voluptate afficiuntur, maxima verò voluptas eſt, quæ in totũ extenditur corpus, ergo ex toto corpore prodit. Voluptas enim ex ſeminis miſsione excitatur in toto corpore. Secundò quia à mancis manca prodeunt: & hoc quoniam à parte manca nihil mãdatur, ab aliis verò quia prouenit, ſimiles generantur. Tertiò, quia filij parẽtibus ſimiles ſunt, & quemadmodum toti totis ſimiles ſunt, partes etiam partibus, ergo ex toto & partibus prodibit ſemen. Quartò, rationi conſonum eſſe videtur, quod ſi totius cauſa generans propria eſt, partis etiam pars ſit, ipſam primò generans. Ad quod accedit quòd filij non tantùm quæ ſecundum naturam inſunt parentibus, contrahunt, ſed & quæ ex accidenti, vt de Calchedone, qui patre brachio compuncto, idem ipſe retulit, obſcura quanuis nota. Horum opinionem confutat Ariſtotel. & eorundem rationibus reſpondet. Nam aut ſemen prodit ex partibus ſimilaribus tãtùm, aut ex diſsimilaribus tantùm, aut ex vtriſque. Si ex ſimilaribus tantùm, in illis tantùm erit ſimilitudo, verùm hæc in diſsimilaribus, vt manibus, & pedibus, & facie apparet. Si ex diſsimilaribus tantùm, cõſtat in ipſis non eſſe ſimilitudinem ſine ea quæ in ſimilaribus conſiſtit. Quare oporteret ex ſimilaribus potiſsimum produiſſe ſemẽ. Quòd ſi ex vtriſque, ex compoſitione tamen non prodit, ſed compoſitio ſimilis eſt, ergo non ob id ſimiles ſunt nati parentibus in partibus omnibus: quia ex omnibus prodierat ſemen, ſed quoniam cauſa ſimilitudinis in ſemine proceſsit. Præterea ſi ex omni parte ſimilari pars prodiret, æquale foret emiſſum mole, ei quod remanet. quod non fit. Præter id quod ex vnguibus pilis, cornibus & cruſtis, nihil decidi poteſt, in quibus tamen ſimilitudo ſeruatur. Rurſus membra poſt generationem augentur adueniente alimento, atque ipſo mutato in ſimile ei quod præfuerat. Sed tamen id alimentum ſimile non erat, ſed fit: in eo igitur, quod ad alendum venit poteſtas erat, vt fieret ſanguis. Poterit quoque ſimilis poteſtas eſſe ab initio in ſemine, vt ex ipſo fiant membra ſingula. Rurſus ex eodem ſemine, aut mas, aut fœmina generari poteſt: non ergo ſeceſsit ex mare aut fœmina, pars ex membro ſexum diſtinguens. quòd ſi ex hoc non ſeceſsit, neque ex aliis: præterea ex vno concubitu generantur duo conceptus. Si ergo pro vtroque ſemen miſſum eſſet, ab omni parte in vtero pro ſingulis partibus vtriuſque fœtus partes ſepararentur, quod omnino excedit limites veritatis. Adde quòd plantæ vulſæ, vbi terræ figantur, ſimiles ſui generis plantas generant, quum tamen non habeant partes, è quibus ſimile procedat. Plantæ quoque partibus quibuſdam mutilæ, ſemen generant, à quo integræ generantur plantæ. Et homines mutili, aliqua parte, filios integros procrearũt. Non ergo ex toto procedit genitale ſemen. Præter id quod vbi ex omnibus partibus aliquid ad vaſa ſeminis recurreret, ſanguini miſceretur & confunderetur, ac ſimilitudinem amitteret. Addit ſimiliter, ſi fœmina ſemen non mittit, vt putat Ariſtot, minimè à toto prodibit ſemen, quum matri aſsimilentur nati nonnunquam. Colligit tandem Ariſtot. dicens: Cùm enim illi, quod ex toto ſecedat, ſemen eſſe fateantur, nos quod ad totum ſuapte natura faciat, ſemen eſſe fatebimur, quod eſt in ſemine genitali facultatem eſſe totius generatiuam. Quæ tamen in cõtrarium adducta ſunt, facilè ſoluuntur. Ad primam dicimus, tam vehementem eſſe pruriginem ad delectationem, vt totum corpus conſentiat. Quemadmodum ſolent in magnis doloribus conſentire. Ad ſecundum, quòd ex mancis manci generentur, id non reſpondet materiæ, ſed facultati aſsimulandi natos parentibus. Cùm ergo mas mancus fuerit, & potentia generandi in ſemine valida fuerit, filij manci prodibunt. Ad tertium pariter dicemus, totius & partis facultatẽ ſemen genitale continere. Ad quartum ſimili modo in virtute generandi omnia dicta conſiſtere dicemus. Porrò quanuis ſemen genitale diximus cum Ariſtot. excrementum eſſe vtilis, & vltimi alimenti, idque non ex toto prodire corpore, à qua tamen parte prodeat, aut quæ ſit pars in noſtro corpore ſeminis generatiua, & in qua ſemen ad coitus horam contineatur, nondum diximus. Cum enim id opus naturæ ſit, &

Semen unde procedit.

admodum necessarium, non minus quàm chylus & sanguis, propriam habebit in corpore officinam. Et quamuis in his quæ diximus de seminis materia, & quod non ex toto corpore prodeat, Aristot. cum medicis consentiat, in particula generante semen maximè dissidet. Prius tamen Aristot. mentem explanabimus, qui lib. 1. de Gener. ani. cap. 4. testes affirmat non de necessitate à natura datos animalibus, sed tantùm melioris gratia. Non enim putat Aristot. testes semen generare, quod multis confirmat rationibus. Nam si testes (inquit) ad generationem essent necessarij, omnibus animalibus propagantibus adesset, non tamen adsunt, ergo non sunt necessarij. ad autem notum est in piscibus & serpentibus. Rursus taurus statim a castratione impleuit vaccam, ergo testes non sunt necessarij. contigit autem id statim a castratione: quoniam tunc nondum contracta erant seminaria vasa. Sunt autem testes à seminariis vasis pendentes: quemadmodum planulæ in telis textorum: quoniam natura seminaria vasa instituit rugosa & inflexa, ne animalia (homo potissimum) ad venerem essent valde proposita, & libidinosa, eo modo quo intestina fecit inuoluta, ne vt lupus ceruarius, qui rectam habet à ventre in anum viam, voracissima essent. Vtranque enim viam inflexam & circumuolutam natura fecit, vt fæx, ad tempus, & semen seruarentur. Vt ergo via hæc pateret seminis projectioni, testes vasis suspendit natura, non vt semen generarent. Præterea quoniam vasa per quæ semen defertur non inseruntur testibus, sed applicantur, non igitur deferent materiam testibus, ex qua semen conficiant. Et lib. 3. de Histor. anim. cap. 1. videtur velle, hanc seminis generandi facultatem vasis seminariis tribuere. Contra Aristotel. verò, multis modis procedit Gale. probans eum non esse testium vsum, libro 1. de Semine. Nostrum tamen institutum non est singula referre, quæ à Gale. eo loco scribuntur, sed breui mentem ipsius ostendere, ac nonnullis eiusdem Gale. rationibus Aristot. opinionem confutare. Prius autem ex anatome recipiendum est, à vena magna descendente, germina quædam mitti ad renes: deinde alia ad duos testes. Sed tamen quod ad sinistrum peruenit testem à germine venæ peruenientis ad sinistrum renem propagatur, magna ex parte licet aliquando, fiat, vt à vena perueniente ad renem sinistrum, tenuis tantummodo venula ad sinistrum testem procedat: germen verò quod peruenit ad dextrum testem, à vena caua ortũ habet: etsi quoque visum sit admittere propaginem ex vena tendente in renem dextrum, quemadmodum altera quæ ad sinistrum tendit, ex sinistra. Hæ duæ venæ ad duos testes venientes duabus arteriis coniunctæ sunt, non autem seruant rectitudinem, sed rugosæ incedunt, anfractibus quibusdam & capreolis, vnde capreolaria vasa dicta sunt. Finiunt autem ad eam partem, quæ Epidydimis, hoc est, supergeminale appellatur, iuxta testes ipsos, ac testium capita, à quo multi fistulosi meatus ad testem tendunt. Rursus ab his meatibus vasa seminaria sequuntur, & deinde varicosus assistens, qui radici virgæ copulatur. Hic glanduloſus astes appellatur, Græcis ἄγγειον. Iam verò modum generationis seminis referamus. Ex horum enim vasorum notitia maxime patebit. Sanguis per venas omnes & arterias in totum corpus distribuitur, partim etiam à membris ipsis indigentibus trahitur. Vasa igitur hæc, & testes similiter sanguinem trahunt, vniuersa verò membra potissimum suæ conseruationis gratia operantur, rursus & alios secundarios habent fines, vt ea quorum officium tanti commune est. Nam vt suprà diximus, ventriculus postquàm alimentum mutauit, primùm sibi vtile applicuit: reliquum verò quantitate abundans in membra demandauit, & primùm in intestina & iecur. Vasa quoque dicta sanguinem trahunt ex caua vena, ipsúmque alterant ac mutant, ita vt antequàm ad testes veniat, album repræsentat colorem. Is enim solidorum membrorum proprius est, & eorum quæ ab ipsis generãtur: quoniam assimilari debent. In supergeminali verò adhuc magis alba ac crassior sanguinis materia facta est. Hæc per fistulosos meatus testes ingreditur, vbi perficitur. Quemadmodum verò de venis meseraicis & iecore diximus, chylum iam quodammodo rubrũ per venas incederet ad iecoris actionem ferendam parari, sic & sanguis per vasa dicta descendens mutatus quadantenus

Testium vsus ex Aristotel. & an semen generent.

Seminis generatio & materia.

dantenus accedit ad teſtes. natura enim nunquam eſt ocioſa. Sed & vaſa ipſa cùm inflexa & implicata ſint, ſanguinem remorantur, & agentia mutant, ac præparãt, tantúmque ſibi applicant, quantum ad alitionem eſt opportunum, reliquo vlterius demandato. Præterea confectum ſemen in teſtibus, mittitur ad vaſa ſeminaria, hæc verò ad varicoſum aſsiſtentem, vbi craſsior adhuc fit, ſed tam diu ibi in anfractibus retinetur ad vſum, vt multum ſemen ſimul coitus tempore emittatur per genitale membrum: in fœminis verò ſtatim in vterum. Rurſus quemadmodum cibus ore ſumptus, ibi & in gula aliquam recipit mutationem, in ventriculo verò perficitur, ac formam chyli ſuſcipit, deinde quod abundat traiicitur inteſtinis, & meſeraicis: ſic ſanguis qui ad teſtes defertur, antequàm pertingat ipſos aliquam mutationem recipit, in ipſis verò perfectionem & formam ſubſtãtialem ſeminis, quod tamen abundat, id ad generationem ſeruandam tranſmittitur. Hinc nota eſt ſeminis materia ex vtili & vltimo alimento deducta, nempe ſanguis: cuius rei teſtimonium eſt, quòd homines immodicè vtentes venere, ſanguinem excernere ſolent: quoniam vaſa ac teſtes non adeò celeriter ipſum commutare, & conficere poſſunt. Tales quoque imbecilles redduntur, quòd bono alimento ac multo ſpiritu, qui cum ſemine per arterias procedit priuantur: ſimiliter quoniam ipſa delectatio magna langorem inducit. viſi nanque nonnulli ſunt præ gaudio mortui. Quod autem teſtes non ſint melioris tantummodo gratia, aut vt planulę appenſi vaſis ſeminariis, probatur. Nam ſi teſtes facti ſunt, vt appenſi trahant vaſa ſeminaria, & patentia faciant: quare natura fecit ipſa inuoluta? quòd ſi melius eſt ipſa eſſe inuoluta, teſtes appendere inutile eſt. Maximè verò conuincit ratio in auibus, quibus teſtes interius ſeruantur, & in quibuſdam animalibus in quibus affixi ſunt corpori, vt ſuibus, in quibus omnibus inutiles omnino eſſent. Præterea cùm ſemen generari habeat, ſi non generatur à teſtibus, vt voluit Ariſtotel generabitur à ſeminariis vaſis: ſed teſtibus abſciſis, mares marium naturam amittunt: fœminæ fœminarum, & fœcunditatem, omnémque libidinis ſtimulum. non ergo à vaſis ſemen, ſed à teſtibus generatur. Quòd ſi quis dixerit læſis aut refrigerio, aut obdurãtione, aut attritione teſtibus, aut abſciſis, lædi quoque, atteri, & refrigerari ſeminaria vaſa, atque inde fœcunditatem animalia amittere. Id conſtat falſum eſſe. fieri enim poteſt, vt teſtes exerantur vaſis nullatenus affectis. Quo tempore animal mores mutabit, temperaturam, & corporis habitũ: & quod omnium maximum eſt, totius animalis caro ſaporem mutat, quæ in non caſtratis animalibus nidorem quendam referebat, atque virorem & prauum odorem, & acredinem quandam, in caſtratis dulcedinem, & gratum admodum ſaporem oſtendit. Quod magnum indicium eſt, teſtes non tantùm ſemen generare, ſed totum corpus mutare poſſe, & ſimilem ſui qualitatem ei infundere, quemadmodum & reliqua præcipua membra. Præterea corpus totum frigidius redditur abſciſis teſticulis, & pilis priuatur mentum. Si tamen teſtes ad nihil aliud vtiles eſſent, niſi vt penderent, & vaſa patentia tenerent, ipſis abſciſis non generaret animal, vt dixit Ariſtot. non tamen fieret effœminatum, ſegne, & inualidum. Expediret quoque athletas caſtrare, vt minus eſſent de venere ſolicíti, nihilo tamen minus valentes, quàm antè: cuius contrarium experimur. Quòd ſi teſtibus præſentibus animalia, calida ſunt, valentia, ſuum quæque ſexum referentia, & prolem generantia, ipſis verò abſciſis hæc omnia deficiunt, horum omnium teſtes cauſam eſſe meritò dicemus. quandoquidem id proprie cauſa dicitur, qua poſita ponitur effectus, & qua ſemota ſemouetur. Præterea quod Ariſtot. dixit lib. 5. de Generat. ani. cap. 7. probè docet falſum eſſe, quod putauit de teſtium appenſione. Cùm enim eo loco rationem ſcribere tentet, quare execti ſimilem fœminis vocẽ edunt, inquit: Execta omnia in fœminam mutantur, & quoniam vires neruoſæ in ſuo originali principio laxantur, ſimilem fœminis mittunt vocem. Laxatio verò ſimilis fit, vt ſi quis fides intendens adhibuerit pondus, quod annexum, reddat cõtentiores, quomodo textrices faciunt, quæ cum ſtamina diſtenderint, annectunt quas leues vocant, ita enim natura quoque teſtium annexa meatibus ſeminalibus dependet,

Seminis materia.

Teſtes facultatem toto corpori tranſmittunt.

qui

qui meatus ex vena tendunt, cuius origo ex corde est, iuxta ipsum principium quod vocem moueat. In hoc loco Aristote. manifeste docuit se non nosse vsum testium, quum eorum appensione putet non tantùm vasa seminaria tensa teneri, sed & cor ipsum, & præter id cordi robur sua appendentia præstare. Id enim amittere dicit, cum testes non appendent, quoniam non appendent. Cum tamen nemini dubium sit, eam appensionem & tractionem non esse adeò magnã, vt cor ad se trahere testes possint, aut intentum tenere. Præterea indigna est Aristotele sententia, cordis robur ipsi aliunde manare, cum ipse omnium aliorum principium cor statuat. Præterea nemo negaret robur cordis, quemadmodum & aliarum omnium partium corporis in naturali partis temperamento debito consistere, neque posse partem aliquam imbecilliorem fieri, nisi temperamento mutato. Vnde fiet vt testes magnam habeant potentiam immutandi totum corpus, cùm etiam notum sit, omnes corporis partes robur amittere ipsis ablatis. Præterea Aristo. libro tertio de historia animalium capite primo palumbos, & perdices, & alias aues, eo quo coeunt tempore testes habere tumidos, & magnos dixit, & ex anatome constat vasa semini seruientia fistulosis quibusdam meatibus humorem serosum testibus transmittere, & testes seroso & albo humore impleri. Attamen omnia nostri corporis membra facultatem habent cõmutandi humorem, siue alimentum, quod ad ipsa peruenit in sui naturam, & quod sibi conuenit assumere: reliquum verò transmittere. Sed testes serosum humorem trahunt, ac continent, contentum mutant in sui naturam, & ipsi albam habent substantiam, commutabunt ergo in album colorẽ alimentum. Serosus ergo humor albi coloris, qui in ipsis continetur ab ipsis generatur. & tale est semen. Sequitur igitur testes semen generare: ipsi quidem copiosum, citò, atque exquisitè confectum, vasa verò seminaria, nempe arterias, & venas, paucum, longo tempore. Testes quoque eam suam facultatem in vniuersum corpus diffundunt, vt suprà docuimus, ex corporis mutationibus. His omnibus contra Aristo. accedit quod ipse lib. primo de gene. animalium. cap. 12 inquit, Testes aliis intus, aliis extrà, propterea quòd iis quoque operimento, & velamine opus est, tum vt seruentur, tum vt semen genitale perficere possint, vbi facultatem seminis perficiendi, tribuit testibus. Ad ea verò quæ pro Aristo. adduximus, dicemus. Ad primum, quod quãuis non omnibus animalibus generãtibus testes adsint, perfectiora saltẽ eos habent, & in vniuersum quibus insunt, seminis generationem præstant. Ad secundum de tauro falsum est ipsum generasse. nam Aristoteles dixit relatum sibi fuisse: aut id foret ex semine in vasis relicto, vi testium genito. Reliquum falsum est vt ex anatome docuimus, vasa semini seruientia non inseri testibus. Diximus seminis generationem, materiam nempe ex qua generatur, & locum in quo, siue membrum seminis generatiuum, reliquum est, vt seminis efficaciam, in generatione humani corporis doceamus, vt cognita materia cognoscat philosophus causam generationis membrorum efficetricem. Sed prius an fœminæ semen generent fœcundum, quòd fœtus & membrorum nostri corporis generationem attingat, differendum se offert. Nam Aristot. libro primo de generatione anima. cap. 19. testatur fœminas semen non generare, sed loco eius sanguinem menstruum: hunc verò materiam tantum præstare in generatione, nullo modo efficaciam. Nam quod est in maribus semen, id in fœminis est menstruus sanguis. Semen enim est excrementum, vt diximus, vtilis, & vltimi alimenti, hoc est sanguinis. Id verò excrementum coctum est. nam quod coctum non est infœcundum est, coquitur autem in mari tanquam perfectiori fœmina: nõ coquitur tamen is sanguis in fœmina, ob imperfectionem & imbecillitatem. Quod autem tale est in fœminis, nempe sanguis abundans, sed non coctus, aut perfectus id purgatur quouis mense. Ergo quod maribus est semen, id est fœminis sanguis menstruus. Id etiam docet, quod quo tempore maribus semen generatur, eo

Arist. contra se.

Fœmine an semen gene rent.

tem

tempore fœminis menſes abundant, vox mutatur, mammæ creſcunt. Et quemadmodum ſenes mares infœcundi fiunt, quia ob caloris imbecillitatem ſemen non perficitur, ita fœminæ menſium defectu ſteriles euadunt. Præterea fœminarum corpora minora ſunt, & in eis ſanguis minus abundat, quoniam purgatur, qui incremento vtilis eſt, qualis etiam eſt, qui maribus in ſemen diſpenditur: talis ergo eſt ſanguis menſtruus in fœminis, quale in maribus ſemen: vtrunque enim vtilis alimenti pars eſt. At vero id menſtruum materiam tãtummodo præbet in generatione, non efficaciam. Sed tamen ſanguinem menſtruum, impurum ſemen eſſe dicit: non probe confectum, & cum vnum animal duo ſemina mittere non debeat, reliquum eſt, vt ſemen non mittant fœminæ, ſed ſolum menſtruum ſanguinem loco ſeminis, ita vt in generatione ſemen maſculi præbeat efficaciam tantùm, ſanguis verò menſtruus, materiam tantùm. Probat tamen id quod à fœminis excernitur, ſemen non eſſe. Primo: nam ſi ſemen eſſet, menſtrua non eſſent, ſed menſtrua ſunt: ergo ſemen non eſt. Pendet ratio ab eo, quod menſtrua ſeminis loco continentur, vt diximus. Præterea quoniam fœminę nonnunquam cõcipiunt abſque eo, quod ſeroſam humiditatem excernant, quam in concubitu excernere ſolent, & nonnunquam ipſam cum delectatione excernunt, non tamen concipiunt, quod tamen non euenit in menſtruo: nam nulla viſa eſt cõcipere, niſi ipſo modico temperato. Quòd ſi eueniat nullis menſibus apparentibus, quaſdam concipere, quaſdam etiam ipſis immodice fluentibus, ratio eſt. Quoniam in qua nunquam apparuerunt quantitas congeſta eſt ſufficiens fœtui alendo, in ea verò à qua immodice profluũt: quoniam iam quod moderatum eſt, relinquitur fœtui opportunum. Rurſus ſi quis oppoſuerit id excrementum fœminis cum delectatione excerni, non probat ob id ſemen eſſe, aut facultatem habere fœminam ſemen prolificum generandi: nam pariter à flatu excitatur delectatio ſcalpentibus fœminis & vitis infœcundis, & genituræ expertibus. Adde quòd viragines ſemen non mittunt, & quæ mittunt, plus eius mittunt, quàm pro ſeminis ratione. Fœminæ ergo ſemen non mittunt, ſed loco eius ſanguinem menſtruum: ſeroſa vero humiditas, ſi quando procedat ad illinendum vterum vtilis erit, non ad generationem. Præterea, vt inquit, ſi mas eſt mouens & agens qua mas eſt, fœmina qua fœmina, vt patiens: ſequitur, vt ad maris genituram, fœmina nõ genituram, ſed materiam conferat. Similiter ſi fœmina ſemen mitteret, poſſet ſine mare concipere, cum haberet efficiens & materiam. Cum ergo ex doctrina Ariſtot. fœmina ſemen non generet, ſed maſculus tantum, qui efficaciam pręſtat in generatione, an tantummodo præſtet efficaciam, nullo modo materiam dicamus. Ariſtot. namque eodem loco cap. 20. inquit. Sed euenit porrò quod ex recta ratione eſt, vt cum mas formam & principiũ motus præbeat, fœmina corpus atque materiam, quemadmodum in lactis concretione, corpus lac ipſum eſt, ſuccus, aut coagulum, principium inſpiſſandi, cogendique obtinet, ſic quod a mare in fœminam diſtinguitur, intelligi debeat. Pari modo talem dicit eſſe generationem, ſicuti lecti ex fabro & ligno: verùm faber, nihil præſtat, quod ingrediatur lecti compoſitionem, neque coaguli pars ingreditur compoſitionem lactis coagulati, ergo ſemen viri, quod fabri & coaguli rationem habet, fœtum non ingreditur. motus tamen principium præſtat, nihil cõmune cum corpore habens, quemadmodum & mẽſtruus ſanguis corpus eſt, materia, & patiens, nullam rationem habens agentis. Habet ergo ſemen maris fabri & artificis rationem, artifex verò ligna elaborat, & ex eis vnumquodque perficit, cæterùm nihil ſui miſcetur operi. Quòd ſimiliter oſtenditur in auibus oua quæ hyponemia, hoc eſt ſuuentanea appellantur. illa enim infœcunda ſunt, quod maris facultatem non ſenſerint. Euenit tamen, vt ſi quo tempore lutea ad huc oua ſunt, mas acceſſerit, ex infœcundis fœcunda fiant, quo tempore facultas accedit non materia. Piſces quoque oua reponunt, quæ infœcunda ſunt, donec mas ſuperueniens, ea ſemine aſpergat, nec tamen illud ſemen aſperſum, aut oui, aut prolis conſtitutionem intrat. Oſtendunt id quoque ex animalibus quædam, quæ quamuis ſexum diſtinctum habeant, mares non indunt fœmi-

Fœminis ſemen non eſt ex Ariſt.

Semen maris an ſolam præſtet efficaciam ex Ariſtot.

nis particulam, sed potius fœminæ maribus, natura ipsa motæ, vt materiam appli cent artifici. In quibus nihil mas fœminæ transmittit, præter facultatem, qua agit: cuius gratia ad perficiendum opus diu in concubitu morantur. Nam cum agens passo applicitum esse debeat, & mas cuius est agere, nihil ad generationem transmittat fœminæ, quod agere & generationem perficere possit, quódque principiũ motionis præstet, necesse est, vt ipse mas seipso perficiat, quod alij mediante semine, in quo ipsorum facultas defertur. Hoc idem manifestat lib. 2. de Gener. ani. cap. 4. vbi quærit, quare fœminæ omnes excrementum genitale præstant, non tamen omnes mares: quoniam inquit, Animal, corpus est animatum, ad cuius generationem fœmina materiam præstat, sine qua generatio non fit. mas verò cum facultatem tantum præstet, id sine excremento facere poterit: nempe vbi seipsum materiç adaptauerit. Intelligere ergo oportet ex Aristot. in generatione hominis præbere fœminam solum sanguinem menstruum loco seminis, eúmque solam præstare materiam, non efficaciam: marem vero præstare semen, in quo est sola efficacia. Nam id semen, cum sanguis menstruus motionis principium acceperit, in flatum versum transpirat: eius nanque natura aquea, & aerea cum sit, facilè in flatum à calore vertitur. Nam & ipsum album est, quoniam spumosum à sua natura, inquit Aristot. & ob id venerem ἀφροσύνην, quasi spumosam, antiquis appellatam. Continet autem semen id potestate generans. est enim semen potestate animal, non actu, quatenus animal efficere potest. Est autem talis potestas in calore seminis, qui non est igneus calor, sed spiritus qui continetur in spumoso semine, vt lib. 2. de Gener. ani. cap. 3. Is calor sibi ingenitus est, & in materia seminis continetur, non aduentitius, sed proprius, & hic non est separabilis: quoniam corrumpitur ad corruptionem seminis, siue ipsius exhalationem, atque est natura quædam, quæ in spiritu dicto consistit, similis elemento stellarum, quæ verè calor innatus est. Aliud verò in semine humano intelligere oportet, quod neque materiam seminis, aut ipsius corpus est, neque spiritus is quem calorem seminis diximus, quod extrà aduenit semini, & ab eo separatur, & mens appellatur ab Aristot. Est præterea in semine formatrix facultas, quam iure diuinum quoddam quis existimauerit. Quoniam effectus formationis humanum intellectum, & naturæ nostræ actionem superat. Quis enim non mirabitur & horrebit, cùm in paruissima illa seminis quantitate, siue quæ à solo mare, siue quæ à mare & fœmina secernitur, tam sublimes facultates támque varias speculetur? Nemo certè, quamuis hebes, diuinum opus esse negabit. & mentis cuiusdam cœlitus missæ munus, membra delineare, formare, seiungere, excauare, & singulis debitas materias aptare, quibus ab initio formentur, & quibus temporis processu nutriantur, & crescant. Tales quoque ipsi genito facultates tribuere, vt tale factum euadat, quale ab initio fuit efficiens. Primùm naturali altrice vtens facultate, demum sentiente, atque mouente, & ad finem intellectu & ratione? Nos verò, vt suprà facultatem formatricem diuinam esse, & munus eius hominum captus excedere diximus, verùm ipsam semini insitam, & quæ in membris post formationem maneat probauimus. Temperaturam autem sequi seminis, & partium ex semine genitarum, esse quoque vnam de facultatibus formæ vegetatiuæ, quę est in semine. Nec tenemus cum Aristot. semen animalis animam habere sensitiuam potestate, ita vt quamuis actu existat, in potentia sit ad actiones animales: nam teneretur dicere semen animal esse, à quo etiam quærerem, cuius esset speciei. Continere tamen actu semina omnia vegetatiuam animam, in plantarum & animalium seminibus, verum est, ad quam formatiua virtus attinet, & eius effectus est formatio: hæc vero suis vtitur instrumentis, ad eam actionem, formatricem facul. animæ vegetatiuæ vim esse, & generatiuæ coniunctam, cap. 6. dicemus, vbi rursus de hac agendum nobis est. Aristot. quoque dubium fuisse de formatrice facultate, Gale. intellexit, qui lib. 2. de Temperamentis, de eodem loquens, inquit: de hac nãque Arist. dubitauit, nunquid diuinioris originis sit, atque a calido, frigido, humido, sicco, res diuersa: quo mihi minus recte facere videntur, qui tam temerè de rebus maximis:

Formatrix facul. an in semine maneat.

Arist. de facult. formatrice dubius.

ximis pronũciant,& solis qualitatibus formandarum partium causam assignant. Athenæus Aristotelem sequutus est, qui negauit fœminas semen generare, ac mutilia esse vasa seminariis respondentia in fœminis, sed gratia similitudinis ad maris vasa facta esse, quemadmodum masculorum papillæ quæ inutiles sunt, similes tamen eis quæ in fœminis. Hæc coactus est dicere Athenæus pro Aristot. quoniam in fœminis non tenet ratio Arist. de testium suspensione. non enim pendent, vt vasa patentia reddant. Hanc tamen collationem confutat Galen. lib. 2. de Semine. nam in maribus papillæ ferè nunquam tumidæ visæ sunt, & quæ intus nihil lactis contineant, in fœminis tamen & testes tumidos, & vasa seminaria seroso humore plena, vidimus sæpissimè. Quod ostendit, id quod ab ipsis coitu proiicitur. Aristo. verò suam sequutus opinionem, suúmque obseruans placitum, rationem reddit: quare nati parentibus similes, aut dissimiles sint, aut partim patri, partim matri, aut quare in quibusdam partibus patri, & in quibusdam matri, & quare alteri in totũ, & quare mari potius quàm fœminæ, & quare parentibus potius quàm maioribus suis, & quare potius his, quàm quibuslibet alijs, & quare nulli horum, sed homini tantum. Quare similiter nonnunquam fiet, vt neque homini similes sint, sed monstro. Hæc enim omnia, dubia admodum videri possent, apud eos qui negant semen fœminæ facultatem habere generatiuam. Ad quæ respondet lib. 4. de Gener. ani. cap. 3. Cuius mentem breui sic explanabimus. In mare multa intelligere oportet: mas enim continet qua mas est, facultatem & potentiam, & qua pater est: nempe Coriscus, aut Socrates, is quoque, præter id quod Socrates est, homo est & animal: quæ omnia semen ipsius potestate continet. Ex hominibus quoque, quidam sunt magis proximi, quidam magis natura distantes. Igitur quo tempore semen maris menstruo sanguini coniungitur, si ipsum probe coxerit, ac superauerit, mas generabitur: si verò non vicerit mas, qua mas est, in contrarium degenerabit: mas verò & fœmina contraria sunt. erit ergo fœmina quod generatur. Fœminam verò fieri, monstrum est, & prima degenerandi ratio. Nam quoties generãs sibi simile non generat, non assequitur natura quod intendit: deget erat ergo, ac monstrum fit, sed mas semper est generans, & agens, fœmina nunquam, quia semen non mittit: ergo si fœminæ simile est quod generatur, monstrum erit. Monstrum enim est, quod generatur: & non est simile generanti, nec secundum intentionem causæ agentis factum. Quòd si ea ratione qua mas est, vincit, & qua Coriscus, neque motus seminis soluatur, aut in totum, aut aliqua ex parte mas generabitur, & patri similis. Si vero vicerit qua mas est, non tamen qua Coriscus erit mas, sed matri similis. Quod si vincat qua Coriscus, non tamen qua mas est, erit fœmina, sed patri similis. Quod enim à mare declinat, fœmina erit: quatenus vero Coriscí potentiam seruabit, Coriscó, id est patri similis erit. Quòd si nec vincat qua Coriscus, nec qua mas, fœmina erit, & matri similis. Præterea si vincat semen maris, ea potentia qua mas est, seminis verò motus soluatur, transibit in proximum aliquem, & erit mas auo similis. Filiorum namque semen parentes potestate continet. Quòd si amplius soluatur, trãsibit in proauum, quemadmodum vbi non vincat qua mas est, sed tamen motus seminis & menstrui soluantur, fœmina generabitur, sed auiæ similis, aut alicui ex superioribus. Quòd si magis adhuc soluantur motus, nulli eorum similis erit natus, sed alicui hominum. Potest etiam fieri, vt nulli hominum similis sit, sed mõstrum. Sic etiam in motione partium seminis & menstrui, vbi aut omnino vincãt, aut vincantur, fit, vt aliquibus partibus similes sint nati patri, aut matri. Hæc pro opinione Arist. declaranda, dicenda erant circa potentiam seminis masculi, & seminis fœminæ, & facultatem menstrui. Nunc ad opinionem Hippocrat. & Galeni interpretandam accedamus. Semen ex doctrina ipsorum non tantùm in mare, sed etiam in fœmina generatur, atque vtrunque materiam & efficaciam præstat. Sed semen maris maiorem habet efficaciam, semen fœminæ magis habet materiæ rationem: id enim semine maris frigidius est. Menstruus præterea sanguis materiam præstat, ex qua partim formatur, partim augetur fœtus, aliquam quoque habet

Athenæi opinio.

Similitudo maiorum ad parentes ex Arist. unde sumitur.

Seminis efficacia ex Hipp. & Galeno.

efficaciam. Quoniam tamen sanguis menstruus animatus non est, vt duo semina, poterit ipse alteratione efficere, & generandum immutare: at generatiua & formatiua facultas in seminibus sunt, quia animãtur, formatiua facultas membra omnia conformat, delineat, & excauat: generatiua verò materiam qualitatibus parat ad formationem & animæ inductionem. Hæc tamen duo sanguine menstruo non prodeũt, neque in ipso potestate continẽtur: sed tamẽ ad maiorem explanationem, probabimus primò fœminas semen generare, deinde seminum efficaciam dicemus. Fœminæ, testes habent vtero à lateribus affixos, & vasa seminaria, sed testium vsum esse ad semen generandum supra probauimus. generat ergo semen. Similiter fœminę, quæ diu abstinuerunt à concubitu solent vteri præfocatione molestari, deinde sanantur humore albo ac crasso emisso. Is igitur humor est, qui nõ coeuntibus retinetur, & coeuntibus fœminis excernitur: semẽ ergo generãt. Rursus si solùm cõcurrit actiuè, semẽ quod à mare deciditur, & nullomodo materiam præstat, vt putat Ari. cùm sint multa mẽbra alba ex semine genita, reliquũ erit vt illa ex semine matris generẽtur. Semen ergo generant fœminæ. Quod quidem pelli extra vterum dicendum non est, manifeste docente experimento in conceptionibus vterum comprimi, ac semen continere: quod si non excernitur, actiuè concurret. Si enim concurrit & non vt materia erit vt efficiens. nam & semen efficientis rationem includit. Præterea sanguis ipse menstruus efficaciam habet in generatione: non igitur solum maris semen præbet efficaciam, fœmina verò materiam. Iam id nobis probandum succedit sanguinem menstruum efficaciam habere in generatione. nam vt docet experimentum, nati non minus matri quàm patri similes esse solent. mater ergo aliquid in generatione tribuit, quod assimilandi facultatem habet. Quod posset probare fœminas semen generare: contra Aristotelem verò sanguinem mẽstruum habere efficaciam. Si dixeris id à menstruo habere quatenus menstruum alimentum est, constat alimentum quoque efficaciam habere. nam alimenta corpus ipsum omnino in contrariam temperaturam mutare solent, atque in contrarium habitum: sanguis ergo menstruus quamuis, vt materia sit, efficaciã præstat. Verùm id aduersus Athenæi & Aristo. opinionem vim habet. Quòd si canis mas cum vulpe coeat, natus vulpis speciẽ seruat, sicubi & si vulpes coeat cum cane fœmina, canis erit natus. Species itaque natorũ matres potius quàm patres sequuntur, quamuis in aliis, patribus similes fiant. Sed alimentum non mutat rei alendæ speciem. Ergo fœmina non tantùm præbet alimentum, sed efficaciam. Docet id fructus arboris persicæ, nam planta in Aegyptum translata, mutata terra, id est, alimento, vires mutauit, non tamen speciem. Huiusmodi verò efficacia mutandi, seminis magis propria est. & ipsi potius quam menstruo debetur, sed tamen vtrique communis est. Maxime ad idem confirmandum accedit, quòd nulla alia euidentiori ratione posset quis seminis maris efficaciam ostendere, quàm ex huiusmodi mutationibus. Rursus fœminas semen generare probatur nam aut hæc similitudo natorum ad parentes consistit in facultate agente, aut in materia, & patiente: si in facultate agente, cum solus mas ex Aristo. semen & efficaciam præstet, tantùm mari similes erunt nati: si verò in materia & alimento consistit, sola fœmina præbet alimentum, nempe menstruum sanguinem: ergo matri erunt similes nati. Alterum ergo duorum falsum erit. Duo hæc sunt placita Aristo. menstruum solius matris est. Alterum, semen solius patris est. Sed illud verũ est & perpetuum, menstruum esse solius matris. Id ergo falsum erit, semen esse solius patris: sed erit semen patris simul ac matris: aliquod enim commune habere debent. Oritur vis rationis ex duobus, quorum primum est, duo tantùm esse principia generationis, semen, & sanguinẽ menstruum. Alterum est, quòd nati nõnunquam patri, nõnunquam matri similes sunt. colligitur tamen, semen fœminas fundere, ac id valens & prolificum, cuius actione nati speciem semper, in reliquis etiam nõnunquam matri similes euadũt. Idem quoque validissimè li. 2. de semine, Gale. in hunc modum hypothetica ratione, id est ea quæ præcedit ex supposito, & categorica, id est, assertiua, vtitur. Hypothetica sic,

Fœminæ semen generat ex Gal.

Si ex

Si ex vtriſque parentibus ſimiles eduntur nati, à cauſa fient vtriſque parentibus communi. Sed nati vtriſque parentibus ſimiles ſunt: à cauſa igitur fiunt communi. Rurſus ſi à cauſa fiunt communi, ſanguis menſtruus, aut ſemen erit: ſed menſtruum non eſt vtriſque commune: ſemen ergo vtriſque commune eſt. Categoricè ſic: quoniam nati parentibus ſimiles ſunt, vtriſque commune principium eſt, quo natos ſibi ſimiles reddunt. Similitudo nanque ad parentes ex principio exiſtit: id tamen principium non eſt ſanguis menſtruus: erit ergo ſemen commune principium. Contra Ariſtot. præterea accedit, quod ipſe lib. 4. de Gener. ani. cap. 3. reddens rationem: quare motus ſeminis ſoluatur: nempe, vt inde quemadmodum diximus, aut mas generetur ſimilis auo, aut proauo, aut fœmina auiæ ſimilis, inquit: Quoniam omne quod agit, patitur à patiente, vt quod ſecat, ſecatur ab eo quod ſecatur, & quod calefacit, refrigeratur ab eo quod incalefcit: in ſumma, omne quod mouet, excepto primo, mutuò mouetur aliquo motu, vt quod pellit, quodammodo pellitur, & quod premit, reprimitur. In quibus verbis manifeſtè docet, ſemen agere, & ſimiliter pati à ſanguine menſtruo, ob idque motum ſeminis nonnunquam ſolui. Fœmina igitur aliquam præbet efficaciam in generatione fœtus. Quòd ſi quis intellexerit ſemẽ maris ſeipſum præſtare actiuè magis, ſemen fœminæ paſsiue magis, non mirabitur ſemper ſpeciem matri ſimilem. Nam ſemẽ fœminę, quod ſimiliter ad generationem coagit, à menſtruo nouem menſibus iuuamentum recipit, ac inde ſuperat ſemen maris tempore, quẽadmodum & ſemen maſculi primo ipſo congreſſu ſemen fœminæ ſuperauit, ſed de his infrà dicemus. Maximè verò Ariſtot. opinionem confutare poteſt, quòd membra ſolida ablata & mutila non reficiuntur. id enim manifeſte docet ipſa ex ſemine fuiſſe genita. Docet tamen experimentum, ſi particula quæpiam abſciſſa fuerit, oſsis, aut nerui, aut arteriæ, ipſam nunquam reſtitui. Quod inde euenit: quoniam cùm ipſa ex ſemine genita fuerint, ſemine etiam refici debent, vbi videlicet ex ſanguine pars in ſimilitudinem membri mutanda, primum ſeminis quandam ſubeat ſpeciem. Id tamen fieri ea copia, vt parti abſciſſæ ſubſtituat, non poteſt: quoniam pars non habet eam vim, vt tãtam copiam ſeminis generet. Maximè quoniam extra vterum deeſt facultas formatrix, quæ in vtero exiſtens, formationem fœtus ſimul cum formatrice ſeminis perfecit ab initio generationis. Adde quod interim dum membri facultas reſtituit quod abſciſſum eſt, membri ex ſemine geniti, caro implet locum ipſius: quoniam carnis generatio celerrima fit. Horum itaque membrorum refectio ex materia ſemini ſimili, generationem primam ex ſemine fuiſſe, manifeſtè docet. Poſſent enim talia facilè reſtitui, ſi ex ſanguine ortum haberent, cùm ſanguinis copia in ſanis perpetuò ſuppetat. Sic quoque venulę portionem renaſci vidit Galen. 1. de Semine. Dicere quoque ſemen maris in flatum verti, eſt falſum: quoniam vterus diſtendi deberet in conceptione, cum tamen primis diebus comprimatur. Dicere autem quòd excluditur, ſimiliter eſt falſum: quoniam ſemen maris in vterum ſuſceptum, continetur, & vndique comprimitur, & nulla ratione fieri poteſt, vt quod adeò vtile eſt, ad membrorum ſolidorum generationem, & adeò ipſis ſimile, id aut excludatur, aut in flatum verſum ſoluatur, cum aliunde & à minus competenti materia deberet expeti. Rurſus ſi in flatum verſum ſemen ſolueretur, non tantùm vterus diſtenderetur, ſed cum crepitu fieret excluſio flatus. quod non fit, nec viſum eſt vnquam. Ad ea verò quæ pro Ariſtot. adduximus, dicemus, fœminam, quoniam mare frigidior eſt, generare plurimum excrementum, idque non ſatis coctum: quoniam multum eſt, itaque ſemẽ generat, & menſtruum ſanguinem abundantem, qui ſolet quouis menſe purgari. Id autem excrementum non eſt probè coctum, neque ſatis calidum, ac perinde nullatenus poteſt à ſeipſo perfici, ſed eget cauſa alia mouente ac perficiente: nempe ſemine maſculi calido, cocto, ac perfecto. Horum trium vero ſemen maris efficacius eſt, deinde fœminæ, & deinde ſanguis menſtruus, qui materiam ferè in totum præbet: quanuis aliquam habeat efficaciam. Inde fit, vt ſe ſola fœmina fœtum perficere non poſsit, ſed in mulieribus mola appellata fiat. Aues verò, quoniam naturali

Ariſt. contra ſe adducitur.

Rationes Ariſtot. ſoluuntur.

ſua temperatura calidiores, & ſicciores ſunt pedeſtribus, ouum generant, quod magis perfectum eſt, quàm mola, neque morbus, vt ipſa, ſed ouum ſuuétaneum, ac infœcundum. Eget enim ea perfectione, quam maris ſemẽ tribuit, quod fœtus conſtitutionem ingreditur. Similiter falſum eſt, fœminas poſſe concipere ſine ſeminis emiſsione, neque id vnquam probari poſſet. Simili modo ad aliud, fœmina eſt patiens, mas verò, vt mas agens: fœmina ergo materiam, mas vero facultatem tranſmitteret, dicemus, marem & fœminam agere ac pati: nam vt ex ipſo Ariſtotel. agens in agendo repatitur, & ex ſuprà citatis notum euadit Ariſtot. id non ignoraſſe. Sic ergo vterque materiam præſtat & efficaciam. Quibus accedit, quod in plantarum ſeminibus ipſe Ariſtot. nouit, idem habere facultatem agentem & patientem, ſiue materiam, dicens, promiſcuam habere facultatem plantarum ſemina. Coaguli verò & lactis, fabri quoque & lecti exempla, non habent cum ſeminibus ſimilitudinem: quatenus coagulum materiam non habet, quæ cum lacte coagulato vnum facere poſsit, nec lac eam potentiam, vt ipſam poſsit ſecum in actione miſcere. Faber verò longe abeſt à lecto, neque cum ipſo quoquam pacto miſcetur, vt ſemẽ maris ſemini fœminę. Præter id quod in caſei & lactis cõfectione, nulla fit generatio ſubſtantiæ. Quod verò diximus de animalibus diu coeuntibus, mares ſemen non tranſmittere, aut id non eſt verum, aut vbi ita fuerit, diuerſa eſt illa generatio à noſtra. De ſimilitudine verò natorum ad parẽtes, reliquum eſt ex doctrina Gale. nonnulla dicere. Facilius enim erit ſingula noſſe ex ipſius doctrina, qui in mare & fœmina facultatem agendi & mutandi ſtatuit, quàm ex opinione Ariſtot. Id tamen quod quidam dixerunt, natos ſimiles patri aut matri, ob victoriam ſeminis: nempe vincente ſemine maris fieri natum mari ſimilem, vincente ſemine fœminæ ipſi ſimilem, non eſt verum: nam nonnunquam natus mas eſt, & matri ſimilis, & aliquando fœmina patri ſimilis: ſed id quare fiat, ex Gale. ſententia dicere operæpretium eſt: interim tamen notum eſt, id vel ſolum poſſe aduerſariorum opinionem confutare, quòd nonnunquàm nati aliqua ex parte patri, & aliqua matri ſimiles fiunt. non ergo in ſola huius, aut illius ſeminis victoria, ſimilitudo ad patrem aut matrem conſiſtit. Quòd ſi quis dixerit fieri poſſe, vt ſemen maris vincat aliqua parte, alia vincatur, ac inde fieri, vt natus ambobus ſimilis reddatur in partibus vincentibus, id difficile videtur: quoniam ſemen ex Ariſt. & eius ſequacibus, atque ex Gale. ſententia, non deciditur ex omni corporis parte, ſed ex ſanguinis parte cocta in locis dictis. Id verò ſemen ſimilarium partium eſt. non ergo fiet, vt parte aliqua vincat, & parte alia vincatur. Sed tamen hæc dubij ſolutio non abeſt longè à veritate: nam quanuis ſemen ſimilare ſit, non omnes eius partes æqualem habent coctionẽ, calorem, & craſsitudinem, ſed quòd in coitu primùm eiaculatur, id craſsius eſt, & calidius, magiſque confectum: quod verò ſecundò, aut tertiò, minus. Poterit ergo aliqua parte ſuperare ſemen maris, ſemen fœminæ, & aliqua etiam ſuperari, & fieri, vt natus partim patri, partim matri ſimilis fiat. Quod non ob aliud euenit, niſi quoniam vtrũque ſemen facultate continet ſingula membra eius corporis à quo deciditur, ſecundum quam aut vincere aut vinci poteſt. Hæc autem facultas à toto corpore manauit, ſimul cum formatrice facultate, & inſtrumento, hoc eſt, ſpiritu vitali & animali, à corde & cerebro manantibus, & naturali à iecore, ſi is ſit: ſin minus, ſanguis eius tenebit locum, qui materiam præſtat ſemini. In ſumma verò ad Gale. doctrinam dicamus, triplicem eſſe natorum ad parentes ſimilitudinem, in ſpecie, in forma, & in ſexu: in ſpecie ſimilitudo ſumitur à ſubſtantia: ſumit tamen ſubſtantiam fœtus à matre: nempe mollem, materiam quoque cum efficacia: ſpeciem ergo ſumet à matre. Nam vt Galen. inquit lib. 2. de Semine. Si vulpes cum cane fœmina coeat, canis generabitur vulpinus: ſicuti vbi coierit canis cum vulpe fœmina, vulpes naſcetur canina. Ratio eſt: quoniam animal ſpeciem ſumit à materia, mores verò inſequuntur qualitatem temperamenti partium ipſarum. Hoc ſecundum notum eſt ex lib. Gale. quòd animi mores corporis temperaturam ſequantur. Cùm tamen corporis vulpis genitæ in ventre vulpis, à ſemine canis, multum immutetur temp

Similitudo natorum ad parentes ex Galeno.

Animal ſpeciem ſumit à matre & à materia.

tus temperamenti qualitas, fiet vt vulpes genita mores caninos referat, & canis mores vulpinos. Primùm vero difficile videtur speciem sumi à materia: nam forma tribuit speciem rei, & materia in omnibus generabilibus est vna. Verùm Galen. loco citato, & lib. 1. de Vsu partium, & Arist. lib. 2. de Part. ani. hoc vnum volunt, naturam semper parare corporis materiam talem, qualis exigitur ad functiones: functiones verò specie diuersæ sunt, in his quæ specie differunt: membra igitur siue animalium materia diuersimode pro diuersis speciebus parari debet, ac fiet, vt animalis species generationi subiectas substantias, hoc est, materias sequatur. Erit ergo species qualis paratur à materia ex compositione, & quibusdam qualitatibus. Sed hæc materia in fœmina generatur, & ipsa eam præstat, & cum quadam agente facultate, ac parante, apud Gale. Nati ergo matribus specie similes erunt, quãuis mores temperaturam potius, quàm membrorum formationem sequantur, quod à patris semine ortum habet, materiæ verò à matre maiorẽ partem nati accipiunt. Quod diximus Arist. docet 2. de Part. ani. cap 1. partes quasdam molles, quasdam duras, & reliquas functionis gratia factas, formam verò accipit natus à feminibus, quæ simul miscentur, & inuicem agunt mouentia, ac mota: vnde fit, vt diuersa facta motione, superantis naturam sequatur natus, ita vt similes sint vincenti in totum, si in totum vicerit, si tamen in parte, pariter in parte natus parenti similis sit. Fit quoque, vt nulli eorum sit similis, vbi nullum semen manifestè vicerit, aut in parte, aut in totum, sed confusa actione natus, nulli eorũ similis sit. Erit autem aut auis, aut proauis ex patre, aut ex matre, vbi is, aut ille vicerit, non adeò valida victoria, sed minus nota: tunc enim degenerat quodam modo actio, in proximos parentibus, quos semen ipsum potestate continet, aut adeò obscura victoria, aut nulla est, vt natus nulli consanguineorum sit similis. Et quanuis semen maris, semine fœminæ validius sit, semen fœminæ nonnunquam vincit: & quia in vtero diu cõtentum, à multo sanguine menstruo, ob similitudinem ad vincẽdum semen masculi adiuuatur. Tertia similitudo in sexu, temperatam totius coniuncti seminis sequitur. Nam si totum coniunctum, ad calidum inclinauerit magis, masculus: sin minus, fœmina generabitur. Mas enim & fœmina calore distinguuntur. mas namque fœmina calidior est, ac perinde in dextro sinu vteri mares, vt in calidiori loco generantur, ex Hippocr. Calor quoque maris gẽnitale excludere valet, non tamen in fœminis, quę ea re tantùm à maribus in membrorum compositura differunt, quòd mas genitalia habet, extrà, fœmina intrà. Eadem enim & ipsa in vtriusque sunt, sed euersa, vt Galen. docet de singulis ipsorum partibus. Sed de temperatura sexuum, & calore maris, cap. sequen. dicemus. Propterea quæ de sanguine menstruo diximus, posset quis credere, ipsi inesse facultatem formatiuam, & generatiuam, quoniã afferuimus, speciem animalis mutare: sed tamen, vt suprà diximus, facultates hæ in feminibus tantùm consistunt. nam sanguis inanimatus nullam harum continet. Semen tamen animatum anima vegetatiua facultatem continet generatiuam, ad quam attinet materiam parare, qualitatibus conuenientibus, ad formæ alterius generationem in animalibus, & alteram generatiuam facultatem, quæ communis est animalibus, & plantis, quam exercent animalia, & plantæ in vasis seminariis, vbi semen genitum animatur anima vegetatiua, simili ei quæ præexistit in animali. formatrix verò numerum, magnitudinem, ac figuram tribuit materiæ. Ad quod non parum facit materiæ quantitas, & qualitas, & substantiæ crassitudo, ac tenuitas, mollities & durities. Vnde fit quod diximus, formam talem induci, qualis à materiæ constitutione exigitur. Hæc de membrorum solidorum generatione, quæ à semine procedit, dicta sufficiant. Membra verò ex sanguine genita, & quæ ab ipsa generationem, & alitionem recipiunt: sunt caro, & adeps, vt ab initio diximus. hæc verò ex sanguinis concretione fiunt, authore Gale. licet diuersimodè, vt dicemus. In sanguine verò pars est tenuis, ac pinguis, quæ euaporat agente calore seminis, & vteri, in prima hominis generatione. Qui vapor postea a frigore concrescit in adipem, ita vt adeps in partibus animalis frigidioribus aceruetur: dum tamen ipsæ non sint

Membra ex sangui. genita.

Caro & adeps, à qua materia accipiant generationem & alimoniam.

Adipis generatio.

non sint de iis, quæ exercentur, & motui inseruiunt, vt manus, & pedes. in eis enim neque vapor multus adest, ex quo adeps generari debet, neque exercitatio ipsam permittit generari. Absumitur enim non tantùm excrementum quod abundat, sed & ipsum vule alimentum, ex quo alit debent. Fit enim adeps ex tenui parte sanguinis abundanti quantitate, non tamen qualitate peccante, accruatur, quæ magna ex parte in locis attinentibus ad ventrem, & renes, quæ loca vaporem suscipere possunt, & ipsum susceptum frigore congelare. li. 1. de temperamentis Gal. adipem non concrescere docet, circa iecur aut arterias, aut venas, aut cor, aut aliam peracalidam particulam, nisi ob segnem vitam, & otiosam. Adeps tamen quamuis a frigore concrescat, calidæ temperaturæ est. Quod à frigido cõcrescat, docet experimentum: quoniam à calido liquatur, calidam autem esse à natura, operatibus ostendunt, & Gal. idem testatur li. 11. de simp. me. fa. cap. de pinguedine, dicens. Omnis igitur pinguedinis facultas calefactoria est, & humectatoria humanorum corporum. & merito quidem, quoniam, vt diximus, ex sanguinis parte tenuiore, & calidiore fit. hæc enim est, quæ in vaporem facile transit. Accruatur hæc in pituitosis magis, quoniam calidam habentes temperaturam partem tenuem sanguinis, partim mutant in bilem partim calore discutiunt. Pars itaque hæc vt Gal. li. 2. de temperamentis inquit, alimentum à calido fit, in calidis corporibus. Cæterùm in animalibus magis terrenum sanguinem habentibus generatur adeps, in humidioribus pinguedo. At differunt, quoniam pinguedo facilius liquatur, ac rursus difficilius concrescit: adeps verò difficilius liquatur, sed facilius, ac citius concrescit. Licet tamen vt ibidem Gal. vtrumque horum pinguedinem appellare, aut adipem, sic etiam, cum pinguedinem omnem calfacere dixit, amplia vtitur voce, vt adipem quoque comprænendat, quod in exemplis docet ibidem.

Adipis temperatura.

Caro verò ex crassiore sanguinis parte ad carnis alitionem deducti generatur, concretione, quam fere omnes à frigore fieri testantur, quem admodum de adipe & pinguedine diximus. Quod probant ex Aristotele lib. 2 de gene. ani. cap. 4. dicente, carnes à frigido coalescere, & ex Gal. qui li. 7 de metho. meden. dixit, quandam esse siccitatis speciem, cum liquantur ea quæ humore concreto constant, vt caro & adeps. Hæc autem non potuerunt aliunde quàm a frigido concretionem suscipere, quoniam à calido ambo liquantur, vt docet experimentum. Dixerat vero Arist. 4. lib. meteorologicorum, quæ à frigido concrescunt, à calido liquantur, & econtra. Rursus Galenus secundo libro prognosticon, commenta. 28. a calore febrili colliquari dicit pinguedinem, & carnem. Nos verò concretionem adipis à frigore fieri fatemur perpetuo verum: carnis verò generationem non sic. Nam caro fibrosa, & membranosa, & quæ in visceribus (quæ assusio appellatur) γρᾶεις παραγγυμα, nutritione generantur, aut concretione, à calore, de carnibus fibrosis, & membranosis: notum hunc euadet, quod nutritio commutatio est nutrimenti in substantiam nutriti corporis. Sed hæc calore fit, non frigore: igitur huius carnis generatio calore perficitur. Rursus, si à frigore fieret, ea potius esset iuxtapositio facta partis appositione & concretione: nutritio verò transmutatio substantialis est, vt diximus. De carne verò iecoris, quæ assusio est, Galenus libro sexto de placitis Hippo. & Platonis explicat generationem eius fieri concreto sanguine, non à frigore sed à calore, dicens: Maxime rubrum enim cernitur perinde, ac sanguis, non qui ab aere frigido circunfuso spissatus, ac coagulatus fuerit caliditate eius extincta, atque inde à refrigeratione nigrore contracto, sed qui à calore innato perficiente, magis quàm vitiante concreuerit: vtroque enim modo, siue coagulatio, siue iecoris caro fiat, sanguis immutatur: sed quæ in coagulationem fit mutatio, via est quædam ad putredinem, quæ in iecoris substantiam, naturæ operatio. Quod hic Gal. de iecoris carne dixit, ad omnia viscera corporis humani transferre licet. Hæc enim omnia cõcretione generãtur, quæ à calore fit, obidque carnes viscerũ non liquantur à calore, & de carne pulmonis, id Gal. dixit primo lib. de Temperamentis, atque de cerebro, neque liquantur etiam musculorum partes fibrosæ, hæ enim, vt inquit Galen. 10. de Metho. medendi

Carnis generatio qualis.

dendi ad finem potius in vaporem transeunt,quàm vt colliquentur,quemadmodum de neruosa,& membrosa carne verum est.Sed est alia caro recens prima, & simplicissima,quam non alibi,quàm in musculis inuenies,fibris interstitam,quam colliquari videmus,maximè dum assatur caro,aut dum pars carnis fibrosa torretur.De qua posset quis putare,à frigore concreuisse: quoniam à calido liquatur. Quod verum non est.pinguedo enim & adeps liquantur:quoniam concretà, ac densata erant à frigore:calore verò accedente funduntur.Sed tamen caro nouella fibris interiacens, quanuis effluat cum caro torretur, non concreuit à frigore, sed nutritione genita est,& caloris actione inspissata, à sanguine materiam suscipiens.Non enim liquatur propriè, vt pinguedo, sed vt colliquamentum defluit, potius expressa quàm fusa. Exprimitur verò à calore torrente fibras ipsas, quibus interiacet caro recens,quæ à fibris corrugatis,vi torrentis caloris expressione pellitur.Hæ verò parte aliqua premunt, & alia fluere permittunt humorem, qui vt alimentum intra carnem continebatur: quoniam à calore ignis feruens & tumens,ab angustis poris carnis non capitur,& vt dixi,exprimitur quoque. Hoc modo liquari carnes contingit,non eo modo quo pinguedo,aut adeps: quorum vera substantia,calore liquatur:carnis verò ea humiditas, quæ in carne continetur. Ad quod comprobandum accedit, quòd succus, qui à carnibus assis effluit (semota pinguedine,quæ simul effluxit) nunquàm concrescit eo modo,quo ipsa pinguedo, aut adeps quæ ab igne semota,postquàm à calore liquata fuerunt,rursus à frigore leui concrescunt:dictus verò succus non, nisi fortè à nimio frigore congelationem pateretur, quod aquæ simile euenit.Aristot.tamen quum intelligeret eam fluxionem humoris à carne fieri vi caloris,adstruxit carnis generationem,concretionem esse à frigore factam:cum tamen à calore fiat, accrescit, hæc in corpore sanguinis copia,sicut pinguedo frigore.Non tamẽ videbitur alienum à ratione,si de alimento,quod membra trahere solent secundum naturam, quo vtuntur ad sui nutritionem pauca dixerim,eáque euidentia & à Gale: placitis nõ aliena.Docuit sanè Galen.lib.3.de Naturalibus fac. vnamquamque nostri corporis particulam ex succis trahere quod sibi familiare est,& quod amicũ. Is etenim finis est tractionis,quum nihil sit (inquit) in rerum natura, quod propter ipsum, (vt sic dicam) trahere,aut attrahendi functionem trahat,imò vt eo cuius pertractum sit,compos fruatur.Sic euenire ventriculo dicit, vt quod familiare est trahat,alienum auersetur.Nec tamen caret alimento per venas sibi delato, nempè sanguine.Et rursus de ventriculo loquens inquit:Porrò is finis est,vt eius quod in qualitate conueniens consentiénsque est, partem aliquam capiat,itaque quod in cibis optimum est,id habitus specie & paulatim sibi trahit, atque in tunicis suis reponit,eis denique adiungit,vbi aliunde saturatus est,quicquid reliquum nutrimenti est,veluti onerosum aliquid reiicit. Rursus eodem libro inquit: Ac venter quidem,postquam abundè cibis est satiatus,& quod vtilissimum sibi in his est,in tunicas sibi fugendo reposuit,tum quod reliquum est,tanquàm alienum onus deponit. De ventriculo igitur hinc cõstabit,familiares cibos trahere,retinere, atque ex eisdem ali.Intestina verò sicuti,& ventriculus,præter alimentum, quod à sanguine capiunt,nonnihil vtile,cum fæce delapsum sibi apponunt. Quoniam verò familiaritate,attractiones fiunt,& similitudine (vt diximus) ac cõuenientia,communis erit ferè hæc ratio omnibus membris: verùm sunt quædam ex membris excrementa pura recipientia,quæ aliunde disquirere cogentur alimentũ, de quorum numero vesica fellis est.Hæc enim trahit succum adeò syncerum,atque amarum,vt ab eodem delectationem tantum qualitatis familiaritate suscipiat, non materiam alitioni,vesica quoque vrinaria delabentem in se recipit vrinam,excrementitiam omnino,qualitate tamen nonnihil proficit,ac perinde ipsam amplexatur,donec aut multitudine grauet,aut qualitate molestet.Nihil autem sibi reponit inde vesica vtraque,perinde aliunde expetit alimentum, per vasa sibi à natura data.Id est, quod Galen.lib.5.de Vsu partium.docuit,dicens: Vesica verò, tam quæ flauam bilem suscipit,quàm hæc,quæ vrinam purum,& impermixtum attra

An cũ urina deferatur alimentum renibus.

hens proprium excrementum,meritò aliis vasis,quæ nutrimentum eis præberẽt, indiguerunt,& vesicæ vrinariæ dicit inferi maiora vasa,quod ipsa maior sit.Hinc constabit vesicas duas,non ali ab excrementis,quæ ad ipsas perueniunt, & non omnem tractionem gratia alitionis fieri, sed quandoque familiaritate qualitatis fieri attractiones, non semper familiaritate substantiæ. Lienis nutrimentum tenue est,sed nigrum non adeo crassum vt iecoris,neque adeò tenue, vt pulmonis, sed medium tenet,autore Gale.lib.4.de Vsu partium, dicente:Hepar quidem ex rubicundo,& crasso sanguine,splen autem ex subtili, sed nigro: pulmo vero ex elaborato perfectè,& flauo,& subtili,spirituoso,& puro nutricationem recipiut. Causas horum ibidem tribuit Gale.Prædixerat autem lien esse organum purgatorium succorum limosorum,& crassorum ac melancholicorum, qui in iecore generantur,eosdémque elaborare,& conficere,& attenuare, & quantum eorum in familiarissimum huic visceri humorem transformatum fuerit, nutrimentum lieni efficere:cor vero præter alimentum quod recipit, ex sanguine delato per venam coronalem,non nihil sanguinis sibi reponere inter coquendum & attenuandum non est dubium. Testes interim dum sanguinem in semen mutat, & vasa seminaria ab eodem ali.Gale.in lib.de Semine testatur,& venas meseraicas ex chylo,dum ad iecur permeat.lib.14.de Vsu partium. Propter quid (inquit) in vasis seminariis,tardius sanguis albus fit.Demonstratum enim est in libris de Naturalibus facultat.quamlibet particulam sibi nutrimentum assimilare.Ad finem vero lib.3.de Natur.facul.multorum membrorum alimentum refert, ossa numerosa quadam mutatione egere,dicens:talémque esse eis medullam,qualis sanguis carni,cartilaginibus mucosum quoddam circunfunditur, ligamentis, membranis, neruis.lentus humor,insperfus visitur.Renes tamen prẽter sanguinem,quem per venulas carni insertas recipiunt,alium cum sero, & vrinæ fusione trahunt, quo aluntur:similis autem est ei parti,quæ cum sero lactis,caseo confecto excurrit,ex qua recocta,quam vocant conficitur,sero rursus coacto. Nec puto aliquem adeo rerum ignarum futurum,vt hæc neget:nam & Galen. hoc idem testatur lib.5.de Vsu partium,dicens:Iam igitur apparet etiam spissitudinis renum causa,aut potius causæ.Duæ enim sunt hæ,scilicet vt facile attrahatur huiusmodi humidum, & maximè cum adeò propinquum fuerit quod attrahit,& vt nutriãtur eo renes. Et rursus ibidem cum dixisset,vesicam fellis ob angustiam meatuum, synceram trahere bilem: lien verò sanguinem simul, cùm melancholico, siue excrementoso succo trahere,& ob vasorum amplitudinem,nec lienem,neque renes,synceram trahere excrementum,neque lienem succum melancholicum, videlicet, neque renes,vrinam: deinde de renibus, inquit: Renum autem vterque multum quidem flauæ bilis attrahit,& ferè eius vniuersum,quod vtique arterias,quę sunt in ipsis,& venas habere contigerit, multum autem & sanguinis, quantum videlicet,eius est humidius,& subtilius: sed bilosum quidem excrementum quantuncunque non fuerit,crassum valde cum vrinis egreditur,sanguis verò in ipsam carnem renum regurgitat,exudátque,sicut fæx quædam, & hinc iam paulatim vaporis modo,in totam ipsam carnem disseminatur,adponitur, adnascitur,vnitur, & nutrimentum fit renibus.Quod autem fæcis modo in renibus manere dicitur, constat percolatum esse sanguinem delapsa vrina, sanguine vero manente, alimentúmque præstante.Præterea notum est in renum imbecillitate,vrinam mingi cruentam:quia sanguis cum vrina tractus non percolatur.Quin & lib.1.de Naturalibus facult. Asclepiadem reprehendit,circa facul.tractricem renum,& addit de eis loquens,quos non solùm Hippocr.Diocles,Erasistratus,Praxagoras, aliorúm ve optimus quisque secernere,à sanguine vrinas crediderunt: verùm etiam coqui ferè omnes norunt. Sanguinis igitur nonnihil cum vrina trahunt, quem percolant,apponunt & vniunt sibi.Actiones verò,quas in animalibus, fieri cõspicimus,à simplicibus particulis,an ab instrumentariis procedant,dubium videtur. Galen.etenim à simplicibus procedere testatur,qui lib. de Differ. morborum,inquit:Iam verò aliàs demonstratum est in ipsis, (nempe instrumentariis partibus) esse

Renes qua materia alantur.

An actiones omnes à similaribus partibus proedant.

esse vnam aliquam, quæ sit actionis causa, reliquas verò omnes, vt huic vsum quendam præstent fuisse creatas. Sit nobis exemplum, modò oculus, in quo crystallinus humor, potissimum videndi instrumentum, & causa est, membranæ tamen eidem ad visionem ministrant. Rursus lib. 3. de Locis pa. cap. 4. de intemperie loquens inquit: Iam enim explicauimus eam similarium partium, quæ primò operantur, cõmunem esse dispositionem, & rursus lib. 1. de Metho. meden. inquit: Est enim instrumentum oculus, actio verò visio, vna ex particulis eius similaribus, ac primum visionis instrumentum, crystallinus humor. Ex quibus manifeste constat actionum principia, in simplicibus esse, & à simplicibus proficisci. Nam & si oculus visioni accommodetur, & oculum videre dicamus: quoniam eius est visio, videndi principium humor crystallinus est: sic etiam quanuis incessio cruris sit opus, & apprehensio manus, incedendi atque apprehendendi, potissimum instrumentum est neruus. Sed tamen his contradicere videtur, quod lib. de Sangui. missione, cap. 4. habetur, cum inquit: Quum ergo primarias actiones à similaribus corporibus perfici ostensum sit, ab instrumentariis verò secundarias: non ergo omnes à primis, & simplicibus procedunt. At actiones primas eas intelligere oportet, quæ à solis partium temperaturis procedunt, vti coctio ciborum, sanguinis, aut carnis generatio, in sentibus imaginatio, & cogitatio: secundæ actiones sunt, alimentorum distributio, tractio, retentio, expultio in animali facult. motus localis, visio, tactio, & reliquæ. Quando tamen Galen. à primis, & simplicibus fieri dixit actiones omnes, recte quidem dixit, vt à causis, & præcipuis instrumentis, quibus insidet temperamentum, in quo facultates omnes sitas voluit, multis in locis. Nec tamen inde sequitur, secundas actiones non perfici ab instrumentariis: aliud enim est, inchoari, aliud perfici. Coctio sane à simplicibus, & similibus inchoatur, atque perficitur, sic etiam, & imaginatio: visio tamen, & localis motus, à simplicibus inchoantur, ab instrumentariis verò perficiuntur. Sed rursus Aristot. libro 2. de Part. anim. cap. 1. Similares partes sentibus inseruire dixit, vt passioni, dissimilares motui, vti actioni: nam sensus à similibus patiuntur, & ea ratione naturæ interpretes, singulos sensus, singulis elementis coaptabant, vt ab externis causis similitudinis ratione, mutationes susciperent. atque addit, Eo quoque efficitur necessariò, vt membra nonnulla similaria, in animalibus habeantur: vis enim sentiendi sita in his est. Actiones autem per dissimilaria, administrantur. Nos hac de re, Gale. doctrinam suis placitis respõdentem agnoscimus, quam etiam explicuimus. Retulit etenim ipse ad simplices, & primas particulas omnium actionum, & sensuum, principia: quoniam essentiam animæ ignorauit, omnia à facultatibus procedere, dicens: quas in partium temperamentis sitas esse voluit, temperamenta verò simplicibus, & primis particulis debentur: igitur eis & actionum principia. Nec tamen a suis placitis, vel tantum vnguem discessit Aristot. qui animam omnium actionum statuit principium & causam, in animatis corporibus. Cùm itaque sentationes passione perfici intelligeret, ad patiendum autem, à congeneribus vnam sufficere naturam simplicium naturarum voluit esse sensus: quanuis non ignoraret ad visionem esse membranas vti medium necessarias, & medij ratione ministrare cuticulam tactui, & gustui saliuam: verùm media non sunt instrumentorum, in quibus actiones, aut passiones complentur, partes. Motiones autem corporeas, ab anima quoque procedere nouit, egere autem dissimilaribus instrumentis: nihil enim apprehenderet manus, nisi neruis accederent musculi, neque cruribus incedere valeremus, nisi musculis adiuncta essent ossa. Sed dices à temperamento neruorum motus locales procedere: nam si distemperetur neruus refrigeratione non mouebis crura: recte dixeris: verùm non sequitur à temperamento nasci motum crurũ. Si enim refrigeretur neruus, nõ mouet: quoniam non suscipit animæ facultates, aut quoniam ineptum redditur animæ instrumentum. Non quoniam temperies est illius actionis principiũ apud Arist. sed facultatis suscipiendæ dispositio. Adde quod si temperaturam motus localis initiũ statuis: quoniam ipsa mutata non mouetur animal, ita etiam dices, ac rectius, à figura

& situ motum cruris procedere: quoniam sine his non mouetur crus, aut animal incedit. Colligis iam ex Gal. omnes nostras actiones, à simplicibus & similaribus, quas diximus partibus, ortum habere, siue ab earundem temperamentis, licet ex eis non nullæ non nisi in organis perficiantur, ac partibus dissimilaribus. Ex Ari. verò sensuum actiones, siue passiones, in simplicibus & similaribus exerceri, motiones in dissimilaribus, omnes tamen ab anima procedere, tanquam ab agente præcipuo. Has omnes corporis partes alia diuisione colligit Galen. li. artis medicæ, sic, Pars etenim omnis aut est præcipua, aut à præcipua orta, aut insitam habet potentiam, ita vt neque aliarum gubernationi præsit, neque aliunde gubernetur, aut insitam, & aliunde emanantem habet facultatem. Hac diuisione omnia nostri corporis membra comprehendere videtur. Præcipua namque membra quę insitam habent facultatem, quam aliis trãsmittunt, nempe exortis, quatuor sunt, cor, cerebrum, iecur & testes. quæ membra vitæ, sensus, motus, alitionis, & generationis sunt initia. Membra à præcipuis orta sunt, arteriæ, venæ, nerui, & vasa seminaria. Facultas namque vitalis arteriis à corde tribuitur, animalis neruis, à cerebro, naturalis venis à iecore: generatiuã quoque vim quæ testibus ineſt, & semini tribuitur, vasis seminariis impartiuntur testes, & si non adeò perfectam, vti ipsis ineſt. Membra quæ insitam habent facultatem, ita vt neque aliorum gubernationi præsint, neque aliunde gubernentur, sunt os, cartilago, ligamentum, membrana, adenes, caro simplex. In quarto genere sunt membra, quę insitas habent facultates, & aliunde manantibus egent ad sua implenda munera, vt septum transuersum, & ventriculus. Nam ventriculus præter coctionem, quam sua facultate exequitur, appetitu eget animali, & septum transuersum præter alitionem, quã naturali altrice facultate exercet, animali eget admotum. At verò hæc diuisio Gal. nunquam mihi satis placuit, si aduersus sapiẽtissimi viri placita licet aliquãdo liberè mentem aperire. Non enim videtur diuidendi rationem seruare, incipiẽs à mẽbris præcipuis, deinde in diuisione adiungẽs gubernantia, ac gubernata, nempe insitã habẽtia, & aliunde manãtem facul. ac si non haberent præcipua insitam & aliunde manantem facultatem, quod falsum est. Præterea secundum membrum diuisionis cum quarto plane coincidit. Nam exorta insitas habent naturales facultates, vt nerui, & aliunde suscipiunt animalem, & vtraque tam exorta, quàm quæ in quarto genere dicta sunt gubernantur, sed non gubernant. Hac tamen diuisione singula membra accuratè comprehendes, Membra aut gubernãt aut non: si gubernãt, aut gubernãtur aut nõ: si gubernãtur atque gubernent, sunt cor cerebrum, iecur testes. Gubernans autem membrum, quod non gubernetur, aut gubernãtur, nullum est apud Gal. Si verò non gubernat, rursus bifariam fiet. Nam aut non gubernat, neque gubernatur, huiusmodi sunt, ossa, cartilagines, ligamẽta, membranæ, caro simplex, adenes, adeps. Si verò non gubernent, sed gubernentur, aut sunt exorta à præcipuis, vt nerui, à cerebro, venæ à iecore, arteriæ à corde, vasa seminaria à testibus: aut non sunt exorta, vt lien, renes, ventriculus, vterus, & septum transuersum, quę venas, & arterias, ad suas actiones complendas suscipiunt. Hæc de membris, & eorum generatione dicta sufficiant.

Membrorũ diuisio, quæ optima.

De temperamentis humanorum corporum, & membrorum. CAP. IIII.

AD quartum institutum accedamus, ordinem nostrum à principio propositum obseruantes, in quo de temperamentis agemus. Et quamuis nobis in animo sit, de temperamentis humani corporis agere, orationis consequutione ad finem quoque nonnulla dicemus, de rerũ externarũ temperaturis, tum vt euidentiora reddantur, quæ de mixturis quatuor elementorum dicentur, tum vt ex facultatibus ipsarum singularum mixtionum potentiæ innotescant. Iam ergo temperamentũ græcis κράσις, apud medicos mixturã quandam significat calidi, frigidi, humidi, & sicci, vbi talis fuerit, vt alicuius mixti formæ possit inseruire. Temperamentum enim non de quauis mixtione rerum dicitur

tur:ſed de ea,quæ fit eorũ quæ inuicem agere,ac pati poſſunt,aliter enim (vt cap. de elementis docuimus) nec mixtum,nec mixtio fit, id vero quod non miſcetur alteri,non attemperatur ipſi.Loco eodem pariter aſſeruimus,elementa prima corporum,eſſe ignem,aerem,aquam & terram:hæc enim & confundi, & agere inuicem poſſunt,vt inde mixtum fiet,& temperamentum mixto debitum. Erit ergo temperamentum,ex calido,frigido, humido, & ſicco, ad alicuius mixti generationem decens mixtura.Porrò miſcentur quatuor prima corporum elementa pariter atque eorum qualitates.Vnde fit,vt in omni mixto duplex ſit temperamentum, alterum ex ſubſtantiis elementorum: quas & miſceri & manere in mixto oſtendimus,alterum ex qualitatibus, quæ in elementis præfuerant, & in mixtis corporibus permanent.Vtraque verò calidi, frigidi,humidi,& ſicci mixtura,aut temperamentum appellatur:quoniam quanuis caliditatem, aut albedinem, qualitatem ipſam, non corpus calidum,aut album appellemus:calidum ramẽ, aut album de ſubſtãtiis,& qualitatibus dicere Græcis mos eſt.Licet enim corpus ipſum calidum appellare,& caliditatem, calidum dicunt: quanuis corpus calidum caliditatem non liceat nominare,ſic album,& corpus & colorem licet appellare, & colorem dicunt albedinem, non tamen corpus album, albedinem dicere ſolent. Quamobrem temperamentum calidi,frigidi, humidi & ſicci, mixturam corporum,& qualitatum ſignificat:quoniam corpora & qualitates,quæ corporibus inſunt,calidum,frigidum,humidum,& ſiccum nominantur. Licet id apud Latinos non ſit in vſu,apud quos non rectè dicitur caliditas, calidum. Et quanuis albedo dicatur albus color,non etiam album in neutro genere: cuius generis eſt, color, Græca lingua χρῶμα apud eos: tamen recte dictum eſt à Gale.lib.1.de Temperamentis θερμὸν,id eſt calidum,de calore dici & de corpore calido:& λευκὸν, dici de colore,& de corpore albo. De calore verò dici θερμότητα,id eſt, caliditatem,non de calido corpore,& de colore albo dici λευκότητα, id eſt, albedinem,non tamen dici de corpore albo. Quum itaque Galen.dixerit, mixturam, aut temperatum, calidi,frigidi,humidi,& ſicci:quoniam hæc nomina corpora, & qualitates ſignificant:duas temperaturas intelligemus: alteram quæ in ſubſtantiis, alteram quæ in qualitatibus conſiſtit.In humano igitur corpore,quemadmodum in omnibus aliis intelligere decet:vnam temperaturam fixam,ac innatam, à prima ipſa generatione,quæ à primis elementorum corporibus contrahitur:quorum mixturam conſequitur,quam variari admodum difficile eſt.etſi ætatum proceſſu caloris longa in humidum actione, aut magno aliquo morborum incurſu,aut longa cõtrariorum ciborũ conſuetudine,ipſam mutari contingat. Alteram etiam noſſe opus eſt, quæ in primis ipſis qualitatibus elementorum conſiſtit, quam multis cauſis variari videmus.Hæc enim non tãtùm ex primis qualitatibus.quas ad mixturam elementa perduxerunt,conſtituitur:ſed & ex his,quæ cum cibis,& humoribus,& ſpiritibus,& aere ambiente,ac inſpirato in concurſum aguntur, quam etiam vel momento temporis, inuariatam manere non contingit: quanuis parum, & intra ſanitatis limites varietur,& breui mutatione.Hæc tamen, vt à quantunuis leui cauſa mutatur,ita facilè reſtituitur, & à leuiſsimis cauſis in priorem ſtatum agitur.Nam quemadmodum corpus ex moderata exercitatione calidius redditur, ita ex paulò maiori infrigidari incipit,à qua diſpoſitione leuant,aut quies, aut cibus,aut vini potus:ſic etiam, vt temperaturam innatam, quæ ex primis corporum elementis conſtituitur,mutare non eſt facile,ita neque ipſam labentem reſtituere: inde fit,vt hectică febrem curare,aut laborioſum ſit, aut omnino impoſsibile,veluti & ſenectam,& naturalem mortem impedire. Quàm etiam difficile ſit imbecillam in eſſentia facultatem,quæ huius temperamenti mutationem ſequitur,reparare,omnibus eſt notum.Hanc temperaturam,quę corporum elementorum mixtio eſt:ſubſtantia quædam ſequitur,quæ mixtis corporibus ſuperuenit, & hæc eſt mixti forma,aut vna,aut multæ.Quæ tandiu in materia elementorum ſimul cum formis ipſorum continetur, quandiu nullum elementorum tãtum reliqua ſuperat,aut duo reliqua,vt longè abſit elementorum ipſorum concentus,ac

Temperamentum.

Temperamentum duplex.

Temperatura duplex.

moderamentum,ab eo per quod generari,ac conſeruari forma ipſa mixti, & potuit,& debuit.Quando verò valde receſſerint,mixtio ipſa ſoluitur, ac mixti forma corrumpitur,quam ſequitur,vt elementa in proprias migrẽt ſedes, aut noua alia mixtura,ac mixtorum menſura ſequatur,quæ alterius ſpeciei formæ ſit apta. Alteram verò temperaturam (quæ primarum qualitatum agentium, moderamen quoddam eſt) exiſtimare oportet,ad formæ mixti generationem, non tamen ad permanentiam (niſi in magna quadam latitudine) eſſe neceſſariam.Hanc mixturam nulla ſequitur qualitas ab ipſis diſtincta, quam quidam falſo crediderunt ex actione,& paſsione quatuor primarum qualitatum conſurgere.Ex eis enim quidam inter iuniores philoſophantes dixerunt,primas ipſas elementorum qualitates corrumpi,atque duas generari,vnam mediam inter calorem & frigiditatem, alteram mediam,inter humiditatem,& ſiccitatem,humiditate, & ſiccitate: caliditate,& frigiditate corruptis.Et has duas continere poteſtate quatuor ipſas primas qualitates. Mediam enim inter calidi & frigidi continere poteſtate calorem & frigiditatem:mediam verò inter humidum & ſiccum,continere hæc poteſtate,non quidem ſummas,ſed medias,ita vt corporibus aliis moderatas qualitates, quas poteſtate continent,inferre poſſent,& ab immoderatis qualitatibus corpus tutari,& à proprio temperamento lapſum,in ipſum reſtituere. Alij verò dixerũt, temperaturam vnicam tantùm ex primarum qualitatum actione cõfici,ipſis corruptis,atque hanc quatuor ipſas primas qualitates,poteſtate continere, eámque poſſe medium id temperamentum,in proprio & alieno corpore inducere, calida admodum corpora refrigerando,& frigida calfaciendo,ſicca humectando,& humida ſiccando.Quos omnes conſtat longiſsimè à veritate aberrare.Primò, quia dato quòd calore & frigore æquis potentiis concurrentibus, concederet aliquis ex ipſorum actione medium quoddam generari, quod vtriuſque naturam referret:vbi calidum vincat,id nulla ratione poſſet ſuaderi:nam id à frigido ſe minori vinci non poſſet,non ergo corrumpentur ambæ qualitates,ſed tamen calido vincente,vt in mixtis calidioribus,temperamentum primarum qualitarum ſit, ergo id non erit quoddam genitũ ab extremis qualitatibus diuerſum, ipſis corruptis. Rurſus ſi ex actione caloris ignis,& frigiditatis aquæ medium generaretur,corruptis vtriſque qualitatibus, ſequitur ad inductionem formæ aquæ in ſubiecto ſic temperato,per mediam illam qualitatem,tantam frigiditatẽ induci debere,quanta in ſubiecto ſummè calido,quod formã aquæ deberet ſuſcipere. Probatur conſequentia: quoniam ſi ad inductionem formæ aquæ in ſubiecto deſideratur octo portiones frigoris, corpus dictum ſic moderatum non plus habet frigoris, quàm quod eſt ſummè calidum, ergo quemadmodum in corpore ſummè calido octo frigoris portiones ſunt inducendæ ad formã aquæ, ita in corpore ſic moderato. Hoc tamen conſequens falſum eſſe docet experimentum. Facilius enim corpus, ſic moderatum tranſibit in ſummam frigiditatem, & minori alteratione, quàm ſummè calidum.Præterea iſti negant primarum qualitatum contrariarum concurſum in ſubiecto vno,quod manifeſtè aduerſatur his,quæ docuimus in cap.de elementis,ex doctrina Hippocr.& Gale.Præterea quo tempore elemẽta inuicem agunt,& patiuntur, vnumquodque ſui cõtrarij qualitatem ſupprimit. Supprimat ergo vnum reliquũ, donec ad mediam ſuam latitudinem deducatur. Tunc dicet aduerſarius,mediam illam qualitatem generari,primis & extremis corruptis.Verùm quæritur ab ipſo, quæ fuit cauſa reliquam mediam latitudinem remanẽtem corrumpens,aut quare corrupta eſt,aut cur ſine remiſsione & ſubitò, ſine amiſſione graduum.Non eſt quòd ſuam ipſorum ſectam poſsint defendere, ſed cõcedant oportet,id temperamentum ex ipſis primis elementorum qualitatibus conſtare,quæ inuicem agendo ſeipſas remiſerunt. Quòd ſi dixeris ex earum actione ſummè remiſſas fuiſſe,& tandem corruptas, & mediam illam vnam aut duas genitas,id falſum eſſe facilè cõſtat. Quoniam ſi ex actione caliditatis & frigiditatis, ambæ ad ſummam remiſsionem & corruptionem perueniunt,qualitas media genita vnde accipiet,calefaciendi & infrigidandi potentiam:non enim ab ipſis qualitatibus,

A primis qualitatibus nullum temperamentũ aliud ab ipſis conſurgere.

litatibus,quæ ad extremam remissionem deductæ,nullam aut remississimam calefaciendi aut infrigidandi potentiam habebant, neque ab ipsis corruptis,cum iam non sint. Præterea, si qualitates elementorum, autè huius qualitatis mediæ generationem corrumpi debent,omnes mediæ qualitates genitæ, eiusdem erunt potentiæ. Nulla enim ratione,vna erit potestate calidior altera: nam quæ potestate calidior esse deberet,insequeretur caloris dominium, in qualitatibus agentibus,quæ tamen iam corruptæ sunt. Dices forte ipsas post generationem mediæ illius manere,vt quidam.quod si ita est,ipsis manentibus illa inutilis erit. Poterit enim mixtum per primas illas seruari, & singula efficere. Lapsus tamen omnes adhuc morbosos in pristinam sanitatem restituere, ad formam ipsam mixti attinet,simul cum formis elementorum,quæ in mixto continentur,ac potestate continent quatuor ipsas primas qualitates,quibus accedunt alimenta,aer ambiens,& nonnunquam medicamẽta. Adde quòd si ex diuersa mensura,qualitatum primarum agentium,diuersa qualitas media generari debet,ipsis adhuc manentibus, in omni actione infinitæ tales deberent generari. Ponamus enim ex actione caloris ignis,& frigid.aquæ,mediam qualitatem consurgere debere: vincat autem calor sensim frigiditatem,in omni momento temporis,actionis diuersa, & alia erit earum qualitatum mensura & proportio. In omnibus igitur momentis,siue instantibus qualitas vna media generabitur,quæ mensuram illam sequatur,& in infinitis infinitè: non enim obest quidpiam quominus talis qualitas media producatur. Has duas temperaturas in omnibus mixtis existere non est dubitandum: in humano verò corpore notissimæ sunt. Vna enim est in membris ipsis & elementorũ suorum mensuram sequitur, qui nullam prorsus manifestam efficit actionẽ,præterquàm in proprio subiecto,vt fit in his, qui sine medici auxilio à febribus sanantur,aut aliis morbis intemperatura. Euenit etiam, vt vi huius temperamenti actio consurgat in alienam materiam,mixtam tamen ad minimas partes: quod fit in succis plantarum & fructuum, & medicamentorum, quibus mel ac succi, miscentur in compositione: nam ibidem substantiæ ad minimas partes mixtæ, efferuescunt, & calorem nanciscuntur actu talem, & qui nulla mutatione alia accedente, se & suamvim pandit, aliud corpus mutans, & alterans, cui miscetur. Quod etiam in pipere,& nasturtio constat, quibus facultates agendi insunt ab elementorum mixtura,& nullam extra se producunt actionem: quanuis calidorum elementorum manifestum contineant dominium,nisi in actum reducantur,ab actuali calore,qualis qui in animalis corpore continetur,aut,vt dixi, facta mixtura. Quamobrem potentia talis dicitur aliqua temperies. Altera vero, quæ in primarum qualitatum concursu consistit, in non animatis corporibus adest, & tactu discernitur: in animatis verò nota admodum est, quæ ex omnium temramentis concinnatur: nempe humorum, spirituum, & aeris, qui inspiratur, & transpirat,ac dicitur actu talis. Nec tamen putandum est, hanc qualitatum temperaturam ex ipsis extremis coniunctis prodire, vbi summa permanserint, vt quidam putauit. Voluit enim summã caliditatem ignis,summæ frigiditati aquę miscери,in aquæ & ignis mixtura,ac medium non esse intentione medium, sed potestate medium, non inquam remitti calorem,aut frigiditatem,sed integras qualitates miscери,potẽtiam verò retinere mediam,& id esse aliquam temperaturam ex calore,& frigore fieri. Ad quod probandum adducit argumentum de aqua feruenti & frigida,quibus mixtis statim sentitur tepor. Verum non est credendum adeò breui tempore qualitates fuisse remissas: sed integras manere, verùm decipitur. Nam si quo tempore ignis aquę miscetur,ac confunditur in mixtione,ignis aquæ frigiditatem non remittit,aquæ forma non corrumpetur: quanuis ignis ipsam superet. Rursus si frigiditatem non remittit,caliditatem non introducit,nunquam igitur vnum in alterum transibit. Rursus si quum inuicẽ miscentur,& debito modo applicãtur,summè calidum,& summè frigidum,vnum alterũ non remittit,nunquã se inuicem remittent: sed aut nunquã,aut repente,& sine motu,vnum alterũ corrumpet,quod non fit. Quòd si respõdens dixerit,ignem non posse corrumpere

Temperatura potentia talis, & actu talis.

Contra Fernelium.

rumpere aquam,vbi ea proportione miſceantur,quæ ad mixtionẽ ſit cõueniens. cõtra id eſt ratio:nã ſi tũ ignis aquã valde ſuperat, ignis aquam corrũpere valet,vbi parum ſuperauerit,quod ſit in mixtione,ignis aquam alterabit,& calorẽ remittet,quamuis eum non corrumpat. Omne enim agens,quod ſuo contrario applicatur,aut id neque alterat nec corrumpit,aut alterat & corrumpit,aut alterat,& non corrumpit:corrumpere verò,& non alterare,nõ euenit. Quod ergo altero maius eſt,non valde alterat,ſed non corrumpit ipſum. Alterare enim & corrumpere, nõ contingit in mixtione,mixtionem quoque ſine alteratione fieri apud Ariſtote.li. 1. de gene.& Gal.li.de elementis,eſt impoſsibile. Quod autem adducit de aqua feruenti,& frigidiſsima mixtis,id non eſt ſimile: quia aquæ illæ non miſcentur, ſed ambæ vniuntur,cum tamen vniuntur,ad minutiſsimas partes confunduntur, in quibus qualitatum alterationem breuiſsimè fieri poſſe conſtat. Poſſem ſimiliter aſſerere ad certum tẽpus qualitates ſummas manere, verùm ob partium confuſionem,à ſenſu non diſcerni, ſed procedente tempore actione concitatá vtraſque remitti,& ad medium deduci. Itaque ex elementorum mixtione tam ſubſtantiarum,quàm qualitatum ipſorum multa media cõſurgere poſſunt: aut enim æquis potentiis occurrunt,& exquiſitè medium generabitur,aut non æquis,& genitum erit intermedium,non exquiſitè medium. Elementa verò extrema ſunt,& ob id ſimpliciter talia appellata:medium verò ex æquali ipſorum concurſu,pariter ſimpliciter medium erit. Extrema ſunt ignis,aer,aqua,& terra,quæ ſunt ſimpliciter, & omni dempta collatione calidum,frigidum,humidum,& ſiccum:quoniã extremè & ſummè talia ſunt. Medium verò exquiſitè ſimpliciter medium eſt, nulla facta ad aliud collatione, éſtque medium in vniuerſa ſubſtantia generabilium,& corruptibilium,quod etiam temperatum ad pondus appellant: quod an ſit,& cuius temperatura ſit dicemus. Poſſunt tamen elementa variis,& inæqualibus menſuris occurrere,atque inde innumeræ fient temperaturæ,maioris,& minoris ratione diſsidentes. Nam & caloris latitudo quæ eſt inter ignem,& medium in vniuerſa ſubſtantia infinitas habet latitudines,in quarum qualibet poſſet vnũ mixtum generari,cui illa temperies reſponderet. Quoniam tamen infinitorum non eſt ſcientia,has omnes temperaturas ad finitas reducemus,vt earum cognitio haberi poſsit,quæ docetur à Gal.in li.artis medicinalis. Sunt autem hæ nouem genere,quæ omnes mixtorum temperaturas comprehendunt,quarum prima dignitate,& docendi ordine temperatiſsima eſt,media in vniuerſa ſubſtantia, à qua prius inuenta,ad aliarum inuentionem procedemus. Hæc enim in vniuerſa ſubſtantia vt regula,& Polycleti ſtatua eſt habenda. Nam quemadmodum ſtatua Polycleti,vt optima ab hominibus laudatur,& ſtatuariis vt exẽplar habebatur. & vbi mente concepta fuerit, tanto aliquam aliam perfectiorem eſſe dicimus, quanto magis ad hanc commenſuratione partium accedit: ſic medium vniuerſa ſubſtantia primùm ſtatuere oportet,vt ad ipſum reſpicientes,reliquorum omnium temperaturas metiamur,ac tales eſſe iure dicere poſsimus, vnuſcuiuſque lapſum ipſius collatione diiudicantes. Hæc talis erit, inter calidum & frigidum, qualis ea quæ fiet ex mixtura aquæ feruentis,& gelidæ,æquis portionibus. Tenẽt enim extrema ſimpliciter caloris,& frigoris,aqua feruens & gelida, ac ex earum mixtura,ſiue confuſione æquis portionibus exactè medium conficietur, quod medium tenebit extremorum caloris & frigoris. Medium etiam inter ſiccum,& humidum ſic inuemus vbi pares cineris, & aquæ portiones quis miſceat, atque confundat:licet enim ad minimas partes hæc confundere,vt mixtum corpus inde reſultet, quod verè mixtum ſit, ob partium mixtionem: non enim ſola iuxtapoſitio partiũ naturę opus eſt,cui Deus ſũmus maximus præeſt,vti in omnium rerũ actionibus,vt ſuprema,& infinita potẽtia: Id tamẽ quod ſic mediũ eſt,duri & mollis,mediũ etiã obtinebit,niſi fortè immodicè aut frigeat aut incaleſcat, ita vt fundatur, aut cõcreſcat. Si ergo quatuor ipſæ elementorum ſubſtantiæ potentiis æquatæ confundantur,actione & paſsione mediãtibus,mediũ exquiſitè & ſimpliciter tale generabitur,quod erit medium in vniuerſa rerum omniũ ſubſtantia:

id ve

negà nega-ſeneſcius.

Temperatura media & quæ ab ea labuntur.

Temperaturæ nouẽ.

Temperaturæ ad pondus inuentio.

id verò cutem humani corporis temperatissimi,ac in specie humana medij esse notum cuadet.Auicenna tamen Auerrois,& eius sequaces, impossibile reputant fieri,vt aliquod mixtum sit medium in vniuersa substantia, nedum in humana specie,aut membris humanis.Putant enim fieri non posse,vt ab elementis potentia æquatis,aliquid conflet:non enim fiet ab æqualibus actio, & sine actione non fit mixtio.Nullum igitur fiet mixtum, neque aliqua temperatura, quæ medium obtineat extremorum,quam ipsi tenent esse formæ mixti instrumentum, quam etiam ex omni mixtione primarum qualitatum agentium.cõsurgere dicunt, nec sine ipsa mixtum aliquod constare posse.Hanc itaque Auicennam, & Auerroem negare ferunt eorumdem assectæ.Galen.vero qualitatum ipsarũ æqualem mixturam concedere,non addit a temperatura illa,ex actione resultante, & ea ratione Gale.& reliquos non pugnare.quoniam illi negant,temperatum in vniuersa substantia,quod sit media qualitas,non tamen id,quod in ipsis consistit qualitatibus, sed id cum Gale.concederent.Contra quos suprà probauimus,talem mediã temperaturam non esse,neque vnquam in rerum natura fuisse. Modò verò eorum sectam multis modis confutabimus. Primo si talis media temperatura & media qualitas,quam ferunt,æquatis qualitatibus fieri posse negant: pariter negare tenentur,mixtum aliquod posse generari,ex æquatis elemẽtis:nam omne tale temperaturam aliquam possidebit,quæ aliud erit a primis qualitatibus. Non ergo saluant iuniores Auicẽnistæ Gale.dicentes ipsum verum dixisse,dari mediam temperaturam,in qualitatibus primis tantùm:nam ipse mixti temperaturam hanc statuit:nempe cutis humanæ,quæ hoc temperamentum sibi exposcit.Præterea notum est,quod si talis qualitas media generatur,id erit in instanti. non enim habet gradus intensionis:generatur ergo ab actione,quæ præcessit,vsque ad instans suę generationis,non ob præsentem. quoniam in instanti non fit actio. Ponamus ergo elementa inæqualia coniungi,verùm id quod minus iuuari ab extrinseco, ita vt possit maius remittere,ipsum verò minus augeatur,vtrunque verò ad mediũ perducatur:alterum per intensionem, alterum verò per remissionem, quo tempore media illa temperatura,quam dicunt, generari deberet: quoniam quanuis actio tunc non esset, quia æquata dicunt contraria, id tamen ad generationem prædictæ qualitatis non est necessariũ,sed satis est ipsam præcessisse, vt dixi. non enim aliter aliæ generari possent.Sed eorum fundamentum fallissimũ est,& contra bonam philosophiam æquatis elementis potentia, actionem non consurgere & mixti,aut mediæ qualitatis generationem.Nam si talis media qualitas nõ consurgit id non est (vt nos diximus) quia illa omnino est inutilis, & nulla talis est in rerum natura:sed quia vt ipsi volunt,sine actione non generatur,& elementa æquata non agunt.sed id falsum est.Nam inter calorem & frigiditatem aliquo modo dispositis possibilis est reactio. Sit igitur ita, vt caliditas portionum quinque agat corrumpendo frigiditatem trium,& repatiatur ab ipsa.Sequitur ergo,quod caliditas portī.quinque aget in frigiditatem quatuor portionum, & ab ipsa repatietur. Quod agat in ipsum,non est dubium:quia est maior ipsa,quod tamen repatiatur caliditas portionum quinque à frigiditate portionum quatuor,cõstat:quoniam si caliditas quinque portionum repatiebatur à frigiditate trium portionũ, repatietur quoque,ab ea quæ est quatuor portionum. Rursus frigiditas quatuor portionum potest agere in eam caliditatem,quæ est quinque portionum:aget igitur in eam quæ est quatuor portionum:Idque manifeste colligitur:quoniam non tantùm inter æqualia actio, & repassio versantur, sed quod minus est,in maius agere nihil prohibet:probabimus enim in repassionibus maiora agentia à minoribus repati,& alterari:quanuis ab eisdem nunquam funditus superentur, ac subuertantur.His probatis sequitur eos malè dixisse ab æquis elementorum facultatibus,non prodire actionem,nec qualitatis illius mediæ, quam ipsi ferunt generationem.Adde quòd hæc optima temperatura non constat ex elementis æquatis à principio generationis,sed ab ipso principio humidum superat siccum,& sensim peruenitur ad æqualitatem in ætate adolescentiæ, vt dicemus. Nos verò omni-

Barbarorũ opinio de medio in vniuersa substantia.

Temperatũ ad pondus exponit.

modo contendimus nullam talem esse temperaturam (quæ sit qualitas à prima distincta) neque vnam neque duas. Sed tamen in humana specie asserimus esse æquale medium in vniuersa substantia, quod in primorum elementorum æqua mensura cõsistit, quæ sic inuicem occurrunt, ac seipsa attemperant, vt nullum videatur suum contrarium potentia superare. Quod corpus quãuis omnium membrorum temperamentis commensuratis medium sit, non in omnibus tale seruat medium, sed quædam ipsorum calida admodum sunt, quædam admodum frigida, quædam sic etiam sicca, aut humida. Sola tamen cutis medium id ostendit, ex cuius temperatura de toto corpore pronunciare licet. Si nanque cutis corporis, vbi secundum naturam valeat, temperata fuerit: manifeste docet totius corporis membra talem habere inter se proportionem, vt in omnibus computatione facta, pares elementorum portiones contineantur. Sic enim Galen. sermo visus est probare ac docere, primo lib. de Temper. non tantum animalium, sed & omnium aliorum mundi corporum, temperatissimum esse hominem, pariter etiam, quod omnium ipsius partium interna cutis manus ab omni distemperie prorsus est immunis. Talem verò mensuram seruat cutis illa, quam à principio cap. de membris diximus, genitam ex semine ad tuendum corpus à sudore, qui in animo seruatur: vbi tamen huic caro adgeneretur. ea enim est cutis, quæ Græcis ἄκρα appellatur, ad cuius temperamentum perficiendum accedunt membrorum omnium alterationes, & sanguinis & spiritus occursus. Licet quoque ex eius temperamẽto ferre temperamentum totius, maxime in regione temperata, non tamen in ea, quæ admodum calida, aut frigida est, neque in his qui inæqualiter sunt temperati, vt quidam pituitam sæpe vomentes, toto corpore graciles, & quidam bilem vomentes, habitum referentes pituitosum. Similiter cutis media erit, vbi duritiam, aut callum non cõtraxerit, sed media in mollicie ac durities existat, & quæ tangendis aliis corporibus sit aptissima. Media verò in calore & frigore existit: quoniã neruus quidam carne, & sanguine plenus est, neruus tamen frigidus est, & exanguis: caro verò calida, sanguine plena, ac perinde cutis medium vtriusque tenebit, quia ex vtrisque constituitur. Posset tamen quis obiicere corpus humanum medium in vniuersa substantia apud Galen. non constare ex paribus elementorum portionibus: nam si leuia & grauia elementa, æquis portionibus occurrunt, corpus medium esse debet grauitate & leuitate, inter ignem & terram, ac non esset ille homo adeo grauis, vt aqua, nec adeò leuis, vt aer. quod falsum esse cõstat. Ad quod dicemus, in corpore temperatissimo æquas portiones elementorum cõtineri, sed tamen extrema ipsa non habent suarum qualitatum æquas mensuras: nam terra multo magis continet grauitatis, quàm ignis leuitatis, quanuis ignis sit summè leuis, ita vt nihil sit ipso leuius. Facilius enim est prohibere, ne portio aliqua flammæ ascendat, quàm terræ portionem ne descendat: quinimo si flammæ & aquæ similes portiones in aere positas velis à motu cohibere, ignis motum arcebis facilius, neque id experiri decet, ignem in loco aliquo concludendo: quoniam tunc non tantùm leuitate, sed raritate pugnabit. Mixtum ergo, quãuis ipsorum æquas portiones contineat, non continebit æquam leuitatem grauitati, neque est aliqua certa ratio leuitatis & grauitatis in mixtis, quæ ab elementis sumatur: nam multa sunt valdè calida, & grauia. Non itaque putamus, in rebus grauitatem, & leuitatem ad portionem respondere elementorum qualitatibus, aut substantiis omnino: quod mixta corpora docent. Quemadmodum ergo diximus humanum corpus temperatissimum medium in vniuersa substãtia, idque in cute obseruari, ita modò dicemus, cutem ipsam idem medium exactissimum seruare membrorum sui corporis, ita vt pari mẽsura superetur à calidis, frigidis, humidis, & siccis membris, quod pendet ex notitia, & collatione membrorum calidorum ad frigida, & humidorum ad sicca. Eorundem verò membrorum temperaturas recenseamus.

Temperatũ non est leuitatis & grauitatis medium.

Membrorũ tẽperamenta ordine recensentur.

Calidissimum omnium quæ in corpore continetur, est cor, post ipsum verò est spiritus vitalis, & sanguis cordis, quæ duo a corde ipso calorem suscipiunt: dein iecur: deinde sanguis, qui in iecore continetur, & deinde pulmo, lien, & renes, & caro quam

ro,quam sequitur cutis.Frigidorum pituita primo loco,deinde cerebrum,deinde spinalis medulla.Sed hæc frigida sunt cum humiditate. Cum siccitate tamen pili,deinde ossa:deinde cartilagines,venæ,arteriæ,nerui motiui, & sensitiui. Seruãt autem in siccitate hunc ordinem pili, deinde ossa, deinde cartilagines, deinde ὑδροχονδρώδης σωλήσιμος, hoc est,cartilagineum ligamentum:deinde tendo, deinde membrana,deinde arteria,deinde vena,deinde neruus motiuus,deinde sensitiuus,humiditate & siccitate medius,vt cutis. Humidissima pituita est, deinde adeps,deinde cerebrum,deinde spinalis medulla,deinde pulmo, deinde lienis caro,deinde renum,deinde caro,& cutis.Decet autem omnium horum cutem medium tenere temperamentum:quoniam ad tutelam corporis est instituta. Tutari autem corpus non aliter potest,nisi vbi externorum alterantium occursus persenserit,at quod maximè temperatum est, ei muneri est aptissimum. Quod probare facile est:nam sensus à sensibilibus qualitatibus extremis priuatum esse debet,vt ipsarum exuperantias sentiat,& temperatissimum maximè liberum est ab omni qualitate, ergo talem esse cutem decet. Temperatissimum verò maximè nudum esse omni qualitate extrema satis constat.Quoniam temperatissimũ corpus admodum distat ab extremo calore, & extremo frigore, extremis quoque siccitate & humiditate. Quòd autem sensuum organa nuda esse deceat, a sensibus qualitatibus,docent oculi omni colore priuati,& lingua omni sapore.Omnia nanque amara iudicat is,cuius lingua amaro humore est imbuta: & vbi duo comederint allia,nullus eorum deprehendet alterum.At quoniam tactum sine primis qualitatibus alterantibus existere non fuit possibile:nam in neruo constitit, qui & mixtum est,& ex elementis constitutum, id quod melius erat, tactus functioni parauit natura.id autem est,vt eius organum, quàm maximè fieri potuit, ab extremis qualitatibus liberum redderet, vt eas optimè persentiret, tanquam aduersas & à natura,& temperamento tactus valde alienas. Medias autem qualitates,vt minimè alterantes,ac nullatenus tactum, aut corpus ipsum corrumpentes,nec sentire potuit,aut obscurè,neque eas sentire fuit necessariũ. Talem etiam temperaturam neruus mollis assequitur,cum ei occurrit sanguis suo calore:quoniam is tactus instrumentum est, & extremorum excessus distinguere debet.Id medium exquisite in vniuersa substantia,imaginatione potius,quàm re,consistere testatur Gale.primo de Sanitate tuenda,& nos causam dicemus. Sed tamen est aliud æquale ad iustitiam in humana specie,quemadmodum & in omnibus alijs, & generibus & speciebus, ob id tale dictum: quoniam functionibus exercendis est maximè cõparatum, quod non exquisitè medium est,neque sola imaginatione constat,sed & verè existit,& in latitudine quadam ab æquali ad pondus insensibili lapsu variãs,ad calidum,aut frigidum,aut humidum,aut siccum. Cæterùm quoniam in functionum perfectione,a nemine superatur quod sentiri possit, omne quod intra hanc latitudinem continetur,æquale dicitur ad iustitiam ab æquali medio in vniuersa substantia parum distans,id quoque intra suos limites latiores comprehendens.appellatur id à Galen. κρᾶσις, lib.1 de Temperamentis: qui tamen sic appellandum esse negat,ad memoriam reducat oportet, in communi hominũ vsu esse, eucraton appellare omne id quod tale sensu iudicatur, & quod ab eo,quod exactissimè tale est,insensibili lapsu labitur: mirari nanque subit eorum, qui δύκρασίαν, sine latitudine consistere volunt,cùm hæc si cui vnquam contingat,ne momento quidem temporis duret. Sed & cibis, & potionibus, somnis, vigilijs,quietibus,motibus,iracũdijs,ac quibusuis leuissimis causis mutetur.Corporis tamen ad iustitiam temperati nõtas,vbi quis,habere voluerit,à Galeno accipiet,ex lib.1.de Sani.tuen.ex temperamenti mediocritate, optima magnitudine,& figura,ad functiones obeundas,tum etiam numerum,& habitum medium, inter pingue, & macilentum,medium mollis & duri,hirsuti,& glabri. Tale temperamẽtum in omnibus speciebus,& generibus inuenitur, in quibus medium etiam continetur,licet non sit exquisitè medium,sed illius,aut speciei, aut generis functionibus maximè opportunum.Medium id in humana specie proximũ est tem-

Cutis, & talis quare media.

Temperatum uniuersa substantia, & temperatum ad iustitiam.

perato,quod est in vniuersa substantia medium,in aliis tamen speciebus animalium multum distat,quatenus,& tota species ab ipso in alterum extremorum inclinat.Decuit tamen hominem id mediũ tenere,quoniam eius tactus perfectissimus est,& in optimo temperamento nobilissimam animam residere decebat. De hoc temperamento ad iustitiam solent à medicis quæstiones variè agitari. An id sit medium exquisitum totius latitudinis humanæ temperaturæ,an causis alterantibus maximè omnium obsistat,& an longiori vita fruatur.An tamen tale corpus perfectissimas edat actiones,loco suo dicemus.prius enim de facultatibus agendum est.Ad quæ ordine respondebimus. Ad primum quidam dixerunt, medium id quod etiam iuxta æquale in vniuersa substantia constitutum esse diximus,magis distare ab extremo caloris,quoniam vbi id labatur,ad vtrumque extremorum,maiorem lapsum ad calorem,& maiorem gradum caloris poterit tolerare,quàm frigiditatis,vbi ad frigidum labatur. Quoniam calor ipse magis naturæ conuenit,quàm frigiditas.omnes enim secundum naturam functionescalore exercentur:frigiditas verò naturæ aduersa est,& ad actiones inutilis.Idem etiã de lapsu ad humiditatem ferunt,quoniã & ipsa siccitate commodior corpori humano existit.Quidam verò dixerunt in contrarietate,quæ est in calore & frigiditate,maiorem esse frigiditatis latitudinem ad extremum frigidum, longius à temperamento optimo distare,quàm calidum. Quoniam calor validissimè agit, & celerius,quàm frigiditas alterat & mortem infert,frigiditas verò segnis est, & tardam efficit actionem,ac perinde humana natura multam frigiditatem,non tamen multum calorem fert. Quidam dixerunt de latitudine sanitatis aliud iudicium esse ferendum,quàm de latitudine vitæ.Interim namque dum calor & frigiditas intra limites sanitatis sunt,maiorem caloris gradum tolerat homo,aut eius sanitas.quia magis sanitati conuenit calor quàm frigid.Cum tamen vtraque qualitas sanitatis limites excesserit,celerius mortem infert calor,quàm frigiditas. Itaque sanitatis limites in caloris intensione sunt latiores quàm frigi.Vitæ verò limites,aut extremum versus calorem,cum quo homo viuere potest,propius temperatissimo iacet,quàm extremum per frigiditatis excessum. Nos pariter cum Galeno de temperamentis libro primo tenemus, temperatissimum corpus medium tenere totius latitudinis,eius generis,aut speciei,in quo temperatissimus habetur,sic enim inquit: Quæ enim in vnoque genere,aut specie media sunt, commensurata existunt:æqualiter namque distant ab extremis illius generis,aut speciei. Quod tamen ferunt caliditatem magis amicam, frigiditatem magis aduersam,vanum omnino est.Nam quemadmodum caliditas actionibus magis est accommodata, dum temperata est, ita modum excedens pessima, & quæ hominem celerrimè dissoluit.Adde quòd quamuis ad actiones omnes calor seruiat, vt instrumentum:ad permanentiam tamen animæ in corpore,non minus agit frigiditas quàm caliditas, & elementa frigida, quàm calida. omnia enim suis mensuris formam adducunt, & adductam conseruant, & retinent. Aliud tamen ferendum est, de latitudine vitæ, & latitudine sanitatis: vitæ enim terminus summam læsionem actionum sequitur: læsio verò, atque imperfectio, actionum à calore, & frigiditate præter naturam proueniunt: quæ duo pariter actiones lædere possunt, & æquis latitudinibus summè lædere, & imperficere potuerunt, & mortem inferre. Limites tamen sanitatis ampliores sunt versus calorem,& humiditatem:quoniam quamuis imperficere omnes excedentes qualitates æque possint(frigiditas impediendo,& caliditas non perficiendo, vt solebat & impediendo) ad perficiendas tamen ipsas actiones intra limites sanitatis calor,& humiditas præstãtiores sunt frigiditate,& siccitate. Vita enim calido,& humido constat. Quoniam igitur vitæ terminus sequitur magnitudinem imperfectionis,& calor ac frigiditas,æqualiter imperficiunt limites vitæ in calore & frigiditate,ab optimo temperamento æqualiter distant. Cum tamen sanitas consistat in perfectione actionum, & à calore magis perficiantur, fit vt terminus sanitatis ad calorem sit amplior. Demum verò cum calor priuatiue non perficiat,& positiuè im

Temperatum ad iustitiam an sit extremorũ medium.

uè imperficiat reliquam latitudinẽ vitæ habet breuiorem,& inde ambo extrema æqua diſtantia manent ab æquali. Secũdum inſtitutum fuit. An corpus humanum temperatiſsimum, maximè omnium obſiſtat cauſis alterantibus, Ad quam quæſtionem iuniores medici diuerſo modo reſponderunt: quidam enim dixerunt corpus temperatum maximè obſiſtere cauſis alterantibus, omnibus coniunctim, ita vt numerus cauſarum, quibus temperatum reſiſtere poteſt, maior ſit numero cauſarum, quibus diſtemperatum reſiſtit. Nam temperatũ reſiſtit calidis & frigidis, diſtemperatum tamen, tantum contrariis, à reliquis verò facilè patitur. Vt calidum reſiſtit frigidis, à calidis tamen facilè patitur, & frigidum reſiſtit calidis, patitur tamen à frigidis, temperatum tamen à neutris facile patitur. Veruntamen aduerſus eos ſequitur, temperatum magis omnibus pati: quoniam calidum à ſolis calidis, frigidum à ſolis frigidis, temperatum verò ab omnibus patietur. Alij dixerunt corpora temperatiſsima maximè reſiſtere cauſis alterantibus, vbi æqua proportione ipſis & aliis occurrant, gratia exempli, corpus temperatum eſt caloris quatuor portionum, corpus diſtemperatum eſt caloris quinque portionum, ſi temperato occurrat cauſa quinque portionum caloris, magis ei reſiſtet, ac minus ab ipſa alterabitur, quàm calidum corpus quinque numeris, vbi ei occurrat cauſa calefaciens talem habens proportionem ad quinque, qualem quinque ad quatuor. Ratio eſt, inquiunt: quoniam quanuis ex menſura qualitatum æqua ſit proportio, & agendi ratio, facultas tamen temperati quæ ad reſiſtendum coadiuuat, pugnat, ac reſiſtit magis, quàm facultas diſtemperati corporis, & inde minus alteratur corpus temperatum. Verùm horum opinio falſa eſt: ignorare enim videntur facultatis ipſius eſſentiam, quæ in qualitate temperamenti conſiſtit. Quæ igitur alterius actioni obſiſtit, id qualitate ſui temperamenti conatur, non alio quopiam, id quoque ſuprà probauimus, non eſſe aliud ab elementorum menſura, & à menſura ſuarum qualitatum, per quæ reſiſtit. Quòd ſi in menſura temperatiſsimi multus eſt calor, multo calore reſiſtit, quòd ſi paucus, pauco. Vnde fiet, vt facultas nihil agat (vt ipſi putarunt) præter id quod agit qualitatum menſura, in qua temperies conſiſtit, ac facultas agendi. Quod tamen verum eſſe putamus, id in præſentiarum referemus, & id ad Gale mentẽ dictum oſtendemus: Corpus temperatiſsimum magis omnibus aliis obſiſtit, cauſis morbum inducentibus, hoc eſt difficilius à morboſis cauſis vexatur, & à morbis ipſis corripitur, quocunque diſtemperato corpore. Rurſus temperatiſsimum corpus in reſiſtentia cauſis morbum inducentibus, ab omnibus aliis aliqua ratione ſuperatur. Primum verũ eſt, ipſum à morbis difficilius corripi, quàm diſtemperata corpora, vt Galen. docet, lib. artis med. cap. 8. vbi diſtinxit temperatiſsima corpora ab his, quæ ab optimo temperamento labuntur, non tamen patiuntur offenſam quæ ſentiri poſsit, dicẽs: Diſtinguuntur verò ex eo quòd magis, minúſve in operationibus exiſtit, ac quia cauſis, quæ ægritudinem pariunt, non æquè reſiſtunt. Ecce vbi vult diſtemperata adhuc inſenſibili lapſu, non æquè temperatis reſiſtere. Et lib. de Optimo corpo. ſtatu, non tantùm aſſerit, ſed ratione probat, corpus temperatiſsimum difficilè incidere in morbos, ſiue ipſi ab interna, ſiue ab externa cauſa ortum habeant. Nam cauſa externa difficilè morbum infert, vbi in corpore optimum adfuerit temperamentum. id enim longè diſtat ab omni diſtemperamento morbum inducente. Proderit quoque ad eas alterationes vitandas functionum bonitas: cuius gratia morbificas cauſas facilè tolerat. Ab intrinſecis verò alterationibus difficilè quoque patitur temperatiſsimum corpus. Nam in ipſo, neque plethora, neque cacochymia aceruatur, & naturales functiones quàm in aliis ſunt meliores, & excrementorum vehementior expulſio. Quòd ſi in corpore manſerint, diutius ſine offenſa ipſa feret. Non autem volumus alia corpora propenſiora ad omnes morbos, ſed diſtemperata corpora in aliquem morbum facilius incidere, quàm temperata in illum, aut alium. Hic eſt ſenſus præfatæ ſentẽtiæ. Nam in morbos calidos corpus calidum facilius incidit, quàm temperatiſsimum, in calidos aut frigidos morbos: & frigidum facilius incidit in morbos frigidos, quàm temperatiſsimum

Corpus temperatiſsimũ an magis alijs cauſis morboſis reſiſtat.

Temperatũ cauſis magis alijs obſtat.

in frigidos,aut calidos morbos. Nam corpus calidum à leuiſsima cauſa incaleſcẽs ægrotabit,vbi temperatum à leui cauſa,neque in calidum,neque in frigidum incidet morbum.Similiter cum corpus temperatum medium ſit mollis & duri, à cauſis internis,durum facilius patietur diſtemperiem, quàm temperatum ab internis,aut externis mutetur,quoniam omnibus modicè obſiſtit, & corpus molle ab externis facilè patietur, & facilius, quàm temperatum ab ipſis, vel ab internis. Quum ergo ita ſit diſtemperatum omne temperato faciliùs ægrotare,rectè dicetur temperatũ cauſis morboſis magis obſiſtere,id eſt,minus promptè in morbum incidere.Quanuis verum quoque ſit,quod ſecundo loco diximus, temperatum corpus à diſtemperatis, in reſiſtentia cauſis morbum inducentibus, aliqua ratione ſuperari.Quod fit:quoniam corpora calida morbis frigidis minus parata ſunt temperatis,& corpora frigida minus parata ſunt morbis calidis, ac difficilius in eos incidunt,quam temperata.Siquidem longè admodum à morbis & lapſibus calidis diſtant.Hanc ſecundam noſtræ aſſertionis partem Galen. ipſe ſcripſerat lib. de Optimo corporis ſtatu,dicens:Quapropter quod anteà diximus,non omnium reſiſtit maximè vitijs medium,ſed ſingulis vna aliqua re inferius:omnium autem maxime eligendum.Quo in loco præter id quod meam ſententiam approbat,primum quod diximus interpretatur,& exponit. Nam ſuprà eodem libro dixerat, quod adduximus,temperatum magis aliis morboſis cauſis obſiſtere,nunc tamen exponit idem dicens:Quapropter id quod antea diximus, non omnium reſiſtit maximè vitijs medium,de morbis intemperatura eſt intelligenda ſententia.Tertium quod dicendum propoſuimus eſt, an corpus id temperatiſsimum ſit omnibus aliis vitæ longioris.In hac quæſtione,vt breui referam, diuerſa ſenſerunt iuniores medici:quidam enim dixerunt temperatiſsima corpora, longiſsimæ vitæ eſſe,multis cauſis.Prima quoniam ea minimè parata ſunt ad morbos, & quæ minus morbis corripiuntur,diutius viuunt.Secunda,quoniam corpora optimè temperata facilius ſeruantur,in propria temperatura.ac per omnes ætates talia permanent.Tertia,quoniam licet corpora calida, & humida abundantia habeant vitæ principia,vita tamen non ſeruatur abundantia principiorum, ſed ipſorum commenſuratione. Talis autem in optimè temperatis optima eſt, in aliis verò minimè:nam calido & humido abundantibus, functiones non adeò probè fient. Alij dixerunt corpora calida & humida eſſe vitæ longioris, hac potiſsimum ratione moti,quòd vita calore,& humiditate conſiſtit,vt Ariſtot.dixit lib.de Longitudine & breuitate vitæ:& caloris,& humiditatis maior copia eſt in calidis & humidis,quàm in temperatiſsimis,ergo calida & humida ſunt longioris vitæ. Ad quod accedit quod Galen.lib.vj.de Sanit.tuen.dixit:Quippe ſi fieri poſſet,vt temperamentum corporis perpetuò humidum ſeruaretur,verus ſophiſtæ (cuius inter initia operis memini) ſermo eſſet,qui ſibi auſcultantem promiſit immortalem fore. Sed quoniam naturæ progreſſum,qui eſt ad ſiccitatem, effugere corpori non licet,vt antea docuimus,idcirco ſeneſcere nobis, corrumpíque neceſſe eſt:erit tamen id maximè diuturnum,quod fuerit minimè ſiccatum. Et rurſus infrà: Qui maximè ſunt humidi,hi maximè ſunt longæui.Similiter idem probatur: nam ſi mors naturalis conſumptione innati humidi euenit,vt notum eſt, & humidum innatum copioſius in calidis,& humidis corporibus eſt,id tardius abſumetur, vitáque diutius protogabitur. Quòd ſi quis talem obiecerit rationem:quemadmodum ſe habet multum calidum ad multum humidum,ita temperatum ad temperatum,ergo vt multum calidum tardè abſumit multum humidum,ita modicè calidum,moderatum humidum dicemus,non eſſe parem rationem: nam quanuis parem haberent proportionem,calidum tamen abundans pariter abundè humidum reficeret & abundantius,quàm moderatum:quo dato poſſet ſuũ humidum diutius ſeruare.Sed tamen neque eadem eſt proportio caloris multi, ad multum humidum,& moderati caloris ad moderatum humidum.Nam quæ conſiſtunt in aliqua proportione,& diſparia ſunt:ſi pari menſura augeantur,proportionem minuunt,& ſi ita fieret,vt ſimilem haberent proportionem, ac ſimili celeritate humidum

Temperatura vitæ longioris.

midum amborum absumeretur, temperatura optima citius deueniret, ad eam siccitatem, quæ calorem seruare non posset. In hoc dubio per calidam & humidam temperaturam non decet intelligere eam quæ multum habet caloris innati: nam quauis innatum calidum, sit quoddam calidum vaporosum & humidum, non dicemus corpus calidum & humidum, quod multum eius continet, sed temperatum. Calidum nanque innatum temperatum est, vt inquit Galenus prima sectione Aphoris. cõment. 14. & lib. 3. de Causis pulsuum, cap. de mutationibus pulsuum, pro temporibus anni. Calida ergo, & humida temperatura, lapsum significat à temperamento per calorem & humiditatem. De quo modò dicemus, ipsum esse ad longiorem vitæ conseruationem, temperamentum verò optimum esse, vt Galen. dixit, eligibilius. Ratio est, quoniam temperamentum optimum tutius est à morborum incursibus, ob causas in præcedenti dubio scriptas: corpus autem, quod minimè omnium ægrotat, securius ad vitæ finem perueniet, quàm corpus calore & humiditate abundans, quod propensum est valde ad morbos, qui ex putredine fiunt, & excrementorum redundantia. Cæterùm cùm ad iuuentutẽ peruentum fuerit, & à periculis liberum corpus euaserit, ita vt vi alicuius morbi non intereat, vbi temperatissimum corpus & calidum & humidum, naturali morte finem sint habitura, calidi, & humidi vita diutius prorogabitur. Nam calida, & humida temperatura tardius senescet: & quoniam tardius, ad frigidam & siccam temperaturam perducetur, in qua senectus cõsistit, tardius quoque ad extremam perueniet siccitatẽ, quam mors naturalis sequitur. Quibus atteſtatur, quod cùm ætates omnes siccitate distinguantur temperatura humida, & calida tardius exsiccabitur, & tardius singulas ætates transgredietur. Hæc docet in summa Gale. lib. 6. de Sani. tuen. parte citata. Quanuis ergo calida, & humida temperatura, longioris vitæ sit, ipsa nec salubrior, nec eligibilior est temperatissima: nam paucissimi sunt, qui morte naturali moriantur: ex morbo verò ferè omnes intereunt: ad morbum tamen distemperata corpora sunt paratiora. Ad rationes vero primæ opinionis facilè respondebit. qui intellexerit, temperaturam optimam tutius per ætates omnes degere, & minime omnium mori morte ex accidenti. Calidam tamen & humidam morte naturali, tardius deficere, magis ergo resistere, & magis posse seruari temperaturam optimam: causæ sunt, vt minus a morbis corripiatur, & minimè deficiat ob causam accidentalem. Habere tamen abundantem cum calore humiditatem causa est, vt mors naturalis tardius aduenìat. Hoc temperamentum optimum (quanuis in medio constitutum, & regula aliorum inueniendorum sit) antiqui medici, vt Galen. narrat prætermiserunt. Quorum quidam duas tantum scripserunt temperaturas, calidam videlicet & siccam, frigidam, & humidam: fieri non posse putãtes, vt calida temperatura sit, quin siccitatem excedentem habeat coniunctam aut frigidam, quæ non sibi adiungat humidam. Alij verò dixerunt temperaturas esse quatuor, calidam & humidam, calidam & siccam, frigidam & humidam, frigidam & siccam. Sed hi fuerunt bipartiti: nam quidam non tantum calidam & humidam temperaturam in rerum natura existere dixerunt, sed calorem non posse exsiccare Nam si agens calidum & humidum fuerit, non tãtùm calefacere, sed humectare poterit, & calidum sicco coniunctum, si exsiccat, non ob calorem: sed ob siccitatem id facit. Alij tamen esse quatuor temperaturas, ac calorem posse siccare concedunt: nam calida & humida temperatura, tandem actione caloris exsiccantis transit in calidam & siccam: quinimo & in frigidam & siccam. Verùm hi omnes maximè reprehendendi sunt, quòd temperaturam omnium optimam prætermiserunt, ac simplices intemperantias, De optima satis, supérque dictum est: eam nanque in rerum natura constare probauimus. Reliquæ verò intemperantiæ octo sunt, & in summa omnes nouem: vna temperata exquisitæ, octo intemperatæ quatuor simplices, quatuor compositæ. Simplices sunt calida, quæ in humiditate & siccitate, media est: frigida in humiditate & siccitate media: sicca media, in calore & frigore: humida similiter calore & frigore media. Quæ quatuor temperaturæ in vna contrarietate patiuntur lapsum, & in

Temperamentũ optimum antiqui prætermiserunt.

alia

alia mediocritatem seruant. Aliæ quatuor in duabus contrarietatibus mediocritatem excedunt, hæ sunt calida, & humida, calida, & sicca, frigida, & humida, frigida & sicca. Quatuor compositæ distemperantiæ simpliciter tales sunt. Quatuor verò simplices ex medio tales: partim namque temperatæ, partim intemperatæ sunt, quas negabant prædicti medici, putantes singulas distemperantias, qualitatum actiuarum adducere statim distemperantias in passiuis. Quorum opinionem falsam esse dixit Galen li. 6. de sanitate tuenda. Quos tamen Auerrois est sequutus. Verumtamen libro primo de temperamentis Gal. adeò valida ratione vtitur aduersus eos, vt nulla alia sit opus ad veritatem firmandam, & eorum sectam subuertendam. Calida enim temperatura non omnino sicca est, sed potest esse humida, quod ipsi concedunt. Nam aliquam dicunt esse calidam, & siccam, & aliquam calidam, & humidam. Quòd si calor immoderatus non pugnat siccitati, nec humiditati, non pugnabit medio inter vtramque qualitatem, atque id lapsum erit, simplici intemperantia ad calorem. Idem de frigida intemperie concedunt posse cum humiditate & cum siccitate excedenti reperiri. poterit ergo cum medio ambarum existere. De humiditate pariter eadem est probandi via. nam humiditas non omnino habet calorē coniunctum, sed potest cum calore, & cum frigore excedenti reperiri. poterit ergo, & cum medio caloris & frigoris. Idem quoque de siccitate. Vnde fit vt quatuor sint intemperantiæ simplices, ac quatuor cōpositæ. Præterea in mixtorum generatione, elementa æquis mensuris conuenire possunt, vt fit in generatione medii, in vniuersa substantia, aut in æquis mēsuris: sed ipsis conuenientibus euenit, vt inæqualitates sint 8. ergo omnes intemperantiæ tot erunt. Nam aut vincet solum vnum elementum, & id calidum, frigidum, humidum aut siccum, & hæ sunt quatuor intemperantiæ, aut vincunt duo, aut calidum, & humidum, calidum, & siccum, aut frigidum & humidum, aut frigi. & siccum, erúntque aliæ quatuor. Vincere tamen tria elementa non possunt, quoniam duobus vincentibus necessum est alia duo esse victa. Præterea fit calida, & sicca temperatura, quam medicus in humidam permutet, manente ipsa calida, quo dato aliquando perueniet ad temperamentum, in humiditate, & siccitate, manente calore, quæ simplex intemperies est. Quòd si aduersarius dixerit, ibidem temperiem sicci & humidi, non permansuram, aut calorem, ipsam mutaturum siccando, nihil refert: nam vt humida facta posset talis arte seruari multis diebus, ita temperata in sicco, & humido. Calorem verò non intelligimus adeò vehementem, vt humidum celeriter dissipet, sed eum qui reficere quoque possit, & humidum seruare, ea mensura qua temperatum dici possit. Nam vt diximus, omne tale temperamentum latitudinem habet intra quam tale dicitur, in huiusmodi intemperantiis omnibus denominatio à vincente sumitur qualitate, quemadmodum, & mixtum omne tale denominatur, non simpliciter, sed ad aliquid. Quod enim simpliciter tale est, id summè tale est, vt ipsa prima mundi elementa. Cum enim dicimus ignem calidum, simpliciter calidum dicimus, & aquam cùm dicimus frigidam, simpliciter frigidam, & summè frigidam dicimus, vt terram siccam & aërem humidum, ita vt quod exquisitè, ipsorum mediū est vt suprà, simpliciter medium & sine collatione tale dicatur, quoniam medium est exquisitè corū quæ exquisitè talia, & in extremo talia sunt. Cùm tamen animalis aut plātæ, aut metalli temperiem calidam dicimus, aut animal, plantā, metallū, calidum, non simpliciter, sed collatione ad aliud. Verùm id multis modis, vel facta ad mediū in vniuersa substantia collatione, quod per exuperantiam tale, & absolutè tale licet appellare. Aut ad mediū sui generis, aut speciei, aut ad aliud individuū quoduis obuium. Tale simpliciter est elementū quodcunque: calidū verò per excessum ad mediū in vniuersa substantia, leo, calidum collatum ad medium generis, aut speciei, vt homo, aut leo, quia medio suæ speciei labitur ad calidū. Aut signata formica, quæ quamuis à medio in vniuersa substantia ad frigidum labatur, in sua specie calida est, id est, à medio suæ speciei ad calidū labitur. Calidū verò collatione ad quoduis suæ speciei, vt Plato, qui quamuis frigidus natura sit, calidior est Demosthene.

Intēperies simplex probatur.

Tale ad aliud.

Quod

Quod tamen in humana ſpecie tale eſt,à medio ſuę ſpeciei,& medio in vniuerſa ſubſtãtia ad id labitur, quoniã idẽ eſt,humanę ſpeciei mediũ,& in vniuerſa ſubſtantia mediũ. Diximus in omnibus ſpeciebus,aut generibus,aliquod vnũ mediũ eſſe,cuius collatione ſingula illius generis,aut ſpeciei, denominantur talia. Verùm cũ tẽperaturę omnes,per ætates variationẽ admittant,ſequitur vt tẽperatus puer nõ ſit eiuſdẽ omnino temperaturæ: cuius eſt tẽperatus adoleſcẽs,aut ſenex, neque tẽperatiſsimus,ac medius in vniuerſa ſubſtantia,in omni ætate citra diſtinctionẽ exiſtat. Vt ergo tẽperatiſsimũ ſuo loco ſtatuamus,ætates primũ diſtinguemus eo modo quo latè diſtinximus li.1.Pro.in expoſitione 29.ętates quinque latitudinibus manifeſtè diſtinguũtur,ſuis nominibus inſignitæ.Hæ ſunt,Pueritia,pubertas,adoleſcẽtia,iuuẽtus,ſenectus. Prima ætas pueritia eſt,diuiſa in eam,quę eſt ante dentitionẽ,& eam qua dentes edunt,& eam quæ eſt inter dentatos,& pubertati proximos,& eam quæ eſt pubertati proxima. Hæc ad duodecimum & decimumtertium annũ extẽditur. hos Græci παῖδας appellant,hoc eſt, pueros. Hanc ſequitur pubertas,quam ἥβην vocant,hæc proprie dicta ad annum extenditur 18. quam ſequitur μέχρι οὗ, ἡλικία, hoc eſt adoleſcentia, vſque in vigeſimumquintũ annũ. Hanc ſequitur iuuentus,quæ ætas νεανίσκων appellatur,& ἀκμὴ,id eſt, vigor. Hæc à vigeſimoquinto in trigeſimumquintum annum extenditur.Sequitur inde ſenectus,quæ in tres ætates diuiſa eſt:quarum prima eſt ὑπολιπόντων,id eſt, crudorum ſenum,qui καθισταμένους,à nobis ſubſiſtentes appellantur,à trigeſimoquinto in quadrageſimumnonum annum. Hi enim in ſenum numero reputantur, vt latè in expoſitionibus Prognoſticorum parte citata probauimus. Secunda ſenectæ pars,quæ etiam proprie ſenectus appellatur,à quinquageſimo in ſexageſimũ annum procedit,poſt quam ad finem vſque decrepita ſequitur.Hanc ætatum diuiſionem optimam eſſe,& ad Gale.mentem exiſtimamus,ac perinde in expoſitionibus libri Prog.eandem ſcripſimus.Cæterùm tanta eſt medicorum noſtræ ætatis philautia,tanta iactantia,vt ea tantum quæ aſſequantur,laudent:reliqua verò, tum ob ignorantiam,tum ob malitiam,modis omnibus obſcurare conentur. Audio enim quoſdam temerè damnantes, quæ de ſubſiſtentibus à nobis dicta ſunt: nempe,ſubſiſtentes eſſe appellandos, & eoſdem eſſe cum crudis ſenibus. Quamobrem operæpretium mihi videtur,hoc in loco,rurſus eandem tueri, & cõfirmare.Diximus lib.1.Prog.in expoſitione 29.eam ætatem,quam Hippoc.prima ſect. Aphoriſ.13 appellauit καθισταμένων,non eſſe appellandam conſtantem, aut conſiſtentem,aut conſtitutam,ſed ſubſiſtentem. Quod quàm verum ſit, hinc conſtat: qui enim conſtant non minuũt aut vires,aut corpus,aut calorem,aut id quo conſtare dicuntur,ſed καθιστάντες tendunt in diminutionem:non igitur conſtant, aut conſiſtunt:id itaque nobis probandum relinquitur,καθιστάναι, quadantenus declinare & diminui,& verbum καθίστημι,à quo procedit,ſubſiſtere ſignificare,apud Hippocr.& Galen.Hippocr.quidem Prog.27.lib.1.inquit:Si autem febris perſeuerans vigeſimũ diem tranſgrediatur,& œdema μὴ καθιστάμενον, hoc eſt,non ſubſiſtat,in ſuppurationem vertetur,notum autem eſt,Hippo.non dixiſſe eos tumores verti in ſuppurationem,qui non conſiſtunt:potius enim ſuppurantur qui conſiſtunt,& magnitudinem ſeruant,quàm qui non conſiſtunt,illi tamen vere ſuppurantur,qui non ſubſiſtunt:quoniam ſubſiſtentes,& diminuti non ſuppurãtur,ſed euaneſcunt,& curantur. Quapropter probè admodum Galen.in eius Prog.comment.noſtram confirmauit ſententiam: dicens, omnes præter naturam tumores diſcuſsis humoribus facientibus ipſos,curantur,& καθίστανται,id eſt,ſubſiſtũt.Neminem verò exiſtimo adeò ſocordem, vt putet Galen.voluiſſe diſcuſsis humoribus,tumorem curari,& conſiſtere. verbum igitur καθίστανται, ſubſiſtere ſignificat in hoc loco. Eadem voce,atque in eadem ſignificatione vſus eſt Hippoc. libro citato Prog.31. Rurſus lib.2.de Arte curatiua,ad Glauconem,cap.de œdemate Galen.inquit: Nempe frictio ſola cum oxyrrhodino, & nonnunquàm cum ſale & oleo,paſsionem κατέστησε,hoc eſt,ſubſiſtere fecit.At verò id remedium non ſolet efficere paſsionem conſiſtere & permanere,ſed ſubſiſtere & aboleri, id volente,

Ætatũ generalis diuiſio.

An ætas à 35.anno in 49.ſit ſubſiſtentiũ,& crudorum ſenum.

Subſiſtentium ætas.

Gale.& atteſtante experimento quotidiano.Præterea Galen.lib.1. Aphoriſ.comment.13.exponens vocem καθεστῶτας,qua vſus eſt Hippo.inquit : καθεστῶτας verò appellat eos videlicet,qui mediam ætatem habent vigoris & ſenectutis, medij tamen,neque in vigore ſunt,neque in ſenectute. Qui verò non vigent, iam non conſtant,ſed minui incipiunt,quanuis non adeò manifeſtè, vt ſenes. Erunt igitur prædicti non conſtantes,ſed ſubſiſtentes. Quod rurſus confirmant verba ipſius de eadem ætate dicentis:Media autem inter hanc & adoleſcentiam,alia quædam ætas eſt,quemadmodum media ordine earum,ita facilitate & difficultate tolerantiæ.Media itaque inter adoleſcentes,& καθεστῶτας,alia ætas eſt:nempe iuuentus, in qua homines non amplius augentur,ſed vigent,atque conſiſtunt. Quòd ſi καθεστῶτες conſiſtentes eſſent,eiſdem forent annumerandi,nec reponerentur à Galeno in alia ætate:eſt tamen diuerſa ætas,in qua vere non conſiſtunt,ſed minui incipiunt,& ea ratione,ſubſiſtentes à nobis appellantur.Hanc quoque ætatem Galen.lib.3.Aphoriſ.cõment.30.πρεσβύτην,id eſt,declinantem ætatem appellat, non igitur conſtantem,aut cõſiſtentem.Hæc adeò nota ſunt, vt neque repetenda eſſe videantur,neque alia egere confirmatione,ab his,quæ à nobis in libris Prog.tradita ſunt:ſed ea eſt hominum malitia,vt plus tẽporis expendere cogamur in defendenda apud ipſos veritate,quàm in erudiendis tyronibus, & artis expertibus.

Fuchſius notatur.

Fuchſius verò in lib. cui titulum fecit,Inſtitutiones medicinæ,his quæ à nobis in expoſitione Prog.29.lib.1.tradita ſunt , cõtradixit,non tamẽ omnibus:taxãdum enim duximus,quod in Aphor.13.primæ ſect. conſtantem ætatem dixerit eam, quam Hippocr.καθεστῶτα,appellat.Præterea falſum eſſe notauimus, quod ipſe in compendio impoſuit.Hippoc.nempe πρεσβύτας appellaſſe eos, qui poſt viros ſequuntur,quos lib.de victus ratione dixit , frigidæ , ac ſiccæ temperaturæ eſſe. Nam ibidem πρεσβύτας,hoc eſt,ſenes,frigidos,& humidos eſſe teſtatur. Quod ad primum quidem attinet.Placuit nobiſcum eos ſubſiſtentes iam appellare,noſtris victus rationibus, etſi nonnunquam ſuo ductus errore,rurſus eoſdem conſiſtentes appellet.Quod tamen ad ſecundum ſpectat in prædicto loco,Hippoc. ſententiam a nobis admonitus in meliorem ſenſum mutauit, ſed tamen ægrè tuliſſe videtur,quòd in eadem prognoſtici expoſitione aduerſus ipſum dixerim ὠμογήρους,id eſt crudos ſenes,eoſdem cum ſubſiſtentibus eſſe,atque eorũ ætatem à trigeſimoquinto anno in quadrageſimumnonũ extẽdi,non vt ipſe putauit à quinquageſimo in ſexageſimũ.noſtras autem rationes ſoluere conatur. Quarum prima hæc eſt.Quod Galen.3.ſectio.Aphoriſ.commen.30.dixit,de ſubſiſtentibus:idem teſtatur lib.5.de Sanitate tuenda,de crudis ſenibus : eoſdem igitur eſſe putauit.ſiquidem id non de differentibus ætatibus dici poteſt:de ſubſiſtentibus enim dixit in comment.Aphoriſ.omnia vitæ munia æquè atque illi,qui in vigore conſiſtũt, conantur peragere,non tamen eo modo ad labores ſufficiunt,lib. tamen 5.de Sanitate tuenda,de crudis ſenibus,inquit:Prima pars ſenectutis ὠμογήρους,id eſt, eorum qui cruda , viridique ſenecta adhuc ſunt. dicitur propterea quòd adhuc obire ciuilia negotia poſſunt.Fuchſius autem ſoluens contendit hæc non eſſe eadem.Nam lib.5.de Sani.tuen.ſimpliciter, & citra collationem eos ciuilia negotia obire dixit,in cõment.verò Aphoriſ.non ſimpliciter , ſed collatione cum his, qui ætate vigent,& non priuatim ciuilia tantùm, ſed omnia vitæ munia peragere conari,ait:ſed nos rurſus hæc,eadem omnino eſſe probemus.Humana negotia quędam ſunt ciuilia,quædam verò ſunt priuata:de quibus ſunt corporei labores , vti meſſorum,fabrorum,ſutorum,& iter agentium. Cùm igitur lib.5.de Sanit.tuen. dixiſſet,crudos ſenes obire ciuilia negotia poſſe,in commen.Aphoriſ.dixit , omnia vitæ munia conari peragere,ſed non ſufficere ad labores , hoc eſt ad priuata negotia,ad quæ obeunda neceſſum eſt pati Solis calorem , refrigerationem , inediam,& quandoque humi cubare. Si tamen ad hæc negotia non ſufficiunt , reliquum eſt,vt ad ciuilia negotia valeant.Neque vt Fuchſius ſenſit,omnia vitæ munia peragere poſſe ſubſiſtentes,voluit Gale.ſed conari,non tamen ad omnia ſufficere.Quod verò in altero loco cum collatione ad ætate vigẽtes loquatur,in altero non,

Lege uicto

ro non,nihil omnino refert: nam cùm dixit, crudos ſenes ciuilia negotia obire poſſe.intelligi debet, vti & reliquarum ætatum homines ad id valentes. de quibus ſunt vigentes, atque hi maximè. Altera ratio noſtra. quam Fuchſius ſoluere tentat,ex Gale.deſumitur,qui lib.2. Progn.comment.69.loquens de his, qui nimium ætate proceſſerũt,quos ſimpliciter ſenes appellandos eſſe,& citra collationem vult,inquit:Sed qui inter hos,& ætate vigentes interiacent,vtpote ſemicani, crudíque ſenes nomine, conualeſcere videre licet interdum magis quàm vigentes.Crudi igitur ſenes,ante ſenes ſimpliciter ſunt,& poſt vigentes ſequuntur: ſic etiam ſubſiſtentes.Quapropter ſubſiſtentes crudi ſenes erunt. Reſpondet Fuchſius,Gale.duobus nominibus appellaſſe eos,qui inter vigentes,& ſenes ſunt priores:nempe ſubſiſtentes,ſemicanos,aut media parte canos, poſteriores crudos ſenes.At verò perperam contexit literam:quæ ſic habet, τὸς δὲ μεταξὺ τούτων ἢ τὸν ἀκμάζοντων, οἵπερ καὶ μεσηπόλιοι καὶ ὠμογέροντες ὀνομάζονται.quod eſt, Eos verò qui mediant inter hos,& vigentes (ſunt autem hi,ſemicani,crudíque ſenes nominati) quibus verbis omnibus conſtat Gale.velle, ſubſiſtentes bitariam nominari,nempe ſemicanos,& crudos ſenes: nam ſubſiſtentes ſunt, qui mediant inter ſenes,& vigentes.Omnes igitur,inter vigẽtes & verè ſenes, qui ſubſiſtentes ſunt, ſemicanos,& crudos ſenes nominat.Præterea,quæ citauit ex Fauorino, nihil ei omnino fauent.Hæc enim ſunt Latinè donata, Semicanus eſt, qui prætergrediẽs vigentem, peruenit in declinantem, ſiue crudum ſenem,& modicè quodammodo canum.ex quibus manifeſtum fit,non quod Fuchſius, ſed quod nos volumus: nam pars illa,modicè quodammodo quid per crudum ſenem intellexerit, explicat,& ſemicanum eſſe crudum ſenem,ſignificat. nam dixit ſemicanũ eſſe crudum ſenem, ac modicè canum. Dicat autem Fuchſius precor, Si crudi ſenes à quinquageſimo anno incipiunt, quo pacto fiet,vt ſemicanus ſit is,qui prętergreditur vigentẽ, & peruenit in crudum ſenem:nam qui prætergreditur trigeſimumquintum annum,limitem vigoris,non incidit in quinquageſimum.Adde Fauorinũ dixiſſe, ὅθεν ὅτως ὠμογέρων ὁ λιγόμελος πεπόλιος, hoc eſt,eſt ita crudus ſenex,qui antę tempus caneſcit nam πεπόλιος, autore Elio Dionyſio,is eſt,qui ante tẽpus caneſcit.Nemo tamen dicet,quinquagenarium ante tẽpus caneſcere, neque natu maiorem:non igitur crudi ſenes à quinquageſimo incipiũt anno.Ad illud tamen reſpondere prætermiſit,quod ad finem prædictæ noſtræ expoſitionis addidimus, ex Galeno lib.5.de Sanit.tuen.ſenectus nihil aliud eſt, quàm frigidum, & ſiccum temperamentum,annorum numero prouenies,ſed ſubſtinentes,qui ſunt à trigeſimoquinto in quadrageſimumnonum annum,vt Fuchſius quoque cõcedit,frigidam,& ſiccam habent temperaturam annorũ numero prouenientem:ergo ſubſiſtentes ſenes erunt:non ſunt tamen in ſecunda, aut tertia ſenectutis parte: erunt igitur in prima,ſed hæc eſt crudorum ſenũ.Colligitur ſubſiſtentes eſſe crudos ſenes.Cum verò nihil quod reſponderet, haberet Fuchſius,hæc ſubticuit, addens omnibus conſtare noſtras rationes nullius eſſe momenti, quas vel ipſo momento temporis conuincere,quiuis præter Fuchſium agnoſcet. Cogimur præterea, neſcio qua cõmuni ſcribentium infœlicitate, aliis de eadem re nobiſcum diſceptantibus reſpondere, etiamſi notiſsimum putem noſtram ſententiã eſſe abunde probatam,& apud ſapientiſsimos quoſque cum applauſu receptam,vt repugnãtibus ſatisfaciam,& tirones à calumniis,& falſis documentis eripiam.Quendam audio dicentem vocem, καθεστικὸς,non ſignificare eum qui ſubſiſtit,ſed conſiſtentem,ad quod comprobandum citat ſententiam Gale.qua lib.1.Aphoriſ. comment.13. dixit,καθεστικότας hoc eſt,conſiſtentes appellat manifeſtè habentes ætatem mediam vigoris,& ſenectutis.Sed quid contra noſtram habet ſententiam? nónne vt diximus,licebit nobis hoc in loco καθεστικότας,ſubſiſtentes conuertere,præſertim cùm eos dixerit,medios vigoris & ſenectutis:non enim erunt vigẽtes. quod ſi non vigent,non conſtant,ſed ſubſiſtunt,& inclinare incipiunt.Rurſus citat Hippoc.lib. de Ratio.vict.qui dixit, Vir,cum ſteterit corpus,frigidus& ſiccus.vbi nihil de inclinante ætate dixit,præter id quòd iuuenes frigidos & ſiccos eſſe dixit,& ado-

lescentes calidos,& siccos,sed placet interrogare interim contradicentem, quare has sententias,quæ nihil omnino ad nostrum agunt institutum, primò græce, & deinde latinè citat. At quid in ea re moror? vt putet vulgus imperitũ eum repentè græcum euasisse. Benequidem: quamuis neque apud idiotas liceat tam male vertere breuissimas orationes: cùm enim Galen sententia ab ipsis citata dixisset: καθεστῶτας δὲ λέγω δηλονότι τοὺς τὴν μέσην ἡλικίαν ἔχοντας, neglecta Leoniceni versione, sic vertit, consistentes appellat manifeste, habentes ætatem medium: verùm aduerbium δηλονότι, non manifeste, sed id quod videlicet, significat, siquidẽ aduerbium declarantis est, ac perinde rectius dixissent, subsistentes autem appellat videlicet eos, qui mediam habent ætatem. Sed liceat, si placet, his quoque libros scribere, & suas paginas græcis characteribus ornare, nullo vsu. Nec decuit illud silentio prætermittere, ne quispiam hominis pudorem in differendo ignoret, cùm intellexisset is, cuius excidit nomen, me interpretatum fuisse vocis huius καθίστημι, significationem in morbis, ex lib. Gal. de arte curan. ad Glauc. & ex li. 2. prog. dixit, non licere vsurpare significationem huius vocis καθεστικὸς, eadẽ ratione in morbis, & hominum ætatibus: ac si non liceret vno nomine diminutionem morborum, & caloris, per ætates nominare. Et Ilatium contra nos adiungit rationem desumptam ex li. 4. de ratio. vict acu. com. 52. vbi Gal. inquit καθεστικὸς. significat idem quod τὸ βεβαίον, id est, stabile, ac firmum. Erunt igitur prædicti constantes, non subsistentes. Cùm autem Hippocrates dixisset febres inconstantes esse finendas, donec consistant, & constans aliquid habeant. Gal. exponit febres inconstantes, quæ nihil habẽt καθεστικὸς, id est firmum, & inuariatum, in periodis, & vrinis. Ecce vbi de morbis loquitur, & verbi significationem vis in hominum ætates trãsferre, dictorum oblitus? Sed age concedito nobis communes tecum disputandi leges. Nihil tamen est quod in hac sentẽtia ad nostrum agat institutum: quamuis enim nos eos qui aut calore, aut viribus inclinare incipiunt, post vigentes, subsistentes, & non consistentes, cum omnium fere consensu appellemus, non ignoramus, verbum καθιστάναι, significare quandoque, quod latini dicunt confirmare, constare, committere, componere. placidum reddere, & καθεστικὸς, sedatum, pacatum, quod subsidet, vt aqua turbida & subsistens. Neque qui has appellat καθεστηκότας, id est subsistentes, tollit quo minus παραγμάζοντες appellentur. Has omnes ætates non annorum numero, sed temperamentorum distinguimus diuersitate, cum Gal. qui li. 5. de sanitate tuenda dixit: Nec tamen est has ætates annorum numero circumscribere, quemadmodum nonnulli fecerunt, nisi forte in latitudine quadam. Et quinto libro de sanitate tuenda dixit: Quod omnes homines senectutem vocant, non aliud est, quàm frigidum & siccum temperamentum annorum numero prouenies. & li 2. de temperamẽtis late docet, ætates siccitate distingue re. Cum enim infans in vtero continetur, humidissimus est, ex sanguine, & semine confectus. Demum nuper natus tenerrima habet membra omnia, ita vt ossa ipsa obstetrices, manibus conformare valeant. Ea est eorum mollitudo. Quod agnorum, & porcellorum ossa palàm ostendunt, quæ caseo recenti similia adhuc sunt, & caro adeò humida, ac lenta vt edi non possit. Procedente tamen tempore animalia, & plantæ, quæ maximã à principio sortiuntur humiditatem, siccantur per omnes ætates donec siccitatem euidentem sint adepta. Calidum enim per petuò in humidum agit, ipsum siccando, ita vt parte tenuiore resoluta, reliqua magis crassa ac terrena, quàm ante permaneat. Nec tamen id solius naturalis caloris actione euenit, sed etiam, ob animi accidentia & motus corporis, & aërem ambientẽ, quę corporũ nostrorũ humidiorem partẽ dissoluunt. Sic ad senectutem & mortẽ proceditur. Nã vbi mors naturalis euenerit, siccitatis ratione fiet. Calore quoq; ætates distingũtur: nã quãuis vsq; ad adolescẽtiã, calor naturalis æqualis seruetur, deinde manifeste declinat, ita vt senectus frigida sit & sicca temperies: & si ob excrementorum abundantiam ipsam humidam esse putare quis possit. Cæterùm, quanuis multa pituita & catarrhis abundent, id non attinet ad solidorum membrorum temperiem, qua & pueri humidi, & senes sicci sunt. Et anima-

Ætates tẽperamentis distinguuntur.

Ætates calore distinguuntur.

lia

lia ipsa docent: quorum ossa durissima in senectute redduntur, & carnes fibrosæ. Senes itaque frigidi & sicci sunt, pueri calidi & humidi. Et calor eorum temperatus est, sed humidum abundans: tale enim esse decet eorum humidum, qui extensioni & augmento sunt parati. Verùm cùm augmentum iam finitur, humidum ad æqualitatem deducitur, vt caloris agentis: calidum tamen æquale manet ei, qui erat in pueris, in quibus temperatus est calor, reliquum est, vt in tali ætate temperatura omnium optima reperiatur. Talis autem est ætas adolescentium. Nam 6. de Sanit. tuen. eam dixit esse omnium optimam, nempe μέρακίων ἀλικίαν, quanuis lib. 2. de Temperamentis in ætate quam vocat ἀκμὴν, dicat inueniri medium extremorum cuiusuis speciei. Sed dicemus ἀκμὴν, id est vigorē significare, non ætatem aliquam signatam, sed omne tēpus vigoris ætatis, quod comprehendet adolescentiam & iuuentutem: atque appellari, ἀκμάζοντας adolescentes, & iuuenes à Galeno. Primò de iuuenibus lib. 1. de Sanit. tuen. cum corpus ad summum incrementum peruenerit, ἀκμὴν appellari dicit, in iuuentute verò corpus ad summum peruenit incrementum, & non ante. Rursus lib. 2. Prog. comment. 69. dicit, crudos senes magis à morbis liberari, quàm ἀκμάζοντας, id est, vigentes. & id probat auctoritate Hippoc. de dolore aurium, vbi 14. Prog. lib. 3 dixit, iuuenes, quos νέους appellat, magis à dolore aurium liberari, ergo quos Hippo. in hoc loco dixit νέους, id est iuuenes, Galen. in 69. comment. dixit ἀκμάζοντας id est, vigentes: ἀκμὴ ergo de iuuenum ætate dicitur. Rursus idem libro 2 de Temperamentis: cùm inquit, πολλῶν γὰρ ἁφεξῆς ἀπτόμενος σωμάτων ὑδρωπικῶν ἢ παίδων ἢ βρεφῶν ἁπαλῶν καὶ μέρακίων, καὶ ἀκμαζόντων hoc est: Cùm enim deinceps multa corpora tangerem, non tantùm puerorum & infantium, sed & adolescentium & iuuenum, vbi distinxit ἀκμὴν, id est vigorem ab adolescentia, & per ἀκμὴν, iuuentutem significauit. De adolescentia tamen dici voluit eam vocem, cùm secundo de temperamentis, mediū in speciei extremis in ἀκμὴ, inueniri, hoc est in adolescentia, dixit: vbi enim per ἀκμὴν, id est, vigorem, adolescentiam intellexit, quam in ætatis vigore includit, quemadmodum & loco citato 6. de Sanit. tuen. inquit enim: Erit autem medij temperamenti (quod eucraton Græci vocant) in ipso vigoris tempore, quam ἀκμὴν Græci vocant, & addit: Optimam nanque temperiem in adolescentia corpus obtinet. Ecce vbi adolescentiam intra ἀκμὴν, id est vigorem comprehendit. Ex dictis duo dubia oriuntur. Primum est, an humidum innatum, quod medici radicale appellant, possit reficī melius priore, pro vita seruanda. Secundum, an calor pueri, & ætate florentis, sint æquales. Circa primum dubium, probant medici, humidum innatum posse reficī melius præexistente. Primò quoniam possibile est, hecticū sanari, & eum qui elephantiasim patitur: sed ipsis sanatis, humidum quod succedit, melius est ad vitæ conseruationem. Igitur humidum reficitur melius, Hecticum autem sanatum, & elephantiasim patientem, posse diutius vita frui, nemini dubium, & similiter quod id, humidi melioris gratia fit. Præterea innata temperatura quam diximus in primorum elementorum substantia cōsistere, permutari potest in optimam, ex lapsa ad frigidum & siccum, sed in optima temperatura, humidum est melius ad vitæ conseruationem: igitur in permutatione illa, humidum reficitur præcedente melius. Quidam respondent ad dubium duabus adhibitis distinctionibus: quarum vna est, humidum inquiunt, melius bifariam dicitur, aut ad vitæ prorogationem, aut ad actionum perfectionem, ac dicunt, humidum reficī melius ad actiones obeundas. Quod docet ætas adolescentiæ, in qua multæ actiones sunt perfectiores eis quæ in pueritia. Alterum autem membrum iterum distinguunt: nam reficī humidum melius ad vitæ permanentia, intelligendum aut substantialiter, aut qualitatiuè, vt eorum verbis vtar: atque inquiunt, humidum innatum potest ad vitæ durationem reficī melius præcedente, qualitatiuè, non melius substantialiter: sic enim fit in hecticis, & elephantiasi laborantibus, vt cum humido succedente, cum sanantur, diutius viuant, quàm cum præcedente: quoniam id qualitate meliori est præditum, quàm quòd præfuerat: non tamen est substantialiter melius: quoniam cum illo quod præfuerat, vita seruari po-

Temperatura optima qua ætate.

Humidum innatum an melius reficī possit.

test,non minus quàm cum succedente:quinimo magis,vbi homo debitè regatur, ac curetur,& vti paulatim dissolvitur,ita aliud reficiatur melius,quoad fieri possit.Idem etiam dicunt de frigida & sicca temperatura,in optimam mutata: cum humido enim præcedenti homo ille viuere potest, toto tempore quo viuit post permutationẽ,& per tempus ipsum permutationis. Cum priore igitur amplius, quàm cum sequenti viuit.Suam vero opinionem confirmant.Nam si fieri posset, vt humidum reficeretur ad vitam longiorem, vita posset perpetua fieri: si enim cum humidum prauum est,id licet in melius mutare, melius id similiter mutabitur in aliud melius,& tale conseruaretur refectione perpetuò.Horum opinionem refutare facillimum est: nam cùm ipsi cõcedant humidam sani hominis esse melius ad diutius viuendum,quàm humidum hectici,aut laborantis elephantiasi,sequitur vt id sit & qualitatiuè,& substantialiter melius.Nam si ad vitam melius dicitur humidum ob qualitatem, & ob substantiam, qualitas significabit calorem, frigiditatem,humiditatem,& siccitatem:substantia verò,crassitudinem & tenuitatem.Iam ergo,si cum humido sequenti diutius homo viuit, quàm cum præcedenti, conditiones habebit ad permanendum necessarias: sed hæ consistunt in qualitatibus,& substantia humidi:ergo id erit melius præcedenti,qualitatibus, & substantia.Etenim si qualitatibus tantum melius est,& substantia minus bonum: sequitur,vt tantùm impediatur vita à defectu substantiæ, quantum prorogabitur cum tali humido ratione qualitatũ:quo fiet, vt non viuat homo diutius cum refecto humido,quàm cum præcedenti. sed contrarium euenit, non ergo erit id humidum sola qualitate melius. Quod verò dicũt,cum humido priori hecticum viuere per tempus refectionis,& toto tempore post ipsam,vsque ad mortem,tali facta refectione,nihil agit ad dubij solutionem.Non enim quæritur,an toto humido corrupto possit fieri,vt totum aliud melius eo reficiatur,nihil de priore manẽte.Sed an paulatim dissoluto humido,& sensim altero succedente,id quod succedit,coniunctum priori sit melius,compositio ex resoluto & remanenti,quod in ægrotis dictis concedere tenentur.Nos verò dubium aliter soluemus,initio sumpto ab his quæ diximus lib.1. de Differ.febr.comment.11. quatuor enim sunt in corpore humano humiditates.Prima quæ in exilibus venis continetur.Secunda quæ membris est effusa ad roris speciem. Tertia carnosa ipsa substantia, concretione genita,& quæ in solidis partibus cõtinetur.Quarta est solidarum partium substantia.Ibidem quoque diximus per febres fieri earundem humiditatum consumptiones,ac inde sequi, vt ex hecticis febribus quædam facilè curari possint, quædam omnino immedicabiles sint,quædam medio modo se habeant.Nam febres in quibus humiditas in exilibus venis contenta effervescit,aut ipsa siue rorida absumitur,facilè curãtur.Siquidem adiecto sanguine hæ humiditates reficiuntur.Rorida verò humiditate ferè in totum absumpta, & in absumptionem tendente carnosa solidorum substantiâ,difficile medicabilem reddi affectionem, est notum.Veluti & quod omnino immedicabilis est dispositio,per quam membrorum solidorum absumitur substantia.Modò pariter dicemus humidum innatum significare id quod partibus solidis sparsum est, ad roris speciem, aut carnosam partem solidorum membrorum,aut eorundem substantiam, primum refici potest,& secundum quanuis difficile, tertium omnino non reficitur. Primum namque & secundum ex sanguine fiunt.tertium autem ex semine sanguinem autem generare facile est semen verò difficile,languentibus tamen solidis ipsis partibus ob consumptionem,omnino impossibile.Cum autem ætatum processu,non tantum primum & secundum,sed etiam tertium sensim absumatur,fiet vt vita natura aliquando deficiat,absumpto tertio humido membrorũ solidorũ:nempe substantia,qua consumpta valde,neque primum & secundum humidum reficere valebunt membra,in quibus altrix sedet facultas,neque facultas, neque anima ipsa ibidem manere.Aliquandiu itaque solida nõ valde exsiccata humidum primum & secundum adeò probè reficiunt,vt non tantum quale est, sed melius subrogetur priore.Quamobrem è morbis & siccitatibus, aut febribus: aut aliis conua-

Humidi innati refectio in melius an fiat.

lescunt

leſcunt homines,& temperatura melior redditur,& humidior, & longioris vitæ. Quoniam cùm primum humidum & ſecundum refici,& in melius mutari poſsit, corpora humidiora euadere ſæpe fiet,& vitam prorogari continget.Siquidem ſolidorum membrorum ſubſtantiæ tardius abſumentur,vbi humidum roridum & carnoſa ipſorum ſubſtantia humida & copioſa adfuerint, ac perinde tardius homo ætates percurret. Non tamen quoniam ſolidæ ſubſtantiæ refectio in melius vnquam fiat,aut in humidiorem mutatio.Cuius rei teſtis eſt Galen.lib.artis medic.cap.5 9.dicens:Ipſe enim ſolidæ corporis partes, quæ verè ſolidè ſunt ac primæ,nullo modo fieri poſſunt humidiores:at ſatis eſt,ſi quis eas celerius exſiccari prohibeat,intercepta autem in ipſis ſpatia,hac vel illa humiditate complere, poſſibile.hæc verò eſt proprium partium ſimilarium alimentum,quod ex appoſitione fit,& non per vaſa attrahitur.Quod verò dicunt hecticum curari,& in humidiorem temperaturam tranſire,melioris humidi refectione,verum eſt:ſed tamen id humidum quod reficitur,non eſt de ſubſtantia ſolidæ partis, hanc enim humidiorem reparari non contingit:ſicuti neque hecticam in tertia ſpecie curari, quæ marcor torridus eſt. Quoniam id humidum, quod eſt ſolidorum ſubſtantia,non reparatur humidius,ſed ſemper ſiccius.Quod etiam de elephantiaſi ferunt, ipſa non eſt morbus in ſolidorum temperie conſiſtens,ſed in humorum redundantia, quam ablatione curamus,& rurſus bonorum ſuccorum refectione, & recreatione.Innatam igitur ſolidorum ſubſtantiam humidiorem reddere impoſsibile, aut eius exſiccationem prohibere,ſed retardare tantummodo & mortem prorogari contingit,impediri tamen nullatenùs.Secundum dubium propoſitum fuit, an iuuenis,qui ἀκμάζων appellatur à Galeno,ſit puero calidior: horum enim duorum Gale.collationem in dubio ſeruat libro 2.de Temperamentis, ſemper conferens ἀκμάζοντας,id eſt iuuenes pueris,neque intelligit per ἀκμάζοντας (quos Thomas Linacrus interpretatur florentes) adoleſcentes:nam vt cõſtat ex ſententia adducta ſuprà ex lib.2.de Temperamentis.in Græco codice habetur μέσων,καὶ ἀκμαζόντων.hoc eſt,adoleſcentium & florentium ætate.Quo in loco diſtinguit adoleſcentes à florentibus.Erunt ergo florentes iuuenes & non alij, ſed Gale. ſemper comparat ἀκμάζοντας,id eſt,florentes, ad pueros:ergo de pueris & iuuenibus eſt præſens dubium.Circa quod Galen.diuerſos fuiſſe medicos refert 2.lib.de Temperament. Nam quidam dixerunt, pueros eſſe calidiores,multis rationibus id ſuadentes.Primò,quoniam ſanguis calidiſsimus eſt eorum quæ in corpore continentur,infantes verò ferè ſanguis ipſe ſunt,ex quo fuerunt in vtero matris conſecti,vt notum eſt:quoniam nos ex ſemine & ſanguine menſtruo ſumus. Sic etiam & pueri tanto erunt iuuenibus calidiores,quanto his qui in vtero geſtantur, ſunt propinquiores.Rurſus id ex functionibus probant.Nam pueri magis appetunt iuuenibus,& cibos conficiunt,non tantùm alitionis gratia,ſed & augmẽti. Et quoniam alimenta multa celerrime conficiunt.Alij verò contrarium affirmant:nempe iuuenes calorem habere maiorem pueris,quod probare nituntur ex ſanguinis copia,quæ iuuenibus tanta eſt,vt è naribus prorumpere ſæpe ſoleat.Rurſus bilis, calidiſsimus humor eſt,& in iuuenibus magis abundat,quod multa experimenta docent.Rurſus ex functionibus:quoniam iuuenes melius progrediuntur, & duriores cibos conficere valent.Quod autem in contrarium adductum eſt, pueros magis appetere,id frigiditatis potius quàm caloris eſt. Quod verò celeriter alimenta conficiant,id attinet potius ad humiditatem:& quoniam, vt infrà dicemus contra Lycum, calor innatus fortior in pueris eſt: quin & multo ſomno corripi pueros,ad frigiditatem attinere videtur,cùm ſoporifera medicamẽta frigida ſint. quod etiam teſtatur ſenſuũ defectus ac intellectus hebetudo.Hæc ſunt in ſumma quæ Gal.ex aliorũ opinione recitat, quos non rectè procedere probat ad temperamentorũ inuẽtionem.Nam cùm de calido & frigido dubium ſit,& qualitatum tangibilium certiſsimus iudex ſit tactus, ipſi non aliunde quàm ex tactu ſumere deberent argumenta ad inuentionem magnitudinis caloris eius qui eſt in actu, qualis eſt in animalium corpore, non de eo qui eſt potentia talis. Quod enim tactus

Iuuenis & pueri calores.

ctus calidum iudicat, id calidum est, & frigidum quod frigidum. Vbi sensus tactus ab omni aliena qualitate fuerit immunis. Qui verò tactum ipsum circa tangibilia, & gustum circa sapores, & visum circa colores non approbat, is in Pyrrhonis incidit ignorantiã, qui negabat sensum & intellectum. Porrò antequã Galeni mentem in hoc dubio exponamus, sciendum est, quòd libro secundo de temperamẽtis, duobus modis comparat calorem iuuenis calori pueri, hoc est caliditatem, quæ qualitas est, & tactu deprehenditur. Vno modo in quantitate: qua ratione, licèt non admodum propriè, calor dicitur maior aut minor. potius enim intensior & remissior dici deberet. Altero modo in acrimonia & suauitate: quorum duorum quiuis tactu percipitur, & distinctionis tactus est iudex. libro tamen primo aphorism. commentario decimoquarto, sequens Hippocratis sententiam, comparat calorem iuuenis ad calorem pueri in quantitate. Quo in loco, non de qualitate, quæ est caliditas, sed de calore qui est substantia, loquuntur Gale. & Hippo. ibi verò, & in libro aduersus Lycum docet Galen. rectè dictum ab Hippocrate. Eos qui crescunt plurimum habere calidũ innatum. Nam Hippocrates non simpliciter dixit pueros plurimũ habere calidũ, sed innatũ, addidit. Voluitque eos ad omnes alias ætates comparare: pueros inquã & eos qui augentur, iuuenibus & senibus, & in summa eis qui non augentur. Si quis tamen isto modo calorum collationem facere voluerit, rectè dicet, calorem in pueris & infantibus maiorem esse, quàm in reliquis ætatibus, & calorem eorum qui augentur, maiorem quàm iuuenum & adolescentium, quantitate inquam maiorem. Nam calor innatus, de quo loquimur, bene temperatam habet substantiam, quæ ex sanguine, spiritu, & aerea substantia, ortum habuit, vt in commentario decimoquinto primæ sectionis aphorismorum. Hanc autem substantiam aeream & aqueam esse dicit commentario decimoquarto, & ipsam semen, & sanguinem menstruum eodem loco & libro de semine, vt latius cap. præcedenti docuimus. & libro quinto de simplicium medica. facultatibus cap. 8. calorem naturalem dixit, sanguinem spiritum & aëream substantiam. Rursus libro octauo de placitis Hippocratis & Platonis innati calidi substantiam indicauit, ac ipsum non esse ignem, hoc est, de ignis natura. Quoniam si coctiones digestiones & sanguificationes ab igneo calore fierent, febricitantibus meliores essent. Sed tamen non ab igneo calore fiunt, sed ab eo quẽ innatum calidum Hippocrates appellat, qui in aerea, & aquea substantia consistit, hoc est in humida substantia, quæ est semen & sanguis menstruus. Qualitas verò ipsius innati caloris temperata est, hoc est, moderatus est calor in contrarietate, quæ est inter calidum & frigidum. Hic innatus calor maiori copia continetur in pueris, quàm in adultis, & reliquis qui magis ætate processerunt. Nam quamuis in iuuenibus maior copia sanguinis contineatur, & spirituum, & membra ipsa ex semine genita sint maiora, in illis calor innatus non est purus, sed mixtus. Itaque totus calor mixtus ex innato & ascititio, in iuuenibus maior est: sed purus & syncerus, & aëreus, qui semen & sanguinem menstruum & temperamentum in calore & frigore repræsentet, maior est in pueris. Quod docet prima ipsorum generatio ex semine & sanguine mẽstruo: hæc enim substãtia perpetuò dissoluitur, cuius loco alia succedit magis ignea atque terrena quod tactu dignoscitur. Calor enim innatus, suauis est & mitis ac vaporosus, vt in pueris constat, quoniam in humida substantia, & aerea consistit: in reliquis verò ætatibus, mordax, acris, ac minimè vaporosus, qualis in arido subiecto, terreæ & igneæ naturæ. Est enim iuuenis calor veluti dolium magnum vino plenum, multa aqua mixtum. id enim multum est, sed impurum, puri autem parum ibi continetur. Puer verò vt dolium paruum, vino immixto plenum. Fieri enim potest, vt id dolium paruum, puri, & immixti vini plus contineat, quàm magnum dolium. Ita fit, vt immixti caloris, pueri & qui augentur plus contineãt. Tanto enim purius est humidũ, & minus mixtus calor qui substantiã significat, quanto magis ad primam ipsam puritatẽ principij generationis accedit. nam deinde procedente tẽpore, loco eius qui dissoluitur, pars succedit magis terrena, & humidum ipsum quod remanet aridius, & magis

Calores iuuenis et pueri duobus modis comparantur.

Calor pueri maior calore iuuenis.

terre

terrena,& humidũ ipſum quod remanet aridius,& magis terrenũ efficitur, totũ ergo ex præcedenti & aduentitio compoſitum impurius eſt. Lycus verò contra Hipp. ſententiã inſurgit dicens: Aut Hippo. cum dixit pueros plus habere calidi innati,intellexit caloris ſubſtantiam,aut qualitatem,aut fortitudinem.Si ſubſtantiam,falſus eſt:quoniam ſubſtantia ſanguinis ſpirituum, & membrorũ maior eſt in iuuenibus,vt conſtat. Si intellexit qualitatẽ,impropriè locutus eſt, dicens:plus habere caloris pueros,quũ non rectè dicantur de qualitatibus magis & minus,ſed intenſius & remiſsius. Addequòd qualitas caliditatis in iuuenibus videtur tactu maior quàm in pueris.Si verò Hippocr.intellexit fortitudinem,verum dixit,ſed malè vſus eſt nomine,dicens:plurimum calorem, eum calorem, qui fortior eſt. Verùm Galen.in lib.aduerſus ipſum, in omnibus his quæ à Lyco proponuntur, veram eſſe ſententiam Hippocr.probat. Nam innatus calor maior eſt in pueris, vt diximus,quia per calorem innatum intelligit ſubſtantiam impermixtam, quæ maior eſt in his qui creſcũt.In qualitate quoque caloris verum eſt,ipſam eſſe maiorem in his qui creſcunt,non quauis qualitate caloris,ſed qualitate caloris innati,quoniam talis qualitas ſuauis eſt:eorum verò qui conſiſtunt, mordax non vapori,ſed fumo ſimilis.In fortitudine quoque fortior eſt puerorũ calor,quod functiones naturales oſtendunt.Non tamen dici adeo propriè de qualitate multum, & paucum,notum eſt.Neque tamen de qualitate caloris innati, ſed de eius ſubſtantia locutus eſt Hippoc.de qua rectè dixit,plurimum continere eos qui augentur.Hæc de collatione caloris iuuenis ad calorem pueri,vt calor ſubſtantiã ſignificet, dicta ſint ſatis.Lib.tamen 2.de Temperamentis Gale. confert calores iuuenis & pueri,vt calor dicit qualitatem. Duobus tamen modis hi calores conferri poſſunt,aut in intenſione,quomodo calorem portionum ſex dicimus eſſe maiorem, aut intenſiorem calore portionum quinque. Sunt enim hæ quædam caloris & aliarum omnium qualitatum portiones, quibus totam qualitatis latitudinem diuidunt,ac metiuntur philoſophantes.Aut fit collatio caloris ad calorem, non in menſura,ſed in qualitate caliditatis. Galen. vtrique quæſtioni reſpondet, calorem iuuenis calori pueri eſſe æqualem, ac ſi diceret eos habere æquas caliditatis menſuras:qualitates autem calorum non eſſe ſimiles. vtrunque ſenſum probare nititur.Ea nanque eſt certiſsima via diſtinguendi colores, quæ ſumitur à viſu, & ea certiſsima dignoſcendi ſapores,& tangibiles qualitates, quæ procedit à guſtu & tactu:maxime verò de caloris & frigiditatis,quantitate, ſiue intenſione: quoniam hæ magnam habent alterandi potentiam,atque tactum immutandi.Itaque tactum certiſsimum iudicem eſſe primarum qualitatum,& tangibilium omnium nemo ignorat. Teſtatur tamen Galen.ſe tetigiſſe multos pueros & iuuenes: nullam autem differentiam magnitudinis inueniſſe. Sunt ergo calores æquales in iuuene & puero.Eundem quoque puerum tetigiſſe,& procedente tempore iuuenem,& pares iudicaſſe eius calores.Sic quoque cuilibet facienti continget, vbi is probè temperatus fuerit,& iuuenem,ac puerum in conſimilibus diſpoſitionibus tetigerit.Non vnum quidem exercitatum,alterum ocioſum,aut vnum cibo plenum:alterum vacuum,aut vnum hyeme,& alterum æſtate:quod tamen tangens iudicat calores hos multum differre,id non attinet ad quantitatem caloris, ſed ad collationem,quæ in qualitate caloris conſiſtit.Nam calor pueri, ſuauis, mitis, & vaporoſus eſt,vt etiam ſuprà dicimus:iuuenis verò calor mordax & fumo ſimilis,quod à ſubiecto ipſius caloris ortum habet: ac ſi quis ſingula rectè perpenderit,fieri poſſe intelliget,vt in aqua & lapide ſint duo calores intenſione æquales: & tamen quiuis tangens iudicabit calorem lapidis mordacem, aridum & inſuauem:eum verò qui eſt in aqua vaporoſum ac mitem. quod in ſubiectis eiuſdem ſpeciei,pariter fieri contingit, vbi aer vaporoſus ac caliginoſus calorem quẽdam receperit,parem ei quem receperit aer ſiccus, fumoſus, & caliginoſus. Aequales enim quauis ſint,qualitate tamen caloris diuerſi admodum iudicabuntur. id verò prouenit à ſiccitate calori mixta,quæ acrem ac mordacem reddit calorem. Talis quoque eſt calor iuuenis.Is enim quauis calore pueri maior non ſit aridior,&

Lycus aduerſus Hippocr.

Gale.contra Lycum.

Puerorum calorem iuuenum calori cõparat.

acrior iudicatur,quod ad qualitatem caloris pertinet,non ad quantitatem, quę in mensura portionum caloris consistit. Ad huiusmodi tamen iudicium ferendum tactu eget medicus temperato,atque admodum exercitato in dignoscenda ac distinguenda quantitate caloris ab ipsius qualitate. Qui etiam probè nouerit,an calor in humido,an in siccо subiecto existat, quantumque acrodinis afferat calori siccitas,quantum verò suauitatis,& vaporis humiditas. Cui fortè cõtinget, quod dixit Galen.vt iudicet calorem pueri, æqualem aut ampliorem calore iuuenis: Galenus tamen eos pares iudicauit. Auicẽna duabus rationibus conatur probare Galeni sententiam veram. Prima est: Quoniam, inquit, à pueritia in iuuentutem nihil aduenit de nouo,quod possit calorem naturalem augere, aut minuere: manet ergo semper æqualis. Secunda, calor naturalis aliquando potest seipsum conseruare & augmentum facere,vt in pueritia,aliquando neutrum horũ,vt in senectute,in qua nec se conseruat,neque augmentũ facit: ergo aliquando faciet vnum sine altero, sed non potest augmentum facere, & non conseruare seipsum, ergo conseruabit seipsum & non faciet augmentum: id autem fit in ætate iuuentutis, in qua calor seipsum conseruat,sed non auget,aut seipsum,aut corpus. Probè tamen Galen.à tactu sumpsit argumentum. Nam hæc inualida sunt: primam enim falsum esse diceret aduersarius,nihil superuenire quod calorem minuat: nam siccitas iuuentutis,defectus humiditatis est,& ad defectum humiditatis sequitur defectus caloris ob defectum subiecti. Secundum etiam inualidum est: nam posset dicere respondens,calorem simul amittere facultatem augendi corpus, & conseruandi seipsum,& in iuuentute tam neutrum posse: nam quemadmodum calor remissionem patitur,ita inualidus ad augendum corpus redditur. Præter id quòd non sequitur,calor potest corpus augere. ergo potest seipsum conseruare in gradu: posset enim fieri,vt calor aliquis magnus corpus augeret,& ipse minor factus idem posset efficere. Ad rationes verò suprà adductas pro secunda opinione,à Galeno recitata respõdebimus: priores nanque suprà quoque soluimus. Ad primam de copia sanguinis dicemus,sanguinem non esse in maiori copia,facta collatione ad vasorum capacitatem in puero & iuuene: quòd tamẽ effluat in iuuenibus euenit,quoniam aridior est & magis mordens ac irritãs expultricem facultatem ad sui excretionem. Adde quòd sanguis pueri quamuis maiori copia sit,quàm iuuenis collatione ad vasorum capacitatem,effluit à iuuenibus: quoniam non absumitur nisi in nutritionem: in pueris tamen in nutritionem & augmẽtum. Hac enim ratione,vt diximus in præced.cap.mares semen,& fœminæ menstruum generant sanguinem. Ad secundam in sequẽtibus dicemus. Ad aliud de functionibus, quòd iuuenes celerius progrediuntur,& duriores cibos conficiunt: progredi tamen ad robur attinet neruorum motiuorum,non ad calorem: coquere verò cibos duriores,fit: quoniam calor magis igneus est: ac dicemus duros cibos à pueris quoque confici,non tamen eis esse vtiles: quoniam naturæ ipsorum dissimiles sunt: quin & ventriculus ipse,adhuc valde humidus in prima ætate duros & siccos cibos auersatur. Quidam ex iunioribus medicis satis impudenter Galen. aduersatur, ac destruit: calorem iuuenis maiorẽ esse calore pueri in quantitate caliditatis, hoc est, in ipsius intensione. Primò,quoniam calor iuuenis vehementius tactum alterat, quàm calor pueri,& non est alia via cognoscendi calorem aliquem esse altero maiorem,nisi ex impressione. Iuuenis ergo calor maior est: quòd si id ad acredinem caliditatis dicas esse referendum, cum possit non minus referri ad gradum caloris,quàm ad acredinem,quæ oritur ex subiecto,quoniam siccum est: sequitur vt Galen. similiter non probet id euenire ob acredinẽ caloris, potius quàm ob eiusdem intensionem. Secundò, videtur impossibile,inquit, Galenum memoriâ tenuisse caloris pueri quantitatem,vt ipsam cum calore eiusdem tam iuuenis conferret. Præter id quòd interim multæ interuenerant mutationes, quæ potuissent hominem efficere calidiorem,aut frigidiorem. Tertiò, quia in iuuenibus multa abundat bilis: is autem humor calidissimus est,vt inquit Gale. lib.de Inæquali intemperie: eum autem in iuuentute magis abundare docent morbi quibus iuue-

Auicẽnæ rationes recitantur, & cõfutantur.

Thomas de Garbo.Gal. temerè aduersatur.

nes lab

nes laborant. Et non potest aliter melius calidior aliqua temperatura probari, quàm ex bilis redundantia, quæ calorem & siccitatem abundantes significat, & bilis à maiori calore generatur, quàm reliqui humores, iuuenes ergo pueris sunt calidiores. Posset autem is suam confirmare sententiam ex Gale. lib. 3. Prog. comment. 12. vbi in ætate, quæ est ad trigesimum quintum annum dicit, plurimum sanguinis gigni, ac ipsum esse calidiorem ac biliosiorem, & comment. 28. plus bilis & sanguinis in ea ætate abundare dicit. Quartò, quia euacuatio frigidorum humorum reddit corpus calidius: sed pueri abundant multa pituita, & hæc in iuuentute euacuata & cõsumpta est, ergo iuuenes sunt calidiores. Quintò, quia calor hebes quodammodo & remissius est in subiecto valdè humido, quale est corpus pueri. sed vbi pars redundantis humiditatis absumpta fuerit, reliquus calor redditur intensior: talis ergo erit iuuenis calor ab abundanti humiditate liber. Idem verò à seipso intendi absumpta redundante humiditate, non est à veritate alienum, sed satis possibile, quod ipse ibidem probat: maximè quoniam videmus ignem paruum & caliditate non summè intensum, magnum ac summum fieri sine externo adiutorio. Verũtamen, si quis has rationes rectè perpenderit, facilè poterit Gale. veram sententiam saluare, nec video cur barbarus Sophista Galenum summum medicum & philosophum temerè damnet. Galenus nanque primum considerare præcipit differentiam quantitatis caloris & qualitatis ipsius, in quibus dignoscendis, qui exercitatus non fuerit, rectus iudex non erit. Via verò exercitationis est, vt tangat sæpè diuersa corpora calida, quædam humida, quędam sicca, quæ quanuis ęqualis fuerint caliditatis, diuerso modo tactum immutabunt. Is quoque probè nouerit talem esse differentiam caloris iuuenis & pueri, qualis est duorum calorum æqualium diuersorum subiectorum humiditate & siccitate differentium. Iam hinc cõstare poterit solutio primæ rationis. Nam calor iuuenis imprimit vehementius, id est magis tactum mordet: qui verò magis mordet, non ob id maior est, sed siccior, & magis repræsentans ignis naturam. Quòd si barbarus ipse non nouit viam aliam probandi, calorem aliquem esse maiorem, ediscat à Gale. qui docet calores æquales & inæquales in subiectis consimilibus, & dissimilibus tangere, ac cognoscere qui sint æquales, & qui inæquales, qui similes, & qui dissimiles, nec velit sua ignorantia Galeni veram sententiam refutare. Nam quod secundo loco adduximus, nullius momenti est: quanuis enim ipse Galeno fidem abroget, nihil detrahet ab autoritate ipsius, apud eos maximè, qui probè intellexerũt suorum scriptorum sententias nunquam fallere: quòd verò in spatio temporis à pueritia in iuuentutem multæ interceserunt mutationes. huius rei gratia admonuit Gale. tangere puerum & iuuenem in similibus dispositionibus. Mutationes tamen quæ sine morbo eueniunt, facilè reparantur: morbos verò eueniisse puero dicto non fuit necessarium: quare Gale. historia potuit habere veritatem. Ad tertium dicemus, plus sanguinis atque bilis continere iuuenes, quàm sequentiũ ætatum homines. Concedemus quoque sanguinem in iuuenum corporibus esse calidiorem & biliosiorem quàm in pueris: non quoniam calor maior sit, sed acrior & mordacior. Inde verò eueniunt profluuia sanguinis & morbi biliosi iuuenibus: quanuis enim in ea ætate plus bilis & sanguinis abundet, calor non est maior intensione. Ratio est, quoniam sanguis pueri tam calidus est, quàm iuuenis, & bilis pueri tam calida, quàm bilis iuuenis: etsi bilis iuuenis sit copiosior & acrior eiusdem calor. Ad quartum dicimus pueros ex accidenti pituitam aceruare, ob intempestiuum vsum ciborum, & exercitationum. Sed tamen ipsam coquunt ac discutiunt, ita vt calorem nullatenus minuat: nam puerorum calor adeò validus est, vt à cruditatibus ipsorũ non superetur, aut remissionem patiatur, sed vt humidior & vaporosus fiat: ipsa verò pituita cocta ac superata tactum exploratoris nõ immutabit suo frigore, nec impediet veram caloris notitiam. Ad quintum verum est hebetem quodammodo esse calorem in humido subiecto, vt hebetudo placidum significet calorem ac mitem, non tamen vt significet ipsum esse minorem, aut remissiorem, vt suprà docuimus. Abstineant ergo iam, qui Galen. lacessant:

Thomæ argumenta solu untur.

suásque ipsorum nugas esse fateãtur. Nos namque Galenum magnopere laudandum duximus, quod miro modo docuerit singula, calorem vero iuuenis & pueri æquales esse, tactu inquirere suaserit, quod fecit experimento doctus. Siccitatem tamen & humiditatem corporum solo tactu discernere non adeo facile esse statuit, quoniam siccitas & humiditas non habent parem cum calore & frigore immutandi facultatem. Discernunt tamen tactu ratione quoque coniuncta. Itaque si quis voluerit iudicare, an corpus aliquod siccum sit, sic procedet: Hoc durum est, ergo siccum, sed tamen ea ratio nondum valida est, sed hoc addito, quod non concreuit à frigore. Nam multa dura sunt, non quia sicca, sed quia à frigore cõcreuerunt. neq; enim omne durum siccum est, nisi addas, id non concreuisse à frigore. Quemadmodum & omne molle humidũ est, si non fuerit à calido liquatum. Nã non omne molle humidum est. Sed id tantùm quod præter id quòd molle est, non est admodum calidum: vt quæ à calido liquata sunt, quemadmodum æs liquatum ab igne. Durum autem & molle tactu deprehenduntur, & quoniam humanum corpus nũquam est adeò calidum, vt liquidum reddatur, aut tam frigidum vt reddatur nimia concretione durum. Quam ob rem satis valida ratio est, Hæc pars corporis est dura, ergo sicca: hæc verò mollis, ergo humida. Humidi enim & sicci natura perscrutanda est ex molli & duro, non vtcunque, sed vbi moderata fuerint in calore & frigore, id est, non multum excedentia, vt libro secundo de temperamentis, & rursus tertio Galen. adstruit, cuius sunt quæ diximus. Licet tamen contra ipsum dubitare, dixit enim, Quippe quod siccum est, durum prorsus est, non tamen si quid durum est, idem statim & siccum est: etenim inseparabilis à sicco corpore duritia est. Nam in exemplo appositio eodem loco constat contrariũ: æs namque liquatum siccum est, non tamen durum. Quod si dixeris omne siccũ durum esse, vbi non excesserint modum calor aut frigiditas, & sic intelligendum Galen. sequitur secundum esse falsum, cum dicit, non si quid durum est, id statim siccum est. nam vbi durum fuerit cum moderato calore & frigore, quicquid durum fuerit, siccum statim erit. Similiter dubium videtur contra Ga. dixit namque loco citato, omne siccum esse durum, sed non omne durum esse siccum, nisi cum moderato calore. Sequitur ergo quòd aliquod est durum, quod non est siccum, nempe quod concreuit à frigore. Cuius contrarium vult Arist. libro secundo de genera. & corruptione cap. 2. vbi qualitates tangibiles secundas reducit ad primas, & tenue, ac crassum, viscosum, & aridum, quod appellat κραῦρον, & molle ac durum reducitur ad humidum, & siccum. Itaque tenue, viscosum, molle, ad humidum. crassum verò, aridum, ac durum, ad siccum. & inquit. Quàmobrem, & humidum molle non est: sed molle sub humido, & durum sub sicco collocatur. Quam sententiam Gal. secutus est libro primo de elementis, vbi solas primas qualitates dixit corpora adiuncta alterare, reliquas verò, vt asperum, læue, densum, rarum crassum, tenue, nihil tale efficere, & addit: Supersunt adhuc molle, durum, viscosum & aridum, ex quibus molle, & viscosum, ad humidiorem naturam pertinent durum, atque aridum, quod κραῦρον appellat, siccis debentur. Ecce vbi Gale. cum Aristo. vult durum ad siccum reduci, tanquam sub sicco contentũ & molle ad humidum. Hanc quæstionem soluit Aristo. loco citato, vbi siccum, & humidum bifariam accipi vult. Nam humidum significat, quod humectum est, id est, internam habet humiditatem, & significat id quod madet, id est, externam superficiem habet humidam Siccum autem his duobus contrariũ est. quoniam siccum est, quod interius est siccum, contrarium ei quod internam habet humiditatem, quod concretum etiam dicitur, sub sicco comprehensum. Et siccum est, quod non madet in externa superficie. Ac dicemus, quod cùm ipsi dixerunt, omne durum ad siccũ reduci, & molle ad humidum, intellexerunt id de humido, & sicco ampliori significato, vbi videlicet, siccum concretum etiam comprehendat. Cùm tamen Gale. dixit, non omne durum esse siccum, intellexit de propriè dicto sicco. Verùm non omne durum siccũ est: nã congelatũ est durũ, non tamen siccũ hoc proprio modo siccitatis qui modus arescentis est. Humidũ quoq; significat, quod interius humectum

Siccum & humidum quomodo cognoscantur.

Dubium an siccum omne durũ sit.

Humidum & siccum duobus modis.

ctum est,& id quod madet.Itaque hoc modo ampliori humidũ significat id quod quamuis sit siccum,exterius madet,vt liquatum.Alio modo humidum propriè significat,quod humectũ est,propriè sicco oppositũ.Ampla voce omne molle,humidũ est,& ad ipsum reducitur,propriè verò nõ:nã aliquod est molle, nẽpe liquatum,quod tamen propriè humidum non est. Quòd itaque omnes secundæ qualitates tangibiles dictæ,ad humidum & siccum reducantur, de humido & sicco ampliore voce intelligi debet:non reducuntur verò cùm propriè voces accipiuntur. Temperaturas rursus non parum discriminis habere in diuersis sexibus, medici ferè omnes asseruerunt,pariter & Philosophi:nam Aristot.lib.4.de Generat. ani. diuersitatis sexuum diuersas causas scripsisse antiquos refert. Anaxagoras enim dixit mares præstare semen, fœminas verò locum generationis:sed mares à latere dextro prodire,fœminas à sinistro.Intelligendum à dextra,& sinistra parte generantis maris.Rursus & marem contineri in dextra vteri parte, fœminam in sinistra.Empedocles verò marem & fœminam,ad vteri temperaturam refert, & in vtero calidiori mares,in frigidiori fœminas generari:caloris autem, & frigiditatis causam dicit esse menstruum calidius,aut frigidius. Itaque à matre sexus distinctionem dicit prouenire.Democritus sexuum distinctionem non ad temperaturam refert,sed ad victoriam seminis in ea parte,quæ à membris genitalibus maris & fœminæ deciditur.Parmenides duo statuit:primũ quidem, mares in dextra vteri parte generari,fœminas in sinistra,quemadmodum & Hippoc. quod refert Gale.lib.6.de Morbis pop.par.2 cõment.antepen.Secundum verò, fœminas maribus calidiores,vt refert Aristot.lib.2.de Partu anim.cap.2.cuius ratio fuit:quoniam fœminis maior adest cõpia sanguinis,quod docent menstruæ purgationes. Sed tamen quarto lib.de Generatione ani.cap.1.ipsius opinionem cõfutat:quanuis eo loco non meminerit auctoris. Quoniam alij quoque id asseruerunt. Non valet autem ratio, quæ sumitur ex copia sanguinis ad probandas fœminas calidiores. Nam fœminarum sanguis minus calidus est,& ex defectu caloris multus, vt dicemus. Aristoteles tamen loco citato,mares ad seminis potẽtiam refert:nam si semen validius fuerit,& calidius ad coquendum,& superandum menstruũ,mas generabitur:sin minus ob impotentiam degenerabit in fœminã.Mas itaque apud ipsum fœmina calidior est: de gestatione verò fœminas multas in dextra vteri parte gestari dicit,ac mares in sinistra.At verò Hippoc.medicinæ parens Aphor. 48.sectionis 4.dixit:Fœtus mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.Vbi Hippoc.non negat in sinistris posse consistere mares, sed magna ex parte dicit consistere in dextris,quod ad calorem maris referendum, docebimus ex Galeno.Idem quoque testatur Hippocr.lib.6.de Mor.po.par.2.sectione 44. Quare tamen fiat,vt mares generentur in parte dextra,Galen.indicat: nam mares calidiores sunt,ergo in parte calidiori generabuntur.Pars verò calidior vteri dextra est,quia iecur ei adiacẽt.Adde quòd semen quod peruenit ad dextrum testem fœminæ,est purius,magis coctum,& minus serosum, vt docet anatome venarum perducentium sanguinem ad testes,lib.de Dissectione venarum,& lib.6.de Mor. po.comment.citato.& 14.de Vsu partium,& id nos præced.cap.retulimus.Mares verò fœminis calidiores esse,2.lib.de Temperamentis dixit,& lib.2.de Semine & cap.præce.ex doctrina ipsius ostendimus,non alia ratione,marem, aut fœminam generari,nisi ob caloris copiam, aut ipsius inopiam. Validior enim calor est, is, qui membra genitalia extrudere potest,qualis est masculorum:quòd tamen sanguis magis abundet,in fœminis,non euenit ob caloris abundantiam, vt dicemus. Docet autem mares esse calidiores ratio à pilorũ multitudine sumpta, motuum celeritate,& robore facultatum omnium, pulsuum vehementia, & magnitudine excrementorum natura,& reliquis. At verò causa quare natura calidiores instituit mares,fœminas verò minus calidas,à Galeno duplex scribitur lib.14.de Vsu partium. Altera sumitur ex imperfectione:imperfectio verò ex frigiditate. Nam fœmina imperfecta est,imperfectum verò instrumenta habet imperfecta, vt perfectum perfecta. Ex animalibus nãque quædam tactu solo gaudent,quædam cum

Temperamenta per sexus distincta an sint.

Sexũ temperaturæ ex Hippoc. & Galeno.

tactu gustu quoque:quibusdam verò dedit natura cum his,& visum, quibusdam etiam manus,vt leonibus,& maximè ad vsum apsas,vrsis, & simiis. Homini vero,vt prudentissimo,manus optimè dispositas ad apprehendendum.Manus nanque organum organorum est,siue organum ante organa,apud Aristot.libro 4.de Par.ani.cap.10.Sic quoque mari tanquàm perfectiori,calorem potissimum,naturæ organum abundantius,quàm fœminæ tribuit.Sic etiam,vt talpæ oculos dedit natura,eósque ob imperfectionem intus conditos,ita membra genitalia dedit fœminis:ob imperfectionem verò intus condita.Habuit autem hic defectus à defectu caloris ortum,qui non potuit in fœminis membra genitalia extrudere.Altera causa est finis ipse:cuius gratia fœminæ sic imperfectæ factæ sunt à natura. Nam non aliter perficeretur generatio,nisi vbi fœmina tãtum haberet sanguinis abundantiam,vt posset alimentum fœtui in vtero præstare. Id autem ob caloris defectum euenit:is enim in fœminis non est adeo paruus, vt sanguinem generare non possit,& adhuc multum,sed tantus,vt ipsum genitum discutere non possit: genitus verò,ac non discussus,abundat ad conceptus alitionem,aut extra conceptionem,ad menstruas purgationes.In maribus verò calor non tantum generat sanguinem multum,sed quod ab alitione,augmento, & seminis generatione abundat,discutit,hæc de sexuum temperamentis.Cæterùm qualem differentiam temperaturarum inueniri diximus in humanis corporibus,talem etiam licet intelligere in his quæ sunt extra ipsum, quæ ex elementis habuerint mixtionem. Sunt enim quædam temperata,quædam à temperamẽto recedentia, talia appellata ob actionem,ab ipsis in humanum corpus prodeuntem. Etenim cum humanum corpus,medium temperamentum obtineat,inter extrema vniuersæ substantiæ generabilium,& corruptibilium.Omne id quod dictũ corpus immutare potest à qualitate,per quam mutat,tale denominabitur,tanquam ab excedenti.Itaque quod humanum corpus calefacit,calorem habet excedentem,à quo calidum denominabitur,quod infrigidat,frigiditatem habet excedentem, à qua frigidum denominabitur,idem etiam de siccis & humidis dicendum.Sed tamen non licet citra delectum talia calida,frigida,humida,aut sicca appellare, nisi prius id quod est per se,ab eo quod est per accidens distinguamus:nam multa sunt,quæ speciẽ præbent caloris,frigidi,humidi,aut sicci:quoniam externum calorem, aut externam frigiditatem vehementem receperunt,vt aqua gelata, quæ verè & per se humida est,sed siccitatis speciem refert.Multa quoque sunt calida,aut frigida per se, & secundum naturam,quæ contrariam speciem referunt calfacta, aut refrigerata, ab externis causis.Erunt ergo medicamentorum omnium naturæ explorandæ, vbi omni aliena qualitate nudata fuerint. Quòd si hæc eadem ab effectu,quem efficit vnumquodque,velimus distinguere,id quod est per se,ab eo quod est per accidens tale,periculum faciendum est in simplici affectu,& aduertendum, an id statim faciat,vel processu temporis.In simplici quidem affectu:nam medicamenta calida humorem calidum in parte aliqua contentum resoluendo refrigerant: sed id per accidens faciunt. Temporis etiam spatium est aduertendum.Nam quæ talia per se sunt,statim tale faciunt,& semper id facit,vt aqua frigida, quæ adhibita, semper refrigerat:quanuis nonnunquam calefaciat ex accidenti,sed procedente tempore,quod facit in iuuene quadrato æstate media, phlegmone laborante absque vlcere,aqua frigida multa superfusa.Hæc enim caloré reuocat, vt inquit Hippoc.Aphoris 21.sectionis 5.Cùm enim aqua frigida,cuiuis corpori,& in quauis ætate,& anni tempore applicita refrigeret, statim ipsam per se frigidam, hoc est primùm,& nullo mediante talem appellamus.Quia verò cutem constipando, validum calorem reuocando intus roborat,per accidens calidam ipsam dicemus: non enim id per se,sed alio mediante efficit.Rursus quod tale dicitur, aut est tale actu,aut potestate,& hoc aut simpliciter: vt ignis,aer, aqua & terra, aut ad alterum,vt medicamenta,venena,& alimenta:hæc enim ad humanum corpus collata talia dicuntur.Id tamen quod potestate tale est, ab eo quod actu tale primùm distinguamus:actu tale dicitur,quod reipsa & energia tale est, & quòd nulla mutatione

Manus organum organorum.

Temperaturæ externæ.

Tale per se, & tale ex accidenti.

Tale actu & tale potestate.

tione facta tale esse ostenditur actu, & in præsenti tempore. Potestate verò tale dicitur apud Galen. quod nondum tale est, sed vt tale fiat est promptum. Ac maxime tale potestate dicitur, quod suapte natura, ad absolutionem venit, vbi nullum adsit impedimentum, ac facili quadam mutatione. Quemadmodum infantem rationalem esse dicimus: quoniam suapte natura talis est, & si modò ratione non vtatur: sic etiam & canem nuper natum dicimus venatorem, quāuis nec videat, neque incedere possit. Est itaque actu tale, quod perfectum iam est, quod verò nondum perfectum est, sed futurum, & suapte natura ad tale actu peruenit, id potestate tale appellatur, primo modo: secundo verò, quod materiā præstat ei quod tale actu est, promptam recipere formam actu talis, vt sanguis est potentia caro: quia leui mutatione transit in carnem actu: tertio modo dicitur potestate tale, id quod ex se habet potentiam aliquid agendi, & non ex accidenti, vt aqua frigida dicitur potentia frigida, hoc est, per se infrigidare potens, hoc modo potentia tale dicitur ex aduerso ei, quod ex accidenti tale est. Secundo modo tamen medicamenta dicuntur potestate calida: sunt enim, vt materia accendi facilis, quæ leui accepta mutatione, ad multam peruenit caliditatem, & statim nostrum calorem adaugent, vt sulphur, potestate ignis dicitur: quoniam leui momento caloris ab igne susceptо in ignem transibit. Præterea potestate talia dicuntur, & alimenta, & venena. Nam alimenta quatenus alimenta sunt, materiam præstant alitioni, ac nullam efficiunt alterationem: sunt tamen omnia talia potestate calida, quia in calorem nostrum naturalem transeunt, & ipsum quantitate adaugent. Alterantur hæc à nostro corpore secundum aliquam qualitatem, quam tamen non retribuunt alimenta, sed tota substantia agentia nutriunt. Si verò facultatem alterandi habet, quod offertur, omne tale medicamentum est, & multis modis variat. Nam si quod offertur non corruptum nostrum corpus corrumpit, venenum est. Si verò mutatur à calore nostro, & leuem mutationem adeptum, corrumpitur, aut putrescit, & corrumpit corpus, ac ipsum putrefacit, id noxiū etiam venenum dicetur: quod verò cum mutationem adeptum est, iterum corpus mutat, non tamen corrumpit ipsum, id propriè medicamentum est. Quod tamen mutationem recipit, ac corpus similiter qualitate mutat, sed tamē ad finem in corporis substantiam mutatur, ad alimentum est medicamento sum. De medicamentis tamen quæ potestate talia sunt in præsentiarum differendum, an sit aliquod temperatū. Secundò, quomodo reducuntur de potentia in actum. Tertiò, an talia potestate dicantur, ad quemuis hominem collata, vel ad solum bene temperatū. Quartò, de venenis calidis ac frigidis, & an humanum corpus nutrire possint, ad finem verò de proprietatibus, quas appellant, pauca quædam. Circa primum dubium, an sit aliquod medicamentum temperatum, medici iuniores Auicennistæ multis & varijs nugis respondent. Quidam enim dicunt, quòd licet non sit aliquod medicamētum temperatum, ita vt per se corpus nostrum seruare in sua temperie possit, erit tamē temperatum: quia similem spiritui habebit proprietatem. Primum non esse quod per se seruet nostram temperaturam: hinc fit, quòd non est aliquod medicamentum, quod eam habeat dissormitatem partium quam habet corpus nostrum: erit tamen aliquod seruans temperaturam spiritus, & quod conseruat spiritum qui conseruat nostrum corpus, conseruat quod conseruatur ab spiritu. Verùm isti non nouerunt aliquod temperatum medicamētum exterius applicitum tale esse, nec nouerunt temperatum medicamentum, non tantum ad spiritū esse referendum, sed ad calorem nostrum naturalem, à quo temperatura totius pendet. Alter dixit aliquod esse medicamentum temperatum, quod mutationem aliquam corpori afferre potest, eam tamen non esse sensibilem: nam omne agens in agendo repatitur, sed medicamentum temperatum patitur à corpore, ergo agit in ipsum, sed ipsum insensibili mutatione mutat. Ad probandum tamen tale esse in vniuerso medicamentum, nullam inuenit rationem. Verùm hic multis modis fallitur. Primò, quia Galen. lib. 5. de Simpl. medic. facultatib. cap. vlti. medicamentum symmetrū dixit, quod nec calfacit, neque infrigidat, neque humectat, neque

Medicamentum temperatū an sit.

exsiccat,

ex ſiccat,nec calidum,frigidum,humidum,aut ſiccum eſt,quo in loco ſtatim dixit medicamentum primi ordinis id eſſe,quod alterat corpus,non tamen euidenter, quam facultatem prædictus ad temperatum referebat. Fallitur quoque putans nulla ratione poſſe probari temperatum medicamentum. Nam eadem ratione qua probatur temperatiſsimus homo, probabitur temperatiſsimum medicamentum: Vbi enim ad alicuius herbæ generationem elementa æquata deuenient herba temperatiſsima fiet,nec tamen ſequitur,ſi verba temperata eſt, ipſam fore de humana ſpecie. Nam homo non eſt in omnibus partibus ſimilis, neque in alia quàm in cuti temperatus. Sed tamen cutis nõ ex omni materia,quouis modo temperata ſit,ſed ex ſemine. Poſſunt ergo multa eſſe temperata,quæ non habent vnã formam in ſpecie. Quoniam forma non exigit ſolas ipſas primas qualitates, ſed ſubſtantiam certę quantitatis,craſsitudinis,aut tenuitatis,& plures alias conditiones. Et homo aut eius pars non in omni loco generatur,ſed in vtero,& herba non in omni loco,ſed in terra. Dicemus tamen cum Gale. aliquod eſſe medicamentum temperatum ſiue ſymmetrum,quod nullam corpori infert alterationem,neque aliquo modo poteſt ipſum mutare,quale eſt adiantum,quale etiam oleum Gal. eſſe dicit lib.2.de ſimpl.medi.facult.cap.22.vbi medium ipſum probatur,in calore & frigi. Eſt enim id materia medicamentoſa, quæ tantum calfacit corpus humanum,aut ipſum refrigerat,quantum à medicamentis calefacientibus,aut infrigidantibus aſſumpſerit facultatis,nullam ex ſe ipſo oſtendens. Tantum quoque caloris corpori retribuit,quantum à corpore ſuſcipit. Hinc ſoluitur illorum ratio, corpus noſtrum agit in medicamentum,ergo repatitur ab ipſo.nam agit corpus per actualem calorem,& repatitur per potentiam talem,quæ erat in medicamento,quod nihil caloris ex ſe producit,ſed tantum corpori retribuit quantum à calore ſuſcipit, ſiquidem à corpore valde calido multum recipit calorem, ac multum retribuit,& parum ei,à quo parum: id verò vt veſtimentum efficit,& quoniam calorem naturalem exhalare prohibet illitum: & eodem libr. capite ſecundo Galen docet oleum temperatum in humido & ſicco. Simili modo temperata ac ſymmetra medicamenta eſſe in vſu medicorum probatur. Nam libr.5.de ſimpl. med.facul.cap.5.medicamenta coctionem adiuuantia & puris generationem, vt docet,eiuſdem ſunt temperaturæ cum calore corporis cui adhibentur. Quæ igitur pus mouent,aut coctioni adminiculantur,in temperatiſsimo corpore,temperatiſsima ſunt,quæ etiam talem ſeruant innatum calorem, qualem ipſum inuenerint, neque aliter proficere poſſent. Nam cum coctiones ac ſuppurationes omnes fiant à calore innato,ſi medicamẽtum calorem innatum aliquo modo mutaret,coctioni non proficeret. Itaque ad Gal. mentem,oleum omnimodo temperatum eſt,in vtraque contrarietate. Et multa ſunt medicamẽta quæ in calore,& frigiditate ſunt ſymmetra,nempe quæcunque coctionibus,& ſuppurationibus accommodantur, quæcunque etiam quantitatem caloris adaugent,qualitatem tamen nõ mutant. Præter temperata verò medicamenta,reliqua omnia.4.ordinibus diſtinxit Gale. lib.5.de ſimp.me fa.cap.26.quæ enim calida,frigida,humida, aut ſicca, appellantur medicamenta,ab excedenti qualitate talia denominantur. Quorum omnium ordo primus eſt,medicamentorum calidorum gratia exempli, quæ nullam ſenſibilem inferunt alterationem,ſed ratio ei opus eſt ad eius cognitionem. In ſecundo ordine ſtatuuntur,quæ manifeſtam in ſenſu efficiunt alterationem,ad aliquã dictarum qualitatum. Ea verò quæ non tantum manifeſtè alterant,ſed vehementer,ad tertium pertinent ordinem: qualia ſunt quæ alterant,ita vt actiones lædant,non tamen ſummè. Quæ tamen ſummè alterant,ita vt calore corrumpant particulam,ac eſcharam inducant,aut frigore extinguant,& mortificent partem cui admouentur,in quarto ordine ſunt. De iis verò quæ exſiccant nullum eſt in quarto ordine niſi in eodẽ ordine fuerit calidũ,ita vt vrẽdi poteſtatẽ habeat. Tertio tamẽ ordine ſicca multa ſunt refrigerantia,vt acerba,& quę valde adſtringũt. E quorum numero ſunt,omphaciũ,balauſtia,gala,Sic etiam exiſtimandũ nullum eſſe in quarto ordine humectans,aut ſi quod fuerit, id habere coniunctam frigi-

ditat

Temperata aliqua eſſe temperata, quæ ſymmetra appellãtur.

Medica. ordines.

ditatem. Præterea docet Galen. in tres differentias distinguere, secundum, tertiũ, & quartum ordinem, non tamen primum: quoniam primum diximus insensibilem inferre alterationem, & quod insensibile est, nullam habet latitudinem, quæ distingui possit. Tres autem alij ordines singuli tres habent differentias sensu distinctas, maioris & minoris ratione. Dubium secundo loco agitandum fuit, quo pacto medicamenta potestate talia transeant in actu talia. Circa hoc dubium multi diuersa admodum senserunt: quorũ opiniones latè referre & confutare in præsentiarum foret legentibus molestum. Nam quidam dixit, calorem nostrum naturalem singulis medicamẽtis potestate talibus tribuere formam quandam, quæ esset productiua alicuius primarum qualitatum, & in medicamentis potestate calidis, ipsam esse calefactiuam, & in potestate frigidis refrigerantem, in humidis humectantem. & in siccis exsiccantem, & eam habere diuersitatem in generatione ob diuersam proprietatem, quæ est inter medicamentũ & calorem nostrum. Sed tamen isti nulla ratione hanc formam æquiuocè producentem primas qualitates (vt verbis eorum vtar) statuunt. Præter id quod calidum medicamentum calore calefacit, vt docet Galen. & infrà ostendemus. Alius dixit medicamenta corrumpi, atque recipere nouam formam in ventriculo (si ibi receperit mutationẽ) formam chyli, in iecore sanguinis, in venis secundarum humiditatum, licet impropriè. Verùm tamen quemadmodum sanguis quidam est calidior, quidam frigidior, ita ex medicamentis, ac inde magis calfacere, aut infrigidare. Fallitur autem Sophista: quoniam medicamenta valdè calida, non recipient à calore nostro calorem, qui vrere possit, neque frigida in quarto frigiditatẽ, & multa alia sunt, quæ leuissimam recipiunt mutationem, neque formam mutant, vt dixit, veluti quæ frigida sunt in quarto ordine. His igitur prætermissis Galeni mentem referamus ex lib. 3. de Temperamentis. vbi docet, medicamenta potestate calida, vt fiant actu calida, exigere cõminutionem & calefactionem: hoc nanque modo de potentia in actum transeunt, vbi fuerint primum comminuta: deinde calefacta, & calori nostro cõiungi dicit, ac ipsum augere, quemadmodum dicitur materia accendi facilis. Hæc enim cùm ab igne inflammata fuerit, ignem ipsum adauget. Et vt multa ex his quæ inflammantur, leuem mutationem accipientia ad maiorem flammam ex se procedunt, vt sulphur: ita medicamenta natura calida, sunt veluti materia accendi facilis, ipsa enim comminuta primùm, deinde leuem mutationem à calore nostro recipientia, multum calorem assequũtur, & semel incalescentia, rursus corpus magis recalfaciunt. Hic est in calidis medicamentis modus. & libro 1. de Simpl. medic. facul. cap. 11. Similiter eandem repetit sententiam, ex lib. 3. de Temperamentis. Monstrauimus autem (inquit) quædam medicamenta vbi leuem fuerint mutationem adepta, secundum naturam deinde suam, ad plurimam mutationem perducere. Quamobrem mirandum non est, si quædam medicamenta primæ quidem mutationis principium à nostro calore nacta, inde iam pergant, eum quoque qui mutabat superare. Docet quoque eodem cap. necessariam esse comminutionem: maximè in his quæ crassam habent substantiam, vt melius à nostro calore patiantur, vt rursus quoque in ipsum reagant. Vnde fiet, vt in ipsis calidum elementum frigidum vincat: ante actuationem nanque, vt inquit Galen. 3. de Temperamentis. Calidum elementum non vincit frigidum in medicamentis potestate calidis, sed vt vincat breuem opem extrinsecus requirit. Modus ergo reductionis medicamentorum potentia calidorum ad actum est, per diuisionem ad minimas quasdam partes, & per caloris susceptionem ab animalis corpore, quod non tantum verum probat in his medicamentis quæ intrò sumuntur, sed in his quæ exterius applicantur: quæ vbi solida applicẽtur, & crassam habentia substantiam, nunquam alterationẽ efficient, siue calida, siue frigida fuerint, nisi comminuantur, & frictione penetrent corpus, aut quadam transpiratione per cutim simul cum aere, qui transpirat per poros, & extremas venas atque arterias, intus deducatur, vt à calore nostro prius patiatur, id quod calidum est, id tamen quod frigidum vt cõminutum deducatur ad partem quæ passiua est. Id cap. 12. lib. 1. de

Dubiũ circa medicamenta potestate talia.

Medic.frigid. reductio.

Simpl.medic.facul.voluit Gale. Frigidorum ergo medicamentorum reductio ad actum comminutione fit,& motu quo in partes distribuitur. Nec negamus calorem à corpore acquirere, veruntamen ipsum non esse necessarium ad actuationem ipsorum,sed solam comminutionem & motum, quæ sine calore non fiunt. Eam fuisse Galeni mentem quam de calidis & frigidis diximus, constat ex lib. 3.de Simpl.medic.facul.cap.19.cum inquit: Quamobrem eius quoque nunc protinus meminisse opus est,veteres medicamenta natura frigida.potestate frigida dixisse:quoniam hæc quoque quadantenus infrigidandi potentiam obtinent, vt calefaciendi calida. Quòd si hæc vno modo,illa verò reliquo,nihil vtique refert:generale nanque atque cõmune,idem vtrisque est, nempe alterationis principium à passuro corpore in acturum medicamentũ procedens. Nam quæ potestate quidem sunt calida,alterantur eo duntaxat,quòd incalescant à nobis: at quæ natura frigida,tum quòd comminuantur, tum quod ascititium accipiant motum. Cùm itaque ipsis tanquàm frigidis, agere absque corporis patientis auxilio non licet, iure potestate frigida dicuntur: verùm vt actu nos refrigerent non prorsum ex sese obtinent:verùm à nobis prius perpetiantur, vt refrigerent oportet. Etenim in minuta conteri,& aduentitium motum accipere, affectus sunt medicaminum. Constat ex hoc loco frigida medicamenta motum & cõminutionem acquirere à corpore ad hoc,vt agant. Calida verò,incalescere.quod enim cõminui quoque calida sit necessarium,suprà diximus ex Galeno. Quod tamen frigida, quanuis nullam aliam mutationem assequerentur in nostro corpore præter comminutionem, & motum possent agere in corpus, lib.3.de Temperamentis docuit,dicens: quæ verò refrigerant,veluti papaueris succus,hæc à nostro corpore, ne vel paululum quidem demutata,ipsum statim vincunt ac mutant, etiam si calfacta prius dederis:est enim eorum natura frigida velut aqua. Neque tamen ego ob id negarem,ea quæ frigida sunt,calfieri, præter cõminutionem & motum. Sed dicemus circa quartum dubium,eam calefactionem non esse necessariã, in his saltem quæ quarto ordine refrigerãt, nisi vt breui fiat cõminutio & distributio. Quòd si quis instauerit dicens: Poterunt ergo tam calida quàm frigida medicamenta proximã partem alterare calida ob propinquitatem frigida,quoniam motu non egẽt, quo partibus distantibus solent applicari,dicemus: Calida non posse agere, nisi probè incalescant,prius à nostro calore,id verò non fieri, nisi facta prius cõminutione, & frigida. Similiter egere cõminutione ad agendum, vt substantiam partis alterandæ penetrent,egere quoque motu ascititio, de quo diximus, vt compleant actionem suam partibus distantibus applicita. Proximas verò partes infrigidare posse post cõminutionem non negabimus. Id tamen non ostendit summam medicamenti potentiam,sed citra ipsam corpus mutabit,vbi non digeratur per corpus. Quod verò Galen.dixit,de papaueris succo,& similibus:quarto ordine frigidis,nec mutata refrigerare, verum est:mutari verò in eo loco idem significat, ac si corrumpi dixisset,vt ex inferius dicendis constabit. Tertium dubium fuit, an medicamenta talia dicantur in potentia,collatione ad omnem hominem, vel tantùm ad temperatissimum siue eucraton. Nos huic dubio ad Gale.mentem respondebimus:quoniã quæ alij deblaterarũt,nauseam ingerere potius quàm quidpiam docere possent. Medicamentorum vires multis viis cognoscere docet Galenus in libris de Simpl.medic.facul.vt tactu,colore,sapore,& odore. Certissima verò notitia tactu accipitur,cuius propriũ est qualitates primas distinguere. Verùm non quouis modo,medicamina sunt admouenda,neque cuiuis corpori ad periculum faciendum,sed aliquid est ex medicamento præcauendum, & aliquid ex corpore. Ex medicamento quidem,vt ipsum tepidum admoueatur, ab omni qualitate actuali immune:ne fortè ab ipsa impediatur actio. Ex corpore verò, vt simplici affectu laboret,vt 3.lib.de Temper.docuit,lib.tamen primo de Simpl.med.facul. 2.3.& 4.cap.ad inueniendas medicamentorum vires præcipit,vt medicamentum sit omni aliena qualitate nudum,& conicere quod per se est,& id ab eo quod per accidens distinguere:quoniam actio similis est à principio in finem,in affectu simplici:

Medicamenta ut talia dicantur,cui cõferri debent.

plici:deinceps hæc eadem experiri primùm in corporibus temperatis,dein lapsis: deinde in his quæ aliquo tenentur affectu : est autem is simplex intemperies ac sine materia.Cæterùm quo ordine,calidum,frigidum,humidum,aut siccum medicamentum sit statuendum,vbi vires ipsius velimus inuenire:docet Gale.lib.3. de Simp.med.facul.cap.12.ac præcepit periculum facere in corporibus tẽperatis,deinde iudicium ferre. Quale enim visum fuerit ad temperatũ corpus facta collatione,tale simpliciter statuetur.Nam temperatissimum medicamentum ob id tale dicitur:quoniam temperatum hominẽ nec calfacit nec infrigidat. Cùm tamen omne tale medicamentum,sicuti & quæ temperamento proxima sunt (vt docet eodem libro cap. 10.) calidiora corpora infrigidet,& frigidiora calefaciat: quod constat:siquidem vrina hominem in balneo infrigidat, & extrà calefacit. Sic & rosaceum calefactos infrigidat, infrigidatos calefacit. Fit autem hoc, quoniam quod minus calidum est altero,est eodem magis frigidum:& vt minus calidum à magis calido patitur calorem,ita minus calidum reagit frigiditatem : sic quoque quod est altero minus frigidum,patitur ab ipso per frigiditatẽ, & reagit in ipsum per calorem.Quòd si ab omnibus his actionibus tale appellare medicamentum liceret,esset idem medicamentum calidum ac frigidum appellandum. Si tamen eo modo quo statuimus suprà,homo quidam medius est in vniuersa substantia, ad quem corpora reliqua collata calida & frigida dicũtur,& sunt, ita modò medium aliquod statuamus,quod est eucraton corpus,singula ad ipsius collationem talia dicentur.Nec tamen voluit id medium indiuisibile esse, sed in latitudine consistere,quam diximus deberi corpori æquali ad iustitiam, circa quod singulorum actiones collatæ sedem sortientur eius ordinis,cuius erit actio,supradicto modo. Cui sententiæ obiiciunt quidam,nam si medicamenta primi ordinis possunt efficere effectum quarti ordinis : non minus debent statui in quarto ordine, quàm in primo.Id verò fieri probant:quoniam medicamentum primi ordinis calidum, admotum febrienti ipsum inflammat, ergo efficit effectum quarti ordinis. Similiter idem medicamentum primi ordinis,vbi in magna quantitate adhibeatur, poterit hominem calefactione interimere. Quare ergo potius in primo quàm in quarto ordine reponetur? Respondemus,quòd medicamentũ temperatum,quod suprà existere probauimus,ob id dictum tale est à Gale.quoniam corpus nulla alteratione alterat,quæ aut sensu,aut ratione assequi possit. Sed tamen Galenus 3. de Simplic.medic.facul.cap.10.medicamenta temperata dicit calefacere corpora refrigerata,& refrigerare calefacta. Ergo temperatorum natura, in temperatissimis corporibus tantum probari debet, ac talia statui iure poterunt, quanuis in aliis,alias efficere possint mutationes,De medicamentis quoque primo & secundo ordine talibus aduertendum,quòd vt diximus, id quod est in primo ordine, insensibili modo alterat,quod est in secundo:alterat quidem sensibili modo, non tamen lædit actiones. Quod significat nobis, nullum horum excedere latitudinem sanitatis.Nam si ipsam excederent possent alterando extra sanitatem ducere,& actiones lædere.Calidum ergo in primo ordine temperatissimum,alterabit insensibili mutatione:sed id corpus,quod est in extremo calidum adhuc sanum, non calefaciet,sed potius infrigidabit. Quod verò in secundo ordine existit,id sensibili modo calfaciet,aut infrigidabit symmetrum corpus,pariter & corpus ab ipso parum lapsum,sed tamen hominem sanum valde lapsum simili lapsu,non alterabit:nempe id quod tantùm labitur ad calorem aut frigiditatem,quantum ipsum medicamentum:quoniam à similibus non fit actio,vbi tamen ad contrarios lapsus comparentur,debitas actiones efficient,ac corpora quibus adplicẽtur temperatum versus deducent. Vt calidum medicamẽtum in primo ordine,hominem parum labentem ad frigidum attemperabit,& quod secundo ordine calidum fuerit corpus, intra sanitatem lapsum ad extremum, ad temperamentum deducet. Paribus nanque numeris fieri curationes,ac reductiones docet Gale. Hinc sequitur falsum esse,quod referunt in contraria ratione:nempe medicamentum primi ordinis calidum,posse febricitantes inflammare:potius enim reagendo, calidita-

tem ipsorum remittere possent, sic etiam de frigidis, siccis & humidis medicamentis, dicendum est. Id similiter constat in siropis calidis, in primo & secundo ordine, qui febricitantibus oblati opem ferunt. Hęc intelligo, nisi talia medicamenta fuerint accensu facilia & mutata, ad maiorem gradū perducta, nos rursus alterēt. Quod mel in biliosis facere solet. Pariter etiam quod in argumento secundo loco adducto dixerunt, falsum est, medicamentum calidum primi ordinis per reiteratam exhibitionem posse inducere calorem quarti ordinis, nam id cùm semel adinuenerit corpus suo modo calefactum, non amplius ipsum calefaciet, sed tantùm calorem productum conseruabit. Verum quoque est, non semper medicamenta prima applicatione inferre totum suum calorem, quem tamen repetita producent, deniceps vero nihil. Medicamēta tamē quæ in tertio & quarto ordine talia sunt, totam humanam sanitatem excedunt, cum possint sensibilem lęsionem inferre & mortificationem, aut corruptionem. Hæc quamuis in tēperatioribus corporibus sint explorāda, vt ab effectu denominationem adipiscantur, in omnibus sanis corporibus suum effectum inducere possunt: quoniam omnia humana corpora sana potestate superant. Calidum enim in tertio ordine, magis calidum est calidissimo homine sano, cui applicitum læsionem actionibus afferet. Vt enim parum, calorem superat, ita pauco addito calore, ipsum in morbum deducet, quemadmodum frigidum in tertio ordine corpus frigidissimum sanum ægrotare coget, vbi cito per corpus digeratur, ne fortè interim vires amittat. Sic etiā, quæ in quarto ordine calida sunt, omne corpus vrere possunt, siue sanum siue ægrum, aut putrefacere, quoniam totam humanam latitudinem superant. Frigida quoque infrigidando mortificabunt. Sed interest inter calida & frigida medicamenta, quòd calida in calidis corporibus citius inducunt suum effectum quàm in frigidis: quoniam in ipsis minorem inueniunt resistentiam, quàm in frigidis: frigida verò non ita se habent ad frigida corpora, sed citius internecant hominem calidum quàm frigidum. Quoniam vt Galen. inquit libr. tertio de simpl. medic. fa. magis celerem habent in calidis corporibus distributionē, & inde citius partibus applicantur. Hæc igitur est ratio, quoniam calida medicamenta in quarto ordine, temporis mora deteriora redduntur: frigida verò vires amittunt, ita vt in quibusdam interim superentur, & mutata alere possint. Vbi tamen ita celeriter distribuantur, in calidis & frigidis corporibus: quod fieri posset, vbi vino dissoluta frigido corpori exhiberētur, non tamen calido, facilius in corpore frigido quā in calido suum inducerent effectum. Calida ergo in tertio & quarto ordine, vbi calidis applicentur, suum inducunt effectum, citò, & fortè nulla repetitione facta. Frigidis verò admota, tardius & repetita. Repetimus enim medicamenta, non vt maiorem qualitatem quàm quæ sibi ex ordine proprio, & natura sua debetur, inducant, sed vt ipsam compleant quam in corporibus contraria qualitate præditis, ob reactionem semel applicita, nō inducunt. Nam calidum medicamentum quod corpori valde frigido admouetur, vt tandem suum calorem inducat, eo repetendum: semel verò producto, repetitio nihil addet, sed productum conseruare valebit. Posset autem quis meritò dubitare, si medicamentum primi ordinis calidum applicitum corpori calidiori se, ipsum calorem remittit, quemadmodum de moderatè calidis diximus quare similiter medicamentum calidum in principio tertij ordinis non remittit calorem calidissimi hominis, qui laborat febre ardentissima, cuius calor maior est, quàm medicamenti constituti in principio tertij ordinis & similiter de frigidis, humidis & siccis erit dubitandum. Ad quod respondemus quòd medicamentum calidum, in primo ordine & in secundo multam habet frigiditatem in potentia, per quam cùm reducta fuerint in actum, reagent in corpus calidius: quæ verò iam in tertio ordine sunt, aut supra ipsum, paucam habent frigiditatem, & multū calorē: vnde fit, vt per frigiditatē, quam continent potestate calidissimis corporibus remiti atque in ipsa reagere nō possint. Quod si quis interroget, quare oleum erysipelatis admotū quā maxime lædit, & mel febricitantibus obest, cùm oleum temperatum sit, & mel intra secundum ordinē calidum, dicemus

Calida & frigida medicamenta non similiter se habēt ad alterandū corpus,

Dubium no tandum,

cemus,quòd oleum,vt Galenus inquit lib.2.de Sim.med facul.ca.24 quanuis temperatum sit,corpora nostra recalfacit, parem nobis calorem illitum retribuens: quemadmodum & vestis:& quoniã poros cutis infarciens,prohibet calorem nostrum exhalare,Inde fit,vt quanuis à natura sua medicamẽtum temperatum,aut primi ordinis,sæpissimè repetitum, qualitatis ratione nullam manifestam actionem inferre possit,neque magna quantitate adhibitum,tamen poros obstruens, cuti admotum,aut si interius sumatur,grauans & nauseam aut vomitum, aut humorum cõmotionem efficiens lædit,ac poterit nonnunquam morbum inducere. Mel verò quia non tantùm medicamentum est,sed alimentum calfacit in sanguinem versum,& cum qualitate calidiorem, trãlit quoque in bilem, in calidioribus corporibus:hæc verò quantitatem & qualitatem caloris augent, quæ in medicamentis,quæ talia sunt,non tamen alimenta non fiunt:quia sola qualitate operantur. De venenorum natura quarto loco agendum est: pendet tamen eorum cognitio,suarúmque actionum ex his quæ suprà diximus in vniuersali illa diuisione eorum quæ corpori efferuntur,intus,aut extra,éstque Gale. doctrina libro 3. de Temperamentis. Quæ offeruntur corpori, aut ipsum alterant, aut non:si corpus non alterant,aut mutantur in nostrum corpus,aut non. Si mutantur, sunt alimenta:si non,erunt medicamenta temperata, quod vltimum Galeni esse probauimus. Quòd si corpus alterant,aut talia permanentia,id faciunt,& sunt venena. hæc intellige esse frigida venena.aut à corpore mutantur,& aut mutando ipsum corpus corrumpunt,& putrefaciunt,cùm semel à corpore mutata fuerint, mutationis principium accipientia: & erunt pariter noxia venena, vt calida erodentia,aut putrefacientia,aut postquàm mutationis principium acceperint, corpus quoque mutant,non tamen corrumpunt,neque ad finem in corporis substãtiam transeunt,& sunt verè medicamenta,quanuis omnia dicta sint etiam amplo significato,medicamenta præter alimenta. Quòd si quod mutat corpus, sic mutatur ab ipso,vt ad naturam ipsius deducatur,erit alimentum medicamentosum. In numero venenorum,duas species ipsorũ statuimus. Vna est eorum,quæ nullam mutationem adepta internecant,id est nullam corruptionem passa. Altera eorũ,quæ semel mutationis initium accipientia corrumpuntur & putrescũt, & deinde corrumpunt, ac putrefaciunt corpus. Frigida venena sunt in prima specie, vt vult Galen lib.3.de Temperamentis.cùm inquit: Quæ verò refrigerant, veluti papaueris succus,hęc à nostro corpore,ne vel paululum quidem demutãtur,sed ipsum statim vincunt ac mutant,etiam si calefacta prius dederis. Et eodem lib. iterum idem confirmat,sed tamen non ob id existimandum est, venena frigida nullam alterationem recipere à nostro calore.nam lib.3.de Simpl.medic.facult.cap.17. de venenis frigidis loquens:qualia sunt cicuta,papaueris succus, & mandragora dixit,verùm adscititiam caliditatem requirunt,quæ immutata sunt, extenuet atque cõminuat,quæque velut manuducat,& cap.18.de eisdem dixit, Quemadmodum itaque nisi calorem habeant abundantem,qui cõminuat, tum ad cor vsque perducat,interficere non poterunt. Verùm intelligere oportet,à calore nostro venena frigida alterari: nulla tamen ex parte corrumpi, vbi debita quantitate exhibeantur:eam tamen caliditatem, vt adscititiam breui amittere & frigida reddi, ita vt frigida tangentibus appareant, sine ea quoque partes proximas alterare posse.Sed tamẽ calida non tantum alterari,sed mutari,aut putrefieri,aut corrumpi debere:ipsa verò semel mutationis initium adepta,ad magnã ex se procedunt. Diximus venena frigida nullam mutationem recipere,sed solam alterationem, vbi in debita quantitate suæ actioni adhibeantur: quoniam in minori non tãtum alterabuntur,sed etiam alent. Quod calidis venenis non accidit, sunt enim venena calida toto genere lethalia:frigida verò ex quantitate,vt Galen.lib.3 de Simplic medic.facul.cap.18.21.& 22.quibus in locis venena frigida docet lethalia esse ob quantitatem:quoniam si in pauca quantitate adhibita fuerint, non occident, sed superata à calore nostro poterũt ipsum alere,nisi tota substantia aduersa fuerint. Quod anus Athenienſis experta est,à pauca cicutæ quantitate orta, donec

Venenorũ natura inquiritur, qualisnam.

Venenorũ duplex natura.

Venena calida non alere.

Venena frigida non gignere, sed quantitate.

assueta maiorem acciperet,sine noxa.Id consuetudine fieri an possit, & qua ratione non pertinet ad hunc locum,sed tantummodo docere paucam quãtitatem cicutę posse superari à nostro calore,& alere corpus nostrum,quemadmodum & parua succi lactucæ quantitas.quod etiam fiet,vbi quanuis maiore adhuc quantitate venenum frigidum sumatur,id tardè distribuatur. Potissima nanque causa, quare occidit venenum,est:quoniam cor occupat.id verò non faciet,nisi cito distribuatur,& ad cor perueniat,vt ipsum opprimat,quẽadmodum multa ligna viridia, paruo igni suprapositа.quòd si tarda fiat distributio, prius in itinere vires amittet,ac tandem mutatum nutriet,quod facit lactucæ succus,& cicuta in sturnis,quos ob paucum ipsorum calorem alit, & ob viarum obstructionem: prius enim in ipsis coquitur,quàm ad cor perueniens occidat.Inde fit,vt potius occidat homines calidiores,& qui meatuum habent amplitudinem maiorem, per quos arteriarum motu facilius ac celerius ad cor deducitur. Nam ob eorum frigiditatẽ, ac substantiæ crassitudinem morãtur in via:est enim omne exactè frigidum crassarum partium. Hac etiam ratione, si quis voluerit cicutam vehementius agere, ipsam potandam exhibere debet vino mixtam,non tamen vinoso:nam id nõ tantùm cicutam distribuere,sed ipsius malitiam corrigere poterit, & ipsius potu laborantem persanare. Diuersa est admodum venenorum calidorum natura, quæ toto genere lethalia sunt, non quantitate tantum. non quoniam ad operandum quãtitate non egeant:scintilla nanque ignis sæpe adeò inualida est, vt sentiri eius actio non possit.Sic etiam aconitum,aut cantharis,in paruissima quãtitate actionem nullam,aut paruissimam edent,non tamẽ occident. Dicuntur tamen toto genere talia:quoniam neque in illa paruissima quantitate sumpta vinci possunt, aut alere:maiori verò,& corrumpant & putrefaciant,spatio temporis nunquam correcta,sed semper deteriora reddita.Quidam eorum qui solent nugas grauioribus sententiis inserere obiicit, probare contendens, calida venena alere posse: ea nempe quæ erodunt,ac putrefaciũt:nam allium alere potest, (inquit) quod tamen in quarto ordine calfacit & exurit:sed natura potest ipsum à facultate vrendi nudare,poterit igitur & id quod habet vim putrefaciendi. Ad quod respondemus,quod Galen.lib.2.de Alimentorum facult.cap.vlti.dixit,cæpis,alliis, porris, aliquam esse alendi facultatem:quanuis paruam, postquàm elixa fuerint bis aut ter:quoniam per elixationem acrimoniam illam amittũt:habent autem cum acrimonia substantiam quàm pauci ssimam alimentosam,ac perinde fit,vt vi ignis superante allium acredinẽ amittat,& deinde alere possit, quod tamen calidis venenis non contingit:quia nihil alimentitium habent.Pari modo allium vbi crudum sumatur,venenum non est:quoniam cum sua facultate calfaciendi, & siccandi in quarto ordine non peruenit vsque ad cor.Et quanuis cuti extrà applicitum ipsam exulceret,non tamen id interius facere valet.Vt exulceret nanque quiete eget & quantitate debita,& vt non misceatur alicui impedienti suam actionem: verùm intus sumptum allium coquitur,distribuitur,ac motum diducitur,& cibo ac excrementis miscetur,& parum eius singulas partes attingit,& tenuis substantia, ac facilè dissolubilis acrimoniæ eius subiicitur: qua ratione à nostro calore dissipatur.Quanuis igitur exteriora exulceret,non perinde interiora exulcerabit.Calida verò venena erodentia ac putrefacientia,nisi à corpore pellantur bona fauente fortuna,aut mixta excrementis,aut medicamentis,ad id valentibus, perpetuò deteriora reddentur,& hominem occident: neque enim eorum substantia facilè discutietur,neque illorum portio quæpiam erit alitioni opportuna. Quòd igitur aut noster calor,aut ignis allium à facultate vlcerandi nudare possit,aut ipsa manente non perueniat in cor,non probat idem venenis calidis posse accidere, quæ in substantia crassa & nulla ex parte nobis amica, continent internecandi vim. Venena prętera ex animalibus tota substantia lethalia sunt:quorum malitia potius facultate quàm corpore eiaculatur. Sed rursus obiiciet aliquis aduersus ea quæ à Galeno dicta sunt,lib.3.de Simpl.med.facul.cap.citatis: nempe venena frigida lethalia esse quãtitate non toto genere: siquidem cõtrarius sibi videtur lib.5.

Sturnos alit cicuta.

Venena calida toto genere lethalia,

cap.

cap.19.vbi quorundam venenorum frigidorum meminit,quæ genere lethalia esse asserit,non quantitate,dicens: At sunt quæ tota substantia nobis cõtraria sunt: proinde si vel minimum eorum assumptum fuerit,omnino lædat necesse est, ceu dryopteris,& pityocampe & thapsia,& solanum maniacũ,& hydrargyros, & fungorum nonnulli:præterea saliua & fel,venenatorum animalium. Nam talia omnia genere sunt deleteria, non quãtitate.hæc Gal.Cùm itaque hæc frigida sint,vt dixerat ibidem,colligitur nonnulla frigida venena esse toto genere lethalia, non sola quantitate,vt dixerat lib.3. Ad quam rationem audio quosdam respondentes,nullum esse venenum toto genere lethale,nisi id quod erodentis, aut putrefacientis fuerit naturæ,aut partes tales habuerit,quod de frigidis venenis:quorum meminit Gale.loco citato non minus credibile est, quàm de fungis venẽcis: de quibus Galen.lib.7.de Simpl.medic.facult.dixit quosdam interficere, præsertim eos qui admixtam habent putrefacientem facultatem. verùm Gale.eo loco non negauit alios fungos occidere præter eos qui admixtam habent putrefacientem facultatem:sed eos præsertim id posse,qui talem sortiuntur facultatem.Præterea qua ratione colliget quispiam,similem aliquam facultatem inesse solano maniaco & hydrargyro, putrefaciendi.Facilè verò dubium solues,si Gale.literam accuratè legeris.Dixit enim:at sunt quæ tota substantia nobis contraria sunt. Volens exempla apponere venenorum, quæ quanuis frigida sint, tota substantia nobis sunt aduersa. Cùm autem dixit, venena frigida non esse toto genere lethalia, & parua quantitate superari posse atque alere: de iis loquitur quæ qualitate interimunt,vti lactucæ succus & cicuta Hæc tamen quãuis qualitate excedenti ad cor perducta interimant, non perinde substantia nobis aduersantur: siquidem eius sunt naturæ & substantiæ,vt victa in nostram substantiã migrent,quod non conuenit his,quæ siue calida,siue frigida fuerint,tota substantia sunt nobis aduersa: de quibus lib.7.loquutus est. His omnibus contraria sunt facultatibus alexitheria.& alexipharmaca:hæc venenis ex medicamẽtis aduersantur,illa verò eis quæ sunt ex animalibus.Operantur hæc aut alterando,aut vacuando venena.Alterãt autem duobus modis,aut per qualitatem vnicam, aut duas, aut tota substantia: nam sic quoque contingit fieri alterationes.Euacuãt quoque duobus modis, aut qualitate trahendo,vt calore,aut tota substantia, his quoque duobus modis euacuant,vbi exterius applicentur:trahunt enim venenum,aut qualitate, aut totius substantiæ similitudine. Habent enim facultatem agendi à tota substantia quatuor rerum differentiæ,vt apud Gale.lib.6.de Mor.po.par.6.cõment.illius sectionis,dolorum proximum ventrem.Sunt autem hæc alimenta,medicamẽta expurgantia,venena,& medicamenta eis aduersa,vt alexitheria,& alexipharmaca.sed de hac operandi facultate in sequentibus dicemus.Rursus ad medicamenta venẽnis obuia redeamus.Hæc mediam quandam facultatem sortita sunt inter venena lethalia & humanum corpus, ita vt quantò ipsa superant facultate humanum corpus,tantò à venenorum facultate superentur:nam si in extremo cõtrario constituta essent.non minus quàm ipsa venena possent nostra corpora, à sua temperatura distrahere.Hac ratione moderata quantitate adhibentur,vt venenis obesse possint,& corpus nostrum non offendant.In parua nanque, vt corpus non læderent,ita venenis corrumpendis,& propulsandis non proficerent:in magna verò,vt venenis obstare,ita corpori noxam inferre possent. Talis ergo est medicamentorum,quæ sunt aduersus venena,natura ex Gale.doctrina.Auerrois tamen falsus est, lib.5.Collectionum.cap.23.qui huic Gale.sententiæ contradicens statuit medicamenta venenis aduersa cõtrarium extremum venenis obtinere, præterquàm citri semen,& similia.Nam medicamenta venenis obuia ipsis aduersantur,sed quæ tenent medium,non aduersantur extremis, & venena tenent extremum:non ergo sunt media quæ venenis aduersantur.Quæ enim media sunt,eiusdem sunt generis cum extremis.Ad quod comprobandum accedit, quòd Galen. lapsus extremos extremis contrariis curare docet. Sed Auerrois sententia quàm falsa sit,constat in his medicamentis, quæ à tota substantia venenis aduersantur:

Alexipharmaca. Alexitheria.

Tota substantia agentia quatuor modis.

Venenorum natura & medic.quæ eis aduersantur inquiritur.

Auerrois falsus.

mithrid

mithridatium nanque venenis aduersatur,& modicam hãbet alterandi facultatem,ita vt parua quantitate adhibitum,sanis non noceat.Idem quoque de theriaca docuit experimentum,& Gal.ad Pisonem. Concedimus quoque medium quadantenus esse de genere extremorum,& ob id quadantenus obesse,alia quoque ratione prodesse,ac perinde quantitatem moderari Galenus docuit.Veruntamen de medicamentis,quæ tota substantia venenis obsunt,aut alterando à tota substantia venenis obsunt, aut similitudine ipsa, venena attrahendo loquitur,& de eis sententiam suam explicat libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatcap.17.In his tamen quæ qualitate corrumpũt venena notum est, venenorum extremam qualitatem,extrema qualitate contraria curari debere.In quibus tantùm verum habere potuit Auerrois opinio. Reliqua verò medium venenorum & humanorum corporum tenere non dubitandum. Quoniam tamen hæc eadem medicamenta,quæ aut alexitheria,aut alexipharmaca appellantur,in magna quantitate adhibita interficiunt.Gale.lib.6.de mo.pop.parte citata,θανέσιμα, hoc est,lethalia medicos ea appellasse inquit:ea tamen opportunè adhibita vsum aliquem præstare possunt,quæ tamen nullum vsum præstant, vt argentum vivum,& lithargyrium,vbi ingerantur,φλαστήρια,hoc est deleteria,dicta sunt.Hanc autem proprietatem,similitudinem,aut dissimilitudinem totius substãtiæ esse,quæ modo mixtionis perficitur,notissimum est ex Gale.doctrina,libr.4.de simp.med. fa.cap.14.& libro quinto cap.15.Quòd enim medicamentum humorem trahat aut membrum,sibi familiare alimentum,causa est,substantiarum similitudo, siue familiaritas.Quòd verò venenum interficiat;non tamen qualitate, id fiet totius substantiæ contrarietate. Tota verò rei substantia compositione quatuor constans elementis.Quoniam tamen similitudo modorum mixtionis, atque contrarietas ipsorum,sunt ad aliquid,& ratio agendi hæc eadem est,quod agit ratione proprietatis totius substantiæ,idest,quod agit ratione similitudinis,aut contrarietatis:neque proprietas erit aliud à prædicta similitudine, aut contrarietate: quæ sunt quædam relationes,quæ à modis mixtionis rerum ipsarum habent ortum. Ratio itaque quare operatur id quod agit à tota substantia,diuersa est à principio operandi:principium enim est forma substantialis rei agentis:instrumenta actionis sunt qualitates sibi familiares:ratio verò agendi,quare,inquam,hoc trahit,aut roborat,aut corrumpit,& non illud,est relatio similitudinis, aut contrarietatis, cũ hac,aut illa re,quæ etiam dicitur causa sine qua non.Hæc verò similitudo, aut contrarietas à modo mixtionis habet ortum:& hic modus mixtionis est quem dialectici dicunt fundamentum relationis.Est quoque causa finalis,aut seipsum conseruare,aut sibi simile producere,& est finis cuius gratia. Sed de his latius diximus in fine commentariorum in librum secundum de differentia febrium &cet.

Medica. vires disquiruntur.

Reliquum est vt breui comprehendamus medicamentorum omnium vires à temperaturis natas,siue à primis qualitatibus elementorum mixtis,siue ab aeremperatis eorundem substantiis.Sunt autem diuisæ quatuor differentijs,quas medici appellant,primas,secundas,tertias & quartas.Prima vis medicamẽtorum dicitur, qua per primas operatur qualitates,& effectus ipsis tantùm primis qualitatibus agentibus respondet,vt calefacere,infrigidare,humectare,& siccare, aut ex his complicitos effectus inducere:sed & Galen.has vires primas quatuor latitudinibus distinxit.Primus autem ordo est virium alterantium, ita vt non satis sensu dignosci possit, etiamsi aut processu temporis,& repetito medicamine constet, aut ab initio intellectu & ratiocinio id assequamur. Secundus ordo est eorum medicamentorum quæ manifestè alterant citra læsionem effatu dignam. Tertiusordo eorum quæ manifestè lædunt,nec tamen stupefaciunt,corrumpunt,aut internecant.Præterea docet singulos horum ordinum,cum latitudinem manifestam habeant,in tres mansiones diuidere,atque in singulis earum medicamentorum vires locare.Secunda medicamentorum facultas à primis ipsis qualitatibus simul cum substãtiç modo procedit,qualis est facultas molliendi, obdurandi, rarefaciendi,condensandi,constringendi,laxandi,obstruendi,deobstruendi,attenuan

Digitized by Google

nuandi, incraſſandi, detergẽdi, ſordem generãdi, incarnandi, cicatricẽ obducendi, repellẽdi, cõcoquendi & ſuppurãdi, relaxandi, ſiue reſoluendi. Tertia facultas eſt, quæ ſingulis mẽbris aptatur à primis & ſecundis qualitatibus orta: qualis eſt ſeminis generatiua, aut quæ ipſum minuit, aut extinguit, & facultas generatiua lactis, & quæ vrinam mouet, lapidem cõminuit, menſes prouocat. Quarta facultas eſt quam à tota ſubſtantia manare dicimus: qualẽ habẽt venena, quæ ex animalibus manant, & quædam in non animatis inuenta, internecantia, calori aut frigori adiuncta, & eiſdem contraria, quæ alexitheria, & alexipharmaca nominamus.

De facultatibus, ſpiritibus, & functionibus. Cap. V.

POſtquàm in primo huius operis capite egimus de elementis, in ſecundo de humoribus, in tertio de membris, in quarto de temperamẽtis, eo ordine ſeruato qui nobis ad euidentiorem rerum demonſtrationẽ viſus eſt accõmodatior: in hoc quinto capite de facultatibus animæ agemus. Quo in loco rerum ipſarum affinitate adducti de ſpiritibus & functionibus ſermonem habebimus. neque enim facultates ſine actionibus integrè patere poſſunt, neque actiones abſque facultatibus demonſtratione doceri. Quoniam verò ſpiritus facultatibus, & actionibus interſunt, de his nonnulla aſſeremus: quibus peractis tota de rebus naturalibus, quas appellant, diſciplina erit abſoluta. A facultatibus verò primùm ordiamur, tanquàm à cauſis à quibus & ſpiritus & functiones emanant. Nam etſi facilè doceri poſſent animæ facultates ex functionibus: quoniam nobis functiones notiſsimæ ſunt, & facultatibus notiores: via tamẽ qua à facultatibus ad functiones proceditur, valentior eſt ad ſcientiam in anima generandam, quanto demonſtratio, quæ à cauſa procedit, dignior eſt ea quæ ab effectu. Scire enim vnumquodque exiſtimare oportet primum per ſe, & non ex accidenti, cum id per cauſam cognoſcitur. Sunt autem facultates functionum cauſæ. Quemadmodum autem Plato à generalioribus ac naturæ notioribus diuiſione procedendum eſſe, ratus eſt, vt in cognitionem inferiorum, ac ſingularium recta veniatur, ita & Ariſtoteles à cauſis generalibus & naturæ notioribus, in effectu tanquàm in ſingularia ac minimè partibilia, nobis quoque notiſsima demonſtratione incedendum eſſe rectè cenſuit. Iam ergo cùm facultates initia functionum ſint, & hæ ab animæ eſſentia manant, aut ipſa animæ eſſentia ſunt, cogemur hoc in loco, de anima quædam referre tanquàm de facultatum & actionum principio & origine. Hanc vero in multis corporibus exiſtere & operari omnibus notum eſt: de eius tamen eſſentia omnes ferè naturales philoſophi hallucinati ſunt. Nouerunt certè omnes in viuentibus corporibus, nutritionem, & auctionem, in quibuſdam ſenſum, in aliis ſenſum & motum: in hominibus verò præter hæc & intellectum, ac ipſis defunctis omnes has functiones aboleri, cauſam verò ignorabãt. Appellabant vtique hoc agendi principiũ, à quo functiones prædictæ procedunt animam: Græci verò ψυχὴν, quæ vitam animato corpori præbet, quę verò ſit eius animæ eſſentia, non ſatis explanarunt, quantum ego coniicere poſſum, præter vnum Ariſtot. Nam & varia & à ratione aliena, ac tantis viris indigna multi philoſophorum ſentire viſi ſunt. Democritus enim ignem atque calorẽ eam eſſe dixit, quod etiam ſentit Zeno Stoicus. Plato in Timæo, animam non vnicum elementum, ſed quoddam ex elementis conſtitutum eſſe dixit. Thales Mileſius animam motiuum quoddam, qua ratione magnetem animam habere putauit: quoniam ferrum mouet. Diogenes animã dixit aerem, quod aerem omnium tenuiſſimum exiſtimauit. Heraclides animam vaporem incorporeũ, & quoddam ſemper fluens, à quo reliqua conſtituuntur. Quidam aquam ſtatuerunt animam eſſe. At verò Critias animã dixit eſſe ſanguinem. Ipſi verò à natura deberi, quemadmodum & Empedocles: verùm is non omnem, ſed cordi ſuperfuſum. Itaque ſinguli ſingulis elementis tribuebant animam, præterquàm terræ. Quidam etiam ex omnibus eſſe conſtitutam elementis dicebant, & nonnulli ex vniuerſis rebus: quoniam anima vniuerſa cognoſcit. nam ſimile ſimili cognoſcimur. Verùm hi de

De animæ eſſentia philoſophi hallucinati, & quænam ſit. Animæ eſſentia diſquiritur.

anima cognoscente loqui videntur, non in vniuersum de anima. Galen. item nos-
ster medicinæ parens, ac rerum naturalium diligentissimus indagator, ingenuè fa-
Gal. de animæ essentia. tetur se ignorare animæ essentiam, multis in locis, quorũ quædam retulimus lib.
3. Prog. in expositionibus nostris. Nunc verò duo tantum ad mentem eius expli-
candam referemus, lib. 7. de Placitis. Hippoc. & Pla. inquit: Veruntamen si de ani-
mæ substantia quoque est sententia proferenda: de duobus alterum dicamus ne-
cesse est, vel ipsam esse fulgidum, ac quasi æthereum corpus, ad quod asserendum
velint nolint consequutione cogente descendent, & Stoici & Aristotel. Vel ipsam
incorpoream quidem esse substantiam, vti tamen hoc corpore tanquam princi-
pali vehiculo. & lib. 2. de causis symp. inquit: Etenim animæ essentiam in alia qua-
piam tractatione definire audax fortasse facinus putabitur: in hoc verò opere &
præter audaciam supervacaneum videtur. At quæcunque tandem ipsa fuerit, è
duobus alterum existimare oportet, aut quod ad omnes functiones vtitur sangui
ne & spiritu, vt præcipuis instrumentis, & aut alterius, aut vtriusque calore, aut
quod in his ipsis consistit. Non est tamen nostri instituti, aut antiquorum falsas
sectas confutare, aut ipsorum ignorantiam accusare: sed Aristotel. præcepta se-
quuti methodo quadam, & demõstratione animæ essentiam inuenire. Sunt por-
Animæ essentia methodo inquiritur. rò rerum omnium naturalium principia tria, materies, forma, & priuatio. Mate-
ries principium est, vt potentia, quæ quamuis formarum recipere potest, aliam,
pro alia qualitatum primorum elementorum, quorum est materies, dispositio-
ne ac mensura. Forma verò actus est & perfectio rei naturalis, quæ generatur
ac corrumpitur pro generatione & corruptione earum dispositionum, quæ ad
ipsam parant. Priuationem verò ego potius generationis rei natura constantis,
quam constitutionis ipsius principium statuerem: quòd enim ignis ex ligno ge-
neretur, tria sunt principia: nempe materies, quæ generationi subiicitur, & forma
quæ generatur, & priuatio quæ in ligno præfuerat, qua ratione ignis ex non igne
factus est, siue ex ignis priuatione. Ex materie verò & forma vnum compositum
constituitur, hoc vnum atque subsistens: cuius est exemplum lapis, in quo est ma-
teries, quæ subiicitur generationi veluti mera potentia, cui nulla est agendi facul-
tas, sed tota est patiendi habilitas. Inest tamen ei forma à qua actio omnis proce-
dit, à qua item materies perficitur & ornatur. Qualia in his quæ arte constant, li-
cet coniicere: nam aut domus, aut scamnum, aut vestis, materiem habent, ligna, la
pides, aut pãnum, quæ sunt materies quæ arti subiiciuntur, & secũda materies ap-
pellantur, quibus addita est forma ab artifice, cui nulla vis agendi inest, qualis na-
turalibus formis, sed perficiendi tãtum gratia data est. Naturalis verò forma, non
tantùm ipsam rem, cuius est forma, perficit, sed actionis omnis se præbet autorem.
Est itaque lapis à forma sua, quæ substantia est lapis: quemadmodum scamnũ ob
formam quæ accidens est, scamnum: & vestis à sua forma vestis: verùm à scam-
no qua scamnum, aut à veste qua vestis est, nulla proficiscitur actio: à lapide verò
qua lapis, omnis naturalis actio sibi debita, vt à magnete, qua magnes est, ferrum
allicere. Totum verò compositum ea tantùm ratione subsistit, qua forma mate-
riæ inest, ac coniungitur, quomodo & scamnũ non alia ratione tale existit, quàm
quòd forma scamni ligno inest, ac copulatur. Nullo prorsus discrimine in corpo-
ribus animatis forma quædam est materiæ coniuncta: cuius gratia totum subsi-
stens constituitur, cum materię adhæret, ipsa verò materies perficitur & ornatur,
éstque agendi principium. Sunt enim hæc duo materialibus formis peculiaria
materiem ornare, & actiones obire. Primum sibi debetur quatenus materiæ inest,
Anima. secundum quatenus naturalis forma est, & motionis initium. Cùm ergo anima ex
cõmuni appellatione ea sit, à qua viuentis actiones, & motus proficiscuntur, ani-
ma viuentis corporis forma actus, ornamentum, & perfectio erit: hęc verò vt sub-
stantia: quemadmodum reliquæ naturales formæ, non vt accidens, quemadmo-
dum formæ quæ arte constant. Constituitur autem omne natura constans, ex for
ma vt actu, & materie vt potentia, viuens igitur ex forma vt actu, & materie vt
potentia constituetur. Talia sunt viuentia omnia, quæ natura quidem constant,

& tota

& tota earum ſubſtantia ex materie naturali tanquàm potentia, ex forma tanquàm actu & perfectione perſiſtit. Eſt verò actus quod ornat & perficit, & à quo motio omnis proficiſcitur: hæc tamen in corporibus animatis ab anima. Erit ergo anima ſubſtantia corporis animati, actus, & perfectio, ac forma ipſius, à qua actiones, & motus viuentium procedunt, ac iure Ariſtotelis dictum eſt: Anima eſt actus primus corporis phyſici in potentia vitam habentis. tale verò erit organicum: vbi actum diximus Græcè ἐντελέχεια habetur, quo Ariſtot. vt nouo homine vſus eſt, vt inquit Cicero, prima Tuſculanarum quæſtionum, ad ſignificandam continuatam quandam motionem, atque perennem. Quemadmodum libro 3. de Phyſicis auſcultationibus. Themiſtius ἐντελέχειαν motionem ad formam eſſe dixit: quaſi continuam motionem: quoniam ἐντελεχὴς, continuum ſignificat. Verùm vt ipſemet Themiſtius vult in Paraphraſi lib. 2 de Anima. ἐντελέχεια, perfectionem ſignificat, & vt nos monſtrauimus, anima corporis viuentis perfectio eſt, quòd ſi quis ad verbum hoc nomen ἐντελέχεια, transferre velit, perfectihabiam dicet. *Anima ex Ariſt.*

Éritque anima actus ſiue perfectio prima corporis: nam hæc ſubſtantia eſt, & ipſa prior eſt omni perfectione, quæ fit ab accidente. Eſt quoque actus primus, vt forma, non ſecundus, vt actio. Eſt autem id corpus phyſicum: nam vt diximus, corporum arte conſtantium accidentaria eſt, ac valdè ab hac diuerſa perfectio, quæ ſibi à forma tribuitur. Id verò corpus in potentia vitam habere dixit. Nam vt ſuprà habitum eſt: animæ hæc duo ſunt officia, materiem perficere, & actiones abſoluere: materiem perficere perpetuum eſt interim, dum viuens extat, actiones verò abſoluere non perpetuũ: ceſſat enim ab actionibus, ac ociatur animal, quandiu dormit, ad has igitur meritò dicetur in potentia Sunt tamen hæc duo animæ officia, vt habitus & conſideratio in anima, qui enim ſcientiam habet in habitu, non protinus conſiderat, vt cum dormit: habet tamen conſiderandi potentiam, qua ratione ſcientia & habitus appellatur. Qui verò actu conſiderat, is ſcientiam habet in actu: animam materiem ornare, & informare habitus quidam eſt, ac perfectio quædam in habitu conſiſtens, vt ſcientia: perficere verò actiones, quod ad animam attinet, actus eſt conſiderationi ſimilis. Erit igitur anima in corpore vt habitus, ſiue forma, & vt agendi principium, ſiue à quo actio procedere poteſt. Id in ſenſitiua anima cognitum eſt: ea enim ſemper informat, ac perinde eſt in habitũ, & non ſemper operatur, ac ſubinde dicetur habere vitam in potentia, quod de anima vegetabili non admittit Themiſtius: quoniã ſemper eſt in actu informandi, & ornandi materiem, & in actu perficiendi actiones. Nutriuntur enim viuentia quandiu viuunt, & plantæ viuunt per alimentum. Quare Themiſtius dixit, vt omnem animam compræhenderet eſſe dictum, in potentia vitam habere: aliquæ enim in actu ſunt, vt vegetabilis quæ natura duce agit: aliquæ animæ ſunt, quanuis non agant, ſed in potentia ad agendum perſiſtant, vt ſentiens. Per id itaque quod dixit, in potẽtia, animam ſenſibilem compræhendit, nec tamen vegetabilem excluſit, quæ ſemper in actu eſt. Quod nanque in actu eſt, in potentia ſimiliter exiſtit, licet non omne quod exiſtit in potẽtia, ſtatim in actu ſit. Cæterùm vt cap. de membris aſſeruimus, ſemina plantarum & animalium vita participant: quæ tamen non aluntur, donec ſemen animalis in vterum, & plantæ in terram humidam fuerit effuſum. Vegetabilis ergo anima quæ in plantis eſt, vita, id eſt nutritione vtitur, quandoque actu, quandoque potentia. Quare & vltimum quod ab Ariſto. additum eſt, à nobis excludetur: nempe inſtrumentarias habere partes: eis enim viuentia ad agendum egent, non tamẽ ſimpliciter vt ſint, aut viuant, quod dicta ſemina docent: nã nullæ ſunt in tritici grano, aut animalis ſemine, partes organicæ, aut quæ diuerſis inſeruiant functionibus. In viuentibus tamẽ quæ alimento actu non tantum potentia vtuntur, organa neceſſaria ſunt, vt in animalibus os, gula, venter, iecur, & venæ, in plantis radices, radicatio, truncus, rami, & in his cortex, alburnũ, fibræ, & venis proportione reſpondentes, quibus egent ad firmitatem, pulchritudinem, alimenti confectionem, augmentum, & ſpeciei cõſeruationem. Semina verò nullo horum egent, ſuppetũt verò omnia hæc, cùm primùm

Anima ex Ariſt.

Inſtrumentarias partes habere corpus, animantium nõ eſt neceſſarium.

Digitized by Google

alimento vti debent. Corporum verò animatorum, quorum actus & perfectio anima est, quædam sunt facultates ab anima procedentes, genere distinctæ. Earũ quoque quædam animatorum ordines diuersos statuunt: sunt & genera animatorum diuersa. sunt quoque & quæ diuersæ animæ partes, aut substantiæ appellantur. Facultates animæ non aliter quàm ipsis actionibus distinguuntur. Actiones verò quæ in viuentibus diuerso genere continentur, sunt nutritio, sensatio, progressio, intellectio, appetitio: quibus respondent altrix, sensus, mouendi potentia, intellectus, & appetitus. Quoniam verò appetitus omnibus aliis facultatibus immiscetur, ita vt nunquam sine aliis inueniri possit, neque aliæ secundum naturam sint sine ipso, nullum per se constituit animatorum ordinem, sed sunt hi quatuor tantum, vegetabile, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. Appetitus verò vegetandi potentiæ immixtus est, quòd sine ipso neque plantæ, neque animalia nũquam alimentum, aut alliciant, aut auersentur. Sentienti facultati pariter iunctus est appetitus: voluptas enim atque dolor in sensu tactus, & sensu gustus notissima sunt: in aliis verò sensibus loco suo docebitur. Potentia quoque secundum locum mouens, appetitum habet qui imperat fugam, aut prosecutionẽ, sine quo internæ facultates sentientes in animalibus sitæ, nunquàm motum perficerent. At intellectus voluntate, liberáque agendi potestate fruitur, à qua bonum prosequimur, malum verò fugimus, interim dum mente constamus, nec quippiam nos à boni cognitione deturbat. Est tamen vegetabilis animæ potentia in plantis sine sentiente, est quoque sentiens sine mouente loco, veluti in quibusdam animalibus, quæ terræ sunt affixa, vt cõchæ, & ostrea, quæ mediam naturam quadantenus seruant inter animalia perfectiora, & plantas, quibus natura progrediendi facultatem denegauit: quoniam alimẽtum tũde eis ad alitionem satis erat. tale verò ipsis in loco manentibus suppetere potuit, aliis verò vt perfectioribus ad alimentorum perfectiorum disquisitionem mouendi facultatem dedit. Nec tamen negamus animalia terræ affixa in loco moueri posse, quod docẽt ipsa compuncta: contrahunt enim sese, atque conuellunt: non tamẽ mouentur à loco in locum, quod attinet ad mouentem facultatem, quæ à loco in locum mouet, de qua nobis est sermo. Licet ergo potentia de loco in locum mouens seiuncta aliquatenus à sentiente sit, quoniam omne sentiens motu aliquo locali participat, vt dixi, tria tantùm animatorum genera erunt: hæc sunt vegetabile, sensitiuum, intellectiua. Quæ inuicem adeò separantur vt φυτὰ id est plantæ sola facultate altrice prædita sint, sine sentiente, aut intelligente. Sentiens verò sine intelligente in brutis adest, continet tamen altricem potestate. Intelligens verò sine aliis non reperitur quas potestate continet. Quemadmodum omne perfectius imperfectius continet potestate, in his quæ inuicem ordinata sunt, alterum ad alterum. Exigitur nempe alitio ad plantæ cuiusuis & animalis conseruationem. nam animal omne altricis munere fungitur, siue id brutum sit siue rationale. Plantæ verò sensu non egent, nisi quis sensum alimẽti appellet facultatem discernendi vtile ab inutili, quam nos modò sensum non appellamus, sed quandam naturalem animæ inclinationem, qualis & in lapide est ad locum sibi naturalem, & in magnete trahendi ferrum. Sensitiua verò facultas qualis in brutis intellectu nullatenus ad suas egebat functiones. Intelligere autem animam rationalem interim dum in corpore existit sine sensu non est: minimè verò sine vita quæ per alimentum seruatur: quare altrice & sensibili facultate opus habuit, quas potestate cõtineri in ipsa intellectiua anima testatur Aristote. & altricem in sentiente, quemadmòdũ trigonus in tetragono. Nam tetragonus non actu sed potestate continet trigonum. quod constat si tetragonus recta linea ducta ab angulo in aduersum angulum diuidatur: trigonus verò tetragonum non continet, vt neq; altrix facultas sentientẽ aut intelligentem. Hoc idem in sensibus exterioribus fit: nam ex his quidã sunt magis aliis necessarij, & qui ab aliis absolui possunt, alij nõ ab ipsis, vt tactus qui similis est hac in re facultati altrici. Is enim in quibusdam animalibus inuenitur sine alijs sensibus: nullus verò sine ipso, neque enim est animal sine tactu, & animal ob tactum

Appetitus facultatibus animæ omnibus miscetur.

Facultas sentiens à loco mouente quomodo separatur.

Analogia.

dici

dicitur:quoniam neque tactus est sine animali,neque animal sine tactu.Nos verò Platonis sententiam sequuti,animam primùm in partes diuidemus: deinde singularum partium persequemur facultates,quas Aristot.in libris de anima persequutus est,à vegetabili initium facientes: deinde ad sentientem, ad finem ad intelligentem accedentes animatorũ genera trademus. Quas omnes & nonnullas alias facultates:quarum non meminit Arist.ordine partium animæ seruato,nulla prætermissa percurremus.Sunt autem hæ,vt Plato voluit in Timæo, aut animæ partes,aut veræ animæ,aut substantiæ animæ:ad doctrinam enim nihil refert.Cæterùm quantum philosophia naturalis docere potest,& ad Platonis, & Galeni mentem,tres sunt in humano corpore animæ.Prima in iecore sita,alimento, & conseruationi seruiens,quam appellat Plato in Timæo ἐπιθυμητικὴν, id est concupiscibilem,à multitudine cupiditatum: cuius plantas secundum naturam participes esse dicit.Hanc appellat Aristotel. nonnunquam θρεπτικὴν, id est,altricem, ab eo quòd alit,quandoque φυτικὴν,id est,vegetabilem,à vegetando, quandoque γεννητικὴν,id est generatiuam, ab eo quod generat. Attamen Stoici eam quæ plantis præest,non dignabantur animam appellare,sed φύσιν,id est naturam, Gale.cùm nominibus vtitur exquisitè,eam φυσικὴν nominat: nam nonnunquam eo nomine vitalem comprehendere solet,in corde verò eam animæ partem sitam esse dicit,quæ θυμοειδὴς,id est irascibilis, vel ψυχὴ θυμοειδὴς, id est, anima animosa, vel δύναμις ζωτικὴ id est facultas vitalis dicitur. Tertiam animæ partem dicit in cerebro sitam,cui nomen, λογιστικὴ & λογικὴ, id est ratiocinatrix & rationalis. Hoc nomine comprehendens sensualem animæ partẽ,atque intellectualem. Has tres trium facultatum sedes Galen lib.7.de Placitis.Hippoc.& Plato. statuit, cùm inquit:Demonstratum est geniti animalis à tribus principijs fieri dispensationem, & reliqua. Est & quarta facultas animæ, quam non diuisit Plato ab aliis, neque enim de numero gubernantium nostrum corpus est:nempe generatiua, testibus insita speciei conseruandæ gratia:cuius principatum simul cum principatu partis cui inest,latè probauit Galen.lib.primo de semine.De ea multa diximus in ca. de membris:quædam autem modò dicemus,cùm de naturali facultate, siue altrice agemus Prius verò an hæ tres animæ partes in tribus locis à Platone signatis sitæ sint,indèque facultates eis respondentes emanent,disseremus,vnde & membrorum principatus constabit.Aristo.nanque neque multas statuit animæ partes aut substantias,lib.primo de anima,neque facultates animæ,ab alio,quàm à corde oriri posse existimat.Ipse enim vitalis facultatis non meminit,quam nos animosam,& pulsatilem dicimus,sed ipsam in altrice comprehendit, neque vitam aliam esse putabit,ab ea quæ per alimentum.Alendi verò principium cor esse voluit,ac sanguinem inde ortum habere,ibidémque generari.Animalem quoque facultatem inde distribui:sensum inquam & motum.Pulsum quoque non à facultate aliqua fieri,sed ab ipso calore sanguinem in tumorem eleuante.Primùm itaque altricem facultatem à corde oriri,& sanguinem inde manare,libr.3.de partibus animalium,cap.4.probare conatur. Cor namque ex ipsius opinione primò viuit,ac sanguinolentum est,& palpitare deprehenditur ante reliqua.Sanguis igitur non à iecore,sed ab ipso procedit.Docet id quoque ortus à corde, venarum quibus magna colligantia cor annectitur,vt ex Anatome constat.Rursus id docet situs cordis in medio corporis,quo in loco decet principem partem sitam esse, vt sanguis manet,qui situs iecori non conuenit.Sensum quoque & motum à corde manare,& cor principiũ eorũ esse probat ex sanguine:quoniã principiũ sanguinis est principiũ sẽsus:animal enim sensu definitur,& sensus ei tribuitur primò,cui sanguis.Motum quoque eodem loco probat à corde oriri: putat enim cor valde neruosum membrum esse,& neruos à corde procedere,vt cap.de membris diximus.Testibus verò nullum tribuit principatum.Vnicum ergo statuit præcipuum membrum,atque originem facultatum omnium.Verùm quoniam Aristo.rationes ad suam probandam assertionem nullius ferè momenti sunt:eis omissis, nos ad mentem Gal.4.membrorum principatum docebimus,tres quoque animæ par-

Animæ partes ex Platone.

Aristo. de animæ facu.

Facultas vitalis cui insidet membro.

Facultas altrix à corde oritur ex Aristote.

Facultas sentiens à corde ex Aristo.

tes,tribus locis sitas,indéque facultates eis respondentes proficisci. Libro itaque artis medic.cap. 9.quatuor differentiis membra omnia humani corporis diuisit, vt suprà retulimus. Quædam enim principia sunt:nempe cor,cerebrum,iecur,testes,quædam à principiis exorta.Sunt hæc,arteriæ, quæ à corde manant, venæ, quæ à iecore,nerui,qui à cerebro,vasa seminaria,quæ à testibus. Sunt etiam membra,quæ neque præsunt aliorum gubernationi,neque aliunde gubernantur, quæ insitas habent facultates, vt os,cartilago, copula,membrana , adenes , adeps, caro simplex.Sunt & quæ innatam habent facultatem , atque alteram aliunde tributam recipiunt,qua ad munera sua perficienda egerunt. Sunt hæc , ventriculus, lien,septum transuersum: licet hanc diuisionem aliter accipiendam probatum sit cap.de membris : & illam recipiendam admoneo. Membrum præcipuum quidam definierunt spiritus generatione. Sed id alienum est à veritate: nam Galenus de principatu iecoris non dubitauit : cùm tamen dubium esse dicat,an iecur spiritum aliquem generet, vel an spiritus aliquis naturalis sit. Rursus non aliter contendunt,aut Galen. aut alij principatum partis alicuius probare , quàm ex facultatum exortu.Id itaque præcipuum membrum esse dicemus, quod est facultatis alicuius origo , quam alijs transmittit : hac ratione cerebrum præcipuum est animalis facultatis origo,quam neruis transmittit, & cor facultatis vitalis,quam tribuit arteriis iecur naturalis,siue altricis initium est , quam tribuit venis.Testes verò generatiuæ : hæc verò vasis seminariis tribuitur. De testium vsu,atque ipsorum principatu diximus cap.de membris. Tribuunt tamen testes facultatem conficiendi seminis vasis seminariis : nam cùm vasa seminaria venis & arteriis continua sint,talem haberęnt naturalem facultatem,qualem venæ & arteriæ reliquæ, nisi à testibus diuersa facultas eis foret tributa:nempe conficiendi semen,ac sanguinem dealbandi.Quanuis neque integrè ipsum conficere aut perficere possint:in testibus nanque semen perficitur,ac genitale fœcundúmque fit.quod venis meseraicis ad proportionem accidit : chylum nanque mutant in rubrum colorem,& ad sanguinis naturam alterant,facultate sibi à iecore tributa,nec tamen sanguis in ipsis in totum perficitur , donec iecur subintret chylus: quoniam verò de his suprà,quæ necessaria nobis visa sunt,diximus ad animæ partes,sedes,& partium ipsarum principatum accedamus. Diximus primã animam ordine esse vegetabilem,aut altricem in iecore sitam, à qua altrix facultas oritur venis demandata,quod multis viis Galen.latè probauit,lib.6 .de Plac.Hippoc. & Plato. Quamuis,vt inquit,non sit adeò euidens demõstratio ortus, atque processus huius facultatis,vt vitalis,& animalis. Nam si neruos aut illaqueaueris , aut præcidas,non amplius aderit in parte secta,aut post illaqueationem animalis facultas.Idem etiam fit in arteriis : nam si aut præcideris , aut illaqueaueris arteriã, pulsum non amplius percipies in parte , quæ est post illaqueationem , aut in præcisa.In venis autem non sic:nam illaqueata vena , non statim cessat opus naturalis facultatis:quoniam præter eam,quæ influit à iecore,altera insita est carni, aut cuiuis particulæ.Quapropter diximus membra seipsa regere, habent enim insitam facultatem,naturalem peculiarem,quæ suorum elemẽtorum temperaturam sequitur:quamuis & hæc ad functiones non sufficiat diu,nisi altera à iecore venis membri tribuatur.Neque tamen volumus carnem,aut os recipere generalem illam altricem facultatem,sed venas,quæ ad eas partes perducunt alimentum. Illæ enim generalem sanguificam recipiunt à iecore,& facultatem trahendi , retinendi,coquendi,& expellendi,pro reliquarum partium ministerio & alitione. Venæ enim non sibi tantùm,sed multorum aliorum membrorum ministerio operãtur. Alię verò,vt caro,& os,nihil tale recipiunt:nam,vt diximus,seipsa regunt,neque aliorum gubernationi præsunt,neque aliunde gubernantur.Iam ergo altricis facultatis initium iecur esse multis modis suadetur.Primò quidem generatio plantarum ex semine docet,iecur esse naturalis facultatis originem. Semen enim initium generationis plantæ , & ipsius alitionis est. Nam cùm ipsum in terram effusum fuerat, ac incepit naturali suo munere fungi, & viuentis functiones obire,

Membrorũ diuisio Gal.

Membrum præcipuum quod.

Altrt.fa. origo quæritur , & an uenæ facul. habeant sanguificam.

Venæ sanguificam recipiunt fac.

Iecur altricis anime sedes.

radices

radices in terram submisit,& truncũ,aut caulem protulit: cepit autem hæc tota plantæ confectio,& alitio à loco medio,qui radicatio,siue stebe appellatur: est is seminis locus,quo copulatur truncus radicibus: trahitur autem alimentum per radices in radicationem:deinde per truncum,aut caulem,in totam plantam distribuitur. Idem in animalibus fit:nam alimentum à superiori parte accipiunt, quod planè Aristotel.indicauit dicens hominemesse plantam euersam, perducitúrque alimentum à ventriculo per meseraicas in iecur,vt per radices in stebem: deinde à iecore,vt ab ipsa stebe,per cauam,& reliquas venas, in totum animal distribuitur. Est igitur tale in animali iecur,qualis radicatio in plantis, & seminis locus. Sed in plantis semen,& ipsa radicatio totius alitionis initium est: ergo in animalibus iecur. Rursus venarum initium in iecore est:quare & sanguinis & altricis facultatis initium esse concedant oportet. Omne enim quod alitione generatur, in sua origine crassius & maius est, venæ verò crassissimæ, & maximè iuxta iecur sunt,in corde verò tenuiores: paruus enim est venæ cauæ ramus, qui cor subintrat,aliorum eiusdem ramorum collatione:iecur ergo est venarum, & sanguinis origo. Quòd si dixeris,sanguinem nõ generari in iecore,sed præparari,& in corde effici,est falsum. Membrum enim quod alteri seruit præparatione, totũ quod parat ipsi ministrat, vt paratum perficiat,quod fit in pulmone. totus enim aer paratus cordi,& non alteri transmittitur,& chylus à ventriculo non alteri, quàm iecori totus mandatur,sanguis autem à iecore genitus, non totus mittitur cordi: nam pars ea sanguinis,quæ per venam lumbos perreptantem descendit, nũquàm fuit ad cor delata,non igitur paratur à iecore sanguis,vt in corde perficiatur. Rursus cordis dissectio docet,trisulcas quæ sunt in ea cordis ianua, qua sanguinem à vena caua transfusum excipit,ad intima cordis aperiri, claudi verò ad exteriora, ac prouidè à natura factam viam illam recipiendi, non transmittendi gratia: sanguis ergo recipitur in corde: non transmittitur autem iecori, & partibus inferioribus ipso. Rursus venæ quæ ab vtero ad inuolucrum deueniunt ad fœtum alendum, cum fœtus vmbilicum penetrauerint, non ad cor,sed ad iecur ipsius perueniunt: quod manifestè docet inde esse alitionis principium. Rursus id natura iecoris ostendit, si quid effectuum similitudo potest conferre ad causarum cognitionem. Sanguis nanque carni iecoris similimus est: neque enim caro iecoris aliud est,quàm sanguis calore concretus:à calore enim perficitur:à frigore nanque potius putresceret. Caro igitur iecoris causa est, sanguinem generans. Neque putare oportet à venis iecoris id fieri, vt quidam existimauerunt, nulla enim est venarũ, & sanguinis similitudo. Ipsa verò iecoris caro venis sanguificam tribuit facultatem,primùm eis,quæ sunt in ipso,quæ sanguinem immediatè pertingũt,dum generatur:deinde reliquis. Meseraicis quidem:nam chylus antequam iecur pertingat,in venis ipsis rubri coloris conspicitur, & in venis quæ à iecore exortæ in totum corpus procedunt,sanguis nondum perfectus perficitur, & pituita coctione in sanguinem transit. Quod non fieret, nisi venæ sanguificam haberent facultatem. Est autem hæc carni iecoris propria: venis verò tributa, vt exortis à iecore. Quemadmodum & attractrix alimenti, qua venæ non solùm sibi, sed reliquis alimentum trahunt. Rursus & retinere alimentum, atque ipsum coquere,non solùm quod sibi prodesse,sed quod reliquis partibus est ex vsu cõmunis,siue generalis est facultatis. Rursus,& totius corporis excrementa trudere,toti corpori prodest. Omnes autem hæ facultates à iecore venis tribuũtur, non aliis partibus:caro nanque simplex & os,& cartilago insitas tantum habent naturales facultates,quæ sequuntur suas naturales temperaturas ex elementis. Hæc est itaque ratio,quare inter præcipua membra iecur recensetur:est enim naturalis altricis facultatis origo,quam venis transmittit,non aliis. Quòd tamen iecoris facultas venis tribuatur,multis in locis testatur Galen.vt lib.4 de Vsu partium. dicens: Coquitur quidem adhuc,& in ipso per intestina transitu cibus,sicut in venis omnibus sanguis. Est autem sanguifica facultas,eadem cum altrice.lib.5.de Locis pa. cap.7.& lib.2.de Ratione vict.acu.cõment. 47. vnam esse facultatem dicit,in nervis,quæ

Membrum alteri ministrans.

Sanguificã facult.caro iecoris tribuit uenis.

Venæ sanguificã habent facult. ex Gale.

uis quæ oritur à cerebro, alteram in arteriis quæ oritur à corde, & tertiam in venis, quæ à iecore. Facultas igitur iecoris venis tribuitur. Idem lib. de Arte cura. ad Glau. cap. 13. Venis verò quæ sunt ante iecur facultatem sanguificam, lib. 2. de Placitis. Hippoc. & Plato. inesse sic protulit: Secundum è iecore in ventriculum pertinentes venæ, in quibus sanguis primùm gignitur. Non itaque dicemus iecur præcipuum membrum esse, & altricis facultatis sedem, ob id quod sanguinem generat, qui materia est alitionis: & quoniam materiam præstat alitioni corporis. Sed quoniam facultatis origo est, quam etiam venis distribuit. Creditur verò id esse principium altricis facultatis, quod est sanguinis principium generatiuũ. Rursus lib. 6. de Placitis. Hippocr. & Plato. dixit: non esse adeò euidentem demonstrationem, si quis velit probare ortũ facultatis naturalis à iecore, vt probauerat ortum vitalis à corde, & animalis à cerebro. Nam in his statim præcipitur noxæ cõsensus, in iecore tamen non nisi processu temporis ipso languente, membra languere conspiciuntur. Talis enim (inquit) cuiusdam facultatis origo iecur est, qualem in plantis esse constat. Putat ergo Gale. à iecore procedere hanc facultatem: quanuis non adeò euidenter probari possit. Rursus inferius eodem lib. damnat: si quis dixerit venis, cor tribuere facultatem, iecur verò materiam, à quo sanguis manat. atque orationem claudens inquit: Quòd enim membrum materiam ad alimentum toti corpori idoneam procurat, id verisimile est esse altricis, & vegetabilis facultatis principium. Altricem ergo facultatẽ venis vult à iecore tribui, non à corde. quòd si in contrarium adduxeris Gale. qui libro eodem dixit: Si igitur membrum illud principium esse dicimus, quod iis, quæ exse oriũtur, vel vim, vel materiam saltem omnino suppeditat, & reliqua. Supponit ergo membrum præcipuum dici etiam, si solam materiam suppeditet, dicemus, id ex aliorum opinione, vt hypothesim assumpsisse, vt eorum mentem confutaret: vbicunque enim de partium principatu loquitur, ad facultatem ipsum referre contendit. Rursus si ad principatum partis satis esset materiam suppeditare, & membrum præcipuum est iecur, quia materiam suppeditat: verùm ipsam non tantum suppeditat venis, sed & carni & ossi & cartilagini, ergo hæc membra non seipsa gubernabunt, sed aliunde gubernari dicetur, quod contrauenit Galen. lib. Artis medic. Neque his obstat Gale. libro 1. de Locis patientibus ad finem: cuius hæc sunt verba, Atque in hac re plurimum differunt naturalia ab animalibus instrumentis: siquidem naturalibus cognatam actionis vim esse, animalibus verò instrumentis à principio (veluti lumen a sole) ipsam defluere iam ostensum est: ergo vt magneti lapidi vis inest, qua ferrum attrahere potest, ita naturalia quoque instrumenta omnia facultatem habent, qua actionem suam perficiunt, proinde si permanens fuisset ipsorum essentia, neque arteriis, neque venis indiguissent. Verùm quia nutrimento egent, seruaréque oportet intimi caloris temperiem, hanc ob causam & venis indigebant, & arteriis: sic etiam musculi, vt essentiam suam seruare possent, non secus, quàm naturalia instrumenta, & venis, & arteriis indigent. At quæ cognatum sensus & motus principium non habent, idcirco neruis per quos hoc ipsis influat semper indigent, qui illis eas suppeditare possint, quemadmodum sol omnibus rebus, quas illuminat splendorem affert. Quamobrem solis partibus, quæ & sentiendi & mouendi vim habent, accidit: at ipsis interdum haud quaquam affectis nihilominus earũ actio pereat: id quod naturalibus instrumentis accidere non solet: quoties enim horum actio læditur, semper primario affectu laborant. Quæ sententia de omnibus aliis partibus à venis intelligenda venit: nam de aliis loquitur cùm dicat, eas non egere venis: illis nanque nos concedimus, insitas esse peculiares facultates naturales: venis tamen generales à iecore tribui, quibus eis ministrant alimoniam, & in peculiaribus suis functionibus pati per consensum læsionem non posse membra singula affirmat. Mentem autem nostram Gale. sententia confirmat, quilibet artis med. cap. 9. inquit, Sed præter suprà dictas, alia est indicatio ab hepate ipso, veluti à venarum principio: nam cùm non tantùm seipsum regere natura aptum sit, vt pleræque animalis partes, sed venis præterea virtutem largiatur, periculum immi-

net, ne

net,ne ſi eius vigor madefaciẽtibus,ac relaxantibus cataplaſmatibus fuerit reſolutus,& ipſum primum ad ſui opus,atque omnes ſubinde venæ eius ratione imbecilles efficiantur.Nulli igitur dubium deinceps videbitur, Gale.apertè voluiſſe,ſanguinem in venis generari,à facultate ſanguifica,ſibi à carne iecoris tributa: hæc enim eſt quæ ſanguinem generat,quod autore Galen.natura membri apertè docet. Nec quidpiam probat,qui aduerſum noſtram firmam,& ſtabilem docendi rationem nunquam non momi perſonam agit,cùm dixerit: Talis eſt facult.naturalis in iecore,qualis altrix in plantarũ radicatione: ſed hæc non influitur plantæ,non igitur influetur in animalibus.facile ſolues eam rationem:nam vnde conſtat,nõ eſſe ſimilem influxum plantis per fibras,ei qui fit à iecore per venas? Præter id quod minus confecto alimento egent plantæ,ac perinde non habebũt opus influente facultate,ſed primum magis probo. Præterea quidam addit, ſanguinis generatio magis in venis iuxta iecur viget,igitur à iecore venis tribuitur facult. ſanguifica.Reſpondet,venas iecori proximas calorem copioſiſsimum ab eodem ſuſcipere,non tamen facultatem.Sed dicant iſti,quare non generabitur copioſiſſimus ſanguis in venis,quę cor circunſtant,& in arteriarum origine,vbi maior eſt calor,quàm in iecore?Præterea hac ratione vtuntur pro noſtra aſſertione, venæ ſang.generant:vt ex Gale.probauimus,& non propria facultate,ergo aliunde ſibi tranſmiſſa,nempe à iecore.Reſpondent,venas habere facultatem ſanguificã quodammodo inſitam.Ecce hominis ingenium,vt noſtri aſſertioni cõtradiceret, negat facultatem ſanguificam,aut naturalem quancunque diſtribui à iecore poſſe, & ſententias Gale.adductas,luce clariores detorquet,ac deinde concedit,inſitam eſſe facultatem ſanguificam venis extra iecur,quam neque ipſis venis iecoris ineſſe voluit Gale.nedum aliis.Nam lib.6.de Plac. Hipp.& Plato.confutat opinionem eorum qui venarum tunicas dixerunt habere ſanguinis procreatricem facult.cùm enim agens omne in actione paſſum aſſimilet:manifeſtum eſt venas albas non generare ſangui.rubrum,ſed potius carnem iecoris id efficere, quæ non eſt aliud quàm ſanguis à calore concretus.Sed de his dictum à nobis abunde eſt. Naturales verò facultates tres ſunt præcipuè in ſemine,tres quoque in ipſo genito animali,aut planta.Hæ ſunt generatrix,altrix,auctrix:generatrix in ſemine reperitur coniunctam habens formatricem:nam eſt generatricis membrum,aut ſi mauis,quartum facultatis genus.Semen enim animatum eſt,& animal, aut plantam formare valens,& ex materia generando perficere. Interim verò ſemen attracto alimẽto nutritur,& augetur,donec vegetabilis anima animali aut plantæ ſupereueniat.Anima verò vegetabilis hæc facultatem habet generandi ſibi ſimile,quod opus naturaliſsimum viuentibus Ariſtot.eſſe dixit:hæc generatrix formatricem habet adiunctam.Præterea vegetabilis anima facultatem nutritoriam,ſiue quam diximus altricem habet, & auctricem. Generatrix quidem toti ineſt animanti, quamuis teſtibus,aut vaſis ſeminariis in plantis,præcipuè inſit.Et in ſemine ad animantis alterius generationem demandetur. Formatrix quoque cum ſemine traducitur:verùm hæ in animato dum viuit,manent. Siquidem membra ex ſemine genita,ſibi ſimilia generandi facultatem continent,quam etiam procreatricẽ appellant.Cæterùm procreatricis,ſiue generatricis,quæ in ſemine adeſt,munus eſt, ex materia parata animal conficere,ſiue in materia parata animam inducere,procreatricis verò,quæ in animato manet,ſiue formatricis,munus eſt materiam excauare,delineare,& extendere.Altricis eſt materiam trahere,adponere, retinere, mutare,per eas facultates,quæ eidem miniſtrant:propria verò ipſius functio eſt, alimentum in corporis ſubſtantiam mutare, quod aggenerare eſt. Quapropter nemo inficiabitur,nec momus ipſe,eſſe generationẽ ab alitione diuerſam admodum:ſiquidem generatio nouum efficit animatũ, nouam formam in materia inducit.quæ in nulla illius materiæ parte præfuit.Alitione tamen parti aduenit forma:quinimo pars aduenit,quæ formam ſuſcipit, & non equidem generatur, ſed aggeneratur.Augmentatio quoque diuerſa ab his eſt, ſiquidem terminus ipſius quantitas eſt,quæ toto genere à ſubſtantia differt, ſubſtantia verò eſt quæ adue-

Naturales facult. quo & quatione diſtinguntur.

Augmentatio an ſit motus.

nit,aut efficitur in generatione,& alitione. Notum autem est,nutritionem,partim lem esse generationem:accretionem tamen adiunctam habere famulantem nutritionem. Per accretionem quantitas propriè adquiritur,per nutritionem verò substantia, hæc quidem generatione quæ motus non est, sed mutatio: illa verò per motum,qui per se contendit ad quantitatem vti alteratio, ad qualitatem, & latio ad locum. Nam autore Aristot. lib. 5. de Physicis auscultationibus, ad tria prædicamenta tantùm est per se motus,quantitatem,qualitatem,& vbi. Quantitas verò augmentatione vera adquiritur,& non vera, quam dicemus accruatione fieri,aut rarefactionem, siue distensionem esse. Quòd tamen quantitas per se adquiratur motus probatur,quod minus erat,maius redditur, adepta noua quantitate:sensim igitur motus est ad quantitatē, quo sensim quantitas adquiritur,& successione,dices motum non contendere per se ad quantitatē, sed ad substantiam,quia in augmentatione substantia de nouo adquiritur,ad quam ex accidenti sequitur quantitatis augmentum,sed contrà pugnat ratio:nam nutritio ad formam substantialem contendit,non ergo ad quantitatem: siquidem motuum diuersa natura,& species ex termino desumitur: quantitas verò genere à substantia distat. Præterea in subiecti alicuius rarefactione,cui nulla adueniat substantia denuo,constat motum illum ad solam quantitatem contendere, & finem habere aliquem per se,non alium tamen à quantitate, idem igitur ad omnes colliges augmentationes,quamuis aliæ adiunctam habeant nutritionem,quod nihil agit ad substantiam motus variandam. Cōstat etiam illo motu per se variari appellationes nominum prædicamenti quantitatis,cum id dicatur ex motu maius factum, & per motum maius. Nullus autem motus ad relationem, aut ad motum est, aut ad actionem:in vera autem augmentatione nutritio adiungitur, & substantiæ intus susceptio,& commutatio,& alteratio. nullum autem horū est ad quantitatem,neque localis alimenti motus,sed ipsa successio, qua sensim minus redditur maius,& per se ad id tantùm contendit, vti,& in diminutione,& in condensatione,quantitatis fit abolitio,etiam per se, quamuis in dissolutione, substantia cum quantitate pereat & corrumpatur. Per hanc dissolutionem in nihil aliud, quàm in quantitatis deperditionem,& totius rei in minores, & angustiores limites circunscriptionem cōtenditur. Adde substantiam interim corrumpi,nec propterea diuersam esse negabimus diminutionem à corruptione. Sed dices, ponamus partes dilatari,alimentum poros subire,in corpus mutari:si hæc fiant, & nihil aliud, res fiet maior sine motu ad quantitatem. Dicam dilatationem fuisse motum ad quātitatem,sed tandem hæc vt notissima,& apud omnes recepta missa faciamus, quæ ad quorundam errorem refellendum diximus. Præter formatricem, quæ in semine adest,alteram in solidis membris,ex semine genitis,numero tātum distincta manet,qua ossa,venæ,arteriæ,& nerui quandoque portionem amissam reparant,& reformant,quod docet dentium procreatio, vsque in annum octauū perdurans,& quibusdam dentes in senectute ipsa oriri,& renasci est visum Huius facultatis munus deficere temporis processu notum est: nam adolescentes dentes non procreant,& in adultis membra ex semine genita, abscissa non recreantur. Verum id facultatis defectu euenire non credimus, sed potius quoniam non suppetit copia materiæ, à qua membrum reficī, instaurari, aut recreari deberet, & quoniam in vtero vbi membra affatim conformantur,& procreantur,præter materiæ copiam formatrix vteri accedit. Concedimus tamen in senectute ipsam languere, & ferè deficere,quemadmodum,& alias. Si nanque quoniam non operatur facultas ipsam deficere,ac periisse dixerimus, non est cur recreationem partis non fieri Galen. ad inopiam materiæ referat, aut augmenti defectum, ad ossium duritiem,& inhabilitatem extēsionis. Has ergo duas facultates nempe membrorum formatricem,siue recreatricem,& auctricem,ante mortem non quidem deficere,aut aboleri dicemus,nisi morbi alicuius gratia: quod enim ætatis ratione fieri potest:nempe membra contabescere,facultates omnes, aut interire, aut ad interitum tendere, id morbi ratione euenire posse videmus. Sanus verò homo,

Facultas formatrix & auctrix non abolentur ante decrepitam etatē, nisi morbi gratia.

nullam

nullam ſuarum facultatum amittit, & ſi langueant, ætatis aut temperamenti mutatione nimis. Quod verò non operentur ſit defectu obiecti, aut inſtrumenti: nempe corporis aut ſpiritus, ſic etiam fit, vt nutritoriæ facultatis opus aliquando ceſſare poſsit, vt in hecticis. Præterea auctio alimento fit, vbi maior copia reponatur, eáque diſſoluitur: id autem fiet, vbi multum conficere poſsit natura alimentum: conficit autem in venis copioſiſsimum, ita vt carnes in ea ætate, & adhuc ſubſiſtentium valde augeantur. Quòd ergo non augeantur ipſorum ſolida membra, facultatis imbecillitate, aut interitu non fit: ſed quòd extendi non poſsint: extendi autem ſine alimenti repoſitione non contingit, vt quidam voluit: nam ea maioris molis acquiſitio, quæ fit ſine repoſitione alimenti, non auctio, ſed extenſio, & rarefactio dicitur. Fit autem hæc, vbi ſub æquali materia corpus ad maiorem perducitur molem, auctio verò, nunquam fit niſi media alitione. *Nutritio.* Eſt itaque nutritio nutrimenti in viuentis corporis ſubſtantiam conuerſio, hac vna tantum re, à ſubſtantiali generatione viuentis differens, quòd in ſimplici generatione ſubſtantiæ genitum ſubſiſtit, & viuum corpus integrè conſtituitur: in nutritione tamen, nihil per ſe totum conficitur, aut ſubſiſtens generatur: ſed potius vt pars alteri aggeneratur, & agglutinatur. At ignis pars, quæ nuper genita igni adhæret, non nutrit ipſum, quòd nutritio fiat in viuentibus corporibus, & ex alimento intus ſuſcepto, ita auctionem, non omnem maioris quantitatis acquiſitionem dicemus, ſed eam quæ per alimentum fit nutritione interueniente. Cuius interuentu ſolidæ ipſę corporis particulæ ad maiorem molem perducuntur in omnem loci differentiam. Id autem fieri non poſſe ſine extenſione partium quæ præfuerat, non negamus. Hac ratione quamuis altrix facultas, & auctrix in iuuenibus conſtent ſatis, eorum tamen corpora non augentur: quoniam inepta ſunt extenſioni: vnde fiet, vt quod intus ſuſceptum fuerit, nunquàm maius diſſoluto ſit. *Auctio quãdo ceſſat.* Ceſſat autem actio noſtri corporis, nobis ſanis adhuc exiſtentibus poſt ætatem adoleſcentiæ, non quoniam perierit facultas, quæ in ipſis, & in ſenibus adhuc manet, vt conſtat in auctione carnis. Sed quoniam totius corporis auctio fieri non poteſt, non auctis ſolidis particulis: hæc verò non augentur abſque extenſione, quam tamen ob ſiccitatem, & duritiem non tolerant. Porrò quoniam auctio nutritionem exigit, & nutritio fit partium generatione ſubſtantiali, vt diximus libro primo de Generatione & interitu, Ariſtotel. partem quamlibet augeri adueniente aliquo ſecundum formam, hoc eſt accedente aliquo, quod præcedentis formam recipiat, aſſeruit. *Auctio ex Ariſt. quo modo fiat.* Quamobrem quamuis caro carni iungatur, vt aqua aquæ, non dicemus carnem, aut aquam augeri: quoniam non recipit præexiſtentis partis formam. Augetur autem pars, vbi formam ipſius pars aduenies recipiat. Poſſet igitur pari modo Ariſtoteles dicere, nutritionem fieri, vbi parti aliquid accedat ſecundum formam: id enim ad auctionem putat Ariſtoteles eſſe neceſſarium, & nos ad auctionem, & alitionem. Veruntamen quòd aqua non augeatur aquæ aduentu: quoniam non recipit præexiſtentis aquæ formam, non excludit auctionem ignis ex lignorum inflammatione: nam ignis ex lignis genitus alteri ſecundum formam aduenit, eius nanque formam recipit. Quare ergo ignem non dicemus augeri? Hæc certè nominum ſignificatio eſt, quæ viuentibus tantùm tribuitur: hæc nanque ex formæ ſuperuentu augentur, & intus facta aduenientis ſuſceptione, quod non viuentibus non accidit. Hac ratione rurſus dicemus auctionem non fieri abſque alitione. Nunc verò addemus alitionem non fieri abſque quatuor aliarum facultatum, & actionum miniſterio. *Altrici, & auctrici, quatuor faminiſtrant an plures.* Sunt autem hæ, attractrix, retentrix, coctrix, expultrix. Quum autem ignis his non vtatur, neque augeri, neque ali ipſum dicemus. Rurſus ad inſtitutum redeamus. ſine auctione viuit animal, non ſine facultate auctrice, & ſine alitione viuit animal, non ſine altrice facultate. Nouimus autem Ariſto. dicentem, animal quandiu viuit, tandiu ali. At verò aut Ariſtot. id de ſanis, & ſecundum naturam

Digitized by Google

Animal quã diu viuit nutritur.

se habentibus animalibus,suam intellexit sententiam aut altricem, ab auctrice distinguere voluit,docens augendi munus non in omnibus ætatibus exercerí:alendi verò exerceri,aut non vacauit crimine:multis nanque morbis atrophia iuncta est,vt obstructionibus ventris,fluxibus,& hecticis febribus, in quibus membra funditus,alimentum non capiunt,aut eo non fruuntur,quorum veritatem confirmat vlcerum cauorum praua intemperie affectorum curatio,quam fieri nõ contingit,nisi intemperies sanata:nam interim dum hæc adest,carnem recreari non fit.Cur igitur,in hecticis adeò praue affectis,& temperamento immutatis,membra refici carnis,& ossis generatione credemus?Alitio quidem exercetur appositione,agglutinatione,& assimilatione,has antecedunt attractio,retẽtio, coctio, & expultio,de quibus primo loco agemus.Hæ sunt facultates alitioni ministrãtes.Alimentum enim priusquam alat,vt ad partem alendam perueniat necesse est:perueniet autem, aut aliunde trusum,aut à parte ipsa tractum,aut vtrunque passum.Non enim suapte natura ad membra profluet:non tantum verò protrusum accedet:nam quod ab alio loco truditur,non necesse est,vt recipienti sit familiare:quod tamen alit,alito familiare esse debet.Reliquum ergo est,vt à membro ipso alendo alliciatur:nam & membris ipsis trahentibus natura talẽ tribuit facultatem qua sibi amicum,vtile,& familiare allicerent,quemadmodum & magneti trahendi ferrum.Nihil autem impedit,quo minus ab aliis membris transmittatur,tanquam eisdem inutile:quod facit iecur iam confecto sanguine circa id quod quantitate abundat.Deinde verò necessum est,vt tractum alimentum alteretur,& in qualitatem corpori alendo familiarem conuertatur:nõ enim omne alimentum aptum est vtcunque alere.Iam verò coqui est omnino impossibile,nisi retineatur:quia omnis actio in tempore fit,quare secundo loco retentrix aget,tertio vero coctrix.Alimenta rursus non habent omni ex parte,cum corporibus alendis similitudinem & familiaritatem:quæ verò talia sunt,aliqua ex parte,cõmutationẽ effugient:partes verò nõ cõmutatæ,excremẽtitiæ sunt & vt alienæ & alitioni inutiles excernẽdæ,quo loco expultrix facultas succedit ea excernẽs quę talia sunt,cũ aut quãtitate aucta,retentricẽ grauauerint,aut qualitatis malitia momorderint.His addere solent nonnulli facultatẽ discretiuam quæ discernat vtile ab inutili,vt inde vtile trahatur,inutile verò excernatur.Verùm hæc non est de ministrantibus facultatibus,sed innata quædam facultas,plantis, & animalibus,qua distingunt vtile ab inutili,cum appetitu prosequendi vtile,& fugiendi inutile.Munus verò separationis vnius ab altero,duabus debetur facultatibus,quarum altera trahit,altera excernit:quibus operantibus non potest non distingui vnum ab altero.Exemplum est chylus in ventre:cùm enim ab eo partẽ sibi vtilem venter acceperit,reliquum à ventre,vt quantitate abundans,detruditur per imam ventris partem,interim quoque à iecore id tantum,quod vtile est, trahitur, reliquo inferius excreto. Trahi verò per meseraicas venas in iecur, quod vtile,& excerni per intestina inutile absque partium harum segregatione non fit,secerni ergo bonũ à malo attrahente,& expellente facultatibus fit, neque alia est opus Dubitabit aliquis de facultate appetitrice:nam hæc ministrare videtur alitioni:appetũt etenim membra,quod deinde trahunt,à quo etiam aluntur. Præterea vniẽdi,siue agglutinandi vis,cuius munus abundè cognitum est,addenda videtur prædictis:siquidem quod attractum est,apponitur.& vnitur membris. Addenda quoque his videtur facultas dilatans,quæ in augmentatione suum munus manifeste exercet. Siquidem aliquid augeri absque dilatatione non fit. Hæc dubia adeò facilia sunt,vt neque deturbare veritatem possint,qua docemus quatuor tantùm esse facultates naturales ministrantes:neque nos multa verba effundere cogant,aut lectores à veræ philosophiæ studiis diuertant. Quòd enim appetitus facultas naturalis sit,non est dubium:verùm non de his quæ ministrant, sed cui ministratur:cùm enim appetitus concupiscit alimentum,attractrix eidem ministrat ipsum admouens,vt deinde carentia in delectationem,siue,vt aiunt, complacentiam,cõuertatur.Futile autem est,quod dixit quidam, his facultatibus non

Quæ facultates sint ministrantes.

Discretiua facultas.

esse

esse annumerandas eas,quas cõmunes,cum inanimatis habemus: nam tractio eorum quæ tota substantia familiaria nobis sunt,communis est nobis,magneti,succino,& medicamentis omnibus expurgantibus, nec tamen perinde attractrix à numero harum excluditur.Galen.verò lib.6.de Loc.pa.cap.7.de Naturalib.facul.loquens vnam videtur asserere cum attractrice appetentem, dicens: Primam voco attractricem,quæ peculiares parti succos alendi ipsam gratia & appetere & attrahere potest.Dilatandi munus formatricis & altricis,atque auctricis est, quibus prædictæ ministrant,vnitio verò facultatis altricis, siue nutricis, est munus cui quatuor dictæ ministrãt:dum enim quod attractum est,& appositum, diutius retinetur,mutationem à nobis suscepit,in nostram substantiam:id verò est vnum fieri:hærere autem interim dum vnum fiat,partim attinet ad retinentem facultatem,partim ad substantiam eius,quod hæret, viscida enim hærent magis. Quod autem Galen.dixit lib.6.de Metho.med.mollia ossa coaleiscere, non autem dura, sic intelligendum est,naturam omnem coalitum & vnionem facere:mollia vero membra,& quorum humidum,ac molle est alimentum, materiam siue substantiam habere,quæ facile opus naturæ admittat.Nullus enim vnquam existimauerit,mollitudinem substantiæ alimenti ad vnionem cum nostra substantia esse satis,sine altrice,& commutatrice vi animæ:sed esse tantummodo materiam habilem.Habent prædictæ quatuor facultates ministrantes duo instrumentorum diuersa genera.alterum debetur membris vt similaribus, alterum instrumentariis, vt similaribus debentur primæ qualitates singulis particulis corporis,vt suæ tantum alitioni indulgeant,calor,humiditas,& siccitas. Calor tractionis instrumentum est,maximè siccitati iunctus:calor enim præ se trahit, siccitas actionẽ auget, tractionis tamen modos libro 2.late percurremus,& aduersantium errores confutabimus.At vero in singulis membris præter trahendi vim,quæ calore exercetur alteram reperies,quæ familiaritate substantiæ trahit, similem ei qua scãmonium ducit bilem:sed vt scãmonium, calore iuuatur,ita & membra singula in ea tractione,qua sibi familiare trahunt, & à substantiæ similitudine proficiscitur. Coctioni seruit quam optime calor,maximè qui humiditati cõiunctus est: quoniam alimenta à corpore humido facilius similia redduntur,cum alimẽta humida sint, & quod humidum est humido, & molle molli facilius adhæresci t, & humiditas ipsius alimenti elixationi,quæ fit in vẽtriculo,& distributioni coadiuuat.Quamuis aridus calor duriora, & magis rebellia alimenta possit superare, quod docet calor consistentium,qui bubulas & cerumas superat carnes,cum infantium calor, neque gallinarum vincat.Galenus libro sexto,de sanitate tuenda,actiones corporales præcipuas habere pueros docuit.Animales verò in aliis quibusdam præstãtiores esse:& lib.tertio de caulis symp.corpus vehementi calore,& humore præditum,quàm celerrime coquere,& assimilare sibi alimentum dixit. Vnde fit, vt ad coctionem aptissima sit humiditas,calori iuncta,& rursus eodem loco inquit, pueri,alteratricis facultatis robore iuuenes superant.Rationẽ quoque adhibuit loco citato:nam calor coctionis principium est,humida verò corpora, id quod coquitur facile admittũt,& admissum facillimè ipsis agglutinatur,& adhæresci t: quorum contraria insunt siccis corporibus:difficile enim externa admittunt,ita vt frangi interim & disrumpi sit opus,& difficile aliis agglutinantur.in humidis igitur corporibus facilius exercentur coctiones,nutricationes, appositiones, & agglutinationes. Ex verbis tamen Galeni quæ ibidem habentur, dubium videtur:nam de facultate puerorũ coctrice loquens inquit, Atque in coctionibus, quæ ad ventriculum attinent,si humida,molliáque sumpserint,ea perinde vt iuuenes concoquere possunt:dura vero deterius conficiunt: quod si mollia simili modo conficiunt,& in durorum confectione pueri à iuuenibus superãtur,aliqua ratione iuuenes præstantiores euadent:qua videlicet reliquos superãt.Ad quod respondemus,quòd coctricis facultatis actiones,non debẽt absolute conferri,sed tantum hæ quæ circa propria versantur obiecta:puerorum vero alimenta, quæ concoctrici facultati obiiciũtur,humida sunt,non sicca:quoniam suç naturæ simi

Facultatum ministrantium instrumenta.

Coctio in quibus temperamentis, est ualidior.

Coctio in quibus ualidius exercetur.

lia esse debent. In horum tamen commutatione, etiam in ea quæ in ventriculo fit, pueri à iuuenibus non superantur. Reliquæ verò actiones, quæ ab altrice, & naturali facultate procedunt ad alitionem vsque, meliores in pueris sunt, nempe distributio, appositio, agglutinatio, assimilatio, & omnimoda nutritio. Meritò ergo puerorum naturales facultates prædictæ præcipuè, & præstantiores dicentur, quamuis quod attinet ad alias facultates, nõ ita sit, vt ibidẽ dixit. Attractrix namque calore exercetur, tanquam præcipuo instrumento. iuuatur autem quàm maximè siccitate. Nam quod trahitur, primùm apprehendi debet, apprehensum verò trahi: quod autem apprehendere, & trahere debet, firmitudinem habeat necesse est: hac tamen mollia, & humida corpora carent. Experimentum autem docet, calorem aridum, vehementius humorem trahere: quapropter quamuis probe trahant, & quantum sibi ex vsu sit, trahendo perficiant, à iuuenibus ea in re longè superãtur. Retẽtrix quoque facultas siccitate vtitur, hæc enim ad retinendum tam est apta, quàm humiditas inepta. Siccitas enim, quæ semel apprehendit, diu retinet: ostendunt id omnia arida, quamdiu figuras acceptas retineant, ab humidis verò corporibus quàm citò deleantur, pariter constat. Expultrix quoque siccitate eget: nam & excretio comprehensione fit: ad hanc verò opus est siccitate: humida nanque corpora cùm laxa sint, & infirma, nec comprehensione retinent, nec expressione secernunt. Inde fit vt pueri minus valentes habeant iuuenibus has facultates. Itaque calor functionibus omnibus vtilis est, nisi immodicè auctus fuerit: qui enim talis fuerit, proprias, ac sibi natura debitas functiones vitiabit, siccitas tractioni retentioni, & excretioni accommodatur, nisi adeò vehemens fuerit vt membrum rigidum, ac minimè flexile reddatur. Humiditas quamuis his aduersa sit, nutritioni vtilis est, & accommodata, maximè verò auctioni. Frigiditas nulli seruit functioni, nisi ex accidẽti tantùm. Quod verum esse Galen. lib. 3. de causis sympto. testatur, quamuis nonnulli rationibus id subuertere conentur, quarum hæc est summa: Adeps concretione genita est, hæc autem facta est à frigido. nam apud Aristo. 4. meteorolo. quæ à calido liquantur, à frigido concreuerunt: adeps autem à calido liquatur, à frigido igitur concreuit. Rursus mixti generatio fieri non potest absque frigoris concursu: neque enim à solo calore fieret. Rursus corporis temperamentum secundum naturam cõsistit, & à natura fit: id autem non absque calore, & frigore. Nec enim minus potest frigiditas ad caloris temperamentũ, quàm calor ad frigiditatem attemperandam: vtrunque verò per se, & natura fit. Rursus, quemadmodum calor per se potest frigidos morbos curare, ita frigiditas morborum calidorũ est medulla: vtrunque igitur per se fiet. Attamen hæc facile dilues. quod enim de adipis generatione ferunt, licet verum sit, à frigore cõcretam esse, id frigus efficere potuit, qua frigus est, non qua instrumentum naturæ viuentis corporis. Non autem negamus frigiditatem quædam efficere posse: sed esse instrumentum ad naturales actiones. Hæ sunt nutritio, & auctio, quæ appositione, agglutinatione, & assimilatione perficiuntur, quibus aliq naturales ministrant, nempe attractrix, retentrix, coctrix, & expultrix, quarum frigiditas non est instrumentum. Quod verò retentionem coadiuuet, ex accidenti fit, neque natura ad id ipsa vtitur. Idem ad Aristo. sententiam dices, qui lib. 2. de gene. ani. cap. 4. dixit, quasdam ex simplicibus partibus frigore consistere, vt carnem ex sanguine: nam hæc atque adeps, à calore generantur, sed à frigore concrescit adeps. Ad aliam rationem dicemus, mixtum omne genitum immediatè ex elementis, à frigidis, & calidis, per se generari: talis verò generatio non est censenda inter naturales viuentium actiones, quas nos à frigore per se procedere negamus. Sic etiam corporis attemperamentum, ab ipsa compositione dicemus, non esse de naturalibus actionibus explicitis. Ad vltimam rationem concedimus morbos calidos curari posse frigidorum oblatione, quæ tamen curatio arte fit, aut casu, non natura. Præterea morbus calidus, aut fit cum humore, aut sine ipso consistit: cum humore, coctione, & euacuatione curatur. Hæc verò à natura fiunt, id est, à naturali calore. Si absque humore

Frigiditas functionibus inutilis an sit.

more consistat, aut à causis externis curabitur, aut à naturali calido attemperante. In summa itaque nullatenus fiet, vt frigiditas alicuius naturalis actionis viuentis corporis sit instrumentum. Aliud est instrumentorum genus: quorum meminimus suprà: nam quædam ex his quas ministrantes facultates appellauimus, non tantùm vt similaribus partibus insunt, sed quibusdam aliis vt organicis, vt ventriculo, iecori, & venis. Ossa nanque & cartilagines altricem habent facultatem, cui quatuor prædictæ inseruiunt solis qualitatibus primorum elementorum vsæ, vt instrumentis. Verùm ventriculus non tantùm his, sed & fibris quibusdam, & staminibus quibus est cõtextus ad commune officium quod sibi natura inest, vtitur. Trahit enim venter cibos, non sibi tantùm, sed toti corpori. Retinet quoque ac coquit, excrementúmque secernit. Idem iecur & venæ moliuntur. Nam venæ quæ brachium aut crus perreptant, non tantùm sanguinem sibi accommodatum alliciunt, sed & eum qui totum brachium aut crus alere possit, cui rei proprium partis temperamentum satisfacere non poterat, sed opus fuit alio communi quodam instrumento. Talia sunt eàrum partium stamina tribus generibus partita: nam quædam sunt oblonga secundum partis longitudinem extensa, quibus pars tractionem exercet, vbi primùm extendatur, ac succum trahendum capiat: deinde in seipsa stamina conuellantur eo modo quo gula alimentum ab ore arripit per fibrarum longitudinem, & manus singula quæ cupimus apprehensa adducunt. Est tamen secundum staminum genus transuersum, quod rectis staminibus ad rectos angulos diducitur ad excernendum aptum, quo partes instrumentariæ vtuntur, vt iecur, venter, intestina, & vterus. Per hæc enim membrũ in angustum se contrahit, contractum verò contenta exprimit: hæc autem est naturalis excretionis forma. Est & tertium staminum genus obliquum, ad obliquos angulos rectis staminibus incidens, quod retentioni est accommodatum. Nam neque hoc staminum genus attractioni est idoneum, neque excretioni, quòd neque aliunde quidpiam talia alliciant stamina, neque allectum minorato partis spatio protrudant. Ministrant ergo hęc retentrici, propria partis magnitudine seruata. Hoc staminum genus retentioni maximè accommodatur, quãuis retentrix facultas omnibus vtatur, vt inquit Galen. 7. & 14. lib. de Vsu partium. Coctrix verò nullo staminum genere eguit: quòd coctio quiete fiat, & quietum contineatur alimentum à retentrice facultate. Quòd si quispiam obstrepat aduersus hæc, obiiciens motu fieri coctionem in ventriculo, neque aliter fieri posse, vt alimenta potui misceantur, quàm motu, dicemus, Alimenta motu in ventre misceri, motum autem hunc ex accidenti sequi actionem caloris elixantis. Nam cùm alimenta colliquantur in ventre, solida liquida, fiunt, & solida liquidis miscentur: quoniam liquida solidorũ substantiam penetrant. hæc verò motu fiunt. Præterea quæ grauia sunt leuium mixtione ascendunt, & leuia grauibus mixta descẽdunt, quæ sine motu non fient, motus ergo coctioni ex accidenti, & consequutione coniungitur, non per se. Coctio itaque, vt in summa dixerim, alteratione fit, & quiete: staminum verò actio coctionem antecedit & comitatur: quatenus quod non quiescit, non recipit integram agentis immutationem, quæ à sola facultate coctrice mediis qualitatibus, vt instrumentis exercetur. Iam verò tractum alimentum ad extremas quasque & vltimas partes quasdam quoque passum coctiones atq; alterationes mẽbris ipsis apponitur in roris speciem trãsfusum, vt cap. de membris diximus, appositum verò altricis facultatis vi, quæ coctione & alteratione munus suum exercet, agglutinatur, & vnitur ipsi membro. Cui rei succedit alimenti agglutinati assimilatio. Est autem id quod agglutinatum & vnitum est, non simpliciter alimentum, sed vnitum siue agglutinatum alimentum. Hac via, hísque mediis facultas altrix operatur, & fine potitur. His autem finis est dissolutam partem reficere, & hominem vita seruare, humidi refectione. Est autem humidum quoddam in viuentibus alimentitium, quod partes inanes & spatia membrorum implet, id in venis, arteriis & poris inuenitur, is etiam expressione euacuatur, & est quoddam ad roris speciem, est quoque humidum quoddam concretum ad carnis & adipis formam deductum.

Instrumentorũ secundum genus.

Staminum genera.

Coctrix motu non eget.

Humidum primigenium.

deductum. Quoddam etiam quod propriè innatum, & primigenium humidum dici potest, in ipsis solidis partibus contentum, quódque ipsas solidas partes componit atque constituit. Id verò aut à prima ipsa generatione contractum est, aut loco eiusdem ex alimentitio subrogatum. Continent quoque membra ipsa solida plures huius humiditatis differẽtias, quemadmodum & diuersas partes in neruis & venis cõspicimus. Est enim pars quædam veluti caro, & pars quæ fibrarum speciem seruat, quibus propriꝰ insunt humores, ac innata humida, quibus constituuntur, & sine quibus nec partes ipsæ permanere, neque animal seruari potest. Huiusmodi humiditates in plantis quoque conspiciuntur: nam plantæ humorem habent alimentitium à radicibus suctum, & partibus singulis distributum, solam eam mutationem passum quæ in radicatione fit, similem ei quæ in iecore animalis perficitur. Continetur is humor in cauis & spatiis plantæ, quæ non percipiuntur sensu in quibusdam. Talia enim decuit esse plantarum inania spatia, vt dura essent & firmitudinem seruarent, & quod roris speciem refert. Est & humor qui substantiæ plantæ inest, nempè illi, quæ carni plantæ respondet, fibris ipsis interiectæ. Est & fibrarum substantia ex innato humido plantæ cõstituta, id enim in animalibus & plantis magis propriè dicitur humidum innatum ac primigeniũ, quod reliquis pinguius & tenacius est, ac difficilius dissoluitur. Calidum quoque qualitatem significat atque substantiam, vt cap. de Temperamẽtis diximus. verùm vt substantia duplex habetur apud Hippocr. & Galen. Nam quoddam est calidum aduentitium, quod siccitatem contrahit, & ignis naturam sapit, & acrem sensum tactui infert: cuius plurimum adest in iuuenibus, & his qui febricitant. Is igneus est. Alter est innatus calor, siue innatum calidum aereum, suaue tactui, ac mite, secum afferens humorem coniunctum, quale est calidum eorum qui augentur, quale quoque in semine, & prima materia generationis animalium & plantarum est. Ea animalibus inest in sanguine, spiritu, & solidis particulis. Verùm interest: quoniam qui in solidis existit partibus extinctus quadantenus est, & similis ei qui in non viuentibus adest: in his enim quanuis igneum elementum reliqua superet, tactu non deprehenditur, ac dicitur calor potentia, non actu: qualis etiam in sulphure, aut pipere, qui tactu non compræhenduntur, antequàm ab externo calore, qui actu talis sit excitentur, ac reuiuiscant. Similis est solidarum partium calor à reliquis elementis ipsas constituentibus oppressus, ac penè extinctus, ita vt tactu nullatenus percipi possit. Verùm is cùm semel afflatus fuerit, actuali calore reuiuiscit ac operatur, viuentiúmque munera exercet. Viuit autem tandiu animal, quandiu id calidum innatum adest in membris solidis à prima generatione cõtractum, simul cum humido primigenio dicto atque ab actuali calido innato afflatur. Est id innatum calidum in sanguine & spiritu, non potentia tantùm, sed actu calidum, quod tactu deprehenditur, sine quo animal vita superesse non potest. Similis calor vtrique in plantis adest: nam à prima ipsa ex elementis compositione contraxerunt ignei elementi decentem sibi portionem, quę potestate talis manet. Adest quoque in plantis innatum quoddam calidum actu, quod per partes plantæ diffusum ad actum reducit vniuersum plantæ calidum, vt inde possit quæuis pars, viuentis munera obire. Id calidum actu in plantarum radicatione manet viuente planta, atque ibidem seruatur, quemadmodum in animalibus in iecore, cui plantæ radicatio confertur, vt cap. de membris docuimus. Cæterùm quoniã animalium calor, & vitam perfectiorem præstare debet, & alimentum exactius conficere, & ad sentiendum parare, decuit eum non tantùm à iecore manare, sed etiam à corde, quo in loco calor iecoris ad altiorem gradum deducitur, & caloris subiectum attenuatur, vt inde membra vehementius incalescant, & calidum celerius partibus demandetur. Quamobrem opus est irascibilem animæ partem in corde sitam introducere animalibus necessariam, atque vitalem eius facultatem à corde manantem, ac singulis membris tributam, omnia viuificantem, suóque calore conseruantem. Qua ratione medici eam vitalem nominant facultatem, quasi vitã præbentem, ac vitam seruantem. Quoniam verò motum distensionis & contractionis art

Calidum bifariam dicitur.

Irascibilis facultas.

lege id existimat innatu cali. Solid. membcé quæ extépiena tum.

Digitized by

nis arteriarum & cordis exercet,eam pulsatilem dixerunt. Aristo. & eius sequaces, omnium functionum principium cor esse affirmant, vnicum tantum membrum præcipuum statuentes, à quo sensum, motum, & vitam tanquam à fonte manare putarunt. Nam alium viuendi modum à plantarum vita non nouerunt: ea autem est vita,quæ per alimentum exercetur,& eam atque motum & sensum cordis munera esse asseruerunt. Cùm enim vita alitione constet,vt ferunt:,& alitio alimento perficiatur, principium alimenti erit vitæ principium. Alimenti verò principium cor est:quoniam sanguis alendi potestatem non sortitur,nisi ad cor deueniens ibidem coquatur ac perficiatur,qui antè in iecore solã præparationem est passus. Cor ergo vitæ initium erit atque alitionis,neque vita alia erit ab ea quę per alimentum, id est, quod lib. de morte & vita, scriptum reliquit. Ortus animalis est prima participatio animæ cum calore naturali,& vita est eius permansio. Sed nos suprà latè probauimus alticis facultatis principium iecur esse. Vitalem tamen facultatem diuersam esse ab altrice:hinc constat,quoniam hæc in animalibus inuenitur, non tamen in plantis: quod si hæc talis esset qualis altrix, in plantis quoque reperiretur. Præterea experimentum docet, vitalem facultatem lædi posse, altrice & animali illæsis,& rursus ipsas lædi vitali illæsa manente:nam sæpe fit in morbis venenosi generis crudis existentibus succis,pulsum constare,& calorem vitalem, salubrémque inde morbum censeri:in apoplexia quoque funditus animalem facultatem ociari constante vitali facultate cordis: in peste verò & in morbis malignis calorem vitalem deficere, & malignas adesse putredines,& pulsus ferè deficere in quibus obscura admodum est læsio animalis,aut naturalis facultatis. Rursus iecur viuit & alitur,cùm nondum adest cordis vitalis facultas.hæc igitur diuersa est ab illa. Rursus diuersa admodum est animæ pars,atque eius munera diuersa sunt, quæ cordi insidet ab anima & functionibus eius quæ in iecore,nempe motus pulsus à motibus,qui à naturalibus facultatibus exercentur.Nam pulsus motus est sensu perceptus, ordinem seruans, & in arteriis, & corde tantùm situs. Naturalis verò non sensatus, non ordinatus, & carni atque ossi insitus. Vitalis quoque facultas, quam irascibilem vocat Plato, tantum animalibus,& rationali facultate participantibus data est. Quamobrem ad animalem facultatem parare recte dicemus. Nec tamen eadem est cum mouente,quæ à cerebro oritur. Quoniam hæc ex electione operatur: at verò pars animæ, quæ cordi insidet,sine voluntatis imperio exercet motum.sed de his infrà latius dicemus,cum pulsatilem vim ab aliis distinguemus. Itaque singulas functiones huius animæ, singulis aliarum animarum conferemus. Adde quod plantæ neque loco mouentur,neque alimento aliunde disquisito egent,neque valde magna alimentorum confectione: rude nanque alimentum eis satisfacit, ad quæ omnia vitalis facultas, quæ in corde proficua est, & omnino necessaria. Sortitur hæc animæ pars cordi insidens diuersas facultates:vitalem,pulsatilem,& irascibilem, de quibus impræsentiarum ordine agemus, vt singula huius animæ munera palam faciamus. Vitalis facultas dicta est ζωτικὴ,à Græcis,quoniam ζωὴν,id est, vitam præstat,eam quæ animalibus inest: quoniam & animalia ipsa ζῶα dicuntur. Hæc sanguinem à cauavena delatum in corde susceptum calefacit & extenuat, atque ex ipso ad vaporis cuiusdam speciem spiritum generat, vitalem appellatum, qui simul cum sanguine prædicto pertenui in vniuersum corpus per arterias trãsfunditur celerrimo quodam impulsionis motu,cordis & arteriarum compressione à facultate pulsatili facta. Hunc putat Aristo.lib.5 de gene.ani. ad finem,esse commune naturæ instrumentum ad multos fines. Est is spiritus tenuissima sanguinis pars in vaporem versa: vel sic,spiritus vitalis est substãtia quædam tenuissima ex aere inspirato,vel humorum exhalatione in corde & arteriis genita. Esse tenuissimam substantiam docet vox ipsa πνεῦμα,id est,spiritus,aut flatus:ob tenuitatem enim spiritalibus substantiis similis est,& ipsarum nomen adeptus. Decuit enim, vt inquit Plato in conuiuio,vt anima,adeo spiritalis substantia,corpori,vt terreno & crasso non nisi intermedia alia substantia copularetur:disparia enim valde

Vitalis facul.functiones ab aliarum diuersæ functionibus.

Vitalis facultas.

Vitalis spiritus.

sunt anima & corpus, neque inuicem conuenire apta. Hæc itaque intermedio spiritu, vt spiritali substantia copulantur. Materiam verò generationis ipsius, atque locum docuit Galenus libro septimo de Placitis Hippocratis & Plato. dicens: Vitalis spiritus in arteriis & corde gignitur, materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione sumpta. Aer enim inspiratus materiam aptam præstat, similem ei quæ ab humoribus exhalat, idque in corde & arteriis fit. Quare rectè Galenus libro xj. de Metho. medendi dixit, non tantùm ex inspirato aere, sed ex eo qui transpiratione ingreditur, posse generari vitalem spiritum, atque refici. At verò quoniam anima concupiscibilis quæ in iecore sita est, à corporalibus substantiis parum differt, & in plantis quoque reperitur, corpori sine spiritu intermedio hærere poterit. Quamobrem an aliquis sit naturalis spiritus, Galen. lib. 12. de Meth. meden. dubitauit. Nam si is necessarius esset, in plantis pari modo reperiretur, quod non videtur rationi cõsonum. Quòd tamen maior sit calor iecoris in animalibus, quàm is qui in plantarũ radicationibus, ratio est: quoniam à corde per arterias transmittitur calor copiosus simul cum prædicto vitali spiritu, qui iecur calefacit. Adde quòd 6. lib. de Placitis Hippocra. & Plato. Galen dixit, sanguinem iecoris spirituosum non esse. Est præterea alter animalis spiritus animæ præcipuum instrumentum, ex aere inspirato & sanguinis euaporatione, & vitali spiritu genitus, de quo diximus cùm de tertia animæ parte agemus. Hæc itaque vitalis facultas in corde residet, atque ab eo distribuitur, ipsis tantùm arteriis, à quibus deindo calor, sanguis, & spiritus membris refunduntur, ac membra à potentia in actum transeunt, & munera sua obire possunt: qua absente omnino eius partis naturales actiones pereunt, caloris debita mensura pereunte: quanuis facultates à principiis distributæ ipsis tãtummodo exortis demandentur, quemadmodum de naturali altrice diximus, quæ à iecore venis tantùm præbetur. Ipsæ nanque sanguificam recipiunt facultatem, non alia ab ipsis. Sic & vim gignendi spiritum vitalem, quæ cordi potissimũ inest, tantum arteriæ suscipiunt. Viuũt equidem caro & os, & cartilago, non aliter quàm plantæ, hac re tantummodo differentes, quòd calore deducto per arterias incalescunt huiuscemodi membra, sine quo perficere ac superare non valerent alimentum: nam neque iecur ipsum sine hac caloris affluentia sufficeret. Verùm vim vitalem quæ spiritum generat, cor arteriis tantùm impartitur. Nam si facultatem aliquam aliunde reciperent, non rectè diceremus, hæc membra seipsa gubernare, quod in animalis facultatis distributione dicemus: ea nanque neruis tantũmodo demandatur. Pulsatilis quoque facultas cordi insidet, quam vitalem Galen. vocat, generali hac voce omnes animæ irascibilis facultates comprehendens, quæ ab eo in vniuersam arteriarum propaginem distrahitur. Vniuersæ enim corporis arteriæ homine bene valente perpetuò motu cientur, distensione & contractione à facultate in corde vigente tanquàm in fonte, in arteriis verò tanquàm in riuulis, quæ non in spiritu, aut sanguine arteriarum deducitur, sed per ipsas arteriarum substantias, ob multos vsus vitæ conseruandæ necessarios. Omnia hæc vnica definitione comprehendit Galen. lib. 4. de Differ. pul. dicens: Pulsus est actio peculiaris præcipuè cordis, deinde arteriarum, quæ mouentur distensione & contractione à facultate vitali, vt calor naturalis in sua temperie seruetur, & generetur in cerebro animalis spiritus. Perperam verò Auicenna pulsum dixit esse motum ex diastole & systole compositum. Ex motibus siquidem contrariis vnum cõstitui, quis vnquam existimauerit? diastole verò motus est systoli contrarius, vt ipse Auicẽna fatetur, non ergo constituent motum vnum. Præterea inter distensionem & contractionem cordis & arteriarum, quietem mediare necesse est: quoniam fieri nunquam potest, vt aliquod vnum contrariis agitetur motibus, quin interim quiescat: quòd si quies à priori motu mediat, sequens motus priori non copulabitur. Vnum verò continuum est, & cõtinua vnicum habent terminum, fines verò diuersos sortiuntur motus quieti distincti. Quòd tamen quies mediare debeat inter cõtrarios motus, Aristot. est placitum, cui experimentum subscribit. Nam lapis sursum impul-

Spiritus naturalis an sit.

Vitalis facultas quibus distribuitur.

Pulsatilis facul. sedes.

Pulsus.

Motus contrarij, an quietem habeant mediam.

sus non

sus non descendet,donec grauitas impetum ascendentis lapidis superet. Quòd si aliquando minus potest grauitas lapidem demittere, quàm impetus eleuare, & aliquando plus,quãdoque æquales erunt impetus & grauitas,quo tempore quiescet lapis,nullo contrariorum vincente. Præterea si pila humore irrigata parietem percusseris,non antè retrocedet,quàm parietem humectam relinquat, quod tamen sine quiete & lato temporis spacio,quo simul permanserint,fieri haud potest,quod etiam euenit,vbi pila impetu descendat, atque iterum è terra resiliat. Id verò Aristot.placitum in vniuersum verum non est:nam vbi lapis sursum impulsus lapidi molari descendenti occurreret,descendere cogeretur absque media quiete.Si namque quiesceret,mole impetum cohibuisset,quod non fit. Pari modo si lapis per mundi centrum impetu transmitteretur, is mundi centrum sine quiete transiret,eiúsque motus partem haberet descensus, partémque ascensus, quibus nihil mediaret. Verùm quamuis in vniuersum verum non habeat,in hac nostra de motu cordis & arteriarum dissertatione, verum est postulatum. Cùm enim distentio atque contractio motus à natura facti sint,& vsus alicuius gratia, post distensionem,contractionem natura non efficiet,nisi fine,cuius gratia distensionem procurauit fruatur:id verò in tempore fiet.Pari ratione,cum contractionem finis gratia faciat,non tentabit distensionẽ à contractione, antequàm finem assequatur,idque tempore, quod intermediam quietem dicimus. Optimè igitur Galen. pulsum actionem esse dixit cordis & arteriarum, quæ mouentur distẽsione & contractione:nam distensio pulsus est,& contractio alter pulsus,pulsum vnũ per aggregationem constituentes,intermediis quoque quietibus. Dixerat autem peculiarem esse actionem cordis & arteriarum:quoniam,vt diximus, atque probauimus,cordi tantum & arteriis conuenit eo motu agitari. Facultates namque membris præcipuis insidentes,membris tantùm exortis distribuuntur,nulla siquidem pars præter arterias distenditur ac contrahitur. Præcipuè verò cordi inesse, hinc constat,quòd arteriis non inest ex se, sed ob consensum quem cum corde habent:quo sublato facultas mouendi aufertur. Nam vbi arteria quæuis illaqueetur,aut omnino præcidatur,funditus motus ipsius peribit, quod non fieret nisi à corde mouendi facultas emanaret.Transmittitur autem pulsatilis dicta facultas per ipsas arteriarum substantias,non per cauitates,quod hac ratione potissimum suadet Galen.Nam si quis fistulam æneam arteriæ incluserit,ac deinde ipsam arteriam illaqueauerit,motus omnino arteriæ cessabit: cùm tamen cauitas patens relicta sit,per quam vitalis progreditur spiritus. Dixerat quoque eum motum distensionis ac contractionis fieri à facultate vitali,quo nomine pulsatilem significauit.Nec tamen putare oportet vnicam tantùm facultatem pulsatilem demandari arteriis,sed duas,vt ipse docuit libro de Pulsuum vsu,& rursus lib.2.de Præsagitione ex pulsibus,cap.5.inquit:Tertius qui ex temperie nascitur, haud est dicrotus,sed bis modo pulsans,neque necessariò durus:quem si quis velit dicrotum appellare, nihil refert:hoc tantum meminerit, non referre hunc corpora repercussa à duris,sed vt paulò antè diximus,concertantibus fit mutuò duabus facultatibus, & quæ distendit, & quæ contrahit cor.Sunt ergo duæ cordis facultates pulsum efficientes.Adstipulatur verò ratio huic rei: nam distensionis & contractionis fines admodum sunt diuersi:à diuersis igitur prouenient facultatibus,qua ratione & in naturalibus facultatibus diuersa est attrahens ab excernente, & verè distensione tractio,& contractione excretio exercentur.Diuersam admodum sequutus est sententiam Aristot.qui vitalem hanc atque pulsatilem facultatem ignorauit,pariter & Erasistratus Theophrasti contemporaneus: cuius opinionẽ primo loco referemus ac confutabimus,deinde Aristotelis opinionem improbabimus,vt notissima inde euadat Galen.de Pulsatili facultate sententia.Erasistratus itaque negauit sanguinem in arteriis contineri,sed solum spiritum à corde transmissum: negauit quoque arteriarum distensionem & contractionem fieri ab aliqua facultate:sed ideo arterias distendi dixit,quia implentur:contrahi verò quia euacuantur.in quo cum Aristot.conuenit,idque cum Aristot. opinionem refere-

Facultates præcipuè quibus distribuũtur.

Facultates pulsatiles duæ.

Erasistrati opinio de pulsu & arteriarũ contento.

Digitized by Google

mus agitabitur. Quamuis Erasistratij, vt Galen. inquit lib. 4. de Differ. pulsuum, vitalem facultatem pulsum efficere dixerint, primum tamen quod Erasistratus asseruit arterias solo spiritu impleri sine flatu, Galen. late reprobat lib. cui titulus: Quòd sanguis in arteriis contineatur. Nam puncta arteria sanguis ab ipsa manat, ergo in arteria continebatur sanguis. Dicet forte Erasistratus, non sequi: sed aut sanguinem contineri in arteria, aut aliunde venisse: at si arteria pũcta sanguis manat, statim vt constat & adeò breui aliunde effluere non potuit, reliquum est, vt in ipsa ante punctura contineretur. Rursus si sanguis arteria puncta aliunde occurrisset, id esset, vt Erasistratus voluit: quoniam spiritus euacuatur, & ne vacuũ detur sanguis statim succurrit. Sed id manifestum prodit Erasistrati imperitiam: nam si vacui vitandi gratia sanguis succurreret, prius arteria in totũ foret exinanita, quàm aliunde quidpiã suppeteret, quod non fit. Præter id quòd arteria puncta, non alia ratione contentum effluet: nisi quoniam arteriæ latera concidunt, atque exprimunt contentum: quòd si latera concidunt, nullum vacui periculum imminet, ipsam verò non concidere, nemo affirmabit. Neque enim arteriæ ferreæ sunt, aut æneæ: nec si tales forent, spiritu aduenient aere cedente, distenderentur, ac contraherentur. Hæc satis superque possunt Erasistrati opinionem refutare: neque in hoc loco pluribus ad veritatis assequutionem egemus. Poterit autem qui voluerit Galen. lib. citatum perlegere, quo in loco hæc omnia, & plura aduersus Erasistratum habentur. Nos verò ad Aristot. & Erasistrati cõmune placitum redeamus. Arist. lib. de Morte & vita. inflationem ac repletionem cordis, causam pulsus esse in hunc scripsit modum: At pulsatio quam cor perpetuò facere videtur, & motioni persimilis est, quam tubercula cum dolore efficiunt, quod sanguini mutatio ipsa præter naturam sit. Ea verò fit vsquedum sanguis concoctus sit, & pus in pus conuersus. Hęc etiam affectio feruori similis est, fit enim feruor cum humor caloris opera inflatur: nam humor propterea sese attollit, quòd in molem assurgat ampliorem. Cæterùm quies in tuberculis agitur, si putrefactio non perspiret humore crassiusculo reddito. Feruor verò residet, si per labra vasculi humor excidat. In ipso autem corde tumefactio humoris qui semper ex cibo accedit, vltimam cordis tunicam eleuantis, pulsum facit. Atque hoc semper sine vlla intermissione fit: nam semper humor ex quo natura sanguinis oritur, continuò influit. Primùm enim in corde gignitur: id quod in prima generatione liquidò constat. Nam venis nondum distinctis sanguinem habere cernitur, & ob id iunioribus magisque senioribus pulsat, vtpote quibus diua poratio maior fiat. Quin etiam venæ omnes, & simul inter se pulsare assolent: quia omnes ex corde sua initia trahunt, cor autem semper mouet: quare & illæ semper mouent. hæc Aristot. Ex quibus mens ipsius manifesta est: nempe arterias dilatari, quia implentur ab humore intumescente vi caloris, in feruorem & tumorem humore eleuato, constringi verò arterias efflante vapore humoris: quo elapso arteriæ latera propius accedunt. Non ergo dilatantur aut constringuntur arteriæ à facultate quapiam, sed vi caloris, neque ob id implentur: quia dilatantur & euacuãtur: quoniam constringuntur, sed ob id dilatantur, quia implentur: & ob id cõstringuntur, quia euacuantur. Vnde fit, vt prius natura sit impleri, aut euacuari, cor & arterias, quàm distendi & contrahi, quanuis simul tempore fiant impletio, ac dilatatio, & euacuatio, ac constrictio. Aduersus quod multis modis insurgere placet. Primò si arteriæ dilatarentur, non à quapiam facultate, sed à calore humidum eleuante in tumorem, vbi arteria perforetur, atque ænea fistula immittatur, adhuc arteriæ pulsabunt, quæ sunt post fistulam: vbi tamen cum ænea fistula arteria laqueo comprimatur, non amplius arteria mouebitur, non compressa cauitate ipsius, neque impedita actione caloris eleuantis in tumorem. Non ergo euenit pulsus hac ratione: sed quoniam per ipsas arteriarum substantias facultas vitalis procedere solebat, quæ illaqueata arteria non amplius procedit. Hanc rationem Turisanus soluere tentat dicens, per arteriæ substantiam deduci calorem, qui eleuat humorem in tumorem, atque ipsum deficere compressa arteria. Veruntamen hic pertinacissimus

Aristo. de pulsu opinio.

Aristot. opinio de pulsu, improbatur.

cissimus sophista ineptè admodum occurrit rationi Gal. Nam calor non eleuat humores in tumorem, aut eos feruere facit, quia per arterias defertur, aut per ipsarum concauitatem: si ergo quantum caloris effluxus cohibetur ob illaqueationem, tantum augeatur sanguinis per cauitatem arteriæ delati, calor, simili modo eleuabitur ac intumescet, simul & pulsabit. quod non fit. Præterea subitò euanescit pulsus arteria illaqueata, solutáque subitò motus redit: calor verò non permeat à corde in extremas arterias, per ipsarum substantias subitò: non ergo est is qui pulsum efficit. Præterea de ipsa arteriarum distentione & contractione probari facile potest, sine facultate ad id à natura instituta, nunquam fieri. Nam si distentio fieret à calore eleuante humorem in tumorem, nũquam pulsus magnitudo absolueretur à vehementia, cuius contrarium est verum, & à Gal. docetur. Nam calor efficit ebullitionem: maior ergo maiorem ebullitionem efficiet, maiorémque pulsum: quòd si calor pulsum efficit vehementior, validiorem efficiet motum: sed maior calor vehementior est, id est, qui vehementius ebullire facit humorem, & cuius ebullitioni & in tumorem eleuationi difficilius obuiari potest: omnis igitur pulsus magnus erit vehemens: cuius contrarium docent languentes, magnis febribus correpti. Simili modo si cõtractio detumescentiam sequeretur, cur maiores ac celeriores fierent pulsus contractiones in pueris, vt videmus? cùm tamen ipsorum humores nulla ratione citius quàm aliorum detumescant. Præter id quòd improbum esset putare naturam nullam dedisse animali facultatem ad munus id obeundum, quod adeò animali necessarium est, & sine quo vita haud seruari potest. Præterea eo ordine eáque concinnitate cor & arterias eleuari, atque iterum supprimi posse, interim dum animal viuit, sola caloris actione atque flatus dissolutione omnino fidem abrogat. Facultatem igitur pulsatilem duplicem statuere conuenit: alterã quæ distendat cor & arterias, alteram verò quæ eadem contrahat: quas in corde esse sitas vult Gale. & ratio subscribit simul cum experimento, eámque distribui affirmamus ipsis tantũ arteriis à corde exortis, non aliis ab ipsis. Quoniam & ipsas tãtum simul cum corde pulsu cieri nouimus, ob magnos vsus, quorum quosdam in vitalis facultatis demonstratione explicuimus, quosdam Gal. collegit in pulsus definitione. De his tamen postea dicemus, vbi prius Turisani sophistæ pertinaciam ab schola medicinę & animis studiosorum refellerimus, qui arteriarum & cordis distentiones dicit cum Arist. fieri, vi caloris deducentis sanguinem, constrictionem verò ab aere frigido subingrediente arteriam tempore distentionis. Nam cùm arteria distenditur, inquit, aer frigidus trahitur: is verò tumorem deiicit, quoniam feruorem sanguinis supprimit: quæ cum his, quæ ratio & experimentum docẽt, stare non possunt. Nam si arteria distenditur quoniam impletur, nõ amplius distendetur quàm pro ratione & mensura corporis implentis: si ergo multum distendatur, id fiet, quoniam multum implebitur. Nullus igitur locus relinquetur aeri extrà venienti. Quòd si non successerit externus aer, neque sanguis refrigerabitur, neque contractio sequetur. Dicet forte, impetu quodã impelli arteriam à subiecto sanguine ebulliente, quod longissimè abest à vero. Nam si sanguis ea vehementia efferuescit, vt arteriam à se propellere impetu possit, cur non ipsam distentam implebit, non sperato aeris frigidi ingressu? Præter id quòd sæpe fit, vt arteria dura distensioni inepta sit, minimè verò impulsioni, nedum vt impulsa à sanguine efferuescente non plene occupetur. Rursus sequitur nullo modo fieri posse arteriarum constrictiones maiores non crescentibus distentionibus. Nam magnitudo constrictionis sequitur (vt cuiusuis causæ agentis effectus) causæ facientis magnitudinem: causa verò efficiens constrictionem est causa feruorem extinguens: hæc autem est frigiditas aeris subingredientis: at aer subingrediens tanto est parcior, quanto distentio minor, & tanto copiosior, quanto ipsa maior. Igitur si distentio parua fuerit, nunquam cõtractio erit magna. Adde quòd si contractionis magnitudo sequeretur rationem aeris ingredientis, tempore hyemis cõstrictiones maximè fierent, & celerrimæ: æstate paruæ & tardæ: cuius contrarium docet expe-

Pulsatilis facultas duplex.

Turisani pertinacia refellitur.

rimentum. Constrictionis siquidem magnitudo atque celeritas vsum insequitur, vt dicemus,& puerorum pulsus contractionem habent maiorem, non aucta magnitudine distensionis supra temperamentum. Præterea aduersarius concedit facultatem constringentem arterias: quoniam vsu constrictionis aucto nouit celeritatem ac magnitudinem ipsius augeri: non igitur sibi constat, neque ratione quapiam negare potest, facultatem distendentem, vbi constringentem concedat. Nam æqua ratione vterque vsus suam sibi expostulat facultatem. Rationes tamen quæ contra hanc Galeni sententiam afferuntur, facilè diluuntur: quærunt enim an hæc facultas pulsatilis quam statuit Galen. sit naturalis, an animalis. Nos diuersam hanc facultatem cum Platone & Gale. affirmamus, ab animali quæ ex arbitrio operatur,& ab ea quam ipsi naturalem appellant, quæ circa alimentũ negociatur. Est quidem pulsatilis vitali germana, ab eadémque animæ parte orta, & in corde sita, naturalis quoque dicta: quatenus libera non est. Rursus inquiunt in semine pulsus adest, vbi non adest cor, neque arteriæ, neque talis cordis facultas, dicemus, semen non pulsare, sed palpitare. Præterea addunt, in summis febrium vigoribus pulsus maior est, quàm in principio: sed facultas morbi processu redditur imbecillior: non ergo efficiet pulsum adeò magnum. Hæc ratio neminem conuincet eorum qui norunt febrium tempora & pulsuum vsus. In principiis namque febrium à multitudine opprimitur facultas, & ideo pulsus magnos non efficit. Præter id quod neque vsus distensionis, per id tempus vrget. In vigore verò vehemens calor vrget & facultas ad magnitudinẽ pulsus faciendam satis constat. Meritò ergo per id tempus pulsus fiunt magni, & maiores quàm in principio. Quòd tamen distensio & contractio arteriarum quodammodo contrarij motus sint, non obstat. Nam vt diximus, non ab vnica, sed à duabus fiunt facultatibus, & ad diuersos vsus: diuersæ igitur cum sint facultates, diuersas ac quadantenus contrarias habere functiones non est à ratione alienum. Præterea inquiunt, si à facultate cordis arteriæ distenderentur, ac contraherentur simul deberent distendi cor & arteriæ ac contrahi. Hoc nos ingenuè fatemur, cor & arterias simul distendi atque contrahi, quamuis contrariũ barbari in schola medicinæ introduxerint: eorúmque sequaces, id vt verum & firmũ acceperint. Quod itaque simul distendantur & contrahantur cor & arteriæ, Galen. affirmat: lib. namque de Pulsuum vsu, inquit: Ac princeps quidem viscus cor est, ex quo nascuntur prodeúntque arteriæ, atque etiam eundem cum illo motum custodiunt. Et lib. 4. de Differen. pulsuum in Bachij definitione, inquit: At Herophilo in arterias placet, quia sunt cum corde continentes, per tunicas influere ab illo vim: cuius ope perinde atque cor, cum distenduntur ex omnibus partibus vnde possint attrahunt, quod impleturum suam capedinem sit, dum contrahuntur reddunt: itaque eas simul vno tempore omnes videri distendi & contrahi: idémque constitutum ac cor vtriusque motus seruare. Erasistrato autem consentaneum est, non vnà videri cor & arterias distendi contrahíque, quod res ipsa apertè negat. Ecce vbi falsam reputat opinionem Erasistrati, qui negauit vnà distendi cor & arterias. Et lib. 3. de Præsagitione ex pul. cap. 3 dixit: Quia verò & facultatem quæ ipsas moueat, ab illo mutuantur, vnáque est contentio, quæ vnà cum corde distendat arterias atque contrahat, quidam necesse est motui cordis conueniat cum motu singularũ arteriarum, & aliquid inter eos intersit. Ratio quoque ad idem comprobandum accedit: nam si facultas arteriis tradita eadem est quæ in corde, cum agere rẽtet distendendo, aut cõtrahendo, necessum est omnia simul distendere, quę sibi commissa sunt, simúlque contrahere, & experimentum docet: si quis manum alteram cordi, alteram cuiuis arteriæ admoueat, simul enim vtriusque sentiet motum distensionis. Neque obstant ea quæ ad confirmationem contrariæ opinionis quidam addunt: dicunt enim, in cordis contractione arterias omnimodo dilatari: nam in constrictione cordis spiritus vitalis & sanguis arteriis mittuntur: arteriæ verò eadem suscipiunt, sed quod externa corpora suscipit, dilatatur: ergo arteriæ dilatãtur cum cordis constrictione. Simili modo quando arteriæ dilatantur, vndique ad se trahunt,

Cor & arterias simul distendi ac cõtrahi.

hunt,atque ex corde ſanguinem & ſpiritũ,quo tempore cor euacuatur. Sed cum cor euacuatur,neceſſariò conſtringitur:ergo cum arteriæ dilatantur cor conſtringitur.Rurſus in cõtractione arteriarum aer frigidus cordi tranſmittitur: ſed cùm cor recipit aerem ab arteriis dilatatur,ergo cum arteriæ conſtringũtur cor diſtenditur.Ad quæ dicemus,ſanguinem & ſpiritum conſtrictione mitti à corde,ac eundem ſimul ſuſcipi ab arteriis,nec tamen ſequitur inde arterias dilatari: nam non omne ſuſcipiens dilatatur:maximè vbi ſuſcipiat ſimul & tranſmittat.Quod arteriis euenit,ipſæ nanque ſuſcipiunt à corde,& tranſmittunt aliis arteriis,donec ad vltimas& à corde longiſsimè diſsitas deueniatur,quę ſimili modo per cutis & carnis poros excrementum calidum & fumum reiiciũt. Cùm autem maius ſit, quod expellitur,quàm quod ſuſcipitur,conſtringi neceſſe eſt. Simile nanque fit, ac ſi vter habeat latum ac valde longum collum,qui poſtquàm humore aliquo impletus fuerit,vbi ſimul omni ex parte,& collum eius pariter exprimatur, notum eſt vtrem in collum humorem exprimere, ipſúmque in collo recipi, nec tamen ob id collum dilatari dicemus,conſtringitur enim. Sic in arteriis & corde ſimul conſtrictis accidit.Arteriæ nanque à corde ſuſcipiunt humorem, ac conſtringuntur. Cùm verò dilatantur ſimul,nihil impedit quominus cor impleri poſsit ingrediente aere à pulmone,& arterias impleri aere per cutem traducto. Quod verò dicũt arterias conſtrictione aerem frigidum cordi tranſmittere,non egeret noſtra confutatione,niſi quorundam animis pertinaciter hæreret.Nam turpe eſt exiſtimare aerem fumis mixtum atque excrementorum refrigerio cordis eſſe vtilem.Præterid quòd non aſſueuit natura excrementa ab ignobilioribus in nobiles tranſmittere particulas:eſt autem aer dictus fumis plenus. Præterea aer calidus refrigerio inutilis eſt:at is qui per cutem ingrediẽs arterias permeat,non potuit interim non incaleſcere.Prçterea conſtructio cordis docet os infernum ſiniſtri ventris cordis, à quo arteriæ omnes procedunt,inſtitutum eſſe à natura ad trãſmittendum, non autem ad recipiendum. Quatuor enim ſunt cordis oſcula, duo in dextro ventre, duo quoque in ſiniſtro,alterum quod in dextro cõſiſtit venam à caua ortam ſanguinem deferentem excipit:quare à natura tres habuit triſulcas,quæ intrò patẽt, extrà verò clauduntur. Quoniam per cordis conſtrictionem nihil ea via retrocedere debet. Alterum ad pulmonem expectat,quod ſanguini in pulmonẽ mittendo ſeruit:habẽtque totidem triſulcas extrà patentes, & quæ diſtento corde intrò clauduntur,quòd in diſtenſione nihil inde ſuſcipi debeat, ſed conſtrictione tantùm mitti.In ſiniſtro quoque ventre duo ſunt oſcula, alterum ſpectat pulmonẽ, duabus triſulcis tantum in conſtrictione extrà claudentibus:interius verò patentibus in diſtenſione. Quoniam cum inſeruiat tractioni frigidi aeris potiſsimum, intrò patere debuerunt triſulcæ in diſtenſione. At quoniam ad excretionem fumorum vtile erat oſculum,non omnino claudi in conſtrictione decuit, ſed duabus tantum triſulcis. Quartum oſculum via eſt arteriarum omnium,patẽs in cordis conſtrictione triſulcis tribus extrà apertis, intrò verò diſtenſione cordis concluſis:quòd hæc via tranſmiſsioni, non receptioni inſtituta erat à natura. Vnde conſtabit cor in conſtrictione tranſmittere aerem calidum, ſpiritum,fumos, ſanguinem in arterias:in diſtenſione verò, nihil ab eiſdem ſuſcipere, aut exiguum quid, vt inquit Gale.lib.de Vſu pulſuum. Verùm huic ſententiæ videtur aduerſari Gale.eodem loco,vbi Eraſiſtrati meminit dicens:Verùm illo autore nihil prorſus ex arteriis in cor recipitur,niſi per eas quæ ſunt in pulmone,quod ſanè ita non eſt. Cùm fortaſsis etiam pro ipſis naturæ modulis ſe habente animali, exiguum aliquid recipiatur. Quippe non adeò mihi ad vnguem os magnæ arteriæ videntur membranæ obſtruere: vt nihil ex ea in cor recurrat. Sic enim tota hæc litera legenda eſt,etſi paulò aliter habeat Thomæ Linacri translatio. Et rurſus paulò inferius inquit:Cùm nec conſpirabile ſibi eſſe,nec confluxile corpus poſsit, niſi arteriæ,tum ex omni parte trahant,tum in omnem tranſmittant. Quòd ſi ex arteriis in cor aliquid recurrit,& vt in ſecundo loco dixit, arteriæ quidpiam in cor tranſmittunt,aut id fiet in conſtrictione cordis, aut in ipſius diſtenſione, non in

Rationes contrariæ diſſoluũtur.

constrictione: quoniam eo tempore sanguis & spiritus impetu ferpatur à corde in arterias per os arteriæ magnæ: non igitur aut recurret, aut transmittetur per eandem viam, aliquid in cor. Neque etiam in distentione cordis id fiet: nam cum distenditur cor, ex hypothesi distenduntur pariter arteriæ: sed cùm distẽduntur, nihil ab eis aut conceditur, aut omnino transmittitur, sed potius trahitur: non ergo fiet transmissio ab arteriis in cor, aut si verum est, vt Galen. dixit, quippiam transmitti, id erit corde distento: arteriis verò compressis, neque simul ambo distendentur, aut contrahentur. Ad quæ duo facile est respondere Galen. litera animaduersa. Primum enim verum est, ex arteriis in cor aliquid recurrere, atque id exiguum vt diximus, quod fit in cordis distentione: nam etsi in cordis distentione arteriæ distendantur, nihil obstat quin exiguum aliquid cordi concedant, atque interim ipse magna copia aeris aliunde tracta impleantur: neque enim momento temporis os magnæ arteriæ clauditur. Quod verò secundo loco dixit corpus nostrum non fore omni ex parte transpirabile, nisi arteriæ in omnem partem transmittant: vnde sequi videtur, arterias in cor transmittere, quod non fit absque constrictione, non obstat. Non enim voluit arterias in omnem partem transmittere, ita vt singulas partes significaret, sed in ambitum corporis totius. dixerat enim: Siquidem si arteriæ cordi aliquid impertiunt, sic vtique ex omni parte, tum trahent, tum rursus transmittent: sin secus ex omni certe parte trahent, transmittent autem in omnem partem præterquàm in cor. Ac mihi sanè melior videtur hæc sententia, quàm Erasistrati hypotheses. Iam ergo vt Gale. hanc sententiam comprobaret, qua dixerat arterias in omnem partem trãsmittere, præterquàm in cor, addit, cum nec conspirabile esse, nec confluxile corpus posset, nisi arteriæ, tum ex omni parte trahant, tum rursus remittant, intelligendum in ambitum totius corporis: in cor enim transmittere non contendit Galen. probare, sed comprobare quod prædixerat, in omnem partem ab arteriis transmitti, præterquàm in cor. Neque enim vt totum corpus transpirabile dicatur, opus est, vt arteriæ in cor quoque transmittant. Nam paulò superius Gale. de arteriarum motibus loquens inquit: Sicuti nimirum per ora quæ in cute finiuntur, quicquid halituosum fumidúmue excrementum habent, id excernunt. Recipiunt autem ex circundato nobis aere non exiguam in se portionem. Atque id est quod Hippoc. foras intróque spirabile totum corpus dixit: ecce quo in loco ob tractionem & emissionem, quæ per cutem & totius corporis ambitum fit, saluari dicit, totius corporis transpiratum & transfluxum ab Hippoc. dictum. Rursus ad pulsus definitionem à Galeno traditam exponendam redeamus, in qua vsum quoque explicuit dicens, motum pulsus hos habere fines, vt calor naturalis in sua temperie conseruetur, & vt generetur in cerebro animalis spiritus. Quos vsus pulsui & respirationi communes esse Galen. voluit lib. de Pulsuum vsu, dicens: Ergo cùm hoc quoque demonstratum iam sit, nihilque iam aduersari videatur, quominus vnus respirationis & pulsuum vsus finisque sit: facilè promptúmque collectu arbitror, caloris in quaque parte custodiendi causa pulsum esse conditum. Itaque quod ex respiratione vni præstatur cordi, id ex pulsu calori illi qui in toto est animali accedere. Cõmunem autem vtriusque esse & animalis spiritus nutritionem: verùm arteriarum magis propriam, si quid eorum meminimus quæ de reticulari cõtextu diximus. Primus itaque vsus pulsus est, caloris temperamentum: id verò conseruatur, ingressu aeris frigidi, & egressu fumorum & aeris calidorum. In distentione primum euenit cordi & arteriis: nam cor à pulmone trahit aerem frigidum, à quo ferè in totum caloris cordis temperies pendet, siue refrigeratio. Arteriæ tamen per cutis poros ex ambiente alliciunt sibi aerem frigidum pariter in distentionibus. Cõtractione quoque cordis & arteriarum, temperies caloris naturalis seruatur: decet enim nõ tantum feruorem caloris refrigerio supprimere, sed & fumorum malorũ qui acerbantur caloris actione in humidum, copiam excernere. Id autẽ probè admodum constrictione fit, qua à corde excernitur fumus magna ex parte in pulmonem, vt inde expiratione trudatur: pars verò simul cũ sanguine & spiritu in arterias pel-

Pulsuum vsus.

letur.

letur. Arteriæ porrò natiuum intus contentum calidum conseruant fumorũ expurgatione, quæ constrictione exercetur, ipsis per cutis poros simul cum aere iam incalescente trusis. Aer enim qui frigidus attractus incaluit, inutilis redditus, excernendus venit à corde per arteriam venalem in asperas pulmonis arterias, & ab arteriis omnibus per poros iterum in aerem ambientem, simul cum prædictis fumis. Vnde fit, vt ad attemperandum calorem pulsus, & respiratio seruiant: sed respiratio cordi tãtum refrigerando ministrat, pulsus vniuerso corporis calori. Sunt autem pulsum continentes causæ tres, facultas, instrumentum, vsus, hac concinnitate pulsum modulantes: facultas pulsum efficiens, est ea quam pulsatilem appellauimus: instrumentum est cor, atque arteriæ: vsus est duplex iam à Gale. explicitus: nempe caloris temperamentum, & animalis spiritus generatio. Facultas mouet, instrumenta mouentur: vsus est id, cuius gratia motus exercetur. At verò harum causarum variatione multæ fiunt pulsuum differẽtiæ: primæ verò nouem generibus continentur: nam ex mutatione facultatis pulsus fit fortis, & languidus, ad magnitudinem spatij attinẽt magnus & paruus pulsus, ad tempus motus attinent, velox & tardus, ad tempus quietis, frequens & rarus, ad naturam instrumenti, mollis & durus, ad contentum in arteria, plenus & vacuus: adde differentiam æqualitatis & inęqualitatis, & differ. ordinis & perturbationis, & differ. rhithmis. Quibus decima differentia à quibusdam additur, caloris & frigoris. Attamẽ omnes pulsuum differentiæ variantur variatis causis cõtinentibus. Nos verò, ne longius à nostro instituto digrediamur, de his tantùm differẽtiis quædam trademus, quibus præsertim vsus impletur, & quæ mutato vsu ad portionem mutantur: hæc sunt magnitudo & paruitas, celeritas & tarditas, frequentia & raritas. Quòd si facultas constans fuerit & instrumentũ obsequatur, perpetuò pro vsus ratione prædictæ pulsuum differentiæ fient: aliquo verò horum deficiente, non ita. Nam si facultas langueat vsu, nec instrumento mutatis, pulsus nunc debito fient minores, nunc etiam tardiores: quemadmodum increscente facultate quandoque maiores fiunt, & coniunctam habent vehementiam. At si immutato vsu à facultate, instrumentum contumax reddatur, pulsus fient quàm antè minores, vti & mutatio eius in molliciem non magnam, ipsum reddit maiorem, aut verè, aut secũdum apparentiam: sicuti in corporis extenuationibus. Quòd si facultas constans manserit & instrumentum obsequatur, semper pro vsus ratione pulsus seruabunt magnitudinem, celeritatẽ, & crebritatem. Vsus præterea mutatur mutatione causarum naturalium, non naturalium, aut præter naturam. Cæterùm cùm magnitudo, celeritas & crebritas vsui adaucto ministrent, paruitas, tarditas, & raritas eidem diminuto, id in certamen differendum in scholis quotidie se offert: An constante facultate & instrumento obsequẽte, aucto vsu, magnitudo, celeritas & crebritas simul accrescant, & diminuto, diminuãtur, adueniántque paruitas, tarditas, & raritas, vel ordine quodam hæc omnia succedant, quo etiam ordine. Quod dubium hoc in loco breuius quo fieri possit citra cõfusionem, aut obscuritatem, soluere instituimus. Vsus sanè augeri cõtingit in variatis facultate & instrumẽto, aut à tẽperato calore, aut ab intensiore aut à remissiore: & quãuis vsus pulsus duplex sit, nẽpe caloris attẽperamentum & generatio animalis spiritus, impræsentiarũ de ea tantùm vsus mutatione agemus, quæ ad caloris incrementũ & diminutionẽ attinet. Si itaque vsus à temperamẽto mutetur, primùm magnitudo increscet, nullo manifesto incremento accedente celeritati aut crebritati: parũ etenim crescente vsu sola magnitudo eidem satisfacere, ac maximè & accõmodatissimè valet. Amplius verò increscente vsu magnitudini adiũgetur celeritas, & postremo loco crebritas, teste Galeno lib. 1. de Causis pulsuum dicente: Et cum tres sint in omnibus excessibus rationes opis, omnibus simul vtitur. Nam cum plurimum sequitur se refrigerantis substantiæ, tum celerrime, & imprimis continenter: quorũ primum maximos pulsus creat, alterum celerrimos, creberrimos tertiũ. Neque vbi liberaliter illum magnitudo refrigerat, distensionis irritat celeritatẽ, neque crebritatem, vbi ab ambabus auxiliũ consequitur. Alterius enim illarũ defectus semper

Pulsus causæ continentes.

Pulsus differentiæ.

Pulsus mutatio in magnitudine celeritate & crebritate, an simul aduenient.

corrigitur altera,magnitudinis celeritate,celeritatis crebritate. Quid multis? crebritatis pulsuũ causa vnica est,prioris actionis defectus. Ex quibus manifestũ est voluisse Gal.pulsuũ differẽtias prędictas ordine quodam acquiri,ac magnitudinẽ primò,celeritatẽ deinde, postremò crebritatẽ.Cæterùm cum omnes manifestum susceperint incrementum, si deineeps calor augeatur, omnes augmentum simul susçipient ad portionem distributum.Sed iam ex prædictis constare poterit ordo deperditionis earundem differentiarũ, vbi calor prædictus rursus amitti debeat, ad temperamentum vsque. Ea etenim differẽtia quæ postremo loco accessit, primo loco euanescet:quæ verò primo, postremo, media medium seruabit locum. Decrescente verò calore à temperamento, Gal.autore libro primo de cau.pul.& libro primo de præsag.ex pulsibus,primo loco accedit raritas, secundo tarditas, tertio paruitas: itaque parum decrescente calore pulsus rarior moderato redditur,vel vt rectius dixerim,rarus,amplius decrescente,tardus, maxime decrescente,paruus, Quamuis hæc quadamtenus à ratione aliena videantur, & nobis experientibus aliquando,in caloris diminutionibus diuersum constiterit. Nempe magnitudinem primò minui,postremò crebritatem. Nam & ratio huic experimento subscribit.Quemadmodum enim magnitudo calori crescenti statim succedit,ita paruitas frigiditati conferetur, primo quoque loco. Ad cuius comprobationem accedit Gal.sententia ex libro artis medicinalis capite trigesimo dicentis:In frigidiore verò corde pulsus minores existunt quàm modo naturæ conueniat,non tamen necessariò tardiores vel rariores. Sed nos vsqueadeo Gal.placita retulimus,qui fortè in hoc loco de temperaturis simpliciter ægris atque à natura ralibus loquutus,nõ aduersatur his quæ locis prioribus citatis,de mutatione temperatorum corporum in calidum & frigidum docuerat. Quod si refrigeratum corpus quod pulsus efficit paruos,tardos,& raros,amplius refrigeretur,tres prædictæ differentiæ ad portionem augebũtur,& raritas manifestè magis, apud Gal: nobis verò paruitas.Sed rursus vbi amissus,prædicto ordine calor ad integritatem restitui debeat,primo loco restituetur magnitudo ex paruitate,secundo celeritas ex tarditate, tertio crebritas ex raritate. Nos verò,qui paruitatem primo loco aduenire intellexímus,postremo verò raritatem:in restitutione primo loco crebritatem,secundo celeritatem, tertio magnitudinem, & nouimus & testabimur aduenire. Fit itaque nonnunquam simul cum his, quæ vsqueadeo diximus, vt vnica tãtùm pulsus differentia adquiratur,aut deperdatur mutato vsu:nam parum increscente calore, magnitudo sola accedit, parum etiam decrescente, sola paruitas.Siquidem qualem facultatẽ habet magnitudo pulsus ad vsus auctos implendos,talem habere videtur paruitas ad vsus diminutos. Quod si hæc quæ diximus de differentiarum successione vera sunt,& Gal.ordine quodam eadem se consequi testatur, iure hac in re, quemadmodum & in aliis multis perperã dictis, Iacobi Forliuiensis, & Hugonis Senensis opiniones ab studiosorum animis explodemus. Qui suadere conantur pulsuum prædictas differentias omnes aucto vsu, simul accedere:diminuto verò calore à temperamento, deperdi simul omnes,constante(vt diximus) facultate & obsequente instrumento. Placet autem eorundem atque suorum sequacium vel validissimas, quas putant rationes, in medium afferre ac soluere,ne tironum animi falsis cauillis implicẽtur. Sunt enim non pauci, quos nouimus, quibus placet vniuersum studium apponere in subuertenda veritate, & incęscandis auditoribus sophismatis & falsis elenchis: qui nec tantillum artem medicam propagare vnquam valuerunt.Neotericorum itaque,ac barbarorum potissima ratio hæc est: Quicunque vsus auctus supra temperamentum potest efficere pulsum maiorem, poterit facultatem vrgere ad crebritatem faciendam;sed non fiunt magnitudo & crebritas absque celeritate: ergo omnes simul fient. Sic etiam diminuto calore à temperamento quemadmodum pulsus,apud Gal.rarior redditur ob diminutum vsum,ita minori aeris quantitate ad refrigerium opus erit:ac perinde non tantùm rarus,sed & tardus ac paruus pulsus reddetur.Primum sic probant. Quicunque calor auctus supra tempe-

rament

ramentum potest cogere ad pulsum magnum efficiendum, cùm arteria constricta est, citius quoque augebitur, ac citius perducet membrum ad necessitatem refrigerij: nam maior calor celerius augetur minore, auctus tamen calor statim refrigerium exposcet, ac statim opus erit distẽsione, qua citò succedente breuis erit quies à constrictione. Quies quoque à distensione minor erit: quoniam vbi calor maior fuerit, citius accrescent fumi, qui expurgatione egebunt, hæc verò non fiet nisi compressa arteria: vbi ergo maior fuerit calor, citius accedet cõstrictio, quod est, pulsum fieri crebriorẽ. Omnis itaque pulsus maior, erit crebrior, erit igitur & velocior, atque ad omnem auctum calorem tres prædictæ differentiæ sequentur. Verùm hæc ratio nihil omnino probat. Nam quod attinet ad quietem quæ sequitur constrictionem, vbi vsus non valde auctus sit, non erit minor. Nam cõstrictio fit à natura, vt fumi cum sanguine intra arterias contenti expellantur: eam tamẽ expulsionem non perficit natura sola ipsa cõtractione, sed etiam quiete post contractionem. Quod manifestissimum est: nam si quis celeriter & impetu quodam vtrem aqua plenum aperto ore cõpresserit, vsque ad mediam capacitatem inibi compressionem remittat, nondum cessabit euacuatio aquæ, sed adhuc effluxus manebit compressione cessante. Sic etiam fumorũ expressio non tantum in compressione arteriæ exercetur, sed iam compressa. Ex compressione itaque is sequitur vsus. Quòd si calor increscens cogere debet ad distensionem efficiendam, vt vsus refrigerationis, manifestè excedat oportet vsum hunc prædictum expurgationis fumorum. Sed non omnis calor maior naturali vrget plus, quàm vsus expurgandi fumos prædictos: ergo non omnis talis calor temperamento maior coget ad distensionem arteriæ, & maiorem pulsus frequentiam, siue breuiorẽ quietem. Is est calor paulò temperato maior, qui pulsus magnitudinem augere poterit, non aucta crebritate internæ quietis. Sed quod attinet ad quietem externam pariter fit, vt non omnis calor auctus ipsam efficiat frequentiorẽ, aut breuiorem. Nam etsi calor auctus sit, possibile est nondum augeri fumorũ copiam, vt in his in quibus calor siccitati coniungitur: in illis enim quanuis calor maior sit, fumorũ copia non est, quàm in temperato maior: non igitur cogetur arteria ad constrictionem frequẽtiorem efficiendam. Verùm etsi ambo maiora reddantur, nempe calor & fumorũ copia, non inde fiet, vt sequatur constrictio citius. Nam ex quiete post distensionem, idem vsus in specie sequitur cum vsu ipsius distensionis. Siquidem non tantum in distensione aer ingrediens refrigerat, sed etiam detentus, in quiete ipsam distensionem sequente. Quamobrem non omne augmentum fumorum concitat constrictionem, sed cum ad eam peruenerit magnitudinẽ, vt inde maior vsus sequatur, quàm ex refrigeratione, quod non omne fumorum augmentum afferret, sed maius eo quod pulsum cogit esse maiorem tantùm. Erit ergo pulsus aliquando maior, nondum tamen celerior, nec crebrior vsu solo variato. Instaret rursus Iacobus contra dicta hunc in modum: Sit calor aliquis portionum quatuor in symmetro corpore arterijs existentibus in cõstrictione, hic verò calor sic excitabit facultatem ad distensionem, vt amplius ibidem permanere quieta non possit, quãuis fumi expurgentur. Ergo in corpore calidiore citius accrescet calor ad quatuor portiones, atque excitabit ad distensionem faciendam; quanuis fumi sint expurgandi: qui tamen non necessariò sunt plures quàm in temperato. Respondemus quòd in temperato vsus ille distensionis, qui à calore excitatur vt quatuor, non sufficeret ad distensionẽ excitandam, nisi fumi iam expurgati forent. Sic quoque neque calor similis illi, aut paulò maior sufficiet in corpore calido parum, excitare facultatem ad distensionem faciendam, nondum purgatis fumis, quorum expurgatio non minori eget tempore, quàm in corpore temperato. Generari quoque dixit Galen. animalem spiritum in cerebro ex motu pulsus: quoniam per arterias soporiferas vitalis spiritus in cerebri arterias defertur, atque ibidem motu agitatur, ac truditur in cerebri cauitates, in quibus animalis ex vitali fit, atque perficitur, vt dicemus. Animæ irascibilis tertia facultas est, quæ Græcis θυμοειδὴς appellatur, quam in corde sitam voluit Plato. Hic enim locus

Irascibilis anima.

medius est inter iecur & cerebrum, quemadmodum & ipsa media est inter rationalem & cõcupiscibilem facultatem, atque rationalis ministra. Hæc ratione præditis data est. quoniam concupiscibilis terrena semper cupit, epulis, ocio, & libidini indulgens multorum capitum belua, rationalis animæ munera interturbans, ipsam à literarum studio & diuinarum rerum contemplatione distrahens, vt igitur ratio aliquãdo ei obsistere & ipsius caput opprimere posset, atque blandimenta coercere, irascibili facultate opus habuit, vt valido quodam propugnaculo. Ad quam attinent ea quæ Græcis παθήματα, id est animi passiones, Latinis etiam animi perturbationes dictæ: de quarũ numero sunt, lætitia, ægritudo, libido, metus. Quæ omnes in opinione consistunt, id est imbecilla quadam assensione, vt inquit Cicero. In opinione namque boni aut mali consistit, quædam animum lętum, aut mœstum, aut aliter perturbatũ reddere. In vniuersum verò animi perturbatio à Zenone πάθος dicta est, diuersa à recta ratione cõtra naturã animi motio. Singula verò genera sic diffiniuit Cicero: Lætitia est opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectũ esse videatur, ægritudo vero quæ in se cõprehendit eam quam nos appellamus mœstitiam, aut mœrorem, est opinio recẽs mali præsentis, in quo demitti contrahíque animo rectum esse videatur. Libido iram cõprehendit Græcis θύμωσις dicta. Est autem libido, opinio boni futuri, quod sit ex vsu iam præsens esse atque adesse. Metus verò opinio mali impendentis, quod intolerabile esse videatur. Cuius generis, sunt multæ aliæ animi perturbationes, de quibus est pudor: quanuis hic non omnino cum timore coincidat, vt Galen. vult, aut cum metu. Primus itaque affectus ira est, quam Aristot. lib. 1 de Anima. aliter definire dialecticum, aliter naturalem philosophum dicit. Dialecticus nanque formam iræ docet, nempe appetitionem doloris aduersario inferendi. Naturalis vero, iram dicit esse feruorem, aut ebullitionem sanguinis, aut caloris eius qui circa cor est: hic verò materiam circa quam ira fit docet. Modus autẽ generationis partim ad animam attinet, partim ad corpus: siquidem vtriusque motus in ira concitatur, prius autem animæ. Cum enim hæc conceperit rem aliquam aduersam quæ iniuriam inferat, statim refugit atque in cor veluti in arcem sese confert. Collectus verò animus, sanguinem atque spiritum colligit, id enim perpetuum est, animæ instrumenta sequi motum animi, qualia sunt sanguis & spiritus. Cùm autem sanguis impetu delatus fuerit cum multo spiritu in cor, effervescere necesse est sanguinem & spiritum, cumulato calore, ac perinde vt sanguis effervescens qui primò membra exteriora deseruit, deinde rursus redeat concitata libidine vindictæ, quæ opinio quædam est futuri boni. Inde tamen membra externa incalescũt, sanguine fouentur atque calore. Metus similis est iræ incipienti motus: subito namque per ipsum animus cum sanguine & spiritu includitur. Primùm ad cor, vbi suffocatur atque quandoque extinguitur. Ita vt visi sint ex timore nonnulli repentè mortui, non aliter quàm siderati, prius trementibus & conuulsis. Quibusdam etiam sanguis & spiritus, per magnos timores cor deserunt ad intestina se conferentes, quod docet intestinorum lancinatio & oneris coacta depositio. Euenit id symptoma pueris & timidis adultioribus visa re aduersa atque terribili, aut in tenebris imaginibus falsis apparentibus. Subitò verò hęc animi retractio fit, vt in mœstitia sensim. Mœstitia verò animi quidam effectus est per quem homines animo deiiciũtur & conflictantur, mali præsentis opinione. Quapropter spiritus & sanguis ad cor recedunt, vbi vritur & exiccatur. ita vt ad ossa per diuturnos mœrores perueniat siccitas, & melancholicus sanguis effectus hominẽ reddat melancholia laborantem, quemadmodum & ob quamuis longam curam, aut longum atque impensum literarum studium. Talis redditus est nimia cura vexatus Bellerophontes, solitudinem amans, de quo cecinit Homerus 3. Iliados hunc in modum:

Animi pathemata.

Zenonis definitio.

Ciceronis diffinitiones.

Ira.

Mœstitia.

Bellerophõtes melancholicus depingitur.

ἀλλ' ὅτι κακῶν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν,
ἤτοι ὁ καπνιδίον τὸ ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο.
ὃν θυμὸν κατέδων πάτον ἀνθρώπων ἀλιάων.

Quod

Quod est,

Ast hic quando etiam grauior diis omnibus errat,
In campos solus latos, inque auia rura,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

At verò Gal. lib. 1. de arti. cu. comm. 29. mœrorem dicit eliquare, pinguedinem & recentem carnem, ac perinde à poetis dictum μελιτόδηκα, quasi membra edentem. Præterea est lætitia, animi motus ad extimas corporis partes cum libidine amplexandi gratum. Fit in ipsa motus similis sanguinis & spirituum adeò vehemens nonnunquam, vt pusillanimes hoc symptomate perierint, exanimato corpore. Anima enim, vt vult Plato in conuiuio, potius in amato quàm in amante consistere dicitur, atque ab amante in amatum euolare, ipsum quoque dixisse ferunt:

τὴν ψυχὴν ἀγάθωνα φιλῶν ὡδί χάλιστιν ἔχω,
ἤλθι γὰρ ἐ τλύμων, ὡς ἀβυσσομένην.

Quod est,

Est anima in labris Agathoni dum oscula libo,
Migratura velut, curtit enim misera.

Porrò singulis harum perturbationum partes eiusdem generis subiiciuntur, vt ægritudini, inuidentia, æmulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, solicitudo, molestia, afflictatio, desperatio. Metui verò subiiciuntur pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido: Voluptati lætitiæve, malcuolētia. iactans malo alieno, delectatio, iactatio. Libidini verò subiecta sunt, ira, excandescentia, odiū, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium, quæ omnia Cicero propriis patefacit definitionibus. Quoniā tamen verecundiam metui subiecit, qua in re ab ipso differat docuit Gal. lib. 2. de Causis sympto. Pudor siquidem non aliter quàm metus fit, cum animus ad interiora mouetur ob mollitiem, quæ non tolerat præstantioris præsentiam, quod si rursus repētè animata facultas ad exteriora prorrumpat, hic pudor est, per quem incalescente facie maxillæ rubent. Impellit enim in pudore affectis ratio patibilem animæ partem, quæ irascibilis est, vt ad externa prodeat, quod in timore non tentat. De his animi perturbationibus abunde dictum esse existimarem, nisi difficilis atque explicatu dignus mihi visus esset ortus harum affectionum. Notum autem est easdem sine obiectorum cognitione oriri non posse. Cognitio tamen ad animæ rationalis munera potiúsque irascibilis attinet. Verùm Plato & omnes fere philosophi ad irascibilem animam pathemata siue perturbationes retulerūt, quamuis sine animalis concursu nunquam excitentur, aut conturbetur animus. Sunt enim vt diximus hæc animi pathemata opiniones boni, ac imbecillæ quædam assensiones quæ animum excitant, vt quippiam prosequatur aut fugiat, & auersetur, vt docent affectionum essentiæ explicitæ in diffinitionibus. Assensio verò nunquam sine obiecti cognitione fit. Hanc ergo præcedere oportet. Obiectum autem non semper tale putatur quale est, sed bonum mali ratione obumbratum regitur, ac tale esse censetur. Rursus malum sæpe imponit, & subdola quadam boni imagine conuicta, ratio, neglecto bono, malum prosequitur. Imponunt quidem externa fucata coloribus, reliquísque accidentibus quæ sensum mouere possunt, sunt hæc sensuum irritamenta & blandimenta, animæ verò peccandi occasiones. Quas non quiuis facile vitare potest, in summo sit præditus iudicio, validóque ac constanti animo. Difficillime vero ea quæ intestinum bellum rationali parti indicere nūquam cessant. Assidet enim infimitæ parti corporis concupiscibilis animæ pars, bonorum inuida, machinatrix malorum, quam diuus Paulus legem quandam membrorum suorum contrariam mentī, miro modo sensit, & prædicauit. Hæc cùm circa alimentum negociatur, succorum nidorem sursum mittit, quo animæ rationalis sedem tangens, veri & falsi, boni ac mali cognitionem confundit. Præparant ad id & manus præbent auxiliares praua corporis temperatura, & mens malis moribus inquinata. Animi nanque mores corporis temperaturam sequuntur, & mens male instructa, his gaudet quibus insuevit.

Animi perturbationis ortus.

Animi perturbationum occasiones.

Qui verò bonis moribus & disciplinis operam nauantes sub modestis & studiosis institutoribus meruerunt, quamuis natura ad malum valde proni sint, temperant à vitijs, quemadmodum & bonam corporis temperaturam nacti facile eruditur & curantur. Qui verò præter id quod corporis bonis gaudent, bonos mores imbiberunt, raro ac difficile animo conturbantur: & longe minùs venia digni sunt, quum à bono discesserint, quàm qui intimam habent suæ turbationis causam. In quibus igitur mali mores prævaluerunt per animi perturbationes, hi prauos mores & assueta sequuntur, leui quauis accedente occasione. In quibus verò ea causa non adest, latet fomes in concupiscibili animæ parte, à quo interturbatur pars rationalis animæ, ac inde obiecti cognitione præcedente irascibilis animæ pars rationali non paret. Hæc vero si non paret, imperat, excandescens, metuens, lætitia gestiens, aut ægrè ferens, aut quoduis eorum pathematum, aut animi perturbationum, quæ diximus, admittes. Quæ cùm modum excesserint, eam sortiũtur nomenclaturam, & actiones appellantur, intra modum verò non animi perturbationes, sed actus iure dicentur. Et Cicero leues perturbationes dicit, quas Peripateticorum schola perferendas esse docet, quòd naturales sint, & vtiliter à natura datæ. Stoici vero omnino eas à sapientum animis explodunt. Oriũtur itaque animi perturbationes præcedente cognitione obiecti, deinde corde pathemate affecto: quæ sine obiecto externo simili imagine interius oblata. Qua concepta quidam facilè afficiuntur, quod insipientes sint, aut rerum inexperti, aut quod parua magnifaciant. quidam verò difficile, ob nimiam sapientiã & prudentiam, ob quam eo tantum nomine quidpiam magnifaciendum esse existimant, quod ad beatitudinem & bene viuendum conducat. Porro tempus instat, vt ad animæ rationalem partem, quæ in cerebro residet accedamus: id verò nos nõ pro rei de qua agendum est magnitudine pertractabimus, sed pro captu & ingenio nostro. Persequemur autem simul ipsius facultates, munera, & instrumenta, tam membra, quàm spiritus. Eius quidem animæ quæ in cerebro residet, duæ sunt primæ facultates, intelligens & sentiens: intelligens facultas omnium potissima est, cuius functiones reliquæ facultates tanquàm postremum & optimum finem expectant. Quamobrem de eisdem, vt dignioribus postremo loco nobis erit agendum. Ad sentientem verò animæ partem, sentire, & mouere, pertinent: quanuis has functiones ad diuersos animatorum ordines retulerit Aristotel. Sentiens verò facultas diuisa est in eam quæ interius, & eam quæ exterius sentit. Sensuum verò functiones in coaptatis organis exercẽtur, vt visio in oculis, & auditus in auribus. Fiunt omnes tam internæ quàm externæ sensationes, passione, quemadmodum motiones actione. moueri enim agere est, sentire verò pati. Patitur autem sensus omnis ab externis sensibilibus: sed exterior primò, deinde interior, receptis in sensu rerum sensibilium imaginibus: licet id in visione non omnino verum sit, vt dicemus. Non enim aut brutum quidpiam prosequeretur, aut fugeret, neque homo ipse de rerum natura meditaretur, aut diuina contemplaretur, nisi brutum externa cognosceret, aut intellectus phantasmata rerum, quæ in sensibus suscepta sunt inspiceret. Hac ratione sensum id potentia esse dicemus, quod sensibile est actu: fit namque sensus similis sensibili, vt lignum igni, simili recepto calore. Nam quadantenus coloratus oculus est, cùm coloris imaginem susceperit, & tactus calidus, cum receperit caloris speciẽ, & gustus dulcis, cum dulcedinis similitudinem susceperit. Sunt hi veluti quidam speculatores, qui rerum omnium externarũ conditionem, internis sensibus atque rationali animæ renuntiant: idque per se, quòd per se quoque conditiones rerum sensum mutent, vt colores, odores, sapores, sonitus, primæ qualitates agentes, & quæ ab ipsis manant. Renuntiant quoque nonnihil quod ad substãtiam attinet: sed id ex accidenti, vt quòd is filius Platonis est. Aristot. siquidem hac ratione accidentia per se sentiri dixit, substantias verò per accidens, id est accidentium nomine. ac perinde lib. 2. de Anima. cap. 6. Sensibilia tam propria quàm cõmunia per se sentiri dixit. Auerrois duplici ratione dicit sensibilia per accidens talia dici: prima, quoniam non necessario coniuncta sunt sensibilibus

Animæ rationalis pars.

Sensationes passione fiunt.

Sẽsibile per se, & per accidens quæ sint.

sibilibus propriis: nam magnitudo necessariò colori adiuncta est, neque color est absque extensione, figura, & numero, neque absque motu & quiete: hæc sub distinctione. Secunda ratio est: quoniam non conuenit filio Socratis, vt sit sensibilis ab aliquo sensu, qua sensus est: sed qua sensus hominis: nam visus bruti has indiuiduas substãtias non deprehendit, neque alter sensus, sed solus humanus: quoniam animæ rationali coniunctus est. At quoniam sensibile per accidens, neque ab humano sensu exteriori sentitur, non erunt ex accidenti sensibiles substantiæ, hæc ad opinionem Auerrois, sed vt diximus, accidentium ratione. Voluit tamẽ Arist. sensibilia cõmunia à singulis sensibus sentiri per accidens, à communi verò sensu per se, lib. 3. de Ani. cap. 1. Sensibilia etenim cõmunia nulli sensui per se debentur: sed visui color, olfactui odor, & reliqua: cum autem per se sensibilia eadem recenseat, sensui communi conferenda esse voluit, dicens: At cõmunium habemus iam sensum cõmunem, non per accidens' sanè. Dicemus igitur cõmunia sensibilia à cõmuni sensu per se primò sentiri, ab aliis per se, non primò. quod Aristot. per accidens vocat. Ex his itaque, quæ sensus immutare possunt, quædam vnicum, quædam plures mutant, quod est, à pluribus sentiri posse, quæ ab vnico tantùm sentiuntur, propria, quæ à pluribus, cõmunia sensibilia sunt. Iam itaque ad Aristotel. mentem communia dicentur, numerus, magnitudo, figura, motus, & quies. Nam magnitudinem visus cognoscit, pariter etiam tactus, & visus figuram, & numerũ compræhendit, pari modo tactus. Idem de motu & quiete ferunt. Nec tamen putandum est, cõmunia sensibilia per imagines propriorum deprehendi, vt quidam. Ferunt enim magnitudinem colori coniunctam ea ratione à visu cognosci, quòd colorem habet: & quoniam calor extẽsus ad eam magnitudinem, similitudinem suam imprimit in oculum, & visus non tantum id coloratum esse iudicat, sed extensum, ad eam quam habet magnitudinem. Præterea quòd magnũ aliquod tantùm iudicetur tactu, non ob id est, quòd magnitudo similitudinem suam transferat in tactum, sed quòd calor, aut frigus, aut alia tangibilis qualitas, magnitudini iuncta sensum mutet, & sibi similem reddat. Si nanque magnitudo peculiarem suam inferret imaginem, hæc separari posset ab imagine coloris cum visum mutat, nunquam tamen separatur: non ergo est diuersa imago magnitudinis ab ea quæ à calore proficiscitur. Rursus obiectum adæquatum visus color est, aut lux: sensibilia tamen communia non continentur in his. non ergo percipientur visu, nisi quatenus color extensionem docet subiecti in quo est. Conficitur ergo vnica tantum imago à sensibili proprio & communi, quæ à proprio primò proficiscitur: eius tamẽ modum commune sensibile variat. Est enim similitudo oculum mutans, vt ferunt, coloris effectus, magnitudini annexus, in qua fundatur, quæ diuersam efficit hanc imaginem pro sui diuersitate, sicut & figura & numerus, quæ necessariò sensibus propriis iuncta sunt. Motus verò & status, sub distinctione alter: quæ duo manifestè docent, vt ferunt, sensibilia cõmunia per se nullam imaginem transfundere. Quoniam motus à nullo externo sensu percipi potest, sed ipsa res diuerso in loco notatur, sic neque quies: sed ipsa res in vno loco sensum mutat. Ex his colligunt vnicam tantùm imaginem sensui inferri, eámque à sensibilibus cõmunibus & proprio perfectam, neque produci, nisi ab omnibus simul. Color enim similitudinem infert sensui, quæ magnitudinem secum & figurã defert, & à situ aliquo profectam. Nonnulli verò iuniorum philosophorum contrariam asserunt sententiam. Porrò sensibilia communia suas proprias similitudines sensibus imprimere, diuersas à similitudinibus sensibilium propriorum, & magnitudinis atque coloris longè diuersas esse. Quod rationibus probant: nam quãdoque fit, vt magnitudo suam imaginem mittat in oculum, cum color nullam mittit: diuersa igitur est imago magnitudinis ab imagine coloris, id verò fit, vbi res à longè sita conspiciatur: experimentum nanque docet ad magnam distantiam cognosci magnitudinem rei, colore nec cognito, nec immutante sensum. Sed tamen id soluit aduersantium rationem, qua postulant, nunquam sensibile cõmune posse sentiri absque similitudine sensibilis proprij. Rursus hanc opinionem confirmat,

Sensibilia cõmunia an proprias vt fundant imagines.

quod

quòd nullus effectus poteſt à cauſis genere diuerſis procedere. At color & quantitas, aut figura genere diuerſa ſunt: non ergo poterunt vnicam dictam ſimilitudinem efficere. Nos verò diuerſam habemus ſententiam & communi opinioni contrariam: non enim putamus motum aut quietem eſſe communia ſenſibilia, neque omnia quæ talia appellantur ſimilitudinem aliquam à ſe mittere per aerem medium. Primùm enim notum eſt, ſenſum viſus motum videre non poſſe: non enim poteſt viſus ſucceſsionem videre. ea vero motus eſt. Oculus ſiquidem colorem rei videt: cùm tamen variatur ſitus rei, ſitum quidem cognoſcit, non tamen motum, quo ſitus mutatur. Gale. lib. 3. de Dignoſ. pul. cap. 1. dixit motum quietes habere aut morulas: nam ex parua aut magna in partibus, & locis mora agnoſcimus motum celerem, aut tardum: eſt nanque ſitus cognitus motus autem ſola ratione aſſequi poteſt: non tamen ſenſu. Senſus itaque motum apprehendere nequit, ſed ſitum, ſi quis Galen hac in re ſequi velit. Sic & quietem viſus non concipit, quòd ipſa nihil ſit, niſi motus priuatio, quam ſenſus non agnoſcit externus, etſi internus ad id pertingere poſsit. Non ergo ſunt hæc duo inter cõmunia pluribus ſenſibus ſenſibilia recenſenda. Simili modo de tactu dicemus: par enim eſt procedendi modus: nam tactus colorem rei & diuerſum ipſius ſitum cum mouetur concipit: motum tamen non concipit, minimè verò quietem, quæ ipſius priuatio eſt. Præterea ſenſibilia cõmunia propriis neceſſariò ſunt adiuncta, motus vero non neceſſariò adiunctus eſt viſibili, aut tangibili, pariter neque quies. Niſi diceres motum, aut quietem ſub diſiunctione adiungi ſenſibilibus proprijs: vnde fieret ex ambobus vnicum cõmune ſenſibile, & non eſſent quinque, vt cum Ariſtotele putant. Magnitudinem vero, ſitum & figuram nũquàm à ſenſibilibus propriis ſeparari notum eſt. Erit ergo ſitus ab his diſtinctum ſenſibile, atque id commune, quod à viſu & tactu perçipitur, ac ſubrogabitur loco motus & quietis, quæ ea tantùm ratione cognoſcuntur, qua res cognita ſitum, aut mutat, aut ſeruat: ſitus verò eſt qui deprehenditur à ſenſibus externis. Numerus quoque ſenſibile commune non eſt: aut enim nihil aliud eſt, quàm res ipſa numerata, aut quanta, aut qualis, quæ ob quantitatem, aut qualitatem ſentitur, aut ſi quid aliud eſt: id intermediis externis ſenſibus ab internis ſentitur, non ab externis. Olfactus enim & guſtus numerum non ſentit, tactus verò viſus, & auditus internas potentias ducũt in cognitionem numeri, eorum quæ ab ipſis cognoſcuntur. Poſſet tamen quis pro Ariſto. dicere ſenſibilia communia non ea ratione talia dici, quia à pluribus ſenſibus cognoſcantur: ſed quoniam communi ſenſui per ſe debentur. Nos vero nullum eſſe ſenſum communem præter cerebrum inferius oſtendemus, ſenſibilia verò communia diuerſa à prædictis eſſe probauimus, & ſingula eorum à pluribus externis ſenſibus agnoſci. Quapropter, vt noſtram proferamus ſententiam. Tria tantùm ſunt ſenſibilia communia, quæ ab externis ſenſibus nempe tactu, & viſu cognoſci poſsint, & ſenſibilibus propriis neceſſariò conjuncta ſunt, nempe magnitudo, figura, ſitus. Quod verò attinet ad dubium, dicemus ſenſibilia communia ſenſum immutare, at propriam ſimilitudinem per medium nõ mittere. Non enim vnquàm ſentirentur, niſi ad ea ſenſus accederet. Primùm quidem ex ſuprà habitis notum eſt: ſi enim magnitudo ſenſum tactus non mutaret, à ſolo ſenſu notitia generaretur, ſine obiecti concurſu, quod nemini philoſophantium placuit. Neque poſſet caloris ſimilitudo magnitudinem oſtendere. Nam ſimilitudo rei, rem ipſam ſimilem oſtendit: non ſimilem non oſtendit. At imago coloris colori, & caloris calori ſimilis eſt, non magnitudini: ergo colorem, aut calorem, non magnitudinẽ oſtendet. Rurſus res à longè ſitas videntes, quandoque percipimus magnitudinem, figuram, & ſitum non percepto colore. Diuerſa igitur erit ſimilitudo quæ mouet ad ſenſibilium communium cognitionem à ſimilitudine proprij ſenſibilis. Item magnitudinem & figuram & ſitum tactus deprehendit, quandoque non cognita aliqua propria tangibili qualitate, vnde notum euadet ſenſibilia communia per ſe ſenſus mouere. Neque etiam ex ſpecie magnitudinis & coloris potius vna ſimilitudo conficietur (vt alij putãt) quàm ex ipſo colore & magnitudine. Sed color

& magnit

Motus & quies non ſunt cõmunia ſenſibilia.

Situs commune ſenſibile.

Senſibilia communia tria tantum.

Senſibilia cõmunia ſenſum mutant ſua ſimilitudine.

& magnitudo diuersæ res sunt,& genere differentes:erunt ergo similitudines diuersæ.Præterea à similitudine obiecti & animali facultate cognitio paritur:diuersæ ergo cognitiones diuersarum erunt similitudinum.At in visione albedinis alia est albedinis cognitio,& alia magnitudinis:ergo & similitudines à quibus cũ potentia cognitiones producuntur,diuersas esse necessium est. Esse tamen diuersas cognitiones prædictas nemo ignorat.Cognoscimus enim albedinem gratam,aut ingratam visui,magnitudinem verò late extensam,aut breui circunscriptam. Diuersæ itaque erunt & similitudines,& ab ipsis partæ cognitiones. Idem de figura & situ.Has autem similitudines per medium non depromunt:decet enim sensum sensibile cõmune pertingese,vt ipsum sentiat. De magnitudine primùm constat: ea enim ab auditu,gustu & olfactu non cognoscitur, sed à visu tantùm & tactu. Tactus verò magnitudinem sine externo medio sentit. Quòd si magnitudo similitudinem per aerem mitteret,intermedio aere sentiri tactu posset. At ipsam non sentiri notum est,non mittit igitur similitudinem per mediũ aerem.Par ratio habenda est de figura & situ:hæc enim tactu tantummodo atque visu cognoscuntur,vt Galen.quoque testatur lib.7.de Placitis Hippoc.& Plato. Gustus enim saporem cognoscit,tactus verò ei coniunctus rei gustabilis magnitudinem,situm & figuram:olfactus solum odorem deprehendit, auditus solum sonitum. Quod si quando ex sonitu magnitudinem rei sonantis,aut figuram,aut situm cognoscens assequatur,id ratiocinio potius,& internis facultatibus,quàm ipsi externo sensui referendum est. Visus quoque quauis colorem cognoscat per similitudinem in aere & oculo impressam,visorios radios ab oculo peruenire ad rem visam,necessum est,vt rem ipsam visam attingant,citra quod videri magnitudinem,aut figuram,aut situm omnino impossibile est.ad quod comprobandum accedit, quod si magnitudo,figura,& situs per aerem suam mitterẽt similitudinem, olfactus comprehenderet situm & magnitudinem,& figuram, quod non fit. Quòd si dixeris ea non mittere speciem,cum quouis sensibili propriè, sed cum eo quod coadiuuat ad sui cognitionem,vt colore,aut prima aliqua qualitate:neque post missionem,ab omnibus sensibus percipi,sed à quibusdam,vt tactu,aut visu, cõtrarium ratio demonstrat. Nam si cum similitudinibus primarum qualitatum spargũtur per aerem medium similitudines magnitudinis,figuræ, & situs, tactus per aerem perciperet quoduis eorum. Non enim deest ad eam cognitionem sensus aptitudo:is enim calorem per medium aerem cognoscit, neque deest potentia agentis ad immutandum:cùm concedat aduersarius extra se mittere prædicta cõmunia sensibilia suas similitudines.Cognoscentur ergo tactu:quod nemo probat. Quod si non cognoscuntur ob id tantùm est,quòd per aerem mediũ nullam similitudinem mittunt,neque per aliud medium,sed vt cognoscantur, potentiæ contactu egent.Siue enim tactus sit,siue visus cognoscens,ad rem ipsam cognitam peruenit.De tactu nemini dubium est,de visu verò dicemus cum Gale. facultatem visoriam cum radiis visoriis ad rem vsque visam spargi, atque ipsam pertingere, & ibidem alterationem suscipere, & rei notitiam. Aut visoriam facultatem non peruenire ad rem visam,sed tantùm visorios radios per quos sentit potentia sensibile,quod visorium radium mutat,eo modo quo sensus interni intermedijs neruis externa sentiunt.Sic quoque fieri affirmabimus, vt visoria facultas intermedijs radijs visoriis sentiat alterationes à magnitudine,figura, & situ, visoriis radijs illatas, qui similitudines eorum suscipient. Porrò quamuis sensibilia, siue propria, siue communia, suam imprimant in sensum similitudinem, sensio non fiet, nisi ad sentiendum aliunde sensui externo demandetur facultas. Non enim à se habent, neque sibi insitam animalem facultatẽ,sed à cerebro demandatam,à quo oritur tanquàm à præcipuo membro & potissima eius sede.Quanuis Aristo. eam à corde manare dixerit,quemadmodum & omnes alias,3.de Part.ani.cap.4. Quod etiã ibidem probare multis mediis contendit,cor statuens venarum originem,& inde naturalis facultatis,quã concupiscibilem diximus,& in eo corde sitam probauimus. Quoniam sanguis in corde effusus est, quod non contingit in alia

Sensibilia communia non mittunt imagines per mediũ ad potentiam.

Facultas sensibus aliunde traducitur.

Animalis facul. in corde sita ex Aristotele.

corporis parte, quibus adiungit ſitum cordis in medio thoracis, & quòd cor primo viuere putat. Quantum verò ad animalem attinet facultatem, ipſam à corde oriri ſic probat: Animal ſenſu definitur, ob id enim animal eſt, quia ſentit: ſentit autem, quia ſanguinem habet: ergo animal eſt, quoniam habet ſanguinem, & ſentit quoniam habet ſanguinem: ſed ſanguinis initium cor eſt, ergo & ſenſus. Rurſus lib. 3. de hiſto. anim. cap. 5. cor eſſe neruorum initium aſſerit, ac cor neruoſiſſimum eſſe. Et 2. lib. de par. ani. cap. 10. non tantum ſenſus, ſed etiam motus initium cor eſſe teſtatur. Et lib. de ſomno & vigilia, inquit: Principium igitur mouendi, in his quæ ſanguinem habent partem eam, quæ circum cor eſt obtinet: nã quæcunque ſanguinem habent, & cor habent, à quo motus ſenſúsque principis origo, atque initiũ pendet. Motus igitur & ſpiritus, & omnino refrigerationis principium in corde, vt patet, collocatum eſt. Attamen vt ſuprà diximus in diſquirendis ſedibus naturalis & vitalis facultatis, Plato contrariam habuit ſententiam in Timæo. & lib. 4. de republica. Gal. tamen 2. de pla. late ſatis probat, cerebrum eſſe ſedem facultatis animalis. Prima ratio deturbat Ariſtotelis fundamentũ: ipſe enim ex eo quod cor in medio thoracis ſitum eſt, putat ſequi, vt id ſit omnium facultatum initium. At neutrum verum eſt: cor enim non iacet in medio corporis, ſed vmbilicus, ſi rectè corporis dimenſiones metiamur. Quòd ſi ea ratio valida eſſet, cerebrum poſſemus probare eſſe initium omnium facultatum, quòd in ſupremo corpore ſitum ſit, & ſupremus locus aliis eſt dignior, vt docent mundi conſtitutio, & cæli ſitus. Rurſus ſiquis neruos à cerebro in thoracem deſcendentes, qui reſpirationi ſeruiunt, aut eos qui voci, laqueo compreſſerit, animal ſine reſpiratione manebit, aut ſine voce, quod experimentum docet: igitur mouendi facultas à cerebro habet ortum. Cùm tamen ſiquis arterias ſoporiferas illaqueaſſet, quæ à corde oriuntur, neque motum neque ſenſum animal amitteret. Gal. namque lib. de vſu pulſuum, illaqueatis arteriis aſcendentibus in caput dicit, animal currere, ſaltare ac vocem edere. Quod verò paulò pòſt motum amittant eadem animalia, ratio eſt, defectus vitalis ſpiritus aſcendentis: is enim materiam præbere deberet ſpiritui animali, qui eſt functionum animæ inſtrumentum. Facultates verò ſine inſtrumentis nihil faciunt. Præterea Ariſt. putauit cor eſſe neruorum principium, atque ab ipſo per communes neruos deferri in cerebrum facultatem animalem: fiat ergo vt nerui communes intercidantur, experimentum docet, animal non amittere viſum, auditum, aut motum externorum membrorum, vt crurum & brachiorum: his ergo partibus mouendi & ſentiendi facultas nõ proceſsit à corde. Lib. 7. de pla. Gal. neruos à cerebro, nõ ab ipſius membranis oriri ſtatuit dicens: De neruorum ortu hæ duæ ſint huiuſce rationis propoſitiones: vna ex ipſa propoſitæ rei notione, ſiue natura, ſiue ſubſtantia, aut quouis modo appelles, ſumpta: altera ex diſſectione appareat ſi hæc conſpectior diligenter cognita fuerit, ſtatim etiam ſimul partem capitis vnde nerui oriantur, non membranas, aut inuolucra, ſed ipſum cerebrum eſſe cognoſcemus.

Animalis facul. ſedes cerebrũ probatur.

Ariſto. rationes ſoluuntur.

Præterea, vt inquit Gal. lib. 1. de cauſis ſympt. cerebro oppleto ſomnus fit: ſomnus verò eſt in potentia animalis facultatis: in cerebro ergo reſidet, & ab eo oritur: quod ſi Ariſto. dixerit, quemadmodum & qui eum ſequuntur modò volunt, cerebrum miniſtrare cordi hac in re, id à ratione alienum videtur: melius enim foret pulmonem ei miniſtrare, qui verè cordis miniſter eſt, & ad id à natura factus. Rurſus ibidem Gale. inquit: Si cor eſſet animalis facul. initium, ei forent remedia adhibenda, laborante facult. animali: at verò nullus eorum, qui differentes ſectas ſibi elegerunt, adeò nudus fuit experimẽto, vt laborante facultate animali in lethargo, aut phrenitide, remedia thoraci admoueret. Foret autem maximæ dementiæ ſignum, putare morbum eſſe in corde, & adiungere remedia topica capiti, vt oxyrrhodinum in phrenitide. quod rurſus repetit libro 1. de locis patientibus. Rationes verò Ariſto. nullam vim habent: nam, vt inquit Galen. lib. 1. de cauſis ſymp. quamuis Ariſto. apprimè doctus fuerit, & ad ſuadendum in vtranque partem idoneus, nullam probabilem potuit inuenire rationem, quare oppleto

cerebro

cerebro sensus cessat, si in corde residet facul. animalis. Quod tamen Arist. probare nititur cordis principatum ex situ, aut omnino nihil sequitur ex situ, aut vt diximus, vmbilicus medium obtinet locum non cor. Ad aliud quod supponit Arist. cor primò viuere, vt inde sequatur, functiones adesse non viuente cerebro, aut iecore, cor ante quàm iecur non viuit, cùm autem moueri conspicitur ante cerebri vitam, id verè moueri non est, sed palpitare: nos verò facultatem loco mouentem à cerebro oriri statuimus: sanguinem tamen in corde effusum esse nihil refert, siquidem id ad cordis figuram spectat, quæ causa est, non ad principatum. Quod verò putat Arist. à corde neruos oriri, & cor valde neruosum esse, vtrumque falsum est: nam quæ in corde cõspiciuntur, fibræ sunt, non nerui, quales etiam sunt in carne. Quòd si ab ipso ortum haberent nerui, iuxta ipsum crassiores adessent propagines, quemadmodum iuxta cerebrum, & in ceruice: id verò non fit. Neque illud dubium prætermittendum mihi videtur, an facultas animalis in cerebri substantia sita sit, an in eius membranis. Quod ex Gale. sententiis adeò facilè soluitur, vt vel hanc ipsam pagellam, implere non sit opus. Cum enim Gale. 2. & 7. lib de Placi. Hippoc. & Plat. ad horum sapientissimorum virorum mentem, ac contra Arist. statuit, animalem facultatem in cerebro residere dixit, non in eius membranis, præcipuum quoque membrum cerebrum esse demõstrat: membrum autem nobile est, quod est ad vitam necessarium: ignobile verò quod est ad melior vitam, aut ad tutelam, tales verò sunt membranæ cerebri: cùm enim cerebrum ad vitam necessarium sit, membranas tuentes habuit, atque ipsum confirmantes, vt Galen. lib. 7. de Placitis docuit aduersus Erasistratum dicens: Quod si in viuentibus animalibus periculum fecisset id quod nos non semel atque iterum, sed sæpissime fecimus, certissimè cognouisset, duram illam crassioremque membranam operiendi cerebri causa factam fuisse, & mollem & tenuem, vt eodem etiam fungeretur munere. Rursus cerebri membranis vulneratis, animal sensum & motum non amitteret, nisi ventres cerebri vulnerentur, vt Galen. docet eodem loco: non igitur residet animalis facult. sentiens & mouens in membranis, sed in cerebri ventribus. Præterea paulò inferius inquit: Rectius autem erit, si existimemus, in ipso quidem cerebri corpore habitaculum animæ esse. Postremò facultas animalis ab origine traducitur per neruos: nerui tamen, vti ex dissectione cõstat, à cerebro oriuntur, compositi ex substantia cerebri ipsis intima, & duabus membranis hanc substantiam, non aliter quàm cerebrum ipsum tegẽtibus: sed animalis facultas sentiens & mouens, non perducitur per partes neruorum, quæ respondent membranis, sed per intimas, quæ respondent cerebri substantiæ: ergo sedes eius in cerebri substantia est, per quam etiam defertur. Horum testimonium habes ex Galeno loco citato qui paulò inferius dixit: Cùm igitur nerui à cerebro, cerebrúmque operientibus membranis oriantur, per interiorem partem, quæ à cerebro exit, sensus & motus omnibus animalis membris suppeditatur. Quod ve verò meningibus inflammatis delirium sequatur, vt in phreni. non obstat: nam duram inflammari contingit sine delirio, & tenuis non inflammatur, quin consentiat cerebrum, neque illud obest, quod cerebrum non sentit: siquidem facultas quamuis in cerebri substantia sedeat, in instrumentis operatur: hæc sunt nerui, & membranæ. Dilatatur quoque cerebri substantia & constringitur: quoniam ventres eius recipiunt spiritum ab arteriis quem ibidem perficiũt: cùm verò eundem transfundunt, constringuntur. Scias quoque & illud oportet, ventres cerebri, ne concidant latera, egere modica quadam siccitate ad contentionem, vt quæ distendi & contrahi possit: aliàs verò immodica accedente humiditate concideret latera, ac minime dilatari possent, aut malè: cauitates etiam cerebri interius membranam habent & fibras, vt in dissectionibus conspicimus. Hæc itaque animalis facultas à cerebro per neruos distribuitur: in quibus & oculis sensiones fiunt. Vt autem facultas prædicta impetu quodam ad distantiores corporis partes pellatur, ea vis vtitur neruis, & animali spiritu per ipsos delato. Quo fit, vt ad sensionem opus sit facultate & duplici instrumento: alterum est spiritus, alterum neruus: spi-

An facult. ani. resideat in cerebri substantia, an in membranis.

Aduersus Erasistratum.

ritus animalis in cerebro generatur ex inspirato aere,& ex vitali spiritu per arterias soporiferas,in retiformem contexturam delato,vbi postquàm integre à naturali calore, & arteriarum motu,veluti in quadam miro modo excogitata officina fuerit elaboratus,in ventres cerebri effusus, formam & vltimam assequitur perfectionem.Galen.lib.7. de Plac.Hippoc.& Plat.in hunc modum scripsit:Spiritus verò qui in asperas arterias foris attrahitur, in carne quidem pulmonis primam elaborationem accipit.Post hæc autem in corde & arteriis, & maximè iis quæ sunt in plexu retiformi,secundam, deinde postremam & perfectissimam in cerebri ventriculis,vbi vtique vt animalis primum exactè efficitur. Quòd verò etiam spiritus vitalis animali materiam præstet, docuit lib.7. de Placitis. dicens: sicut verò vitalis spiritus & in arteriis & in corde gignitur,materia generationis ex inspiratione,& humorum exhalatione sumpta: ita animalis ex vitali perfectius cocto oritur,quippe cùm oporteret ipsum exquisitissimam immutationem adipisci.Est is spiritus primum animæ instrumentum,vt eodem libro parum ante sententiam citatam voluit Galen.& lib.3.de Locis pa.cap.5. inquit: Sanè cùm ea quæ per dissectiones apparere solent,accuratè consideraremus rationi consonum videbatur,animam in cerebri corpore sedem obtinere, atque in ipso, & rationis vim,& sensibilium imaginum memoriam residere, ac primum ipsius instrumentum,tum insensibilibus actionibus omnibus, tum in his quæ à consilio & voluntate prodeunt,spiritum esse,qui in ipsius vẽtriculis,maximè qui in postremo continetur.Est igitur animalis spiritus,vapor quidam tenuissimus ex aere & vitali spiritu in retiformi plexu elaboratus,& in cerebri ventribus perfectus, animalis facultatis primum & potissimum instrumentum.Per neruos autem distribui diximus: quoniam, vt inquit Galen.7.de Placitis.vt vehementius pellatur animalis facultas,nerui aliqua ex parte ea vi sunt,vt spiritum animalem admittant, & inde facultas maiori impetu pellatur. Oriuntur autem nerui à cerebro, aut spinali medulla mediatè, quæ duo obuolutas habent crassam ac tenuem membranam, & in his medullarem substãtiam,quibus omnino neruus similis est: nam exterius fibrosus cum sit,duplicem refert membranam: interna verò eiusdem substantia cerebro est similis. Quod Galen.quoque placitum est ex lib.7.de Placitis. Hipp. & Platonis.cùm de neruis ab spina dorsi ortis loquẽs,inquit:Fabrica enim eadem est,quæ in emanantibus à cerebro neruis cõspicitur, cùm interna eorũ pars quasi medulla ab ipsa spinali epulans,à membranis vndequaque circundetur:nam habet perinde atque cerebrum spinalis membranas eiusdem vsus gratia fabricatas. In hac neruorum constructione pars iuxta originem sita, quæ etiam crassior est, cauitatem habet: tenuissima verò neruorum filamenta cauitatibus carere,Gale. testatur.Qua igitur parte caui sunt,si multum animali facultate trãsmittitur animalis spiritus,deinde sola facultas:hæc autem nõ per neruorum cauitates,sed per eorum substantias traducitur.Est autem substantia nerui externa membranosa, interna medullaris.Quod autem dicitur,animalem facultatem per neruos traduci,id non alio modo intelligi debet,quàm quod neruis ipsis demandatur. Quamuis enim caro sentiendi facultate participet,id non proprie dictum est: nam caro nullo sensu participat,sed neruus tantummodo qui carni inseritur. Nam ad pulmonem & iecur & viscera singulæ distributiones neruorum deducũtur,ne essent omnifariam plantæ,vt inquit Gale.lib.6.de Vsu partium,& lib.5.dixerat, neruos triplici ratione particulis demandari,aut sentiendi gratia, vt oculis, auribus, linguæ, manibus:sũtque hi copiosi,aut mouendi causa,vt musculis,ac sunt copiosi: parui verò ac tenues quibusdam traduntur partibus ad sensum tristantium,vt iecori,pulmoni,& lieni.Pars igitur quæ neruo caret, sensu priuata est, sed interna pars iecoris neruis caret:non ergo sentit,neque facultas animalis adest,nisi in ipso neruo,quamuis tota pars eius consensu sentire dicatur.Caro itaque omnino non sentit,nec iecur,sed neruus carnis & iecoris: cuius rei fidem facit, quod pulsatilis facultas arteriis traditur,& non aliis partibus per arterias, & venis facultas sanguifica,non aliis per venas.Sic igitur & animalis facultas per neruos traducetur,

Animalis spiritus quid.

Caro nõ est sensus particeps.

sed non

sed non aliis quàm neruis. Præterea natura neruorum receptioni animalis facultatis apta est, quoniam similis est substantiæ cerebri. Sed hanc similitudinem non habet caro: ergo caro non sentit, nec facultatem recipit animalem. Præterea si caro sola tangatur, aut qua parte non tangatur neruus, non sentit: non ergo sentit, quamuis ad ipsam neruus pertingat, sed solus ipse neruus. Præterea si iecur interius tangatur, insensilis reperietur, quamuis ad iecur nerui perueniant: sentiendi itaque facultas in neruis solis est, præterquam in visu: quia neruus opticus valde latus spiritum defert ad crystallinum humorem, vbi sensio fit: cùm tamen in aliis omnibus sensibus externis in neruis fiant sensiones. Fiunt hæ in organis ad idem à natura destinatis, diuersis pro diuersorum obiectorum cognoscendorum natura, vni aut alteri elemento respondentibus. De organis sensuum exteriorum diuersi philosophi diuersas habuere sententias, de partibus ipsis corporis, quæ sensibus destinantur dissentientes, tum etiam de earundem partium temperamẽto, & natura, de organis in ea quam scribemus de singulis sensibus traditione, disseremus: modò verò de organorum naturis agamus. Aristo. lib. 3. de ani. cap. 1. ex aere & aqua non aliis, sensus constare docuit, ignem nulli verè deberi, aut terram. Verba eius hæc sunt: Nam ex huiusce duobus simplicibus tantùm instrumenta sunt sensus, ex aere atque aqua, pupilla ex aqua, auditus ex aere, odoratus ex horum altero constat: ignis autem nullius est instrumenti, aut cõmunis omnium est. quippe cùm sine caliditate nihil sit sensitiuum: terra autem, aut nullius est instrumenti, aut in tactu maxime commixta. Quocirca nullum sensus instrumentum restat esse præter aerem & aquam. Quantum attinet ad organum visus (vt postea dicemus) aqueum ipse sæpè testatur contra Platonem: auditum aereum esse, omnes fatentur: olfactũ verò medium aeris & aquæ, pariter concedunt Plato, & Gal. terreum quoque esse tactum: gustum autem, non terreum sed aqueum ferunt Empedocles, Plato. & Gal. Sed tamen Aristo contrariam sibi sententiam scripsisse videtur, lib. de sensu & sensili, cap. 2. vbi visum respondere aquæ dixit, auditum aeri, olfactum igni, tactum & gustũ terræ. Verùm vt Alexander Aphrodiseus in huius loci com. inquit, His verbis non videtur Arist. suam decernere sententiam, sed vt quibusdam morem gerat, qui cuique sentiendi instrumento suum adscribant elementum. Quod rursus in eodem commen. repetit. & videre est Aristo. eo loco ad initium cap. aliorum opinionem referre velle, qui singulis sensuum organis singula tribuebant elementa. Quapropter Aristo. hac in re à nullo sapienti viro damnabitur, aut inconstantiæ accusabitur. Longè aliter Plato in Timæo, & Gal. lib. de placitis eiusdem atque Hippo. senserunt: vt enim affirmant, oculus de natura ignis est, auditus organum de natura aeris: gustus aquæ: tactus terræ. Horum naturas his versiculis Empedocles exposuit: Conspicimus terram tellure, liquore, liquorem, aere naturam aeream, ignem cernimus igne, quatuor sensibus adaptans quatuor elementa: olfactus autem mediam habet naturam aeris, & aquæ, vt Gal. vult. Plato verò in Timæo dixit: Dum enim aqua in aerem, & aer rursus in aquam mutatur, medii extiterunt odores vniuersi. Ratio est, quoniam odores euaporatione fiunt: vapor autem, aut aqua, aut aer est, aerem enim interim dices crassiusculum, & rursus cùm ipsum videris concrescentem, aquam. Est autem vnumquodque organum de natura sensibilium, teste Aristo. lib. de sensu & sensili. Hæc etiam cum Aristot. agnosceret, & sensus omnes lib. 3. de anima cap. 1. dixisset esse aeris, aut aquæ, alterius eorum dixit esse olfactum: auditum præterea aereum esse, cùm de eodem agemus probabimus ex Gal. & Arist. mente. Fallitur præterea quàm maximè, qui putauerit vnicam tãtùm esse animalem facultatem, quæ sensibus omnibus à cerebro effunditur: ab organorum verò differentia sumere diuersitatem, aut diuersam cognoscendi vim, in oculis videndi, in auribus audiendi, & pari modo in reliquis. Nam Arist. ex actibus distinguit potentias: est autem specie diuersus visus ab auditione, & olfactus, à tactu. Præterea quarum facultatum obiecta primo respondentia, & adæquata (vt aiunt) diuersa genere sunt, ipsæ erunt genere diuersæ: sapor tamen à sono genere differt: ergo &

Organa sensuum an respondeãt elementis.

An sit vnica tantum anima. seu quoad sensus omnes defecatur.

gustus,& auditus:aut dicas quare non statues vnicam tantùm naturalem facultatem,nutritiuam,& augmentatoriam,quæ ab vna vegetatiua anima manant, & præterea in eodem organo sunt,& sua munera exercent. Hunc funditus euertit errorem præter prædictas rationes,Galen.autoritas,qui lib.& de Vsu partium.inquit:Quum igitur in capite quatuor sint instrumenta sensoria,oculi,aures,nares, lingua,omniáque hæc ex cerebro sensus principium habent, eáque saltem ratione inter se similia appareant:inest attamen eis secundum speciem dissimilitudo, non modò in ipsis sentiendi facultatibus,verùm etiam in corporibus,per quæ facultates ipsæ deferuntur:quandoquidem facultatum alia odorum,alia saporum, alia sonorum,alia colorum,est diiudicatrix.Hæc perspicua est adeò sententia, vt nulla alia sit opus ad rei comprobationem.Neque obstat si obieceris Hippoc. sententiam quæ dixit:Quicũque dolentes aliqua corporis parte plurimum dolorem non sentiunt,his mens ægrotat.Præterea qui attentus est vni dolori,alterum non sentit alteram partem vexantem.Nam si dixeris facultatem sentientem non esse vnicam,ad omnes sensus,idem est facultatem alteram distrahi,ac si homo alter distraheretur:nihil autem refert Platonem à dolore quem ego patior, distractum esse,vt ego dolorem minus sentiam. At verò hæc sic facilè solues. Plato nõ habet mecum animã vnam, neque mihi & illi ad sentiendum vnicus ministrat spiritus, qui,vt diximus,est potissimum animæ instrumentum: anima itaque nostra vna cùm sit,quæ sentit,diuersas habet facultates,quibus etiã in diuersis organis operatur;improbè tamen agit,aut omnino non agit,nisi attenderit ad opus:distracta verò minus attendit,aut non attendit, spiritum quoque copiosiorem mittens in partem alteram,aut in cerebro per vehementes imaginationes seruans, paucum in neruos & neruorum ad alteram partem procedentium origines transfundet. Ac perinde fiet,quod Aristot.dixit,vehemẽtibus imaginationibus impeditos delata sub oculos non videre,& quæ Hippo.testatur,vera erunt,delirantes magnos dolores non sentire,& maiorem dolorem in altera parte alterius minorem obscurare. Quantò autem vnumquodque organorum magis crassum est, magis necessarium est animali,& minus ab animali separari potest, perfectiores magis separantur,ac non omnibus concessi sunt,neque pariter à causis alterantibus immutantur:sed quantò quiuis eorum crassior est,tantò vehementius patitur, & dolores maiores ipsum inuadunt:singula horum sic docebimus. Quemadmodum in animæ facultatibus dictum est,perfectiores ab imperfectioribus nunquàm separari,imperfectiores verò à perfectioribus quandoque seiungi, ita fit in sensibus. Tactus nanque in quibusdam animalibus inuenitur, ab aliis omnibus seiunctus, vt in animalibus terræ affixis,quæ sentiunt alterationes, quæ tactui dolorem inferre possunt,& nullo alio sensu vtuntur. Quibusdam sensus gustus additus est, is inquam qui saporum species distinguit: nam qui sola conuenientis cognitione fertur,is quidam tactus est,neque à tactu separari potest. Quibusdam etiam natura dedit olfactum sine visu & auditu,& quibusdam auditum absque visu, vt talpis.Qui igitur pluribus denegatur,is perfectior est: quibus verò omnes insunt, quidam necessitatis gratia dati sunt,vt tactus,& gustus: olfactus verò, quoniam conducit ad cognitionem eorum, quæ prodesse aut obesse possunt animalũ vitæ:visus & auditus,perfectioribus animalibus ad disciplinam cõferunt, & rerum peritiam habendam,in aliis tamen ad prosecutionẽ & fugam. Ex his qui tenuiore substantia constant,quique perfectiores sunt,minores aliis patiũtur cruciatus: quoniam minus vehementes fiunt alterationes in ipsis,quàm in aliis crassæ naturæ,qui eas admittunt,ac tolerant absque omnimoda corruptione.Tenues autem sensuum substantiæ discutiuntur,& dissipantur statim: quoniam excellens sensibile corrumpit sensum. talia verò sunt quæ dolorem inferunt in quouis sensu. Voluit autem Plato omnibus sensibus dolores euenire posse, quòd ipsi possint subitò & affatim alterari: pathema verò subitò & affatim ingruens dolorem efficit,quemadmodum sensibilia omnia excellentia, vbi subitò sensibus offerantur. Minores verò dolores fieri in visu,quàm in aliis sensibus,substãtiæ crassioris, notum est:

Sensus quo crassiores sunt, minus à nobis separant.

Sensus qui patiuntur dolores minores & quare.

Sensibus omnibus dolores accidũt.

tum est:nam albedo & nigredo alterum visum disgregans, alterum congregans, quamuis dolores inferant,hi valde magni non sunt,sed quales quiuis colores hos inspiciens experietur:albedo nanque disgregat,dissoluit sensum, ac disgregando quandam affert continui solutionem,quod est corrumpi organi naturam: nimia vero congregatio qualis à nigredine fit,displicentiam infert,ac dolorem, quòd nigredo,aut tenebra, luci oculi aduersa sit.In auditu paulò maiores fiunt dolores, ab excellentibus sensibilibus,leuiores tamen ab ingratis sonitibus, quàm à vehementibus.Olfactus rursus maiores fert dolores,quam visus & auditus: quoniam & organum eius crassius quàm illorũ est. gustus quoque adhuc maiores: quemadmodum & aqua vapore,aere,& igne est crassior:omnium maximos patitur tactus vt constat.Quidam enim adeò vehementes dolores passi sunt,disrupta continuitate organi,vt mortem sibi consciuerint,eam præ doloris magnitudine eligentes.Hæc in vniuersum de sensibus omnibus externis breui dicta sint:nunc vero ad singulos eorum accedamus,atque ipsorum functiones persequamur,à visu initium facientes:is enim sensuum omnium externorum nobilissimus est, fungitúrque munere suo, in oculis & sublimi corporis parte:quoniam ibidem decet speculatores sedem habere.Galen.lib.8.de Vsu partium.hac de causa caput fuisse factum abunde probat, caput inquam elatum supra humeros & ceruicem. Ad oculos,per neruos visorios (omnium neruorum latissimos) facultas defertur,à communi sensorio, hoc est cerebro, atque eiusdem anteriore parte, simul cum multo visorio spiritu in oculi pupillam. Quod facilè cognosces, si altero oculo leuiter compresso,reliquum inspexeris:reddetur enim eius pupilla latior, non alia ratione,quàm quòd communis sit in medio itinere amborum neruorum via,cuius si alter processus impediatur,alio totum spiritum procedere necessum est:huius rei causa medici suffusos dignoscere docent,an curationem admittant,si nanque altero oculo clauso,alter impleatur,curabilis morbus est.non enim est impeditus transitus animalis spiritus in oculum, vt in dispositione quam nerui optici obstructionem nominant, velut oculistæ, guttam serenam. Quando enim hæc adest,non impletur,nec dilatatur alter oculus: dilatari verò adeò citò ac rursus constringi non fieret,nisi ob tenuis,& spiritalis substantiæ accessum.Dilatatur autem membrana rhagoides:constitutus nanque est oculus ex membranis, humoribus & spiritibus.Membranæ verò septem sunt, externa atque omnium prima adnata,quæ ad eam partem finitur,qua oculi album apparet, nigro copulatum, quæ pars κατάφυσις πῶμα à Galeno dicta est 10. de Vsu partium. locus verò quo finitur alba hæc membrana ἴρις,& σκλήρη, id est iris,& corona dicitur. Hanc sequitur cornea ab anteriori parte,omnes interiores cõtinens,ac firmans,& prohibens humorum oculi effusionem.Hæc à multis tenuibus membranis concinnatur:huic annexa est,à posteriori parte dura dicta,& à dura cerebri membrana orta,nonnullas explantationes musculorum mouentium oculos recipiens: quarta sequitur rhagoides dicta,siue acinalis,ad acini vuæ similitudinem, parte anteriore perforata,foramen pupilla dicitur:à parte posteriore quinta est annexa, dicta chorion,siue secunda,nata à tenui cerebri membrana, annectitur quoque ipsi arachnoides dicta,& septima sequitur à parte postrema: hæc est retina. Humores oculi tres,crystallinus albus,modicè crassus,in anteriori parte sphæricus,in posteriore acuminatus,insertus vt lapis in annulo,humori vitreo,à quo etiam alimentum capit.Anterius verò in oculi pupilla est humor aqueus tenuis,albugineus dictus,quòd albo oui similis sit,in cauitate rhagoidis contentus,simul cum animali spiritu impediens ne membrana cornea concidat. Quoniam verò Aristot.oculo sauciato multum humorem manare vidit, oculum de natura aquæ esse testatur quinto de Generatione animaliũ, cap.1.& lib.de Sensu & sensili,idque organum respondere aquæ inter elementa,igni verò olfactum. Quòd si quis in cõtrarium adduxerit experimentum splendentium oculorum in tenebris,dicit:læuia in tenebris splendere,non tantùm ea quæ luce participant,maximè si moueantur, sed alia,vt squamæ piscium.At contra ipsum vehemẽtius instat,quòd squamæ piscium,

De visu.

Oculus an sit de natura aquæ.

sine

sine aliquo lumine externo collecto ac repercusso, non videntur, oculi tamen clausi fulgurant, maximè vbi premantur, & quorundam animalium oculi noctu lucent, vt catorum, & leonum, maximè ad natum versi: igneum igitur visus organum statuemus, cum Empedocle in adducta sententia, & cum Platone in Timæo: cuius naturam talem esse dixit, qualis est solis splendor, non qualis ignis flamma, aut ignis pruna. Hæc enim non tantùm splendent, sed vrunt: lumẽ vero splendet, & non vrit. Porrò tale decet esse organum videndi, quale exigitur ad visionem: id verò perspicuũ simul & splendidum esse debet. ac de ignis natura: quapropter nunquam riget, non vt Aristot. putauit, ob adnatam membranam. Splendida tamen tria sunt in oculo, nempe humor crystallinus, spiritus animalis, & humor vitreus. Crystallinum lucidum esse asserit Galen lib. Artis medic. vbi oculum glaucum reddi testatur, propter magnitudinem aut splendorem crystallini humoris, & libro 10. de Vsu partium. inquit: Non solius crystalloidis splendor, sed cum eo ipsius quoque vitrei, ex oculi natura discutiendum erat. De spiritu quoque visorio lib 7. de Placitis Hippoc. & Platonis. (sic enim legi debet, quod libro 1. Prog. in annot. comment. 19. diximus) ipsum lucidum esse testatur, dicens: Quid absurdi in se habet illud si solarem fulgorẽ sensificum statuas: cùm talem maximè oculorum spiritũ, qui à cerebro deriuatur esse liquidò pateat. Fulgidus quippe etiam ipse est. Cùm igitur hæ omnes partes oculi lucidæ sint, rectè dicemus oculum esse lucidum, & de natura ignis, id est lucis, vt Plato voluit: & inde visionem luminis huius effusione fieri, dicens in Timæo: Cùm igitur diurnum lumen ad aciei effluxum accesserit, tunc simile cum simili coniungitur, atque inde vnum quoddam proprium, cognatúmque corpus conflatur, ad rectum oculorum intuitum: quia nimirum ille interni, externique luminis concursus extiterit: totũ id igitur, cum ob similitudinem iisdem affectionibus obnoxium euaserit, siquid attingit, aut à quopiam tangitur, illius motiones in totum corpus ad animam vsque diffundit, sensúmque præbet, quo videmus. Hac ratione oculi acies ab albedine disgregatur, ita vt milites Xenophontis per loca niuosa iter agentes fuerint obcæcati: & lumen externum internum educit, & educendo dissipat, vt docet solis splendor: Et Dionysius tyrãnus à carceribus obscuris educebat homines in loca lucidissima calce crustata, vt lumine eos priuaret: lumine itaque interno oculi, externi aeris superficiem tangente, lumen internum externo copulatur, ac inde ad rem visam procedit, firmque aer ambiens veluti cognatũ quoddam videndi instrumentum, cum fuerit illuminatum radio visorio, à lumine oculi innato procedente. Quale enim instrumentum tangendi neruus est, talis aer illuminatus redditur: & quemadmodum illuminantur nerui substantiæ à cerebro cui copulantur, interim dum nihil obest, nec quippiam eos obstruit, ita nullo interposito opaco, visorius radius lumine externo vnitur, & fit aptum videndi instrumentum, quo mediante, rei magnitudo, figura & situs percipiuntur. Quòd si medium tenebrosum fuerit, extinguitur lumen internum exiens. Quod tamen visorij radij ab oculis ad res videndas procedant, ita vt magnitudo, situs & figura non aliter percipiantur visu, Galen. rationibus firmauit. Quarum hæc est prima, magnitudines valde latè ab oculo percipiuntur. Si ergo visio, vt putauit Aristot. fieret intus susceptæ rei similitudine, magni montis effigies per angustissimum pupillæ foramen ingredi deberet, quod omni rationi aduersatur. Præterea contingit vnam & eãdem magnitudinem, ab innumeris penè videri: fieret igitur, vt innumeras similitudines à se mitteret, quod esset impossibile. Id verò mihi videtur omnino refutare Aristo. opinionem: si namque similitudo magnitudinis, situs, & figuræ ad oculum peruenirent, per medium effunderentur: cũ sonitu igitur peruenirent similitudo magnitudinis sonantis corporis, & figuræ ipsius, atque auditus hæc cognosceret, quod falsum est. Fortè dices, auditum non comprehendere magnitudinem, aut figuram, quamuis earum similitudines ad ipsum perueniant: sequetur autem tactum debere cognoscere magnitudinem, & figuram rei longè sitę: nam cum similitudine caloris & frigoris rerum distantium, se obiicerent similitudines magnitudinis

Visio ex Platone in Timæo.

Galen. rationes.

tudinis & figuræ,& tactus,hæc dignoscere valet,valebit ergo magnitudinem cognoscere distantem:non igitur effundunt à se simulachra, magnitudo, situs aut figura, sed si quis sensus hæc percipere debet, ad ea perueniat opus est. Tactum quidem peruenire nemo negat: de visu nostra ratio abunde persuadet, ipsum ad rem visam peruenire lumine per medium perspicuum effuso, vt magnitudinem, situm & figuram deprehendat. Rursus vt Galenus inquit,in speculo res visa conspicitur, atque eiusdem figura: at figuram reflexione ab speculo in oculum venire est impossibile. Quoniam in reflexione non seruaretur ea partium concinnitas, quæ est in humana facie, quemadmodum & si lumen effundatur ac reflectatur per medium,nunquàm figura luminosi seruatur in pariete,aut quouis alio opaco obiecto. Reliquum ergo erit,vt visorius radius ab speculo in rem visam reflectatur,& ad magnitudinem ipsam & figuram rei visæ perueniat. Aristot. verò secundo lib.de Anima.& lib.de Sensu & sensili,visionem intus susceptione fieri dixit,ad cuius opinionis confirmationem multa adduci possent, quorum quædam breuitatis causa referemus, reliquis omissis. Visionem, vt sensationes omnes,passione fieri Aristoteles testatur 2.de Anima.lib.& Galenus lib.3. de Locis pat. neruos sensorios molles factos dicit:duros vero motui seruientes, quòd motio actio sit,sensatio verò passio. Rursus contra Platonem & Galenum: Si visio emissione fieret,visionis instrumentum in aere versaretur: quo fieret, vt flante vento quouis,visio interrumperetur,distractis visoriis radiis, quod minimè euenit. Rursus si visio emissione fieret,res à longè sitæ non apparerent minores:nam radij visorij totam ipsam magnitudinẽ rei visæ possent attingere, quod non euenit,vbi visio ex opinione Aristot.fiat,intus susceptione.Nam angulus pyramidis oculum ingredientis,eo minor est,quo res visa longius iacet.Rursus quod ab oculo erit,substantia non erit: quoniam hæc substantia esset corporea, ac dimensiones se penetrarent,& corpus id aerem diuideret, ac sensim non subitò procederet,quæ omnia falsa sunt. Quòd si accidens sit,cœlum à nostris oculis patietur, id accidens recipiens, & oculus noster lumẽ produceret ad cœlum vsque,quod non videtur fieri posse. Rursus aut radij visorij postquàm rem ipsam attigerunt, redeunt ad oculum,aut non.Si non redeunt,non tradent animæ rei visæ rationem: si redeunt, tantùm corpora tersa videri poterunt, quæ sola reflectent visorios radios,& magnus mons qui tersus non est,non videretur longè situs. Aristot. verò lib.de Sensu & sensili.addit,quæ rens rationem, Quare lumen exiens ab oculo ex opinione Platonis,in tenebris extingui debet. Et eodem libro, comment.26. Auerrois inquit:intantum.Gale.implicatus est errori,vt crederet aeri datam esse facultatem videndi. Et lib.3.Collectionum. cap. 38. Galeno aduersatur dicens: Quod mittitur oculis à cerebro est calor naturalis,sed is non emittitur ab oculo: ergo quod peruenit à cerebro non exit ab oculo. Rursus inquit, dato quòd aliquid exiret ab oculo,id non attingeret cœlum, quod fit in visione astrorũ. Præterea nullum est in oculis splendidum corpus:ergo ab eo non mittetur lux. Non defuerunt ex Barbaris,qui voluerunt Platonem Aristo.concordare,quorum munus est autorum sententias omnino contrarias in vnam cõiungere. Quamuis ipsi sponte sibi inuicem aduersari decreuerint.Huiuscemodi verò internuntij omnia confundunt,& autorum mentes funditus euertunt,& eorũdem placita produnt. Hi itaque Platonem voluisse ferunt, visorios radios ab oculis procedere ac rursus à re visa reflecti in oculos:& visionem in oculis primùm emissione,deinde intus susceptione fieri:in quo etiam cum Arist. conueniunt, nempe fieri visionem intus susceptione:sed tamen horum ignorantiam referre pudet.Non enim posset sanæ mentis homo putare, visionem montis distantissimi fieri, reflexione facta ab ipso monte.Nec visionem nostram ab astris adeò distantibus reflecti, neque à rebus multis minimè tersis.Præter id quòd Galen. in aere visionẽ fieri concedit, ad Plat.opinionem, quam nos explicuimus.Quinimo nec Arist. sibi ipsi cõstare, suúmve placitũ perpetuò seruare videtur.Nam lib.3.Meteorologicorũ,multis in locis visum ab oculis procedere testatur,vt cap.3.dixit,Nubes à qua solem versus

Visionem susceptione fieri suadet.

Aristot.non constat sibi.

frangitur aſpectus.& cap.4.inquit. Quidam perpetuò ſuum ſimulachrum ante ſe ſtantem videbat,quod idcirco euenisse refert, quia viſio ad aerem reflectebatur, ob imbecillitatem. Et cap.eodem dicit, habentes oculos humidos videre iridem circa candelam flante auſtro, quoniã eorum aſpectus præ imbecillitate celeriter refrangitur.& rurſus cap.6.de virgulis & parallelis inquit: Nihil enim refert,per talia videre,aut à talibus refringi aſpectum dicamus:vtroque enim modo colore ſimili apparet. Quamobrẽ ſi nihil refert hoc aut aliud aſſerere, & ipſe varius eſt, immerito Platonẽ taxat libro de ſenſu & ſenſili. Quibus omnibus accedit quod lib.31.proble.16.problemate quærit: Quare luſci) contractis palpebris vident.Ne forte(inquit)radius ab oculo exiens in propatulo diſtrahatur.Hanc Platonis opinionem Gal.ſequitur lib.7.de placitis Hippo. & Pla. & lib.10. de vſu partium.& lib.1.prog.comm.19. vbi nos etiam quædam ad hunc locum attinentia recenſuimus. Ad quam opinionem comprobandam accedit, idem experimentum cuius meminit Ariſto.lib.3.meteorologicorum citato loco:ille enim qui ſuã imaginem ante ſe videbat ob imbecillitatem viſus,nulla ratione ſeipſum videret,ſi viſio fieret ſuſceptione, & non emiſsione. Nam ſi intus ſuſceptione fieret viſio ſuæ imaginis, imago in aere reflecti deberet, & imago ipſa ab oculis inualidis minime videretur,ſed potius à validis, & videndi facultatem habentibus ſynceriorem: is verò qui ſe videbat, imbecillam habebat videndi facultatem, ergo non reflectebatur imago ab aere in oculos,aut reflexa non videbatur. Quod ſi viſio emiſsione fiat, vt vult Plato, iure dicemus, viſiones reflecti, ac minime aerem peruadere, eásque ad faciem videntis peruenire,& faciei magnitudinẽ, & figuram, & ſitum, oſtendere. Præterea vbi quis in aere nebuloſo degat,ſibi proximam nebulã non videt, diſtantem autem videt. Quod ſi viſio fieret, vt voluit Ariſto.qua ratione fieret,vt videret oculus rem diſtantem,non propinquam,vbi propinqua non fuerit oculis valde coniuncta,ſed ad modicam diſtantiam.Plato quidem atque Gal. facile ſoluent problema. Nam viſiones quæ ab oculo procedunt, quamuis facilè peruadant nebulam proximam, diſtantem non penetrabunt. Quoniam ad magnam diſtantiam inualidæ ſunt: ea verò parte qua viſiones nebulam non penetrant,talis eis redditur nebula,quale opacum corpus, quod viſum terminat:opacum autem viſibile eſt,quatenus coloratum,aut vero,aut apparenti colore: Color autem in nebula dicta apparens,ex mixtione opacitatis, & luminis conſtituitur,atque dominante opacitate ad nigredinem vergit,quemadmodum, vincente lumine,ad albedinem talis apparet.Chriſtophorus Marcellus vir in Academicorum & Peripateticorum dogmatis valde verſatus, huic rationi ſatisfacere putat: in perſpicuis enim(vt vult)color non adeſt,ſed in opacis,quoniam opaca tantum viſum terminant.nam ea tantum colorata ſunt.Quanto igitur aliquid magis alio perſpicuum eſt, tanto minus opacum eſt, & minus viſibile: lumen autem reddit res magis perſpicuas,ac minus terminatas:rurſus nebula prope adiacẽs, quoniam multo lumine ſplendere videtur, magis perſpicua redditur, ac minus videri poteſt. Quæ verò longius abeſt,ea minus illuminata apparet, atque magis obſcura, & opaca.Cùm ergo magis opaca magis viſum immutent,nebula diſtantior videbitur, propinqua non viſa: id verò dubium non ſoluit:nam opaca,quæ viſibilia ſunt,aduenicute lumine melius videntur, quàm ipſo abſente,aut remiſſo. Quod ſi nebula viſilis eſt ob opacitatem,proxima & magis ad noſtram imaginationem illuminata,melius videbitur. Idque non tantùm in vere coloratis certum eſt, ſed in iis quæ talia apparent.Nam nebulæ,aut nubes,quæ antequàm à ſole illuminentur videri non poterant, ſolis lumine accedente videntur. Rurſus nonnullæ nubes albiſsimæ à nimia luminis abundantia redduntur, nec tamen ab ea luminis copia fiunt inuiſiles. Præterea ſit ex hypotheſi videns in vmbroſo loco, nebula verò eundem locum occupet,& locum magis diſtantem, ſole illuminatum, & ea proportione,aut maiori lumine participet nebula diſtans,qua diſtãtior eſt. Tunc conſtat nebulam diſtantiorem non ea ratione videri, qua minus illuminata apparet,& ob id magis opaca: ſed vt diximus,quoniam viſus ipſam non peruadit.

Ratio ſolida.

Problema.

Chriſtophorus Marcel.

Quare

Quare autem quis in ſpeculo ſe ipſum conſpiciat non deueniente imagine rei ad ſpeculum,& deinde reflexione ad oculum. Facilius eſt inuẽtu, viſionem per emiſſionem fieri admittentibus. Nam non aliter fieri poſſet (vt diximus) vt figura & partium cõmoditas percipiatur, quàm viſione ad rem viſam perducta. Rurſus ad idem confirmandum accedit, quòd ſi viſio intus ſuſceptione fieret, res viſa duo appareret: quonjam pyramides duæ duos oculos ingrediuntur,& duæ fient viſiones. Quod tamẽ reſpondent perſpectiuam profitentes, non ſoluit problema: dicunt enim, Pyramides duas in vnam coniungi,& viſionem vnicam fieri, at falluntur maximè: nam viſio non fit in neruorum coniunctione. Sed in humore cryſtallino, vt Galen. ſæpe teſtatur, etſi in neruorum coniunctione fieret, oculus non eſſet viſionis inſtrumentum, ſed via. Præterea ſequeretur cuiuſuis ſonitus ingredientis per ambas aures, duas fore auditiones: quoniam non copulantur in vnam aurem. verùm Plato id problema facilè ſoluet. Nam ab ambobus oculis radij perueniunt ad rem vnam, vbi cõiunguntur, ac rem vnam eſſe oſtendunt, vbi oculorum acies ad vnicam ſuperficiem, ab oculis procedat, non altera inferior,& altera ſuperior, vt inquit Galen. 10. lib. de Vſu partium. Aliud problema quæri poſſet. Quare fit, vt ſi aliquod viſile ad definitam diſtantiam videri non poteſt: quoniam viſorij radij ad rem ipſam non pertingunt, vbi augeatur rei magnitudo, videatur, cùm tamen viſoria facultas maior non ſit reddita, nec mediũ magis quàm ante illum: dicemus, viſionem per medium aerem effundi,& cùm ad magnam diſtantiam peruenit, valde effundi, maximè verò ad maximam. Quapropter opus eſt, vt ad magnam diſtantiam ſita res ſit magnæ molis, aut valde illuminata, vt quamuis magna facta ſit effuſio viſionum, magna ipſarum copia rei magnitudinem pertingat: nam non omnis ad viſionem copia radiorum ſufficeret: quòd ſi in mutata rei magnitudine lumen accreſcat, pariter res videri poterit, quæ antè non videbatur. Lumen autem id in medio neceſſarium eſt, vt medium ſit illuminatũ Nam vt Plato vult, viſorij radij lucidi in tenebris extinguntur, atque vt procedant ad rem vſque viſam opus eſt lumine intermedio, cum quo vnum efficiat,& ad rem viſam coniuncti perueniant. Quod niſi medium illuminatum eſſet, ſaltem reflexione, res ipſa non videretur. Ariſtotel. verò opinionem ſequentibus potius videtur dicendum, lumen exigi propter colores: quoniam res ipſa nunquàm à ſe mitteret ſimilitudinem, aut coloris, aut alterius ſenſibilis, niſi luce illuſtraretur, ac fieret color actu viſibilis. Ex his omnibus colligimus viſionum magnitudinis figuræ & ſitus fieri emiſsione luminis,& viſionum ad rem vſque viſam, quo in loco viſio fiet. Neque id putat eſſe à ratione alienum Galen. 7. de Placitis. Hippocr. & Plato. atque aerem vti & ſolarem fulgorem eſſe videntem, vt neruum tangentem. Eſt enim aer lucidus tale viſionis organum, quale neruus tactionis. Diximus quoque ſuprà, communia ſenſilia à ſe non mittere ſimilitudinem per aerem, ſed ad ipſorum cognitionem ſenſus eſſe rebus applicandos, colorum autem cognitionem Galen. teſtatur fieri colore ipſo per ſimilitudinem (aere intermedio) ad oculum perducto. Nam lib. 1. de Meth. med. inquit: Eſt enim inſtrumẽtum oculus, actio verò, viſio vna ex particulis eius ſimilaribus,& primũ viſionis inſtrumẽtũ. Cryſtallinus humor, ſicuti in his, vbi de iis egimus demõſtratũ eſt. Id enim eſt quod alterari debet ab aliquo extrinſecus occurrentium colorum, vt animal videat. Alterari verò non potuit, niſi omnino purum perſpicuúmque eſſet. & lib. 1. de Cauſis ſympt. ſolum humorem cryſtallinũ, vt præcipuum videndi organum à caloribus permutari dicit. At lib. 7. de Placitis Hippoc.& Plato inquit: Iam verò viſus inſtrumentum, quia colorum erat cognitionem habiturum, lucidum effectum eſt. Natura enim comparatum eſt, vt ſola huiuſcemodi corpora à coloribus alterentur, vt manifeſto eſt indicio etiam ambiens aer, qui cum maximè purus nitidúſque eſt, tunc colorum alteratione præcipue afficitur. Nam videre eſt, ſi in huiuſcemodi aere, ſub arbore aliqua recubuerit quiſpiam, arboris colore eum totum perfundi: quinetiam ſæpenumero accidit, vt aer clarus vbi parietis alicuius colorem attigerit, eum ſubitò recipiat, atque in alium transferat. Quod præ-

Problema.

Problema.

Problema.

Lumen exigitur propter mediũ ex Plat.

Aſſertio de modo videndi.

cipuè fit,si color vel cæruleus sit,vel flauus,aliquóque alio modo floridus extiterit,& profectò sicut à solari splendore solo ipso attactu totus aer repentè similatur,eodem pacto à colore statim immutationem accipit.Atque hæc rectissime ab Aristot.dicta sunt, tum de subitaeorum quæ ita alterantur mutatione, vt fere in tempore facta esse non videatur,cámque ad visus vsque instrumentum traducat. Nihil tamen quo modo posituram,quo magnitudinem,quo distantiam vniuscuiusque rei percipiamus ab eodem dictum esse constat, hæc Galen. Vbi manifestè suam ostendit mentem atque Platonis.Rationes tamen quæ pro Aristot.adductæ sunt,facilè soluentur.Ad primam nanque dicemus, sensationem omnem passione fieri,& sensus organum à sensibilibus pati:visus autem organum in visione magnitudinis,figuræ,& situs,aer ipse est,radiis visoriis illustratus,in cuius vltima superficie tangente rem visam,magnitudo & figura suas similitudines ostendunt, quemadmodum rei ipsius situs.In cognitione verò colorum humor crystallinus, vt dictum est,à coloribus alteratur.hanc autem alterationem sensus percipit. Ad aliud dicemus radios visorios,atque lucidorum omnium,non tantum rectos,sed obliquos ad res visas,aut illuminatas peruenire, & inseruire visioni, & rectos radios perpetuò procedere ab oculis,quemadmodum à sole,radij illuminantes. par enim ratio est,& obliquos visioni inseruire posse,attamen hoc problema non minus Aristo.quam Platonem posset angere.Quod autem afferūt de rerum à longe sitarum visione,has minores apparere dicemus, non quòd angulus sit minor: id enim est,montem ea ratione maiorem musca apparere, quia angulus similitudinis montis maior est angulo similitudinis muscæ,cum oculum ingrediuntur. Videtur enim mons immensa magnitudine maior musca: angulus verò subintrans oculum,nullo ferè excessu maior, aut eo inquam, vt nec percipi, nec dici possit. Apparet autem mõs minor vbi longissimè distet: quoniam magna pars suæ molis sensum visus effugit,vbi enim aliter fiat,vt euenit lucerna noctu à longè visa: quoniam non tantum nihil eius visum subterfugit,sed & aer circunstans valde lucidus effectus est:maior apparet quàm sit,non vt res aliæ,minor. Præterea ad alia duo dicemus ex communi opinione, visorios radios accidentia esse, quæ simul cum externo lumine,ad cælum vsque perueniunt, quod nullatenus rerum naturæ obest.Cum Galeno tamen dicemus esse spiritualem substantiam lumen ipsum oculi externum,solis,& ignis,atque inde solues rationem suprà solutam. Quamuis enim ventus aut aer interpositus oculo & rei visæ agitetur,visorij radij stabiles manebunt.An tamen à re visa visorij radij rursus reflectantur,dicemus id non esse ad visionem necessarium.Nam facultas ipsa visoria cum radiis visoriis peruenit ad rem visam,vbi magnitudinem,situm,& figuram rei concipit,atque aerem ipsum videntem licere dicere, Galen. concedit: quoniam solis fulgorem esse videntem non putat absurdum, quemadmodum & neruum dicimus tangentem. vtrunque enim animæ organum est.Quod autem Auerrois sophista id errorem appellet,non mirandum:ipse enim tantùm ea probat, quæ assequitur. non enim nouit oculum lucidum esse,atque lumē à se mittere, non naturalem calorem, aut corpoream substantiam,idque posse,auxilio luminis exterioris,ad cælum extendi.Quod verò Aristot.dubitat,quare in tenebris lumen oculi extinguitur, non est quod dubitet. remissum enim cùm sit quorundam animalium lumen, neque oculos exire valet,sine externi luminis adiumento.Verùm illud non paruam ingerit dubitationem.Quare quidam homines res modicè distãtes non vident, vbi longius dissitas vident.Si nanque visio emissione radiorum fit,propè sitæ res melius videri poterunt,in propinquo enim actiones naturalium agentium perficiuntur magis.Persimile est problema,ei de quo Galen,lib.1.de Causis sympt.differit. Vbi spiritum animalem diuersum in oculis statuit:is enim,vt inquit,aut est multus & ad amussim purus & syncerus:aut paucus & syncerus,aut multus,& nebulosus ac humidus,aut paucus & nebulosus ac turbidus.Si multus ac syncerus fuerit, visus res quæ porrò distant videre, & eas exactè discernere poterit, is res à longè sitas videt;verùm non obstat quin propinquas videat, si spiritus paucus & purus est,dist

Rationes pro Aristo. soluuntur.

Lumen ex Gal. spiritalis substantia.

Problema, quare quidam distantiora melius vident.

est, distantia non videt, sed propinqua probè discernit: si spiritus paucus est, & crassus, neque propinqua probe discernit, neque distantia videt: si tamen spiritus fuerit multus, & crassus, distantia videbit, quæ nō exactè discerner: hoc verò non negat propinqua quoque videre posse. Nostrum autem dubium est, de iis qui distantiora vident, atque discernunt exactius, quàm quæ ad modicam distantiam separantur. De quorum numero sunt senes multi, videntes probè literas atque legentes ad bicubitalem distantiam, quas legere nequeunt, si ad cubitalem admoueantur: quòd tamen spatium hominibus est moderatius. Quidam dixerunt eam esse problematis causam, quare habentes crassos spiritus oculorum, vident res distantiores exactius: Quoniam crassi cum sint, à multo lumine in longiori spatio attenuantur, & tenues redditi, visioni rerum ipsarum inseruiunt. Parum verò distantes non vident: quoniam crassi non sunt ad visionem apti. hi verò falluntur. Nam spiritus non exeunt ab oculis: non ergo attenuantur in spatio longiore. Quod si in oculis manentes extenuarentur, vt putant, & spiritus oculorum extenuati non sunt inepti ad discernendas res proximè sitas, qui semel inspexit rem aliquam distantem habens crassos spiritus, statim rem proximam videre poterit: id verò non fit, vt constat. Hanc opinionem fuisse quorundam recitat Auerrois lib. 3 collectionum. cap. 38. eámque existimat esse eorum qui tenent visionem fieri emissione radiorum visualium: ipse tamen duas adhibet rationes. prima est, quoniam oculi qui vident res longiùs distantes, sunt debiles, & egēt multo lumine immutante, vt videant: id verò in longiore spatio adest. Secunda ratio est, quoniam debilis visus fortem immutationem factam à visibili propinquo nō tolerat: attamen hic sophista quæstionem non soluit. Nam quod primò dicit falsum est, multum lumen, quod est in longo spatio, proficere ad visionem eis qui visum habēt debilem. Nam vbi visibile prope oculum esset, & magnum aliquod lumen ei applicaretur, ita vt esset æquale multo illi lumini, in longo spatio effusi, ibidem perciperetur: cùm tamen non percipiatur, reliquum est, non esse eam causam, quare dissita videntur, non propinqua. Quod rursus addit visum debilem magnam immutationem non pati, hoc est non tolerare, id est contra experimentum. Quantò enim sensitiua quæuis potentia est hebetior, & ad sentiendum minus habilis, tantò eget immutante vehementiore. Præter id quod ipse sibi contradicit. Nam in prima ratione dixit, maiori egere lumine visum imbecillum, & in secunda ratione dixit, visum imbecillum non ferre magnam immutationem. Quæ duo admodum aduersa sunt. Nā si visus debilis multo lumine eget, id erit vt melius à re visa immutetur: id autem est ab ipsa vehementius immutari. Atque id perpetuum est, valde illuminata vehementius visum mouere, nisi alia ratione impediantur. Nos tamen hanc quæstionem aliam secum inferere difficiliorem nouimus. ea verò est: Quænam sit causa, quare oculi optimè valentes, atque syncerissimam nacti videndi facultatem, res iuxta se positas non vident: secus verò obiectas vident. Id enim constat, oculos optimè constitutos, res ad duorum, aut trium digitorum distantiam, non videre, quas ad bipedalem probe vident, neque tamen id fit: quoniam sensibile, (vt quidam ferunt) supra sensum non sentitur, tum quia id visibile oculis non supraponitur: tum etiam, quia falsum est id dogma. Putat enim Arist. sensibile supra sensum non sentiri. Nos verò tūc maximos dolores fieri videmus, quum quippiam neruos tangendo vulnerat, & in suffusionibus, & dispositionibus eis similibus, vapores intra oculos videntur, & muscæ ante oculos volitantes reputantur. Rectius autem dixissent cum Themistio in paraphrasi. 2. lib. de ani. cap. 25. Res oculis admodum propinquas non videri, aut ægrè, sicut & sonitus valde auribus insitos. Quoniam hæc & odores aerem mutare debent, vt sensum mutent, & debitam quandam aeris intercapedinem exigunt, ad sensiones dictas. Nos verò Platonis dogmata sequuti, similem esse visionem rerum, impulsione sagittæ à balista existimamus. At non adeò vehementer percutit rem obiectam prope, vt rem ipsam longius semotam: cùm tamen rem longissimè dissitam, aut omnino non attingat, aut lentè: Quod nullo discrimine

Auerrois sophista impugnatur.

Proximè sita quare improbè uidentur.

in visione fieri videmus. Oculus enim adhuc temperatissimus, res admodum conIunctas non discernit, & si eas videat: sicuti neque longissimè secluſas. Eas verò quæ quadantenus sepositæ sunt, videt probè atque discernit: quoniam & impetu quodam animalis facultas per organa transmittitur. Et quæ impetu pelluntur, vehementius aguntur, cùm aliquatenus ab impellente secedunt, & quæ debilius mouentur, maiori impetu egent, vt quæ vehementius minori. Nam graue quod minus graue est, maiori spatio descendens, maiorem impetum nancisci tur, ac inde vehementius mouetur: id verò quod grauius est, in minori spatio magnum assequitur impetum. Cùm igitur visoria facultas impetu per aerem pellatur, proximè admodum sita non tangit impetu: quare neque ea discernit probè, secus autem posita, sed non longe, impetu quodam in spatio adquisito (qui magnus est in paruo spacio, quoniam facultas valida proponitur) probè & videre & discernere valet. Facultas verò languida maiore quodam spatio eget, vt pellatur, & impetum asciscat: pellitur autem ab spirituum copia: cùm ergo imbecillior sit, maiore egebit impetu, quàm valida: is verò impetus in spatio maiore accedet: quo adueniente discernere poterit ea quæ proprius, minore impetu discernere non poterat. Facultatem autem animalem impetu pelli, docet Galen. lib. 7. de Placitis Hippoc. & Plat. dicens: Quid aliud? nisi ideo factum esse, (scilicet neruos aliquos cauitatem habere) quoniam imbecilla cùm sit, virtutum ac facultatum traductio ad continua præcipuè cum vel maiora paulò fuerint, vel duriora, vel vehementiore aliqua alteratione indigeant, si subtilioris substantiæ quadantenus cum violentia & ictu immissio fieret, augeri alteratio ita posse videatur. Dictum est enim eam quæ à plerisque virtutis facultatisque effusio nuncupatur, alterationis esse traductionẽ, id quod in aere à solari splendore fieri non dubitamus. Eodem igitur modo verisimile est, spiritum qui ad oculos fertur, primo incursu cum ambiente aere vniri, atque ipsum contactu ad naturæ suæ proprietatẽ alterare, ac immutare. Et rursus ad finem libri inquit: Vbi enim illustratus aer fuerit à sole, tale continuò visus instrumentum efficitur, qualis est is qui à cerebro proficiscitur spiritus. Prius verò quàm lucem acceperit, ex alteratione videlicet, quæ ex emissione ictúque spirituum causatur, consentiens cognatúmque instrumentum non euadit. Ecce vbi in duobus his locis ictum & impulsionem fieri dicit in medij illustratione, & irradiatione. Fortis igitur visus minori, & imbecillus maiori impetu egebit. Idem quoque docet, in sensu tactus experimentum. Nam nerui tactorij iuxta cerebrum, aut spinalem medullam, non adeò synceram sortiuntur tangendi vim, vt hi qui longius absunt. Qui enim in manu sunt exactius singula tangibilia discernunt, cùm manibus inferuntur, quàm iuxta ceruicis vertebras. Obiectorum igitur discretio exactior est in parte ab origine semota, quamuis & facultas tactoria naturalis potentia sit. Est autem aer per quem visoria emittitur facultas, tale visioni instrumentum, quale tactioni neruus. Quòd si synceriorem tactum manus ad attemperamentum referas, cõstat visoriam facultatem, & radios visorios ab oculo exeuntes aeris splendore & perspicuitate attemperari simili modo. Fit autem vnicum videndi organum ex oculo & aere, cuius potissima pars, & in qua colorum alterationes suscipiuntur, humor crystallinus est, vt diximus ex libro 1. de Metho. meden & primo de Causis symp. Quod pariter Aristot. lib. de Sensu & sensili voluit, qui visum dixit, esse aqueum cum Democrito, & statim aqueũ esse conspectum affirmat. Quòd si videndi organũ aqueum est, humores oculi erunt videndi organum, non vt dixerunt quidam, neruus. Auerrois nãque visionem in retina fieri dixit, lib. 2. Collectionum, aut humore crystallino. Et Auicennas lib. 3. parte 3. humorem vitreum visum lædere dicit, non sua ratione, sed quatenus noxam affert crystallino, siue glaciali. id enim putat esse visionis instrumentum. At sibi cõtrarius est lib. 6. Naturalium. quo in loco visionem fieri dicit in neruorum opticorum coniunctione, ne res visa vnica, duæ appareat. Si nanque in oculo visio fieret, duæ fierent visiones, ac duæ res vnaquæque appareret, quæ vbi in neruorum coniunctione videatur, vnica tantùm reputabitur, duabus pyramidibus, è duobus

Visus organum.

Auicennas sibi ipsi aduersatur.

duobus oculis delatis in locum vnum, qui est neruorum coniunctio. Quòd si ea ratione verum esset quod asserit, deceret quoque duas res vnicâ reputari. Quoniam duarum rerum visarum pyramides in vnam coibunt in visionis loco: præter id quod organum visus perspicuum esse decet: neruus autem opticus non est perspicuus. Rursus sonus à duabus auribus perceptus, duorum præberet phantasiam, hoc autem problema Galen. facilè soluit. Procedunt enim pyramides duæ à duobus oculis, quæ in vnam coincidunt in suprema visibilis superficie. Intelligere nanque oportet, pyramidem hanc spatiosam, qualis à sole procedere nonnunquàm visitur, ad speciem corporaliũ pyramidum, in cuius medio linea quædam visualis axis locũ tenet. Hic autem de rei visæ vnitate certificat, atque is est quem mutat oculus cum ad diuersas visibilis partes discernendas sese applicat. Ex duobus verò oculis duæ procedunt pyramides, duæ quoque axes, quas in vnica existere superficie decet, vt res vnica appareat: hinc enim pendet tota phantasia vnitatis rei visæ. Nam & eadem ratione qua per medium aerem pyramides visuales procedentes axium eandem seruant superficiem, sic vt vnica deducta superficie plana, ipsa vtranque comprehendat axem, ita cùm ad rem visam perductæ fuerint, in vnam pyramidis basim coniungentur, quæ omni ex parte vnica erit: axis enim cum axe coincidet, in eodem puncto, & extrema extremis. Quod ergo in præsentiarum admonemus, valde animaduersione dignum putamus, Gale. hanc adhibuisse rationem quare res vnica apparet: quoniam axes pyramidum in vnica plana superficie ad rem visam procedunt. Ea verò nõ est potissima vnitatis phantasiæ causa: sed quoniam cum sic procedunt axes, bases pyramidum in extrema rei visæ superficie desinentes, vnica fiunt. Axis enim axi coibit, & circumferentia circumferentiæ: vnde tota apparentiæ vnitas pendet. Atque eam rem tantummodo vnicam putamus, quæ sic ab oculis duobus conspicitur, vt duæ oculorum pyramides in vnicam omnino ad rei visæ superficiem coeant. Id quoque ad duo visibilia perductis pyramidibus fieri omnino est impossibile, quod ex loco & situ rei visæ pendet. Nam cùm res omnis visibilis, quanta sit, & duæ quantitates non possint in vnam reduci, aut vnicum tantum locum occupare, futurum est, vt diuersa visibilia diuersa loca occupent, & diuersæ pyramides ab oculis ad res ipsas percipiendas deduci debeant, quæ neque eandem axium superficiem seruent, neque in eandem basim coincidant. Quod verò ab oculis pyramides procedentes eandem axis superficiem seruent, ex oculorum situ pendet. Siquidem vbi oculi non seruauerint naturalem situm, aut à prima generatione, aut nobis ipsis distorquentibus, aut morbi ratione, ita vt alterius pupilla sublimior reddatur, neque vnica axium pyramidum superficies seruabitur, neque in vnam basim pyramides coincident, neque res vnius phantasiam præbebit, quod non fit in latus, ac versus alterum angulum distractis oculis: res enim vna apparet eis. Etenim & axis pyramidum visualium, in vnicam coincidunt superficiem, & in vnam tandem basim. Nec tamen his quæ dixit Galen. ac nos breui collegimus, contradicunt, quæ eodem lib. 10. de Vsu partium. paulò inferius habentur: vbi reddens rationes, quare nerui optici coniunguntur, ante quàm caluariam exeant, & cõplementi, & abundantiæ gratia, nempe vt spiritus animalis sic ad duos deferretur oculos, vt altero clauso aut non operante, reliquus vniuersum visorium spiritum susciperet, quod ita fieri docet experimentum. Altera tamen causa est, atque potissima necessitatis, & vsus hæc est, vt visile quoduis vnum appareat: verùm non decet existimare Gale. voluisse, ibidem visionem fieri, vt quidam putant: sed hanc neruorum vnionem præcedere, vt vnica sit visoria facultas ab ipso ortu, quæ disiuncta in duobus oculis, rursus in re visa ad vnionem redeat, vnde quoque sequitur oculorum par situs, & pupillarum respondentia, & inde pyramidum & basium. Est autem veluti mediata causa, facultatum oculorum vnitas, & neruorum coniunctio: hanc tamen sequitur oculorum debitus positus, hunc axium pyramidum respondentia in vnica superficie; hanc postremò basium vnitas in re visa, quam immediatè sequitur phantasia rei vnius, cum ad pristinam vnitatem rediens visoria facultas.

Auicennæ ratio inualida.

Problema.

Postquàm

Visus obiectum quod est.

Postquàm autem visoriam facultatem atque videndi munus explicuimus, rursus exordio repetito, obiectum quod visu deprehenditur exponamus. Visibile siquidem quemadmodum & audibile, atque tangibile vnam rationem cõmunem habere debet: hæc autem color nõ est. Neque enim omne visu perceptibile compræhendit: lux nanque visu depræhenditur, quæ color non est, vt in sole, astris, & flamma: neque etiam lux erit: nam & lumen quod in aere existit crassiore, videri potest, & colores in corporibus densis, & opacis externo lumine accedente videmus. Conspiciuntur itaque lux (sic enim appellamus, eam quæ existit in lucido ipso corpore) & lumen, & color, quibus hæc ratio communis inest: nempe visum terminare: ad hæc enim visus definitur, & terminatur ab oculis procedens. Qua dicendi forma, Peripatetici natura duce vtuntur: quoniam verè visus ad rem visam perductus, finitur & terminatur.

Lumen spiritalis substantia.

Lumen equidem spiritalis quædam substantia est, quæ sese per medium aerem, aut aquam, aut in summa dixerim, per corpora perspicua effundit. Ratio siquidem communis medij videndi est perspicuitas, quæ multis mixtis, & tribus elemẽtis, & orbibus cælestibus est communis. Lumen verò, corporalem substantiam, aut accidens statuere, à ratione est valde alienum. Nam si lumen corpus esset, non effunderetur subitò, quemadmodum sole oriente fieri videmus: subitò enim lumen ab oriente in vniuersam eius orizontis plagam producitur. Præter id, quòd si lumen corpus esset, aerem diuideret: nam duo dimensa corpora in eodem loco existere non possunt. Præterea si corpus esset, aut esset simplex, aut mixtum. Non simplex, cùm nõ sit cælum, aut astra, aut aliquod elementorum. Non mixtum, quoniam omne tale ex elementis cõponitur. Quod verò ad Arist. sectam. dicunt esse accidens, constat esse falsum. Nam cum Aristot. concedat visionem susceptione imaginum fieri, cum inspicimus lucernam in speculo, mota lucerna, id accidens moueri diceremus. Quia manifestè depræhenditur mota similitudo flammæ lucernæ: hæc verò lumen est. At verò accidens moueri immoto subiecto nequit, migraret enim in aliud. Rursus cum solem inspicicimus flante vento sine mora semper nouus succedit aer, altero sublato, cum quo auferri lumen esset necessarium, si lumen accidens esset, quod non fit. impediretur enim interim solis aspectus, distractis radiis rectis, quibus fit. Quare substantiam quandam spiritalem ipsum asseramus oportet, quemadmodum & de lumine ab oculis procedente suprà diximus.

Coloris veri generatio elementorũ substantiis debetur, à quibus causis colores generentur.

Colores præterea visum terminãtes, quidam sunt verè tales corporum mixtorum passiones, quæ ex primarum qualitatum actione generantur, ac diuersa mixtura substantiarum elementorum, ad quam reduci colorum diuersitates necessum est. Nam si ad solas ipsas primas qualitates agentes eos reduxeris, nunquam satis intelliges, quare in quibusdam valde calidis præstat color albus, & in quibusdam frigidis. Calx enim alba admodum est, & alium: quorum vtrunque multo abundat calore: gelu autem, & crystallus frigida sunt, atque alba, quemadmodum nix. sunt quoque quædam nigra frigida, & quędam calida: melancholia siquidem frigida est, ac nigra: sicuti & vngues eorũ qui incipiẽtem quartanam, aut quotidianam patiuntur: piper verò nigrum est, & valde calidum. Neque valet quorundam solutio, dicentium calorẽ cum siccitate efficere albedinem, & calorem cum humiditate nigredinem, frigus cum siccitate efficere nigredinem, cum humiditate albedinem, id enim sæpe fallit. Nam piper calore simul & siccitate abundat, & nigrum est, & gelu humidum esse, ac niuem quis negabit? Nisi fortè sophista aliquis pertinax, qui audet dicere, siccitatem frigori iunctam niuem generasse, ac gelu: sed is negabit pariter humorem in gelu, qui se ostendit dum à calore liquescit, idem & in niue, quod neminem sanæ mentis decet. Cùm enim liquantur à calore solis, vnde humorem aduenisse dices? aut quo pacto siccitas quam refers non superatur, ab aquæ humiditate quam validissimam esse nouimus, ita vt aquam summè humidam Galen. asserueric? substantijs tamen elementorum diuersimode mixtis, diuersi colores generãtur, quidam extremi, quidam medij, lucis facta quadam mixtione: quæ omnia sine primarũ qualitatum actione fieri nequeunt, inde quoque & medij multi insurgunt, ad albedinem, &

nem, & nigredinem accedentes. Ex eorundem quoque extremorum colorum mixtione medij colores fiunt, quos ego non verè medios voco, sed apparentia medios. Nã ex mixtione rubri coloris, & albi, vt ceruſæ, & minij, medius quidam exurgit color: is tamen verus color non eſt, ſed tantùm ſe oculis talem obucit, quod aduerſus multorum philoſophantium opinionem monſtratur. Nam color albus in ceruſa ſubiiciebatur ante mixtionem, & rubeus in minio, aut terra ſinopidis. Mixtione verò facta qualitas ſubiectum non dimiſit, neque in alium migrauit, in albo ergo ſubiecto, facta mixtione adhuc manet albedo, & in rubro, rubor, neque pars aliqua eſt quæ vtrũque contraxerit colorem, aut ab ambobus diuerſum, interim dum mixtio ſola partium comminutione, & ſubactione conſtat, non accedente primarum qualitatum actione, quam nos ad verorum colorum generationem neceſſariam eſſe dicimus. Eſt hoc genus colorũ ex colorum mixtione, quo pictores ob colorum verorum inopiam vtũtur. Tales ſunt humanæ faciei colores, ex albo & rubro emergentes, cuti alba ac ſanguine rubro. Eſt & aliud genus apparentium colorum, quod ex mixtione luminis cum opacitate conſtat, tales colores ſunt, qui in areis & iridibus apparent, diuerſi ex diuerſa mixtione, & diſsimili occurſu luminis ſolis, & lunç, nubem quampiam ſubintrantibus: lumen enim ſuo ſplendore nubem ſplendentẽ reddit, ac inde ad albedinem inclinantem, ita vt valde illuminatæ nubes albiſsimæ quoque oculis appareant, quemadmodum & pauco lumine ſplendentes, nigræ, quod tenebra nigredinem, vt lux albedinem referat. Talibus vtique coloribus oculi affecti ſunt, conſtituti ex diuerſa luminis & opacitatis mixtione, quorum meminit Ariſto. lib. quinto de generatione animalium cap. 1. hi ſunt cæſius, ſiue glaucus, niger, flauus, caprinus, quos ex Platonis, & Empedoclis opinione, qui igneum oculum dixerunt, conſtat generari ex luminis, & opacitatis mixtione, quemadmodum & Gal. vult. lib. artis medicinalis cap. 26. & 27. vbi colores extremos oculorum, ſcilicet glaucum, & nigrum, à contrariis cauſis euenire docet, vt abundãte lumine, quod fit cùm abundat cryſtallinus humor, aut aqueus minor eſt, ad quem attinet opacitas. Aut cum oculus prominet, ita vt multum externum lumen ſuſcipiat, color fit glaucus, ob cauſas contrarias niger. Omnes verò lucis & opacitatis diuerſam menſuram ſequuntur, quamuis Ariſtot. qui falsò negauit, oculum eſſe lucidum, ad copiam & inopiam humorum oculorum, colores retulerit. Sed tamen oculorum colores veros non eſſe, ſed tales apparere, nouit Ariſt. qui eos comparat maris coloribus, quos non eſſe veros colores conſtat. Et Galen. loco citato, prominẽtiam oculi refert oculum reddere glaucum: cùm tamen nullus verus color ſitu mutetur. Præterea luminis & opacitatis diuerſa mixtio nullum verũ parit, aut mutat colorem, mutat autem colores oculorum, vt diximus. Præterea ſenſum omnem decet eſſe denudatum ab eo quod ſentit. 2. lib. de anima, apud Ariſto. ſi ergo oculus eſſet coloratus, colores non poſſet percipere, neque ipſorum pati alterationes. Vel ob id maximè quòd veri colores perſpicuum terminant, atque rerum imagines, aut lumen tranſire non permittunt. Si ergo oculus coloratus eſſet, neque lumen ab ipſo procedere, neque externũ admittere poſſet, minimè verò colorum affectiones. Quòd verò lumine participant, nõ tollit quin lumine affecta corpora videre poſſint oculi: nam quod parum calidum eſt, à calidiori patitur, & pauco lumine participans oculus, multo afficietur. Colores quoque apparentes ea ratione ab oculis coloratis percipiuntur, quoniam colores tales non omnino tollunt perſpicuitatem, qua præſente per corneam membranam, & aqueum humorem perduci poterit affectio à coloribus dictis procedens, ad cryſtalloidem vſque, in quo viſio colorum fit: ad viſionem quoque magnitudinis ſitus & figuræ, lumen internum cum viſoria facultate, oculum perſpicuũ (quamuis apparenti colore coloratum) facile peruadet. Quoniam verò lumen exiens ab oculo neceſſum eſt diſtrahi à lumine ambientis luminis copia, & ſpiritus animalis plurimum agunt ad cõſpiciendas res, quæ longè ſitæ ſunt, quemadmodum & oculi ſitus. Nam prominẽtes oculi ad minus ſpacium videndo pertingunt, quàm profundiores. Eadem etiam ra-

Colores apparentes.

Oculorum colores.

Videre res à longè unde procedat.

tione ſupercilium & acies pilorum palpebrarum à natura data ſunt, vt lumen continerent, ne diſperderetur cum primum ab oculo exiret. Ad ſynceram autem viſionem eorum quæ in debita diſtantia ſita ſunt, ſola oculi perſpicuitas, atque puritas poſſunt. Atque ea ſynceriſsima videndi potẽtia appellabitur, quam Gale. lib. 1. de Cauſis ſymptomat. dixit, minutiſsimas quaſque res percipere poſſe, id eſt, ſingulas rerum viſibilium ſpecies. Non enim idem eſt longius videre, & perfectius rerum diſtinctionem capere, atque colorum & viſibilũ ſpecies dignoſcere: vnde pendet vulgata apud medicos & philoſophos quæſtio, an homo perfectiores exerceat actiones quouis animali, & temperatior, minus bono temperamento prædito: quam ſoluemus cùm agemus de olfactu. His quæ ad viſoriam facultatem attinent peractis, ad auditoriam accedamus, quam perfectione ſecundum locum habere diximus. Huius organum prope cerebrum ſitum eſt, quod Galen. internum meatum aurium, qua parte neruum ibidem diſperſum tãgit, eſſe docuit, lib. 1. de Cauſis ſympt. dicens: Eandem enim habet rationem in auribus interna auditorij meatus extremitas, vbi dilatatum neruum attingit, quam habet humor cryſtalloides in oculis. Partes verò omnes in meatus anfractu extrinſecus conſiſtentes, itidem proportione huic reſpondent, vt nuper dictæ oculorum partes humore cryſtalloidi. Ex his verbis conſtat, internum meatum ea parte eſſe organum audiendi præcipuum, quemadmodum videndi cryſtallinus humor, vt dictum eſt. Neruum quoque eam eſſe partem docet Galen. lib. 4. de Locis pa. cap. 3. vbi auditum lædi dicit læſo neruo proprio. Ea pars aerea ſecundum naturã eſt. idem organum, vt Galen. teſtatur lib. 7. de Placitis Hippoc. & Platonis. quod auditioni ſeruit, aereum eſt. Nam neruus is eam habet naturam, & libro 8. de Vſu partium. cap. 6. inquit: Immutatur autem, non à quouis ſenſibili omne ſenſorium, ſed ſplendidum quidem ac luminoſum à coloribus, aereum à ſonitu, vaporoſum ab odoribus. Ariſtot. quoque lib. 2. de Anima. cap. 8. inquit, ineſt autẽ auditui quidam inſitus aer: Verùm aer intra membranam contentus ab aere ſonante externo agitatur: hãc autem agitationem neruus ſentit, quemadmodum & eam quam à cauſis internis fieri ſentimus, laborantibus capite & auribus, aut ventriculo, vaporem ſurſum mittente. Igitur quanto aer igne & ſplendore craſsior eſt, tanto organum auditus, organo viſus, eóque vehementius patitur à ſuo obiecto. Hac ratione ſecundum locum inter ſenſus exteriores habet, quãuis alia ratione dignior viſu dici poſſet: quoniam per ipſum doctiores fiunt homines, quàm per viſum: cæci namque à natiuitate ſurdis ſunt ſapiẽtiores: omnis enim bona doctrina, viua voce hauritur, vt inquit Gale. Quòd ſi cui placeat aduerſari, propterea quòd plures differentias rerum cognoſcimus viſu, quàm auditu, id negamus. Nam Ariſto. auditum vocat ſenſum diſciplinæ. Sermo enim ſolius auditus eſt, ex quo omnium patitur diſciplina, quo mediante non tantùm quæ videri poſſunt, ſed multa alia intelligimus, quorum quædam & ſi videri poſsint, longè abſunt, & ab his qui nobis ea referunt hiſtoriam accipimus: quædam etiam addiſcimus, quæ omnino ſenſum effugiunt: ſed tamen quæ alij cogitatione & intellectu conſequuti ſunt, nobis viua voce tradunt, & nos audiendo addiſcimus, & ad maiora nonnunquam allicimus animum. Ariſtot. lib. de Senſu & ſenſili. viſum per ſe magis conducere dicit ad vitæ neceſſaria, & auditum per accidens. Auditus verò obiectum ſonus eſt, cuius generatio fit corporibus durioribus concuſsis inuicem: maximè vbi leues habuerint externas ſuperficies, atque fuerint caua. Nam in corporum durorum colliſione aer intermedius vehementius impellitur: in cauis tamen corporibus ſæpius vndique excutitur, ac latera corporis inuadit: ſi verò corpora fuerint mollia, vt lana, aut ſpongia, aut fuerint acuta, & quæ in contactu nullum ferè aerem intermedium concutiant, & comprimant: aut nullus ſonitus editur, aut is paruus erit, & qui ſenſum effugiat. Sonum efficiunt animata, & inanimata corpora, vbi percuſſa aerem vehementius illidant, atque concutiant: in quibus tria aderũt, duo ſonum facientia concuſsione, quæ ſunt percutientia corpora, & tertius eſt aer qui percutitur, quãuis nonnunquàm duo tantum ſufficiant, vbi aer vehementius verberetur:

Auditoria facultas organũ quale habet, quod etiam obiectum.

Auditus ui fudi gnior, qua ratione.

Auditus obiectum.

beretur:aer enim erit verberatus,& qui ſonum ſuſcipit.Aer autem quaſdam patitur impulſiones ad vndarum ſpeciẽ,quales fieri videmus in aqua quieta iniecto lapide.Quemadmodum verò illæ vndæ ſenſim procedunt,& maiores fiunt iuxta proiectum lapidem,deinde minores,ita concuſſio à rebus duris aere fit, vt vndæ quædam reſonantis aeris à loco colliſionis ſe fundant, vſque ad organum auditus,quod immutant,ſimili motione in interno organo facta, ei quæ in aere fit: hoc pacto ſonus ad auditum peruenit.Quòd quidem ſonus ſenſim fundatur, docet experimentum.Qui enim videt à longe eum qui dura corpora collidit,multo ante colliſionem oculis ſentit,quàm ad ſuas aures perducatur ſonus: viſio nanque in momento fit,auditio verò in tempore maiori,aut minori pro interualli ratione.Intelligimus autem,ſonum inundatione ſe effundere ad aliquod ſpacium aere commoto,non tamen ad quodcunque ſonus pertingere poteſt.Nam iuxta corpora ſonantia verè aer mouetur,non tamẽ neceſſum eſt,vt ad omnem diſtantiam inundatio fiat,id eſt vera aeris motio: ſed cùm elongatur ſonus à ſonãtibus corporibus,ſonus verus ad vndarũ ſpeciem effunditur,ſine motu locali aeris:verus ergo ſonus ad organum vſque pertingit, inundatione effuſus, quadantenus cum motu aeris,deinde ſine ipſo corpora rurſus animata vocem edunt,non ſonũ tantùm vt inanimata,neque verò omnia animalia vocalia ſunt, ſed quæ vocis inſtrumenta ſortiuntur:hęc ſunt pulmo,& aſpera pulmonis arteria.Inſpiratur nanque aer duplici vſu,alter eſt ad refrigerium caloris innati, cui vſui accedit generatio ſpiritus, vt ſuprà docuimus:alter eſt ad vocem edendam. Cùm enim is qui in pulmone attractus & cõtentus,violentius expellitur,vox formatur. Eſt autem vehementius impelli idem quod exufflando mitti, quod ad vocem neceſſarium eſſe Galen.lib.8.de Vſu partium teſtatur,vbi etiam exufflationem definiuit,& lib. de Organo odoratus.Lingua quoque ad duos vſus data eſt à natura,ad guſtandum, & ad loquelam.Nam quamuis aer impulſus per aſperam arteriã vehementius vocem efficiat,loquelam non efficiet, niſi linguæ motus accedat. Erit ergo vox,vt inquit Ariſtot.ictus aeris attracti inſpiratione,ad gurgulionem.Fit is certa quadam impulſus & ictus proportione,quæ expirantis imaginationi reſpondeat.Rectè quoque Themiſtius inquit,Vox eſt animantis ſonus, qui de inſtrumentis & meatibus & officina inſpirandi attollitur:ortum habens hinc,quòd ſpiritus redditus percutit aerem in arteria contentum,aut ipſam arteriam,idque ex propoſito,id eſt,cum imaginatione aliqua aut conſilio ſignificandi indicandíque aliquid,quod in tuſsi & ſternutamento non fit.quare hęc voces non appellantur: ictus verò fit ad gurgulionem,tanquàm ad tintinabulum. Quoniam verò piſces iis carent inſtrumentis,ſonum facere poſſunt,non vocẽ edere, licet nõnulli quiddam voci ſimile emittant:eam verò audiũt : quoniam ſonus per aerem,& aquam ſe fundit,etſi in aqua remiſſus & hebes,linguã quoque loquelæ ſeruire diximus, ſicuti & palatum,vt alterum eorum quæ collidi debent,in conficiendo ſono:meliori verò loquelæ proficient dentes,ac labia.Hæc igitur iam colligamus, Facultas auditoria à cerebro per neruum mittitur in internam auditorij meatus partẽ, quæ aereæ naturæ eſt:hic verò à ſono mouetur. Sonus autem à corporibus duris colliſis agitato aere procedit,ad inundationis ſpeciem,ſonus quoque à quibuſuis ſolidis corporibus generari poteſt:vox autem ab animalibus tantùm prodit, neque omnibus,ſed his quæ reſpirant:loquela aũt vox eſt articulata,rationi reſpondens.& voluntatis imperio.Nam & orationis materia vox eſt, vt inquit Ariſtot. lib.5.de Generatione anima.cap.7.Verùm iuxta ea quæ diximus quædam ſe offerunt differenda,quæ ad ſoni naturam,cauſas & ſubiectum attinent, in primis quidem ſonus accidens eſt,non prima qualitas : appellant enim Peripatetici primas qualitates actiuas tãtùm: verùm alias omnes à primis oriri non credimus vt ipſi. Itaque ſonus,prima qualitas non eſt,ſed alia à primis :eſſe autem ſecundam non inficiamur:quoniam non exiſtimamus omnes ſecundas qualitates à primis habere ortum.Corpora namque dura ſola colliſione ſonum efficiunt,nullo accedente primarum qualitatum concurſu.Cauſæ verò,vt diximus ſunt dura corpora, ma-

Sonus ſenſim effunditur.

Vox.

Epilogus.

Soni natura,cauſæ & ſubiectũ inquiruntur.

ximè læuia & caua,quæ colliduntur: sed tamen diuersos admodum efficiunt sonos,pro corporum differentia.Ligna namque minores:ferrum autem, & æs maiores:quoniam hæc elaborata læuiores assequuntur superficies, ac vehementius collidere possunt aerem.Crepitus verò,diuersus soni modus est,& qui non videatur habere eam generationis viam,quæ ab Aristot.scripta est,& à nobis tradita. Nam sal igni inspersus cum sonitu exilit, nec tamen solida se collidunt corpora. Rursus castaneæ salientes validè sonant,& instrumenta bellica ignem fundentia, atque cum franguntur ligna,in quibus nullam solidorum corporum collisionem reperias. Quæ omnia problemata ordine soluamus. Diximus enim aerem posse collisi corporis vices gerere,atque sonum recipere:modò verò non tantùm duorum,sed & trium locos implere posse fatemur. Nam aer aliquando vehementius agitatus partem alteram aeris quatiens sonum edit, & recipit, ita fit, vt sal cum igni inspergitur,saliendo sonet.Nam humor sali insitus extenuatur ab igne,& rarior redditus salem disrumpit,atque exiens celeriter aerem externum cõcutit, & sonum facit.Castaneæ quoque ad eum modum disrupto cortice sonant:nam flatus ex humore generatur à calore ignis,à quo disrumpitur:flatus verò vehementer aerem percutit,& sonus quem audimus generatur. Neque id fit, vt quidam putant:quoniam sal,aut castaneæ cortex cùm rumpũtur,collidunt aerem, neque quoniam partes colliduntur:hanc enim problematis solutionem manifestè confutant bellica dicta instrumenta.Nam ignis & flatus in angusto concluſus, repentè prosiliens,nullum solidum corpus collidit:sed solùm aerem ad quem maximum sonum edit.Non igitur opus est solidi corporis collisionem accedere ad sonum generandum:in lignorum tamen fractura,vbi arida fuerint,sonus fit,alia ratione: nam partes ipsius cum franguntur seipsas collidunt, & medium aerem intercluſum agitant. Quare in his quæ franguntur,aut crepitant,diuersi soni fiunt,pro ratione eorum quæ franguntur,aut crepitant,à quibus diuersimodè aer colliditur, aut ab angusto in amplum locum se conferens, externum concutit is qui exit. Quòd si sonus ex solidorum collisione generetur, sine intercluso aere ac verberato non fiet,quamuis & in aqua fieri non negamus,quæ medium effusionis soni est.Is sonus in aere aut aqua inerit,atque in solidis ipsis collisis corporibus: si tamen aer verberat aerem,vt in his quæ diximus, in aere tantùm id accidens recipietur.Quòd tamen in collisione durorum sonus ipsis inhæreat,notum est: nam si flante vento cimbala pulses, quamuis aer percussus longius profligetur, percussum cimbalum sonat,vel potius resonat:quod nõ fieret, nisi in ipso sonus fuisset impressus,vt in subiecto quieto ac permanenti.Nec tantùm post pulsationem sonum retinent sonantia corpora,sed in aerem ambientem effundunt diutius, vt in metallicis omnibus vasis,aut cimbalis: quæ si vehementius pulsentur ferreo, aut metallico tintinabulo,non tantùm sonum diu à se mittunt, sed si eum mittere impediantur disrumpuntur:quoniam aeris interna agitatio,qua sonus se in aerem effundit,impeditur.Cur autem adeò modicum impedimẽtum, vt manus aut molle quodpiam admotum disrumpi cogit cimbalum: Dicemus cimbalum violenter agitari,& aerem internum ipsius,& violentorum motuum ac valde vehementium impedimentum,quamuis paruum aut leue,magnum & graue redditur. Sonus enim cimbali,magnus,vehemens motus est in loco, licet non à loco in locum,sed intra locum,& leue aut paruum impedimentum, quod motum illum in loco impedire potest,tale est cimbalo quale eis quæ à loco dimouentur,quod potest ipsorum motum impedire: sed quæ possunt motus alios vehementes impedire,cogunt res ipsas motas frangi: ergo & quæ impediunt cimbali agitationem internam,& violentum illum & impetu factum motum,cimbalum frangi cogẽt. Ea verò quæ secus posita sonum effundi vlterius impediunt, ipsum in aere reflecti cogunt.Hæc soni reflexio Græcis ἠχὼ,Latinis Echo inuariata voce dicitur, is semper fit quoties sonus editur:non tamen semper auditur:quoniam reflexio imbecilla non auditur. Quemadmodum enim lumen semper reflectitur ab opacis corporibus,maximè si fuerint terſa,& leuia:non tamen semper vmbram efficit id

Crepitus.

Crepantia quomodo sonant.

Sonus quibus inhæret.

Sonãtia metallica impedita franguntur.

Echo.

lumen

Digitized by Google

lumen quod reflectitur:ita echo semper fit: at non semper est eius magnitudinis, vt percipi possit. Quare quemadmodum in aere medio antequam lumen ad opaca corpora pertingat, vbi funditus impeditur, aliquam reflectionem patitur: ita in ipso quoque aere sonus cum funditur, reflexionē patietur proculdubio: is autem sonus ob paruitatem non audietur. Qui verò auditur, maior est, & à corporibus solidis, & cauis vt domibus, & specubus repercussus. Nos quidem non consentimus cum his qui dicunt aerem ipsum inūdatione motum, & repercussum, rursus aerem alium dimouere ad generationem echo. Non enim putamus sonum sola aeris dimotione fundi, sed ad aliquod tātùm spatium, deinde verò sonus, qui effunditur longius, alterum repercussu sibi similem generare poterit, vt lumen generat alterum lumen reflectione. Neque enim credendum est vocem aliquam aerem posse dimouere impulsu ad longissimum id spatium, ad quod sæpe ipsum perduci videmus, nedum, vt rursus repercussa alterum aerem quatiat. Præter id quòd solidos parietes sonus peruadit, quos non credes aerem motum permeasse, maximè inundatione motum vt putant. Accidens autē ipsum est, quod per subiecta effunditur & extenditur, vt lumen ex opinione eorum, qui accidens esse dicunt: aut quemadmodum aeri coextenditur calor: hoc addito, quòd aer sonans aliqua ex parte mouetur. Quod autem diximus sonum per aerem & aquā effundi, verum esse docet Aristo. lib. 4 de histo. ani. cap. 8. vbi pisces audire experimentis comprobat. pisces namque triremium remigia fugere visuntur. Quod etiam delphinorum captura docet. Cùm enim piscatores repētè alueis vniuersum gregem delphinorum circundederint, inde obstrepentes in mare efficiunt, vt territi erumpant in litora, capiantúrque tentato ac grauato capite, præ strepitus nimietate. Piscatores quoque silentio pisces inuadunt, nec tenus strepitum mouent, & retia ex interuallis coniectātes iniiciunt: nos verò proculdubio agnoscimus sonum terram peruadere: nam iter agentes à longè audimus, aurem terræ affigentes, quòd si longissimæ trabis extrema parte leuiter percussa, alteri extremæ aurem admoueris, sonum percipies qui per lignum effunditur. Hæc igitur media sunt effusionis soni. De voce tamen quædam breui dicemus, non enim instituimus modò singulas quæstiones ad vnguem persequi, neque diuersimode sentientium placita referre, ac falsa dogmata refutare, nisi vbi nimiū animos hominum obsederint, sed vera tantùm asserere & demonstrare, quæ philosophum & medicum scire oportet. De vocibus tamē dissertatio de his est, quæ philosopho & medico valde conducunt. Nam quòd ex arbitrio procedat, docet animalis facultatis munus esse: quod verò aut mutum animal est, aut varia loquitur, ipsam animalem facultatem laborare indicat, aut eiusdem instrumenta: iam igitur cùm ex electione vox procedat, finem nosse decet: is verò est, vt quæ mente sunt concepta exprimamus, & aliis nota euadant. Quemadmodum enim cùm mente quis conceperit rem, cuius fugam, aut prosequutionem molitur, animalis facultas suis instrumentis vsa, mouet membra ad fugam, aut prosequutionem, ita mente concepta, motis instrumentis respirationis, & quandoque lingua vocē edimus, mentem nostram exponere cupientes. Concipit quidem intellectus in hominibus, & æstimatiua in brutis, imperat autem motum instrumētorum vocis voluntas, talémque fingit vocem, & homo loquelam, qualem ad conceptuum explanationem satisfacere putat. Id est quod Aristo. libro de interpretatione docuit, dicens, Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ. an tamen voces, animi conceptus natura indicent, an ex hominum instituto, dubiū est non leue. Nam vna & eadem vox apud diuersas gentes diuersarum linguarum diuersam admodum habet significationem, quam vox sola, diuersa hominum institutione variauit. Et apud eosdem homines eadem vox diuerso tempore diuersum mentis affectum ostendit. Aduersa quoque sententia probabilitate non caret. Nam ouis audito lupo, concipit ipsum: cùm tamen instituta non sit, & nobis ipsis voces quædam terribiles sunt, quas nūquam antè audiuimus, aut earum significationem ab aliis institutione accepimus. Quare rem in ambiguo positam

De voce.

Vox ex electione procedit.

Vox mentis conceptus exponit.

Voces an ex instituto significent.

explanare decet. Ex vocibus namque quædam sunt orationes integræ, quædam orationis proximæ partes, vt nomina & verba. Sunt etiam inarticulatę quædam voces, quibus nec literæ exprimuntur, vt risus, aut lamẽtatio. Voces quoque ipsæ articulatæ, quæ orationes sunt, aut orationis partes, quædam cum aliquo affectu emittuntur, quædam sine ipso. Quòd si voces orationes, aut orationis partes fuerint, nullo coniuncto affectu, nihil omnino significant, nisi ex instituto. Quoniam autem non est idem institutum apud omnes homines, neque apud eosdem in diuersis temporibus, pariter neque orationes, aut partes ipsarum idem significant: inde variæ sunt apud homines loquelæ, variæ linguæ, & idiomata diuersa, & prolationum modus. Vna quoque dictio apud diuersos homines diuersum significat animi conceptum: quemadmodum & eadem vox Græcis, & Latinis eundem conceptum significat. sic enim hominibus placuit. Ex placito vero horum pendent significationes: eum namque conceptum vox dicta, quæ oratio est, aut orationis pars significat, ad quem significandum cõuenerunt pacto, aut vsu, vt suas mentes exponerent, & per easdem voces acceptas, aliorum mentes cognoscerent: voces autem tales vbi affectus prolationi habuerint cõiunctos, apud multos idem significabunt sine pacto, vsu, aut instituto: quoniam affectus ipsi natura quidpiã ostendunt. Voces igitur dictæ sine instituto significabunt, non ea ratione qua tales voces sunt, sed qua affectum habent cõiunctum. Vt si quis orationem ridens habuerit, aut sic vocem, quæ orationis pars est, emiserit, lætitiam gestientem ostendet, aut irridentẽ. Et si quis eadem aut alia proferat cum luctu, aut vlulatu, apud eos qui vocum significationes funditus ignorent, angorem, dolorem, ac cõflictationem manifestabunt. Pari modo de vocibus, quæ neque orationes sunt, neque orationis partes dicemus, natura aliquid nobis indicare posse, vbi aliquem habuerint coniunctum affectum, de quibus sunt terribiles brutorum voces. Quorũ affectus quoniam non satis nouimus quemadmodum humanos, fit vt brutorum vocibus auditis, diuersi diuersa sentiamus. Quidam etiam sunt adeò vehementes affectus, vt neminem lateat eorum significatio. De numero harum vocum est boum mugitus, & equorum hinnitus, & infantium vagitus, & lupi vocem audiens ouis, & pullus milui, timent, atque terrentur. Nam vocis naturam, & affectum adiũctum, natura ducti cognoscunt, quòd voces hæ natura quidpiam ostendant, ac sine institione: quamuis possent voces quæ nec orationes sunt, neque orationis partes, aliquid ex instituto apud nos significare, vt notum est. Quinimo & apud animalia bruta, quæ nonnulli docent vocibus diuersis mentem suam ipsorum agnoscere, vt canes, aut catos, cum aut eos vocamus, aut foras exire, & recedere iubemus.

Animalia bruta vocibus conceptus suos exprimunt.

Et quod his omnibus maius est, suos conceptus vocibus nobis patefaciunt, & articulatis orationibus ex institutione, non satis eis perspecta, sed experimento probata, aut vsu & necessitate cogente doctis, vt papagallus, & pica, & ficedula, quos sæpe docuit verba nostra conari magister artis, ingeniique largitor venter. Missa quoque vox suo modo, suisque partibus cõcinnata per mediũ aerem ad auditum perducitur, indicans mentẽ mittẽtis, cum affectu quidem ex natura sua, capitque sensus eum affectũ, quem animæ induxit: sine affectu verò ex instituto significat, non sensui externo sed interno, & intellectui. Quemadmodum enim lucifer ex se solem non ostendit visui, sed intellectui ratiocinanti solis aduẽtum post aduentũ luciferi: ita vox dicta ex natura, se solam ostẽdit auditui: ex instituto tamẽ ei qui ratiocinatur, docet id ad quod instituta est. Illud autẽ est, conceptus animæ proferentis ipsam. Similitudo igitur vocis verè in anima imprimitur ab externa voce; mẽtis aũt cõceptus in voce omnino non adest, neq; eius similitudo. Sed intellectus, & æstimãdi facultas discursu & ratiocinio id assequũtur breui admodum ob consuetudinem.

Vox an deducat similitudinẽ conceptus.

Vocis differentiæ.

Vocis præterea differentiæ multæ sunt: nempe acutũ, & graue, magnum & paruum, læue & asperum, flexile & rigidum: vox grauis & acuta celeritati & vehementiæ eius quod mouetur respondent: magna vero & parua magnitudini. Nam sunt quædam voces magnæ & acutæ, & quædam graues & paruæ, magnam quoque & grauem fieri sæpe videmus. Cùm ergo musculorum mouentium thor

tium thoracẽ vires validę ſunt, aut paucus aer mouetur, aut multus: & paucus aut multus, duobus modis dicũtur, aut abſolutè, aut ad vires facta collatione, ſi vires validæ multũ aerem moueãt, quẽ non valent celeriter expellere, vox magna fiet, atque grauis. Si verò validæ vires multũ aerẽ moueant, qui ad vires collatus non eſt multus. ſed poteſt ab ipſis vehementius propelli, vox magna erit, ſed acuta, quãuis ex electione grauis fieri poſsit. Pauco aũt aere moto, quod euenit viribus valentibus, atque anguſtis exiſtẽtibus meatibus, vox fiet parua, ſed acuta, ob motus aeris celeritatẽ. Nam viribus validis exiſtẽtibus & aere pauco, celeriter expelletur, niſi ex electione tardè eam mouere velit qui vocẽ mittit. Quòd ſi inualidæ fuerint vires, ac multũ moueant aerẽ, ad vires collatũ, vox fiet magna, ſed grauis: ſi paucũ, aut is erit paucus ad vires collatus, & fiet vox acuta, quãuis ex electione poſſet fieri grauis. Si ſimpliciter fuerit paruus aer, vox parua ſemper erit: acuta verò vbi & poſsit & velit emittẽs eam celeriter mittere. Vtcunque aũt pauco exiſtente aere parua erit vox. Ex his fit vocem puerorum, & fœminarum acutã eſſe: quoniã pueri paucũ mouẽt aerem ob meatuũ anguſtiam: fœminæ quoniã earum vires paucũ mouent aerem, quem tamen vehemẽtius mouẽt: quare ipſum probè ſuperãt. Pari quoque ratione ſenes paucum aerẽ mouẽtes vocem edunt acutam, pueris ſimilem, quãuis ętatibus aduerſi. Pueri tamen aliquatenus quoque puellæ, cum ad pubertatẽ accedunt, aſperam & inęqualem mittũt vocem, quod τραγίζειν, hoc eſt hircire dicunt. Deinde in adoleſcentia & iuuentute grauiorem ipſam reddũt, multo aere per ampliores meatus tardius moto. Caſtrati quoque in fœminas mutantur: quoniã vires mouendi multum aerem amittunt, aut nũquàm eas aſſequuntur: paucum verò vehementius mouẽt, & celeritas motus vocem efficit acutam. Indigna tamen eſt Ariſtot. ſapientia, ratio ab ipſo tradita. Teſtes namque appenſos eſſe putauit eius vſus tantummodo gratia, vt tenderent meatus originis, & vires neruoſas cordis: quibus exectis omnia relaxantur, & contentionem amittunt, quemadmodum & textrices, quas leuas vocant, appendent telis, vt ſtamina intendant, quibus amotis laxantur. Probauimus ſiquidem teſtium vſum latè ſuprà cap. de membris. Quod diximus tamen de mutatione vocum per ętates, & ſexus in vitulis, & vaccis diuerſum eſt, eaſdem tamen habet quas diximus cauſas. Vituli namque vocem edunt grauiorem tauris, & vaccæ ſimiliter. Quoniam vituli maiorem aeris copiam mouent, quàm vt ab ipſis celeriter poſsit propelli, vaccæ quoque imbecillam habent mouendi aerem facultatem, & multum mouẽt ob meatuũ amplitudinem. Tauri tamen vires habent valentes & multum aerẽ mouent, ſed celeriter, quod ad vocis acumen neceſſarium & accommodatũ eſt. Iam verò tempus inſtat, vt ad facultatem odoratiuã accedamus, quam Græci ὄσφρησιν appellant, vna communi voce ſignificantes cognitionem odorum, & facultatem eos cognoſcẽtem, cuius cognitio eſt munus. Hæc quemadmodum & omnes aliæ animales facultates ſentientes functiones ſuas exercet in organo, debito accedente temperamento. Præcedit autem is dignitate & organi atque obiecti tenuitate guſtum, & tactum. Id itaque organum primo loco ſe offert inquirendum: deinde verò quod ſit huius facultatis obiectum. De organo olfactus Ariſtot. lib. 2 de Anima. cap. 9 inquit: Sic igitur & inſtrumẽtum olfactus in hiſce quidem, quæ non reſpirant, velamine caret, perinde atque oculus durus, vt diximus. In his autem quæ ſuſcipiunt aerem, habet velamen, quod cum reſpirant aperitur venis, meatibuſque diſtentis: Eadem ferè lib. de Senſu & ſenſili. cap. 5. quibus in locis velamen quoddam præpoſitum eſſe organo olfactus ſtatuit, in reſpirãtibus animalibus: quoniam ſenſum odoratus habent molliorem, in quibus tamen durior eſt, quæ non reſpirant, non fuit id velamen neceſſarium, quemadmodum & in oculis natura machinata eſt. Animalibus namque quibus oculi ſunt molliores & ad patiendum aptiores, palpebras addidit, tutelæ gratia, quas eis qui oculos habent duriores non tribuit. Itaque piſces odorant ſine reſpiratione, & quædam ex terrenis animalibus, quæ herbarum aut ſeminum ſuffitus fugat: illa namque quamuis aerem non trahant, ſuffitum perſentiunt: quæ verò reſpirãt, inſpiratione velamen

Vocis mutationes per ętates & ſexus.

Ariſtot. lapſus.

De olfactu.

Odoratus organũ ex Ariſt.

præpoſitum

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FAC. DE MEDICINA

Digitized by Google

præpositum dimouent,atque odores narium foraminibus sentiunt. Vt autẽ cum Galen.loquamur,hæc recte quidem Aristot.dicta sunt: attamen neque satis mentem suam aperuit,neque ex eius verbis nobis notum reliquit, quo in loco organum est odorandi, an in intimis narium meatibus,an in cerebro, an in subiecta prædicto velamini parte,quæ aut membrana sit,aut neruus, aut caro. Quæ Gale. noster philosophus maximus,& naturę rerum diligentissimus indagator,luce clariora reddit,libro de organo odoratus,& libro 8.de Vsu part. A quibus locis nos quædam breui colligemus,ad nostrum hoc institutum apprimè necessaria. In animalibus siquidem respirãtibus hæc erit via inquirendi organum olfactus: is enim aut erit in naribus aut extimis,aut intimis,aut in palato & gutture, aut in foraminibus ossis ἀθμοειδοῦς,& κριβριφορμοῦς, id est ad cribri, aut spongiæ speciem facti, aut in ipso cerebro. In naribus quidem nõ erit: nam si odorem quempiam naribus ipsis admoueas,aut odorato vnguento intimas ipsas nares illinias, odorem non senties, nisi inspiraueris: non ergo in ipsis existit organum. Præterea si quis in cubiculo suffitibus pleno includatur,nisi inspirauerit,atque impetu quodam aerẽ traxerit,odorem non sentiet,quãuis totas nares permeet suffitus: idem quoque eueniet,si quis fistula alteri per nares odores insufflauerit: eos namque intimas adhuc partes attingentes,nisi inspirauerit,non sentiet. In palato verò & gutture id organum non est: nam si compressis naribus quoduis odoratum ori,palato,& gutturi instilles,odoris sensum non excitabis: quemadmodum neque situ hæc eadem ad ossa perforata,& membranam foraminulentam admoueris, veluti vbi impulsa fuerint fistula per nares,vel per os tussi impellantur ad ea loca. Fiet igitur, vt organum interius lateat,quo sentimus odores, ídque non aliter excitetur ab ipsis, quàm aere vehementius attracto. Sunt nanque duo narium foramina septo quodam diuisa: eorum quodlibet supra media nasi loca in duas partes diuiditur, quarum altera tendit ad intimam oris partem,altera rectà ad cerebri anteriorem ventrem ascendit. Hæc duo foramina ad duas interiores cerebri partes deducuntur, quæ ad mamillarum speciem ab ipsa cerebri substantia exoriuntur: sunt autẽ oblongæ & concauæ,ad eandem caluariæ partem,quæ naribus copulatur. Eo tamẽ loco ossa coli similia quæ ἀθμοειδῆ diximus, consistunt. Foramina verò membrana quadam teguntur foraminulenta,ac cribrata,quæ eiusdem naturæ est cum ea quæ nares tegit,sed tenuior. Nam narium membrana crassior est atque terrena, communis etiam & continua est membranæ quæ obducitur palato,faucibus,linguæ,& vẽtriculo. Prædicta perforata membrana per coryzas,mucos & crassa excrementa descendere permittit, & per sternutamenta aere vehementer impulso excrementa capitis eisdem meatibus percolantur. Pariter & cerebrum contractũ aerem per ea foramina ducit,& effusum excernit, trahitur autem à temperamẽti ratione,& quoniam aer inspiratus materiam præstat spiritui animali. Tunc igitur odores sentimus,cùm inspiratus aer,contracto cerebro impetu ducitur per foraminulentam membranam,& ad cerebrum trahitur odore mixto: sentitur autem in organo odoratus. Id verò est cerebri pars illa,quæ singulis naribus vna respondet,à cerebro explanata,longa,& caua: ad quam odores perduci præter dicta attestatur,quòd capitis dolores calidos,in cerebri exustionibus,rosarũ odor sanet, quod non fieret,nisi ad cerebrum odoris infrigidans perduceretur. Docent quoque id medicamenta naribus attracta,quorum vi,lethargici morbi sanãtur à multa pituita repurgato cerebro. Testatur hoc idem Gal.lib.3.de Locis patientibus, cap.11.dicens: Vbi olfaciendi vis læditur,nõ eorum meatuum qui in naribus conspiciuntur,sed vel anteriorum cerebri ventriculorũ,cùm intemperantia quadam afficiuntur,noxa est,aut eorum meatuum,quæ ethmoides vocantur, si aliquando obturantur: siquidem odoratorum sensus in prioribus cerebri sinibus perfici, elatis ad ipsos per coli foramina vaporibus,quemadmodum in eo libro quem de olfactus sensorio conscripsimus,iam declaratum est. Idem etiam libro 7.de Plac. Hippoc.& Plato. At Auerrois veritatis expugnator impudens lib.2.Collectionũ. cap.17.contra Galen.probare nititur, organum olfactus esse in naribus. Nam si olfactus

Arist.non satis mẽtem suam explanauit.

Odoratus organũ ex Galeno.

Organum odoratus ex partiũ constructione disquiritur.

Auerrois de organo odoratus.

olfactus organum esset, in explantationibus illis, quæ de substantia cerebri procedunt(inquit)odores possemus percipere naribus obstructis, vbi per eos odores traheremus: quoniam via ab ore ad cerebrum adhuc patet. Rursus sequeretur (inquit)quòd animalia non respirantia,non olfacerent,quod putaret ipse:quoniã non traherent aerem ad cerebrum vsque. Quantum autem valeant hæ rationes, facile constat.Nam quod primò dixit,sequi vt odores per os attracti percipi possent,id non sequitur. Quoniam possent non pertingere anteriorem illam cerebri partem: quòd si ipsam pertingant,non negamus odores quandoque per os attractos vehementius,aut ad cerebrum copiosè effumantes percipi posse. Quoniam tamen inspiratione maiori vehementia trahitur aer,& perforatam membranam permeãs melius eas cerebri partes pertingit, atqi impetu tractus magis immutat, per nares melius, inspirantes odores percipimus. Quod tamen de non inspirantibus animalibus refert, diximus ea operculum illud perforatum non habere,sed odores statim ad cerebrum deduci. Quod si Auerrois Arist.mentem aduertisset, nollet quidem ipsum voluisse, organum olfactus in cerebro existere. Quãmuis etiam Gal. id Aristotelem indistinctum reliquisse ferat, quoniam non docuerit via quapiam organum olfactus inuenire:mentem tamen suam Aristo.aperuit lib. de sensu & sensili,cap.2.dicens: Quocirca & peculiare sensorium olfactus in cerebro situm est: nam rei frigidæ materia, potentia calida est,sed de obiecto sensus olfactus iam agamus quod Arist.lib.de sensu & sensili igneum esse dixit, cap.2. atque ratione confirmat dicens: Odor autem non nisi fumida exhalatio existit, quæ profectò ignea est, quocirca & peculiare sensorium olfactus, in cerebro situm est:nã rei frigidæ materia potẽtia calida est.Primum notum est, ipsum asseruisse odores igneos esse:secũdum autem,ratio quædam est, qua probat odorem talem esse: quoniã sensus talis est potentia, quale sensibile est actu: sensus autem olfactus in cerebro est:cerebrũ ergo tale est potẽtia qualis odor actu: sed cerebrũ frigidæ & humidæ naturæ est:ergo odor calidæ & siccæ:hæc autem est ignea natura. Plato verò in Timæo,qui simul cũ Empedocle visum tribuit igni, olfactum dicit esse medium aeris & aquæ, atque odorem. inquit nanque: Dum enim aqua in aerem aérque in aquam mutatur, medij extiterunt odores vniuersi, is vapor siue fumosa exhalatio à rebus odoratis manat, in quibusdã parua,in aliis copiosa,pro ratione odoratæ substantiæ. Quamobrem vbi proxime odorata naribus admouentur, fumus ipse siue vapor,organum vsque pertingit: vbi verò longius absit, vltra id spacium ad quod exhalatio, siue vapor pertingit, odor sine substãtia perducitur.Expanditur autem qualitas ipsa spiritualis in aere,quem quandoque ad adeò magnam distantiam peruenire quidam ferunt, vt credi non possit, substantiam rei odoratæ effusam,quamuis tota exhalasset, ad eum peruenisse locum. Prætet id quòd odores in aqua sentiuntur, & per aquam sese fundunt: cùm tamen non sit substantia, quæ aquam peruadit: diuideret enim ipsam, quod non fit. Per aquam tamen odores effundi notum euadit: quoniam pisces odores appræhendunt,ex Arist.lib.4.de histo.animalium cap.8.quibusdam experimentis id suadente. Non enim omnia piscium genera eisdem escis capiuntur agnitione odoris. Nam fœtida quibusdam accommodantur, quæ alij omnino recusant. Et pisces ab specubus excludere volentes,fauces specus odoribus illinunt. Rursus carunculas sepiarum deustas quidam hamis affigunt:ita enim fit, vt odore ipsarum, pisces auidius accedant. Quamuis autem, vt diximus, odoratus organũ, quod in cerebro situm est, odores per aerem & aquam diffusos sentiat, & eorum sit odorandi potentia.lib.tamen de Ani.2.c.8.Ari.olfactum esse dixit,odorabilis, & inodorabilis quẽadmodũ & visus est,visibilis,& inuisibilis,auditus audibilis,& inaudibilis, gustus gustabilis & nõ gustabilis:at difficilis res est, & pari modo dubia in quouis sensu.Nam quod inodorabile est,odoratũ mouere nõ potest,quemadmodum,& quod inuisibile est, visum non mouet. Non ergo est visus inuisibilis,aut odoratus inodorabilis. Verùm Arist.loco citato dubium id soluere videtur. Quoniam inodorabile dicitur,inquit, & quod omnino odore caret, neque

Odoris natura ex Aristotel.

Plato de odore.

Odor cum exhalatione & sine ipsa producitur.

Pisces olfaciunt.

Visus visibilis & inuisibilis.

vnquam odorem habere poteſt,& quod ægrè odoratur: quoniã remiſſum habet odorem,& quod tetrum mittit odorẽ. Quemadmodum & de viſibili & reliquis ſenſilibus dici poteſt. eſt enim inuiſibile,quod omnino colore & luce caret, & funditus videri non poteſt,& quod ægrè videtur: quoniam parum viſibile eſt, aut quod adeò excellens viſibile eſt,vt viſus difficile ferat eius præſentiam. Inuiſibile & inodorabile primo modo à ſenſibus ipſis non percipiuntur,ſed ex accidenti tãtùm,quatenus media ſunt quibus interiores ſenſus priuationes eas percipiant. Nulla enim priuatio mera ſenſum mouet:inuiſibile tamen quod parũ videri poteſt,aut quod excedit potentiam,& inodorabile quod ægrè odoratur,aut tetrum odorem à ſe mittit,ad ſenſum viſus,& olfactus attinent,horúmque inuiſibilium, & inodorabilium ſunt viſus,& odoratus. Hac ratione Themiſtius dixit, ea quæ viſibilia ſunt,vt priuationes,per accidens videri,vt nox,ſomnus: tenebram tamẽ videri,ſed ægrè. Cæterùm non paruam dubitandi occaſionem nobis præbet Ariſtot. lib. 2. de Anima. cap. 8. cùm de olfactus humani perfectione loquitur. Inquit enim,non adeò facilè pronuntiari poſſe ea quæ ad olfactum & odores attinent,vt quæ de viſu & viſibili,auditu & audibili:& cauſam addit,dicens:Cuius cauſa eſt, nos non habere hunc ſenſum exactum,ſed inferiorem complurium animaliũ ſenſu:remiſsè namque homo olfacit, & nihil odorabilium percipit abſque dolore, vel voluptate:propterea quòd ſenſus inſtrumentum huiuſce non eſt exactum atque perfectum:atque conſentaneum eſt rationi,tam animalium ea quæ oculos habent,ſic ſentire colores,vt non eorum percipiant differentias,niſi terrore & contrario ipſius,quàm hominum genus odores. Et libro de Senſu & ſenſili,cap. 4. inquit: Cuius cauſa eſt nos habere olfactum cæterorum animalium olfactu inferiorem,& omnium ſenſuum qui in nobis ipſis ſunt,ſtupidiſsimum. Quantum tamen veritatis id habeat,quantúmque homo olfactu ſuperet, aut ſuperetur ab aliis animalibus,in præſenti loco diſſerere dignum duximus. Cuius dubij ſolutio ex generali altero quæſito pendet, an homo omnium animalium perfectiſsimas edat actiones. Rurſus hoc alterum habet adiunctum,an homo temperatus perfectiores exerceat actiones omnes hominibus diſtemperatis. Primùm igitur humanas actiones comparabimus actionibus brutorum,deinde humanis. Animadnerſione tamen dignum eſt,quòd motus & actiones omnes duplicem poſſunt habere perfectionem,eſſentialem,& accidentalem,duplicem quoque nos habebimus diſtinctionem. Nam motus localis perfectionem habet ex genere,quæ ſibi ad eſſentiam attinet,ac perinde ipſum motu alterationis dicimus magis,aut minus perfectum:& perfectionem habet accidentalem,quæ in celeritate & tarditate cõſiſtit, ob quam aliis motibus localibus intra ſpeciem confertur:pari modo viſionem albedinis in oculo Platonis & Socratis,quæ ex accidenti differunt, conferimus intenſione & remiſsione:referimus quoque viſionem auditioni, à qua eſſentia differt:diuerſam enim ſortitur eſſentialem perfectionem. Quòd ſi quis credat viſiones,& ſenſationes eorundem obiectorum ſpecie,eſſe eiuſdem ſpeciei in omnibus animalibus,vt viſionem albedinis in homine & bruto, is facilè iudicabit, viſum, auditum,& olfactum,bruti & hominis,id eſt actiones dictas,æqualem habere eſſentialem perfectionem,vbi eiuſdem fuerint obiecti in ſpecie:ſed adhuc maneret dubium de potentiæ viſoriæ, auditoriæ & odoratiuæ perfectione eſſentiali, dubium quoque erit de perfectione accidentali. Nos autem dicemus ſenſationes humanas & brutorum circa idem obiectum non differre ſpecie, potentias tamen à potentiis ſpecie ſeiungi:nempe viſiuam humanam,quæ aut anima ipſa eſt,aut animæ vis. Quod tamen affirmamus, eſt viſiuam humanam à viſiua facultate bruti ſpecie differre,non tamen viſionem humanam à viſione bruti, vbi ſint eiuſdem obiecti numero,aut ſpecie,idem de aliis potentiis & actionibus volumus. Poterunt ergo hominum & brutorum potentiæ conferri,atque actiones in eſſentiali, & in accidentaria perfectione. Quòd ſi in perfectione eſſentiali duo motus, aut duæ actiones conferantur,ſi motus terminum habent,qui motu conquiritur, aut generatur,perfectio eſſentialis illius motus, ex termino conquiſito cognoſcitur.

Olfactus humani perfectio inquiritur.

Actiones omnes an homo perfectiſsimas edat.

Motus perfectio accidentalis.

Nam

Nam motus ad calorem perfectior est motu ad frigiditatem,quo calor perfectior est rigore.Et motus sursum motu deorsum est perfectior,quo terminus termino perfectior est.Nam & species & perfectio motus à termino sumitur:in actionibus vero quibus nihil conquiritur,sed actione tantùm constituunt, vt sensuũ actiones apud Aristot.2.lib.de Anima.perfectio ex obiecto desumitur.si vero inter actionem sensus aut intellectus,& obiectum,notitiam mediare dixeris,nihil refert, siquidem eiusdem quoque perfectionẽ ex conquisito,nempe obiecto, assequemur. Eapropter intellectionem sensatione dicemus perfectiorem: nam intellectio ad vniuersale terminatur,atque immateriale,sensus verò ad materiale & singulare, sic & visio,tactione:nam color prima quauis qualitate perfectior est, & visio ad colorem,tactio ad calorem terminatur. Rursus illas actiones quæ spiritalibus & immaterialibus magis accedunt,dicimus perfectiores ex specie & essentia. Quare intellectio primum habet locum,quod plus diuinis actionibus accedit:æstimatio deinde,hanc sequitur imaginatio. & hanc visio,deinde auditio, præterea odoratio,hanc sequitur saporum sensio, vltimo loco tactio. Cordis verò affectiones post imaginationem sequuntur,ante sensuum exteriorum actiones, & postremò sunt actiones concupiscibilis facultatis. Quibusdam sanè sola actione consistentibus,vt excretio quibusdam aliquid conquirentibus, vt tractione & appositione. Quibusdam aliquid producentibus,vt coctione,& nutritione,& assimilatione.Si igitur in actionibus quidpiam aut conquiritur,aut generatur,perfectio essentialis ipsarum ex conquisito aut genito sumetur,in quibus tamen nihil tale cõquiritur, aut generatur,ex obiecto quod in actione attingitur perfectio sumetur:vnde fiet vt visio albedinis in homine & bruto non differant specie, differunt tamen visio albedinis & nigredinis, siue in vno,siue in diuersis fuerint oculis. Quod si ita est actionum perfectionem essentialem,vt diximus ex termino conquisito,aut genito,aut ex obiecto sumi,siue actiones ab eodem homine,siue à diuersis,siue ab homine & bruto procedant,hoc vnum tantùm coniectari necessum erit:nempe quantæ perfectionis sit id in quod actio finitur, erúntque nonnullæ actiones humanæ sibi similibus in brutis collatæ æquè perfectæ essentialiter.Hæc verò conferri poterunt in accidentali perfectione, quæ in motibus & actionibus sumitur ex celeritate,vehementia,& obiecti attingentia.Quamobrem visionem aquilæ, odorationem canis,auditionẽ apri,perfectiores sibi similibus in homine dicemus, quòd per eas bruta melius sua attingant obiecta.Melius enim videre est longius,& perspicacius videri,& minutiora visibilia percipere:quod aquilæ conuenit, vbi homini conferatur.idem de auditu & apro,& olfactu,& cane. Quòd si duæ animales, aut naturales actiones conferantur,quarũ altera celeritate alteram superet, & ab ea in obiecti attingẽtia,aut assecutione superetur,magis perfectam eam dicemus, qua magis obiectum attingimus, aut perfectius est quod generat. Exemplum est coctio carnis in ventre leonis,& hominis: celerius enim in ventre leonis perficitur.homo verò obiectum perfectius generat,quare coctio in ventre hominis perfectior erit. Nam chylus melior est in homine genitus. Posses quoque affirmare chylum in humano ventre genitum specie perfectiorẽ, atque essentialem arguere perfectionem ex eo.Sed idem dictum existima,si coctionem temperati ventris coctioni calidioris conferas:nam calidior citius finem attinget,temperatus perfectius,& melius.Meritò igitur Aristot.dixit,lib.de Sensu & sensili,sensum olfactus esse in nobis,reliquis animalibus inferiorem,& nobis ipsis stupidissimum.Quoniã non tantùm a sui similibus in brutis vincitur,sed ab aliis humanis in obiecti attingentia:tactum enim exactissimũ habet homo:quoniam optimam sortitur ex elementis temperaturam,à qua dependet tactus syncritas. Diximus enim hominis temperaturam optimam esse,in vniuersa substantia mediam: nec tamen id contrarium est his quæ diximus de sensuum perfectione: nempe tactum esse omniũ sensuum inferiorem.atque odoratum esse medium:quia imperfectiorem visu, & auditu,& perfectiorẽ gustu & tactu. Nam cùm hæc ordine statuimus, perfectiorem sensum appellamus eum,qui non plura docet,& qui immaterialior est: cùm

Actionum perfectio.

Motuum & actionũ perfectio accidentalis.

Olfactus hominis inferior alijs.

verò ipsum olfactum dicimus cum Aristot. inferiorem aliis, id est, quoniã in proprij obiecti consecutione est imbecillior, quemadmodum & inferior est aliis sibi similibus in brutis. Vt ergo diximus accidentali perfectione, quasdam brutorum actiones sibi similibus humanis esse perfectiores, ita & quosdam sensus brutorum ex accidenti magis perfectos esse dicemus. Idem quoque dicemus fieri in humana specie, facta diuersarum temperaturarum collatione. Nam hominis siccioris odoratio potest esse intensior, quàm temperati, & auditio hominis habentis organum magis tenue, & aereum magis, poterit esse intensior, quàm auditio temperati, & quæ melius obiectum attingat. quemadmodum qui oculos habuerit ad aquilinos inclinantes, minutiora, & distantiora quàm temperatus attinget. Pari perfectionis specie ipsam facultatem visiuam aquilæ, perfectiorem humana dicemus, & hominis distemperati, quam temperati. Attinet autem hæc perfectio ad obiecti consequutionem meliorem, quæ actioni est accidentalis. Cæterùm Gale. lib. Artis medic. cap 8. enarrans signa optimæ cõstitutionis corporis, adiecit operationum perfectionem: cum autem hæc non sit accidentalis, vt dixi: nam plures actiones distemperatorũ accidentaliter sunt perfectiores: essentialiter verò sunt æque perfectæ: expedit veritatem breui explanare, & Gale. mentem. Nam & lib. 2. de Temperamentis. scripsit signa temperatissimi hominis dicens: omnésque vt in summa dicam, tum naturales, tum animales inculpatas habet. Explicuit sanè lib. 2. de Temper. quas optimas actiones in temperatissimo corpore esse velit, dicens, Quæ vero animalium speciebus notantur, actionis perfectione, quæ cuique sit conueniens iudicantur. conuenit autem homini, vt sit sapientissimus, cani vt mitissimus sit, pariter & fortissimus: leoni vt tantum sit fortissimus, sicuti & oui, vt tantum sit mitissima. Quapropter intelligere oportet Galen. velle in quibusdam actionibus temperatissimum corpus habere summam perfectionem, vti in prudentia, cui adiunges æstimandi vim, à qua sapientia & prudentia manant, & concoquendi munus, & generandi carnem & reliqua membra: habet quoque & pulsus validissimos: verum hæc perfectio accidentalis est. In aliis tamen id seruare quod ad optimas animi functiones exigitur. quas optimas & præcipuas intelligimus, vt æstimationem, prudentiam & iudicium. sic enim in libro 1. de Temper. loco citato, cùm prætulisset in homine temperato sapientiam, addidit de corporis actionibus: iam verò quod corporis actiones consentientes animi moribus esse oporteat Aristoteli monstratum est: respondent autem animi moribus humanis, actiones corporis inculpatæ omnes: non tamen extreme validæ, ac perinde lib. 2. parte citata, de eisdem actionibus dixit: omnésque vt semel dicam, tam naturales quàm animales virtutes inculpatas habet. itaque quamuis nonnullas optimas & extremè tales habeat actiones corpus temperatum, alias habebit inculpatas, & magis præcipuis probe respondentes. quod erit satis. Sed tamen relinquitur dubium de perfectione essentiali facultatum, an odoratiua facultas humana sit minus quam canis perfecta, essentialiter, cùm canis vis odoratiua suum obiectũ melius consequatur: ad quod respondemus, quòd in facultatibus diuersi generis non aliter probari potest melius, essentialis perfectio, quàm ex spiritali actione. Quæ enim plus accedunt intellectui, & spiritali illi substantiæ, perfectiores sunt: item & quæ plures species rerum à superioribus sensibus & anima noscendarum ministrant, vt de visu Aristot notat lib. de Sensu & sensili. Vbi tamen sensus eiusdem generis fuerint, vt duo auditus, aut duo visus, in duobus animalibus eiusdem speciei, nulla erit essentialis differentia, ac nullus eorum erit altero essentialiter perfectior. Si tamen fiat collatio sensus humani ad alterum sui generis in bruto, id est quod venit modò exponendum, à quo tota quæstio fuit suborta, an visiua facultas aquilæ sit perfectior visiua humana, & olfactiua canis sit olfactiua humana essentialiter perfectior. Ad quam respondemus, omnes sensus humanos sibi similibus brutorũ esse essentialiter perfectiores. Diximus enim essentialem perfectionem non aliter probari quàm ex spiritali substantia, & cognitione obiectorum, quæ hominibus magis quàm brutis insunt: & ex assecutione obiectorum multo-

rum

Assertio de potẽtiarum accidentali perfectione

Facultates in essentiali perfectione conferũtur.

Sensus humani an sint brutorum perfectiores.

um: quoniam per eorum assecutionem facultas plura nos docet, sed humana facultas, sentiens, quæcunque ipsa fuerit, plurium specierum rerũ cognoscibilium nos certificat: erit ergo essentialiter perfectior. Quod in odoratiua facultate notum est: siquidem per ipsam multas odorum species deprehendit homo, quas bruta comprehendere non valent: odores enim qui delectant tantùm, & nutritioni nullatenus proficiunt, solus concipit homo. Vt enim Aristo. docet lib. de sensu & sensili, odores duorum generum sunt: nam quidam ex accidenti delectant, quia sunt saporum affectiones, atque delectant appetentes, & cibis carentes: plenos verò contristant, & fastidio sunt: quoniam alimenti gratia tantummodo delectant. Sunt alij odores delectantes, sui tantùm ratione, qui voluptifici sunt, quales qui à floribus expirant, quibus accedunt qui à gummis, & succis effumant. Primum odorum genus omnibus commune est: ab hominibus nanque & brutis sentitur: Secundum verò à solis hominibus, qui delectantes odores rerum alitioni omnino inutiles sentiunt: quinimo & eos qui cùm ex se delectant, alitioni obsunt: dixerat enim Stratis, Euripidem taxans, Ne misceas vnguentum vbi lentes coquis. Quamuis postea nimia consuetudine ducti homines cibis odores immisceant, vt ambos sensus vnà delectent. Quòd si bruta odores aliquos sentiant qui alimentorum non sunt, vti odorem heri, aut vestium suarum, hi non sunt delectantes, neque plures alias delectantium species agnoscunt, ac perinde homines plures species odorabilium attingunt. Nec tamen nos adeò generalem, vt Arist. sententiam asserimus, nam cati calamenthi odore delectantur, & quidam alij bestiolas quasdam fugant, sed multa esse odorum genera quæ à brutis non cognoscuntur, affirmamus, quæ tamen hominibus nota sunt. Adhibet quoque Aristot. causam quare hominibus familiares sunt hi odores delectantes. Quoniam, inquit, cùm cerebrum hominis frigidissimum sit, tales diuaporationes odorũ, quia calidæ, attemperamento cerebri prosunt. Nos tamen eam rationem non putamus in vniuersum validam esse. Nam quidam sunt odores infrigidantes, vt santalorum, & violarum, & rosarum: quos tamẽ sentimus delectabiles: neque tamen alimento seruientes, qui sunt homini peculiares. Rursus nulla ratione cerebrum attemperare possunt, quæ fœtida sunt, & cerebro inimica, ac summopere noxia, & sentiuntur, non tamen alimenti gratia. Quare homini familiares erunt tales odores, non communes beluis. Quod si de prauis odoribus dixeris eos esse beluis communes: quoniam praui odores quasdam fugant bestiolas: atque Aristotelem homini peculiares, delectantes solum esse dixisse. De frigidis odoribus ratio Aristotelem confutat. Quare si alterationis ratione sentiri ab homine prędictos odores contendit Aristo. non quoniam cerebrum frigidum, eos prodesse testetur decet, sed quoniam humidum: omnes autem prædicti odores sicci sunt, siue calefacientes, siue infrigidantes. At nos in vniuersum asseremus eam esse odoratiuæ potentiæ hominis perfectionem, vt omnium odorum species possit percipere, quod perfectioni essentiali potentiæ est adscribendum. Neque aliàs melius coniectabilem esse putamus essentialem potentiæ cuiusuis sentientis perfectionem. Sed ad nostrum institutum redeamus. Verum namque esse affirmamus cum Aristo. perfectionem potentiæ non ex intensione sumi, sed ex differentiis eorum, quæ potentia depræhenduntur. Quod ipse docet lib. 5. de generatione ani. cap. 1. & 2. in primo nanque dixit acutè cernere, vt audire & olfacere duobus modis dici, aut quoniam à longè cernimus, aut quoniam rerum differentias cernimus: causam tamen acutè cernendi, ita vt à longè cernimus, refert in oculi positu consistere, & supercilijs. Quòd tamen species diuersæ colorum cernantur, dicit ad oculi syncritatem attinere, quemadmodum in veste mundissima macula quæque conspicua est. Hoc ergo modo humanam potentiam videndi, acutius cernere dicemus, & olfaciendi melius olfacere, ac potentiam olfactiuam perfectiorem, quàm aliorum animalium, quoniam plures odorabilium differentias percipiat. Et rursus cap. 2. idem de olfactu & auditu refert, quod de visu affirmauerat, atque addit, Homo pro magnitudine minimè ferè omnium animalium procul sentire potest,

Odores duorũ generũ.

Stratis Arist. autore.

Acutè cernere duobus modis.

cum tamẽ differentiarum ſenſu maximè omnium valeat:cuius rei cauſa eſt,quòd ſenſorium ſyncerum,minimèque terrenum,corpulentúmve obtinet,cutẽ etiam tenuiſsimam præ cæteris animalibus homo ſuapte natura pro magnitudine haber. Quemadmodum itaque duobus ſenſibus in vno homine collatis minus materialem diximus,magis perfectum,ſpecie,& eſſentia:ita modò cum Ariſtot. vbi ſenſus aliquis humanus,ſimili in bruto conferatur,minus materialem ſpecie dicemus perfectiorem:minus materiales autem humanos ſenſus Ariſtotel.teſtatur in hoc loco.vnde differentiarum plurium ſenſilium cognitio manat,quę ſenſibus humanis ineſt. Potentia verò id audiendum,ob organa humana læſa,aut præpedita: in ſingulis autem ſenſibus ita perfectio ex ſpeciebus cognitorum probabitur. Viſiua humana multas colorum ſpecies deprehendit,quas aquila non aſſequetur,vt ſunt mixti,& medij colores. Adde etiam rerum figuras, & ſitus. Auditus quoque innumeras comprehendit conſonantias,& muſicam harmoniam:quæ omnia ſenſus brutorum effugiunt,de odoratu iam diximus. De guſtu vero non dubitãdum multas ſimplicium & mixtorum ſaporũ ſpecies hominꝭ eſſe peculiares, quas bruta non noſcunt. De tactu verò quid dicam? Is enim hominibus optimus ineſt,qui primas omnes qualitates agnoſcit,& ſecũdas vt duritiem,mollitiem,aſperitatem, læuorem, & in his multas alias ſpecies,& leuitatem ac grauitatem, & multos dolorum modos,vt diſtendentem,grauantem,pulſantem,mordentem. Rurſus diuerſiſsimas figurarum ſpecies tactus agnoſcit,ita vt cæci viſi ſint,quos in diſtinguendis numnis & eorum valoribus tactus nunquàm fefellit. Quid multa? humanus tactus contractionem pulſus cognoſcit,& in vnica diſtenſione, vt inquit Galen. tres & quatuor inæqualitatis differentias:in aliis tamen facultatibus, vbi ſingulas volueris percurrere,perfectionem eſſentialem maiorem in hominibus inuenies, ex magis ſpiritali ſubſtantia,& plurium ſpecierum obiectorum aſſecutione, & in internis facultatibus,eſt notius,quàm vt noſtra egeat explanatione. Accedet quoque noſter ratiocinandi modus,quo docuimus lib.1.Prog.in expoſitione 19.probare ſpecificam differentiam facultatum,apud Peripateticos recipiendus. Is verò eſt negatiuus. Si nanque potentia odoratiua humana poteſt formare cognitionẽ odoris florum,& potẽtia odoratiua bruti eam cognitionem formare non poteſt, neque ſimilem in ſpecie.hæ potentiæ eſſentia,& ſpecie differunt. Quòd ſi eſſentialiter ex obiectorum cognitione modo dicto,differũt,& humana poteſt eorum habere notitiam,quorum brutum, & multorum poteſt, quorum brutum non poteſt,erit humana potentia bruti potentia perfectior in eſſentia. His quæ attinẽt ad ſenſum odoratus finem imponerem,niſi dubium videretur,quod Ariſto.lib.2. de Anima.hunc in modum ſcripſit: Non enim ſic patet quale quid ſit odor,vt ſonus, vt lumen,vt color,cuius cauſa eſt,nos non habere hunc ſenſum exactum: ſed inferiorem complurium animalium ſenſu: remiſsè nanque homo oltacit, & nihil odorabilium percipit abſque dolore vel voluptate:propterea quòd ſenſus inſtrumentum huiuſce non eſt exactum,atque perfectum. Verùm contra hanc ſententiam ratio inſurgit. Nam ſenſum guſtus homo habet exactiſsimum:ſed nihil guſtamus ſine voluptate aut dolore. Hoc dubium indiſſolutum prætermiſit Themiſtius,dicens: Cur verò deguſtatis rebus ſtatim voluptas,ægritudóve cõſequatur: quum tamen guſtus homini ſit abſolutior & certior odoratu, neque Ariſtot. docuit,neque expoſitores attingunt. Itaque ſi verum eſt quod Ariſtot.dixit ob id odoratum nihil ſine dolore, aut delectatione ſentire: quoniam non eſt is ſenſus exactus,neque perfectus,id in guſtu fieri non deberet: quoniam guſtum habent homines perfectum,nos quidem non omnino verum eſſe dicemus quod Themiſtius ſtatuit. Non enim omnia quæ guſtum mouent,delectant, aut triſtitiam afferunt. Nam quædam inſipida ſunt,quorum ſapor nullum dolorem infert,aut delectationem. Pariter etiam pinguia non omnes delectant,aut cõtriſtant. Iam quoque odores multi ſunt,vt pinguium & inſipidorum,& odor carnis animalis paulo ante occiſi,qui nullam delectationem,aut dolorem inferunt. Quamobrem neque cum Ariſtot.neque cum Themiſtio cõſentimus. Non enim verum eſt omnia

Odorata omnia an delectent aut contriſtent.

quæ

quæ olfactum mouent dolorem inferre,aut delectationem: neque ob id delectationem mouere,aut triſtitiam ea quæ olfactum mouēt:quoniam ſenſus is imperfectus eſt.Dolorem tamē & delectationem in omni ſenſu moueri,& quare in quibuſdam plus quàm in aliis,inferius explanabimus, cùm de tactu, & dolore agemus.Cùm vero diſſeremus de guſtu,ſaporum differentias recenſebimus, ad quas reducuntur differentiæ odorum.Quarto loco de ſenſu guſtus agendum ſe offert: quoniam craſsitudine olfactum ſequitur,& Ariſto.2.lib.de Anima, poſt olfactum eius meminit,'etſi lib.de Senſu & ſenſili.de guſtu prius egerit: quoniam ex differentiis ſaporum ad odorum cognitionem deuenimus:nos tamen propoſitum ordinem ſeruantes dicemus,guſtus organum eſſe linguam,atque palatum,quæ duæ partes à cerebro animalem facultatem per neruos ſuſcipiunt.Quarta nanque neruorum à cerebro ortorum coniugatio ad palatum fertur:à tertia verò coniugatione neruorū deducitur neruus,qui linguæ inſeritur,ac eius membranæ ſenſum guſtandi præbet,qui eò acrior eſt quàm ſenſus palati,quò linguæ membrana mollior eſt membrana palati,& tertium par neruorum,quarto. In his itaque guſtus perficitur.Neruus nanque facultas guſtandi temperamenti ratione tributa eſt:eis verò maximè qui ad extremam linguæ partem traducuntur.Inquit enim Ariſto. lib.1.de Hiſtoria animalium cap.11.Ineſt pars ſentiens ſaporem linguæ, vim iſtam ſentiendi præcipuè obtinens parte ſui primore. Nam ſi interiore tangat, minus ſentiet.Exactiſsima itaque guſtandi facultas in extrema lingua,ad digiti vnius latitudinem ineſt.Singulorum verò guſtabilium naturam nūquàm ſatis diſtinctam habemus,donec in ipſius cognitionem lingua,atque palatum cōſentiant. Nam & eſt vna communis membrana quæ pertenditur ori,linguæ,palato,faucibus,œſophago,& ſtomacho.Recipit quidem lingua à cerebro triplex neruorum genus, tribus animalibus functionibus ſeruiens. Nam in linguæ muſculis nerui mouentes linguam inſeruntur,& cuti pertenditur neruus ſeruiens tactui,& tertius guſtatorius:interim tamen dum quippiam deguſtamus, dentes id molliunt, & lingua per os & eius latera demutat,& palato ſæpe applicat, nequid inexploratum ſubingrediatur ventrem.Neque enim id fieri poſſet ſine magno animalis diſcrimine. Hanc ob rem ſimul mandimus,deuoluimus,& deguſtamus alimenta. Mandimus vtique vt non tantum ſaporem externis partibus alimenti inſidentem,ſed & intimis dignoſcamus:ne fortè intus lateat lethale quippiam:accedit etiam quòd attritione alimentum coctioni paratur:deuoluitur, vt exactius deguſtetur,& vt ab vtraque maxilla melius atteratur,& palato adplicetur ad perfectiorem dignotionem.Dignoſcitur autem à ſenſu guſtus, cuius munus eſt perpendere,quæ amica & familiaria ſint nobis,quæ etiam inimica & aduerſa.Sunt autem amica quæ nobiſcum familiaritatem ſubſtantiæ habent,contraria his inimica. Quæ verò familiaritate ſubſtantiæ nobiſcum conueniunt,alitioni ſunt opportuna. Qua ratione ea & ſaporem habent delectantem,& à nobis expetuntur auidè. Guſtui quoque grata ſunt:quoniam hic eſt ſenſus alimenti dictus, cuius temperamētum tale eſt, vt ipſum proficua,familiaria,amica,& vtilia delectent. Ea verò à nobis expetuntur,quæ delectant,maximè indigentibus nobis:tunc enim ab inopia & triſti ſenſu releuari cupimus.Deſideramus autem non tantùm inopiam reparare, & alimenta ſubſtituere,quæ prædictam habeant familiaritatem,& quæ guſtui talia ſint,'vt appetitum excitent,ſed etiam quæ diſtemperatis ventris partibus occurrant.Cui negotio ſeruiunt quæ bibimus:quorum deglutitioni lingua cōſentit præguſtato potu:neque enim fieri poſſe natura voluit, vt liquidum aut ſolidum deglutiremus,aut lingua,aut fauces eidem muneri incumberent, niſi prius deglutiendum ſeſe totum intus & extra examinādum exponeret,linguæ atque palato. Præterito verò examine,quæ delectant trahuntur ab œſophago impelluntur à lingua,& faucibus,dura quidem prius attrita,liquida ſtatim deguſtata. Quoniam liquida primo occurſu linguæ, & palato ſeſe rota pandunt. Quæ verò guſtui ingrata & aduerſa ſunt,ſtatim reſpuimus,vt volentibus nobis ea deglutire.quod maximam mouet admirationem:quum deglutitio animalis actio ſit, quare non deglutimus

Senſus guſtus.

Nerui guſtus.

Mandimus quare.

Guſtus munus.

Deglutitio liquidorum & ſolidorum.

Admirandi occaſio.

quæ

quæ volumus,& eligimus,si prauum sint sortita saporem, cum tamen actio hæc animalis sit,quæ à voluntatis imperio procedat? Ducit quoque nos in maiorem admirationem,incitátque animum ad ingentes laudes creatoris excelli prædicandas,quod magnum cibi bolum mansum deglutimus,& pilulam magnitudinis ciceris reiicimus, neque ipsam prius quàm attreramus deglutire valemus adhuc volentes,atque conantes. Quam etiam difficilè & pene impossibile sit,nostræ imponere linguæ, & gutturi,eum pilulas dulci quadam induimus veste, quis non admiratur? Inest autem tactus linguæ gustui coniunctus,ita vt nihil gustari possit,quod non tangatur,& ambo sine externo medio sentiant. Ea quidem ratione gustus quidam tactus esse dicetur,quòd gustus tactione perficitur,hoc est immediata gustabilis applicatione. Adiacet autem saliua, non vt medium gustãdi, sed vt quoddam ad gustum mouendum necessarium. Quæ enim gustum mouent, saliuæ miscentur ac comminuuntur,deinde linguam penitius inuadunt. Huius facultatis obiectum sapor est: at verò sapor qualitas quędam secunda,ex primorum elementorum concursu & actione nata,gustus de potentia in actum motiua. Generatur quidem sapor in mixtis rebus,vbi quandam elementorum temperiẽ assequantur, (elementa nanque sapore carent.) Nonnunquàm ipsis iuxta medium attẽperatis qualitatibus, atque substantiis, nõnunquam quibusdam longo interuallo reliqua superantibus. Vnde fit, vt sapores quidam medij, quidam extremi fiant: ac perinde sapor dulcis medius est & temperatissimus,acris verò extremus, quamuis immutatione dulcis & amarus extremi sint: dulcis siquidem extremè delectat,amarus verò summe contristat gustum. Nos vero rerum naturas atque ipsarum potentias conseruandi & corrumpendi corpus sequuti dicemus,dulcem saporem propè summam habere ex elementis temperaturam,& ob id nobis familiarissimum. Est enim sapor ille magis gratus,qui magis delectat: ille verò magis delectat,qui gustus organum magis attemperat: talia sunt dulcia, calida parũ, sed modice humida,qualia decet esse quæ alitioni sunt opportuna: quoniam & sanguis & calor noster naturalis,præter id quod temperata sunt,quadam ratione calida & humida habentur. Temperata itaque, & temperamento proxima dulcia sunt,& nobis familiaria,& quæ maximè omniũ alunt. Sunt hæc omnia calida pro ratione dulcedinis: nam quæ sapores mixtos habent, mixtas possident naturas: pinguia vero paulominus calida sunt,ac paulominus appetuntur, & alunt. Quin & his qui acerbis vsi fuerunt,accommodatissima sunt,gustúmque summe attemperant,& demulcẽt. Plures autem sunt saporum differentiæ,quas statuere & temperamentis distinguere hoc in loco instituimus. Harum primum locum tenet dulcis sapor,à quo ad extremum frigidum labuntur insipidus,acidus, austerus,acerbus. Ad calidum vero salsus,amarus,acris. Pinguis verò dulci valde cognatus est, vt enim Galen.inquit. Fortasse & pingue ipsum dulce est,& quidquid nutrit ex genere est dulcium. Omne enim quod alere potest,corpori alendo est familiare, & omne quod tale est, gustui gratum est. Id est quod Arist.dixit,quod sapit nutrit, quia quod sapit dulce est,& familiare. At verò non omnes cibi, quamuis dulces, sunt omnibus delectabiles: sed quemadmodum hominum temperamenta valde diuersa sunt,ita ciborum naturæ diuersæ sunt,& dulcia quędam sunt aliis calidiora,vt mel & saccharum. Rursus quoniam non omnes secundum naturam se habent,dum appetunt cibos: sed quidam sunt,qui præter inopiam alimenti patiuntur aliquam calidam,aut frigidam intemperiem: ita alimenta non tãtum substantiæ ratione expetuntur, sed etiam qualitatis. Substantia namque refectionis gratia appetitur: intemperantiæ verò non naturales contraria appetunt, per quæ reparantur. Quapropter nonnulli sunt,qui non amant cibos quos alij auidissimè cupiunt,& quidam sunt, qui cibos non capiunt absque condimento, quos alij sine ipso valde cupiunt. In vniuersum tamen alimenta omnia dulcia esse debent, & pinguia dulcibus annumerantur,tantúmque nutriunt, quantum habent dulcedinis,quamuis alter sapor in ipsis dominetur. Hunc sequitur sapor insipidus, ἄνοστον Græci dicunt, quasi qualitatis expers: cuius natura frigida est & humida, & in

Gustus quidam tactus.

Sapor.

Sapor dulcis qua ratiõe medius & qua extremus.

Saporum species.

Dulcis sapor.

vniuersum

vniuersum aquea & tenuis:quoniam horum substantia minimè elaborata est à calore. Talis est aquæ sapor, vt inquit Galen.lib.4.de Simpl.medic.facul.cap.3. Talis etiam est sapor cucurbitæ. Acidus deinde sapor adhuc frigidior est, sed tenuis substantiæ. Verùm quoniam frigiditas crassam reddit substãtiam, non est acetum extremè frigidum. Nullum enim est exactè frigidum tenuium partiũ, inquit Galen.lib.4.de Simpl.medic.facult.cap.14.& lib.10.de Metho.meden. Acetũ autem tenuissimas habet partes,& quæ intimè partem cui admouetur penetrãt: verùm ipsum exactè frigidum non est,sed partes habet calidas & si frigidis pauciores. Is sapor quibusdam natura inest,in quibus frigida elementa superant, & substantia tenuis est, vt limonibus & aranziis: quibusdam etiam sapor acidus inest, corruptione, vt vino, omnibus tamẽ ob frigiditatem: tantùm enim illis adest, in quibus elementa frigida superabundant, quamuis putredinis initium, atque generationis saporis acidi calor nonnunquàm sit: veluti mediata causa,& ex accidenti. Frigiditas tamen perpetuò per se,& nullo alio interueniente saporis acidi est causa, quamuis Alexander Tralianus contrarium velit: sed nos in cõmentariis secundi libri de differentia febrium hæc abundè patefecimus aduersus Alexandrum. Sequitur hunc adstringens Græcis, στύφον: à Platone verò in Timæo, αὐστηρὸν, id est, austerus. Is frigidus est,sed crassarum partiũ: qualem saporem habent pyra & cotonea quædam. Compositam habet is sapor naturam ex frigida,& terrena, & aquea substantia: vehementius tamen refrigerat & exiccat sapor acerbus, Græcis πυκνόν, cuius naturæ sunt sorbæ immaturæ,& galæ. Hunc saporem sortiũtur omnes fructus antequàm matureſcant: sed mutatione facta, in alios degenerãt. Acerbus namque sapor in terrena ac frigida substantia consistit. Is cùm alteratur, aliquando patitur à solo calore, aliquando à calore & humore,& hoc aereo, aut aqueo, aut à solo humore. Si fructus acerbi, qui tales sunt ante maturationem, incalescant tantùm, in dulcem transeunt saporem, vt castaneæ: si sola humiditas accedat, eáque crassa fuerit,& aquea, sapor acerbus in austerum transibit: sunt enim hi duo eiusdem frigoris: acerbus autem magis terrenus, austerus magis aqueus: humiditas verò aquea omnem extremum saporem retundit. Si tamen manente frigore humiditas sola accedat,& hæc aerea tenuis, sapor acidus fiet, qui frigidus est tenuium partium, vt quorumdam pomorum sapor. Quòd si fructus immaturi, aut quicunque acerbum habent saporem incalescant simul & humescant, si humiditas aquea fuerit, dulcis accedet sapor. Si verò aerea, sapor pinguis efficietur. Quoniam autem nonnulli fructus à principio in finem paruam recipiunt mutationem, ad finem vsque acerbi perseuerant, vt fructus ilicis,& corni: dulcia itaque & pinguia in medio constituta sunt, hac re differentia, quòd dulcium humor aqueus est, pinguium aereus. calore verò ferè paria sunt. Ab his si ad extremum calidum procedamus, primus se offert salsus sapor. Dulcia nanque parum exusta, atque exustione terrena facta, aut terrena & calida substãtia mixta, salsa redduntur. Docet id pituita dulcis, quæ exustione salsa redditur,& aqua ipsa nimia ebullitione fit salsa,& aqua marina facta à sole mixtione cum terrena substãtia, tenui parte à calore resoluta, salsa reddita est. Salsum saporem amarus sequitur, qui salso calidior est: salsa enim amplius incalescentia amara redduntur: indicio nobis est aqua sali mixta, quam si igni admotam diutius ebullire permittas, amaram efficies. Docet quoque id bituminosus lacus, cuius aqua vehementi calore mutata amara reddita est,& æstiuo tempore amarior, quàm aliis: & in vniuersum salsum amplius excalfactum amarum redditur. Dulcia quoque vlterius elaborata calidiora ac ficciora,& amara fiunt, quod pariter amarorum indicat calorem. Nam sanguis dulcis est,& efferuescens in bilem mutatur amaram,& mel iuuenibus inutilis est alitioni: amarescit enim in ipsorum ventribus, quoniam immodicè incalescit, etsi mel ipsum pluisculum decoxeris, amarum facies. Amara namque ficciora & calidiora sunt dulcibus,& eo nomine alitioni inepta: sapor verò acris omnium calidissimus est, in his rebus inuentus, quæ exurere possunt extremo calore, vt in pipere,& alliis, pyrethro, nasturcio: quorum quædam edi possunt: quoniam

Sapor acidus.

Sapor adstringens.

Sapor acerbus.

Sapor salsus.

Sapor amarus.

Sapor acris.

aliquam habent adiunctam dulcedinem: quędam adeò vehementer acria sunt, vt neque degustare ea citra noxam liceat, vt thaplia: calida nempe vehementer sunt & arida, amarorum vires valde superantia: nam quæ amara sunt, detergunt: hæc verò exulcerant, erodunt, & exurunt. Hoc saporis genere prædita sunt multa lethalia venena, quæ à toto genere talia sunt. Quoniam verò tactus crassior omnibus aliis sensibus, & eisdem inferior est, vltimo loco de ipso agendum statuimus. Is sensus animalibus omnibus adeò necessarius est, vt animal sine ipso nullum existat. Nam animal est quod sentit: non tamen omni sensu sed tactu: aliis namque sensibus quædam animalia priuantur natura, tactu vero nullum. Tactus autem organum neruus est, cui tribuit natura tangendi facultatem à cerebro distributam, quibusdam neruis immediate, aliis media spinali medulla. Ab ipsa enim duplex genus neruorum oritur: quidam namque motui ministrant, qui musculis inseruntur, duriores ac sicciores, quidam seruiunt tactui, qui cuti transmittũtur, totius corporis, aut membranis viscera & alias partes tegentibus, ne eiusmodi partes adeò sensu priuatæ relinquerẽtur, vt essent omnifariam plantæ. Sunt quidem hi nerui aliis molliores, & humidiores: quoniam ad patiendum sunt à natura dati, motiui tamen ad agendum: est enim motus actio, sensus verò passio. Cæterùm vis mouendi quamuis ob musculi constructuram (quæ contractioni & distensioni est apta) musculis tradita sit, nulla pars musculi mouet, aut motiuam recipit facultatem præter ipsum neruum motiuum. Sic etiam in sentiente fit: nam sensus tactus neruo traditur, & ipsi tantum, & non alteri per ipsum: nam neque caro neque membrana tangere dicetur, nisi quoniam neruus qui insertus ipsi est, tangit. Nisi minus propriè quis dixerit, manum tangere: non quòd tota manus tangere possit, id est tactu quippiam consequi, sed quòd neruus manus, res tangibiles assequatur. Fit itaque vt nerui tactui seruientes ad cutem perducantur, & eorum ratione cutis sentiat. Non est hæc cutis ὑμὴν, id est cuticula, sed δέρμα, hoc est, cutis interna, cui inest tangendi facultas, vel potius neruis ad ipsam delatis. Inest autem ipsis à natura tale temperamentum, vt recipere possint animalem tactoriam facultatem, sine quo neque ipsam recipere, neque alterantium mutationes sentire valent. Cùm verò valent & temperati sunt, externa quæuis mutantia persentiscunt, neque medio quopiam aut interno, aut externo egẽt. Externo quidem non egere notum est, quamuis dubitandi occasionem præbuerit Aristot. nam quæ in aqua sese tangunt, aquam habent intermediam, & quæ in aere, omnino aere intermedio se tangere necessarium videtur: sed tamen vt Themistius vult, hæc ratio inualida est. Quãuis enim manus non tangat manum in aqua sine medio humore, & humor corpus habeat coniunctum, tamen aquam ipsam manus tanget sine intermedia aqua, & nos nudi aerem tangimus nullo interstitio. Neque etiam opus est medio interno ad tangendum: cuticula enim internæ cuti supertensa non necessitatis, sed vsus gratia tensa est: nempe, vt melius tangeremus, ac sine dolore, aut vehementi alteratione, quæ fieri omnino necesse est, vbi tangibilia sine medio tãgant neruos ipsos, siue internam cutem, adeo neruis refertam. Posset autem tactus (sed violentus) sine cuticula interiecta exerceri, & sensile supra sensum sensationem efficeret: vt constat si quis neruum nudatum carne & cuti tangat, aut pungat: id Hercule experiundum traderem corporibus eorum qui sensum hunc absque medio fieri posse negant. Nam & in oculis ipsis visio vaporum fit insuffusis, quamuis non adeò conspicua, vt cum res videtur extra oculum, in loco decenti, & auditus sonos intra aurem sentit, quamuis non adeò distinctè. Et lingua sapores non valde sibi infarctos degustat, vt cum amaror sentitur ob immersam linguæ saliuam bilioſam, manente gustu syncero atque illæso: nam cùm amaror admodum linguæ insertus est, non sentitur ab ipsa, nisi cibis aduenientibus agitetur. Sunt enim quidam qui amaritudinem suarum linguarum non diiudicant, nisi cum quidpiam edunt, aut bibunt, vt docet Galen. lib 1. de Causis symp. cap. 4. Dixerat quoque Aristot. lib. 2. de Anima. cap. 11. Decet sensum esse potentia id quod sentit, quapropter quod æquè calidum est, non sentimus. At verò id non videtur

integram

Tactus sensibus externis crassior & inferior.

Tactus organum neruus, an sit.

Nerui motiui & sensitiui.

Tangendi nullum medium.

Sensile supra sensum sentiri an possit.

Arist. refutatur.

integram atq; ſtatutam habere veritatem. Lingua etenim quæ infarctum habet amarum ſaporem, cibo quouis aut potu ſuperueniente intimã ſentit amaritudinem. Auditus præterea inter nos ſonos quandoque audit, ad quos nõ eſt in potentia. Rurſus ſenſus tactus calidus, calorem: & frigidus frigiditatem percipere valet. Sed dices, ſenſum tactus non percipere qualitatem ſimilem ei quam habet, ſed ipſa maiorem, vt Ariſt. voluit præcitato loco. Verùm huic ſententiæ tria obſtant, primum quod tactus quãtitatem habet & ſibi omnino ſimilem ſentit. Secundum quoniam in febribus putridis calor prẽter naturam corpori inductus proprio tactu dignoſcitur. Tertium, nam pari ratione diceres oculum non debere eſſe nudum atq; omni colore priuatum, vt colorẽ ſentiret, quod Ariſt. affirmauit: liquidem quamuis colorem ſibi ſimilem non perciperet, vti neque tactus parem calorem: ſentiret tamen coloratus oculus colorem maiorem, vt tactus calorem maiorem. Ad hęc tamen dicemus, illam ex Ariſto. ſententiam veram non eſſe, qua dixit, ſenſibile ſuppoſitum ſenſui non ſentiri. In omnibus etenim ſenſibus præſertim etiam in tactu contrarium experimentum docet, nempe ſenſibilia intimè adpoſita, ac ſuperpoſita organo ſenſus, ſentiri. Quod autem dixit, ſenſum debere eſſe in potentia ad ſenſibile: in propriis ſenſibilibus verum eſt, in omnibus non verum. Nam tactus magnitudinem ſibi parem, vt diximus, ſentit, & vbi membrum aliquod validè diſtendatur & a diſtendentibus diſrumpatur, motum ſolutionis partium ſibi intimum ſentit, & oculus ſibi parem quantitatem & ſimilem figuram videt. Quod tamen attinet ad propria ſenſibilia, dicemus linguam ea ratione infarctum ſaporem amarum aduenientẽ cibo ſentire: quoniam cibus ex commixtione ſaliuæ amareſcit, atque ita ſapor amarus vt externus ſentitur, atque pars linguæ alterius partis amarorem perſentiſcit. Sic etiam & in febribus putridis calor in diuerſis partibus, aliàs inæquales, à minus affectis ſentitur. Soni verò interni, quãuis iuxta organum ſint, & volitãtia intra oculos videantur, ſuprapoſita quidẽ ſunt organis ſenſuum, à quibus organa ſunt denudata, atq; ad eadem impotentia. Quod autem dixit Ariſto. oculum omni colore priuari, vt colores percipiat, de apparẽtibus coloribus falſum eſt, nam oculi colores habent apparentes, vel ipſo autore lib. 5. de Gene. ani. de veris autem, verum dixit. Neque tamen ſequitur vt oculus coloratus eſſe poſsit, & colores maiores percipere, vt in tactu circa primas qualitates fieri videmus. Oculus namq; verè coloratus, opacus eſt, & viſum terminat, quoniam color autore Ariſt. eſt extremitas perſpicui in corpore terminato: opacum autem, ſiue terminatum, perſpicuum non eſt, oculus autem ad viſionẽ perſpicuitate indiget. Falſa igitur eſt ſententia Ariſt. quam ſæpe repetit libro ſecũdo de Anima dicens: Senſibile ſupra organum ſenſus non ſentitur. Fallitur quoque libro eodem cap. 2. dicẽs: Inſtrumentũ autem id quo dictæ qualitates ſentiuntur, & in quo primo ſenſus is collocatur, quem appellare cõſueuimus tactum, pars ea ſanè eſt, quæ eſt potentia talis: ſentire namque pati quoddam eſt, vt diximus. Quare id quod agit, tale illud facit quod eſt potentia, quale ipſum eſt actu. Quocirca ſimile calidum atque frigidum, & durum, aut molle nõ ſentimus, ſed exuperantias. Hæc Ariſt. quo loco de coloribus & viſu idem ſubiungit: vt enim probatum eſt, magnitudo & figura ſimiles percipiuntur, & quies, quã ſenſibile commune eſſe autumat Ariſt. ab oculo quieto percipietur, pariter quoq; & à tactu quieſcente. Tribuit verò humani corporis natura tangẽdi vim omnibus corporis partibus: quoniam neruum ipſis inſeruit, & quibus nõ inſeruit, eas membranis obuoluit & neruum eis implantauit: Senſus tamẽ alios ſignatis tribuit particulis. Neq; enim omnibus erãt opportuni: nam guſtus pedi eſſet omnino inutilis, quemadmodum & viſus: quibus tamen ſenſum quemuis alium dedit, tangendi vires demandauit, tuendi corporis gratia. Nã ſingulæ partes & totum ipſum corpus, ab externis rebus quæ vim alterãdi habẽt, corrũpi poſſent, niſi tactu tuerentur, & oculus nõ minus à calidis, aut frigidis, aut ſiccantibus corrũpi poſſet, quã manus. Egebat igitur oculus ad tutelã, tactu dignoſcente

Tactus omnibus ſenſuum externorũ organis inest.

vtile ab inutili,& salubre,à lethali.Simili ratione tactionem linguæ, & gustui copulauit,& reliquis sensuum organis:gustum autē linguæ tantum, quoniam quę corpus nostrū ingrediuntur,varias alterandi vires nācisciuntur,quas tactui non ostendūt,& gustus eas præsentit.interim dū manduntur, aut saliua liquescunt,suos sapores,atq; internas vires pandētia.Iam enim saliuæ mixtione aliqua ex parte de potentia in actū transeunt. Tribuit quoq; natura neruis omnibus tāgendi vim,quāuis ad alios fines fuissent creati. Nam & nerui omnes sensibus demādati externis,facultate tactoria prediti sunt,sicuti nerui seruiētes motui locali,qui musculis inserūtur.Cùm igitur nerui quidē seruiant sensui, quidā motui, motiui sentiūt,sensitiui nō mouēt:robur verò maius ad motum quā ad sensum exigitur: quoniam motus actio est, sensus passio. Quamobrem meritò in dubiū vertit Gal.li.1.de locis patiētibus,Quo pacto fieri possit,vt pars aliqua sentiendi facultatē amittat, non amissa facultate mouendi. Quod cōtigit Pausanię Syro sophistę,vt lib.3.meminit.Inquit enim,Sanè Pausanias Syrus sophista,cū Romam aliquando venisset,secundum duos minores sinistrę manus digitos,atq; medij partē mediam,sensum in primis quidem difficilem habebat:postea malè curantibus medicis,sensum omnino amisit. Meminit eius li.3.de Anatomicis administrationibus, vbi historiam totā trāligit. & lib.1.de Locis pat.dixerat.Occurrit mihi quidā medicamētum tribus digitis adhibitum ostendēs,dixitq; triginta iam diebus,sensificā ipsorum facultatem se amisisse,illęsa seruata motione.Quod dubiū à medicis sui tēporis fuisse agitatū paulò infrà refert,dicens,Sed orta est inter medicos quęstio,quę nam sit neruorū dispositio,vt per ipsam,seruato eorū motu,sensus pereat.Equidem idipsum dicebā quod priores medici dicere solebant quod scilicet sentire per affici,moueri,per facere aliquid explicatur. Quapropter vt aliquis moueatur opus est robore:sed vt sentiat, vel minima facultas sufficit. Quú me recte me hunc sermonem dixisse putarent,quid igitur,inquā? Num vidistis aliquando contra euenire quā vt seruato sensu motus periret? Quāuis hoc cū proposita ratione pugnare videtur, in partibus motis illis quidē,non verò sentientibus: etenim quod ad hanc rationē pertinet, fieri haud quaquam potest,vt perdito sensu, motus à volūtatis imperio prodiēs seruetur. Rursus orabāt, vt causam explicarem,quamobrē vtraq; appareant,Hæc Gal.ex Copi versione.Præbuit autem errādi occasionem Copo, græcus codex mendosus, in quo sic habetur præsens locus, ζήτησις ἐγίνετο τοῖς ἰατροῖς, ὅτις ποτ' ἂν ᾖ διάθεσις τῶν νεύρων ἐν ᾗ τὴν μὲν κίνησιν αὐτῶν σώζεσθαι συμβαίνει, τὴν δ' αἴσθησιν ἀπόλλυσθαι. κἀγὼ τὸ λεγόμενον ὑπ' ἐμοῦ τοῖσι τῶν ἐμπροσθεν ἰατρῶν ἐλεγον. ὡς ἡ μὲν αἴσθησις ἐν τῷ πάσχειν, ἡ δὲ κίνησις ἐν τῷ ποιεῖν τί γένεται. καὶ διὰ τοῦτο χρῆναι μὲν δι' ὑγιοῦς κινεῖσθαι, τὴν δ' αἴσθησιν ὁμοίως καὶ βραχυτάτην δύναμιν ἀρχὴν, δ' ὁξαντες ὑπ' αὐτοῦ ὀρθῶς εἰρῆσθαι τοῦ λόγου, τί οὖν εἶπεν, οὐ κατὰ τοῦ ναντίου ἐνθάσσεσθαι πόδε, τὴν αἴσθησιν σωζομένης ἐκλελοιπυῖαν τὴν κίνησιν. & reliqua quę ibidē sequūntur,Hæc litera mēdosa est,duobus in locis: quæstiones nāque duæ quæ à Gale.habētur in hoc loco euersæ sunt.Nā prima quæstio est, An fieri possit dispositio aliqua neruorum per quam contingat motum seruari pereunte sensu? Cùm tamen dicendum potius foret, An sit dispositio aliqua neruorū per quam sensus seruetur, pereunte motu? Hæc enim quęstio solutioni quæ statim sequitur,consonat:inquit enim: Ego verò quod à medicis dici solebat,dixi,quòd sensus passione, & motus actione constitit: & propterea ei qui mouetur,robore opus esse: sentienti verò vel minimā facultatem sufficere.Verùm hęc ratio à Galeno addita,nō conuenit cū quęstione: ineptè enim dictū esset,propterea quòd sensus eget pauco robore viriū ipsum perire,nō pereunte motu: quinimo contrariū sequi videtur:minus enim deficiēt vires, quæ minori egēt robore.Prima quæstio mutanda est in græcis codicibus,& in latinis Copi, nam vbi habetur, τὴν μὲν κίνησιν αὐτῶν σώζεσθαι συμβαίνει τὴν δ' αἴσθησιν ἀπόλλυσθαι. legēdū, τὴν μὲν αἴσθησιν αὐτῶν σώζεσθαι συμβαίνει, τὴν δὲ κίνησιν ἀπόλλυσθαι.hoc est sensum ipsorū seruari,cōtingit,amisso motu. Et quoniā secūda quęstio, vt Gal.inquit,fuit huic cōtraria simili modo inuertēda. Vbi em̄ sic habetur τῆς αἰσθήσεως σωζομένης ἐκλελοιπυῖαν τὴν κίνησιν. legendum, τῆς κινήσεως σωζομένης ἐκλελοι-

An motus neruorum sine sensu & sensus sine motu cōsistere potest.

Locus mendosus in græcis codicibus.

πνίγη τὴν αἴσθησιν. quod est, Vt seruato motu, sensus pereat. Prima itaq; quæstio facilè à Ga. soluitur. Quo pacto fiat, vt motus pereat seruato sensu. Nã ii maior vis exigitur ad motũ quàm ad sensum quoniã motus est actio, & sensus passio, poterit quis languẽtibus viribus sentire, non tamẽ moueri. Secũda quęstio difficilior est, Quo pacto cõtingere possit, vt pereũte sensu, motus maneat, quod Paysanias Syrus sophista passus est. In duobus nãq; digitis minorib⁹, & dimidio medij, amisit sensum & nõ motũ. Probè quidẽ Gal. soluit hoc dubiũ cum priore, lib. 1. de Causis sympto. Nã si nudata cute musculus de subtus sentiat, & nõ moueatur, parua est neruorũ læsio, quæ impedire motũ potuit, & non sensum. Si tamen cutẽ ipsam quis tetigerit, & sensu priuatam inuenerit, adhuc partis motu manẽte, neq; id mirũ erit, quemadmodũ mirũ non est, vnum musculum lædi, altero illæso manẽte, tùm per diuersos neruos sensu, & motus exerceantur: verũtamen vnũ & eundem neruũ amittere sensum, nõ amisso motu, difficile, & penè impossibile videtur, Quamuis ad id comprobandum quidã proponat ad motũ & sensum diuersa tẽperamenta esse opportuna, & maiorẽ siccitatem exigi ad motum, quàm ad sensum. Vbi ergo plus iusto altera temperaturarũ varietur reliqua inuariata, altera harũ facultatũ deficit, reliqua manente, siue ipsa sit mouens, siue sentiens. Quod naturalium facultatũ exemplo probat. Cùm enim in quouis mẽbro quatuor sint, læso temperamento seruiẽti vni earũ ipsa deficiet, aut lãguescet, reliquis illæsis. Ego verò vnicũ tẽperamẽtũ vni neruo statuto, quod tactui, & motui seruit, præterquã quòd neruus motiuus cũ siccior aliis sit, qui sentiũt & nõ mouẽt, ob siccitatẽ nõ adeò ꝓbè sentiet: is verò neruus animalẽ facultatẽ recipit: quæ vtriq; seruit: nẽpe motui, & sensui. Cùm tamẽ musculis inseritur, quamuis sensum nõ amittat, motui ministrat. Iam verò ad obiectũ, quod sensu tactus deprehẽditur per se, primò trãseamus. Id aũt in multiplici genere cõsistit, & diuersis cõtrarietatibus cõprehẽditur: percipit nãq; tactus calidũ, & frigidum, humidũ, & siccũ, molle, & durũ, asperũ, & lene, graue, & leue. Vnicus tamen sensus is est, quoniã vnico organo ac tẽperamento hæc omnia perficiũtur: sensus quidẽ omnis dissimilis est sensibili, atq; ab ipso alienus, quare æquè calida, aut frigida nõ sentimus: Sensatio nãq; passione fit, qua organũ sensus à sensibili patitur, sentitq; alterationẽ & obiectũ alterans. Cũ ergo similia neq; agãt neq; patiantur inuicẽ ob temperamenti similitudinẽ, ea neq; alterabũt, neq; sentiẽtur. Habent quidẽ calidum, frigidũ, humidum, & siccũ, maximas alterãdi vires, quibus nostrũ opus mutãt, à sua naturali tẽperatura. Molle quoque & durũ sentiuntur tactu: quoniã, vt inquit Plato in Timæo, molle est quod cedit carni, durũ cui caro cedit. Quoniam igitur carni dissimilia sunt, id est organo tãgẽdi, (nõ enim distinguit ibi Plato carnẽ à cute interna) ab ipso sentiũtur, cõprimentia organũ, aut ipsi cedẽtia: Arist. quoq; molle & durũ definiuit li. 4. Meteoro. c. 4. dicẽs, Durum est quod per summa in sese nõ refugit, molle verò τὸ ὑπεῖκον τὸ μὴ ἀνίστασθαι εἰς αὑτό id est, quod cedit, & nõ secedit in ambitũ. Et li. 2. de Genera. & corrup. c. 2. dixit, μαλακὸν γὰρ τὸ ὑπεῖκον ὡς ἑαυτὸ καὶ μὴ ἀνθισταμενον. quidam legunt, καὶ μὴ μεθισταμενον. quod est, Molle quidẽ, quod in seipsum cedit, & nõ se cedit. Distinctius certè, mollis naturã, explicuit Arist. quã Pla. nã quę parũ firma sunt, cedũt quidẽ tãgẽti, etiãsi mollia nõ sint: verũ nõ in seipsis, vt mollia. Pręterea nõ tantũ cedũt, sed etiã secedũt: quod mollia nõ faciũt. Aspera quoq; & læuore prædita tactu sentiũtur, quãuis hęc ad figurã reduci possent, & inter sensibilia cõmunia recẽseri. Nã & visus asperũ, & læue agnoscit, licet nõ adeò exactè, vt sensus tactus. Graue quoque, & læue, quoniam deprimũt, ac subleuant, tactu dignoscuntur: hæc verò motibus adiacẽt: quare grauitatẽ, & leuitatẽ meritò possemus communibus adscribere sensibilibus, & motũ solũ sensu dignosci asserere. Posses quoq; cum Arist. ipsa cum sensibilibus propriis tactus recenseri: quoniam & si qualitates hæ, nempe grauitas & leuitas, sine motu sentiri non possint, ipsa suã efficiũt immutationẽ, à motu diuersam. Sunt præter hæc & multa alia quæ tactũ immutare possunt interstite motu, atq; doloré, aut delectationẽ inferre,

Motus sine sensu in vnico nerno an existere possit.

Tactus obiecta varia.

Molle & durum.

vt cõprimentia, distrahentia, contundentia, secantia, distrumpẽtia, exedentia & erodentia. Estq; his & aliis cõmune mutationis ratione, aut sentiri tantum: non tamen doloré aut delectationẽ afferre, aut sentiri cum delectatione, aut tristitia. Nam quæ calefaciunt & infrigidãt, & quæ cõprimunt, distrahunt, contundunt, secant, distrumpunt, aut erodunt. Si hæc sensum efficiant, aut omnino sensum effugiẽt, aut sine dolore, aut delectatione mutabũt. Quòd si vehementius mutauerint, sentientur, atq; doloré, aut delectationẽ pariẽt. Hæc Plato in Timæo docet dicens: Pathos præter naturã violẽter, & affatim incidens dolorem excitat. Quũ verò ad naturalẽ habitũ redit, idq; rursus affatim, delectationem inducit: at quod sensim paulatimq; fit, sensu non percipitur. Rursus in Philebo Socrates inquit: mutationes quidẽ magnæ voluptates doloresq; afferunt: mediocres autẽ & exiguæ minime. In generatione doloris Hippo. ante Platonẽ, eandẽ scripserat sententiã. Nam lib. de Homine dixit, Ab his quę naturam mutant, atq; corrumpunt dolores excitãtur. Corrũpi autẽ naturã hoc in loco idẽ est, quod violẽter & affatim ipsam mutare: cùm verò duplex sit nostri corporis natura, idest, naturalis cõstructio: quædã ex simplicibus & primis elementis, à quibus mẽbra homiomera cõponuntur: quædã ex organicis, quæ ex simplicibus constãt, & eis cõmunis sit vnitas. Quæ alterãt simplicia mẽbra, naturã eorũ mutantia affatim doloré efficient: quæ verò continuitatẽ affatim soluunt, quoniã vnitas vtiq; naturæ cõmunis est, in simplicibus, aut in organicis doloré efficere poterunt, ipsorũ naturã corrũpentia. Quod Hipp. dixit, At verò quod de dilectatione Plato voluit ipsam fieri, vbi affatim fiat ad naturalem habitũ reditus, dubiũ est, & Hipp. documẽtis repugnãs. Inquit, enim apho. 51. sectionis. 2. Plurimũ atq; repẽtè euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis modo corpus mouere, periculosum: quoniã omne nimis naturæ inimicũ: sed quod paulatim fit, tutũ est, tum aliàs tum cùm ab altero in alterum fit transitus. Vehementẽ ergo omnẽ & affatim factã mutationẽ vituperat Hippo. Et Gal. lib. de Inæquali intẽperie, & 12. lib. de Meth. me. subitam mutationẽ ad dispositionẽ naturalem doloré inferre dicit, Exẽplo eorum qui refrigerati subito ad ignem accedunt: dolore namq; circa vnguium radices adeò vehementi vexantur, vt ipsum perferre non possint. Verùm hęc Gal. aut illa Hippo. sententia non aduersatur his quæ à Platone dicta sunt. Plato enim dolorem & delectationem negat fieri absq; motu vehementiore, atq; confertim facto: non tamen necessum est ipsum valde vehementẽ esse ad delectationem, neq; valde subitum. Nam etsi mutatio omnis valde vehemens & valde subita, dolorem efficiat ad delectationem inferendam adeò vehementes motus non sunt opportuni, sed qui & amfertim fiant, & non valde vehementes, aut celeres sint: quod Hippo. minis appellauit, ac naturæ inimicum esse dixit, talis est subita à refrigeratione in calorem mutatio, quæ dolorem efficit apud Gal. locis citatis. Delectatio tamen conferto motu eget: eo inquã, qui sensum moueat, nam quæ sensum nõ mouent, nec delectant, nec contristant. Quod si ita est vt Plato indicauit, omnem confertim, factam mutationem in id quod præter naturam est, doloré inferre. Et pariter quod dixit Hipp. omne quod naturam corrũpit efficere dolorem, omnes sensus doloré patientur, quod & verum est, & Gal. testatur li. 1. de Causis symp. dicẽs: delectatione verò ac dolore omnes sensus affici possunt. Ratio tamen id probat: nam si doloré efficiũt quę sensum corrũpunt, & excellẽs sensibile, vt inquit Arist. corrũpit sensum, omnes sensus patientur dolores: quoniã eis offerri possunt excellentia sensibilia: non tamẽ cõsimiles dolores pati assueuerũt: sed quò sensus quiuis crassiori, & magis terrena substãtia cõstat, eò vehementiores patitur dolores. Nam organum & obiectũ quãuis dissimilia sint, natura coincidũt: terrenæ siquidem & crassę naturę sensus ab obiectis crassioribus immutãtur, tenues verò à tenuioribus: crassa verò obiecta validiorẽ multo habent immutandi potentiã, & organa validiores sustinent mutationes, nondum ipsis dissolutis, aut corruptis facultatibus. Inde fit, vt visus cuius organũ tenuioris substantiæ est reliquis, & obie

Dolorem atque delectationẽ efficientia.

Delectatio an fiat affatim facta mutatione.

Sensus omnes dolore & delectatione affici.

& obiectum simili modo, minus doloribus crucietur reliquis sensuum organis. Secundum locum habet auditus: quoniam aereus est: tertium olfactus: quoniam vapori respondet, qui paulo crassior est aere. Deinde sequitur quarto loco gustus, qui respondet aquæ crassiori aere: maximos tamen cruciatus patitur tactus, terræ respondens, cui se offerunt obiecta vehementi alteratione mutantia. Visus itaque dolore afficitur quoties ab intensiori albedine, aut splendidissima luce mouetur: displicent enim hæc, ac disgregant visum, visorium spiritum ad se substantiæ, & naturæ similitudine educentia. Nigredo quoque immodicè aggregãs, dolorem mouet: medij tamen colores cùm nullam vehementiorem efficiant mutationem, grati sunt, vt cæruleus, quamuis in præternaturalibus dispositionibus extremi colores, nonnunquàm delectent, vt eos qui ab albedine diutius passi sunt, niger color delectat: & econuerso, color albus delectat eos qui diutius passi sunt à nigro colore. Quoniam contrariorum colorum oblatio in cõtrarium labentes oculos reparat, & ad naturalem statum restituit. Delectant verò quæ reducũt corpus ad naturalem statum affatim quidem, sed non admodum violento motu, & celeri. Auditum quoque vehementius mouentia dolorem inferunt, vt voces asperæ, graues, maximæ, strepentes, inæquales, & tonitrus vehemens homines quandoque surdos reddit: quemadmodum & auditum delectant, quæ aures demulcẽt, vt consonantiæ, & melodiæ, & vocum cõmensuratus concentus. Olfactum quoque odores vehementius immutantes dolorem, ac delectationem inferũt: verùm maiorem quàm quæ auditum mouent, vt & ea quæ attinẽt ad auditum vehementius dolorem commouent, quàm quæ attinent ad visum. Aristoteles tamen odores omnes cum dolore aut delectatione sentiri dixit, quod superius nõ probauimus. Gustus autem adhuc vehementius alteratur, vt docet experimentum (nam vehementes dolores mouent amara ei oblata) à saporibus tamẽ moderatis delectatur, vt à dulcibus, qui non declinant à naturali habitu, & à pinguibus exasperati, & ab extremis vbi prauè affectus fuerit sensus. Nam gipsi & carbonum sapor austerus, in substantia terrena & siccissima situs, eos delectant, qui multa redundant pituita, humido humore, vt indicant nobis fœminæ malaciam patientes. Dolores verò, qui maxime propriè tales dicuntur tactum vexant, & nonnunquàm vehementissimi, ita vt visi sint qui elegerint mortem, potius quàm adeò graues perferre dolores: & alij sibi ipsis mortem conciuerint: causa verò est sensus crassitudo. In hoc quidem sensu vti obiecta multorum generum sunt, ita & dolores diuersi generis nolentibus nobis tactui innotescunt. Sunt namque quidam dolores grauantes, quidam tendentes, quidam mordentes, quidam pungentes, alij pulsantes, quibus contrariæ sunt delectationes, cum tactus ad naturalem statum redit affatim. Quod à mediis fit, & à cõtrariis non in extremo. Nam qui supra modum refrigeratus est, si à calore extremo alteratus ad naturalem reducatur habitũ, dolorem sentiet: si ab his quæ lentè admodum mouẽt mutetur, motum non sentiet. Si verò vel à mediis, vel à contrariis, non tamen extremis reducantur, delectationem sentiet. Quod docent corpora, dolorem tensiuum, aut grauantem sentientia. Ea namque excreto humore, aut dissoluto, aut cocto, & in qualitatem corpori similem conuerso, delectantur: veluti & vbi quis lassitudinẽ ab immodica exercitatione senserit, quiete in contrarium statum deducto corpore delectatur: sic & ex dulci oleo fotus, & aquæ dulcis tepidæ balneum lassitudines recreat, & lassata corpora delectat. Quemadmodum & mollis ac blanda manibus facta attrectatio dolores ingentes sedare quotidie cõspicimus. Calidi quoque succi in corpore redundantes atque mordentes, à naturali statu seducunt corpus: quorum excretio delectat: quoniam dum calidus succus excernitur, corpus ad temperamentum reducitur. Seminis quoque retentio contristat partes in quibus retinetur, quantitate grauans, & qualitate mordens. Cuius excretio magnopere delectat, ita vt tristitia præcedens, delectationi excretionem sequenti conferri non possit. Quæ verò exterius admouentur partibus aut dolentibus, aut vtcumque prauè affectis, vbi corpus mutando ipsum reducant ad naturalem habitũ, delectationem afferre

Dolores in sensu tactus.

nemo

Doloris ratio inuestigatur.

nemo est qui dubitet. Dolor autem atque delectatio non tantùm in sensu fiunt, sed & in intellectu, in quo tristitia & lætitia appellantur. Sunt autem hæ potentiæ cognoscentis passiones, quæ cognoscit quod molestum est, aut quod gratum. Ad voluntatem tamen attinet præcipere fugam aut prosecutionem. In sensu id notissimum est: dolor namque tristis sensus est, & delectatio contrarius sensus. Inquit enim Gale. lib. 2. de Locis pat. cap. 1. Quippe vt dolor tristis sensus est, ita voluptas blandus est sensus. Sic & lib. 7. de Placitis Hippoc. & Plat. dolorem non esse alterationem dixit, sed alterationis sensum. Nec tamen omnis talis dolor est, sed rei contrariæ affatim mutantis: quem sequitur appetitus auersionis: quemadmodum delectatio sensus est gratus rei affatim mutantis, quem sequitur appetitus prosecutionis, ita quoque in intellectu cognitio rei molest.æ, molestia, & tristitia est, qua quidpiam ægrè ferimus. Hanc vero cognitionem sequitur appetitus auersionis: is est in voluntate imperante, atque eligente. Lætitia verò cognitio est obiecti grati, quam sequitur voluntatis actus, quo præcipit prosecutionem. Quòd si obiecta vehementius immutauerint opiniones boni, aut mali accedent, quæ cor, atque irascibilem eius facultatē mutare valebunt, fiéntque animi perturbationes, quarum suprà meminimus. Quod verò dolores diximus generari à causis mutātibus, inde notum est, quòd causæ quæ alias mutarunt non sentiuntur. Sed interim dum mutant, sensúmque mouent: indéque hectica febris non sentitur, neque vlcus inueteratum, nisi ad ipsum noua fluxio concitetur, quæ tunc quoque cōtinuitatem partium soluat. Quod igitur hoc in loco statuimus & affirmamus est, delitiam, aut tristitiam in rationali anima non attinere ad voluntatem, sed ad intellectum. Sunt enim cognitiones rerum conuenientium aut aduersantium, ea ratione qua tales sunt: voluntatis autem est, hæc eadem cognita, delectantia, aut cōtristantia, velle, aut nolle, ac imperare ipsorum fugam, aut prosecutionem. Sic etiam in sensu omni cognitio rei gratæ, delectatio est, & ingratæ dolor, modo dicto. Sed hæc sequitur appetitus sensitiuus, cuius est id amare, aut odio habere, & imperare auersionem, aut consecutionem. Docet idem appetitus ventriculi, qui fames appellatur: nam fuctio sentitur ab ore ventriculi, & is tristis sensus est. Nihil autem refert, aut tristem sensum dicere, aut tristitiam. Hæc igitur in sensu consistit, appetitus autem, animæ desiderium est, quo cupit à tristitia releuari, quemadmodum re grata oblata, sensus delectabilis oritur: hic verò à delectatione non differt: verùm inde sequitur appetitus ad consecutionem, aut permanentiam cum re delectante. Nec tamen his repugnat quod Hippoc. lib. 6. de Mor. po. parte prima, sectione 8. dixerit: In Cranone dolores antiqui frigidi, noui verò calidi. Neque quod Apho. 6. sectionis 2. dixerit, Quicunque dolentes aliqua corporis parte plurimum dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. Nam dolorem quandoque Hippoc. appellat dispositionem, à qua dolor efficitur. Quomodo rectè dictū est, dolores quosdam calidos, & quosdam frigidos: quoniam dispositiones à quibus dolores fiunt, quædam calidæ, quædam frigidæ sunt. Et dolorem sentiri, id est dolorem inferentem dispositionem, optimè dixit Hippoc. Neque Gale. aut nostræ aduersatur sententiæ, qui dolorem ipsam sensionem dicimus: sic quoque & Galen. lib. 7. de Placitis Hippoc. & Plato. colorem vtramque acceptionem habere testatur. aut pro sensu, aut pro causa sensum doloris inferente. Nec probant quippiam, qui dolorem sentiri posse rationibus conātur suadere, inquiunt enim: Dolor est signū quod ostendit, in corpore adesse intemperiem, aut solutam continuitatem: sed signa sensibus subiiciūtur: ergo tactus dolorem comprehendet. Nam dolor non agnoscitur sensu tactus, sed doloris causa, dolor tamen ipse cognoscitur à sensibus interioribus, vt reliquæ sensationes, aut ab intellectu, cui signum est indicans solui vnitatē, aut distemperari partem. Nec id probant, cùm inquiunt, Sensus datus est animalibus ad cognoscenda ea quæ noxam inferre possunt. Sed dolor nocet, quoniam languidas reddit vires, ergo dolor sentietur. Hæc namque ratio inualida est. Nam non omne quod nocere potest sentitur, vt constat de factis intemperantis. Licet enim tactus datus sit animali, ad comprehendendas tangibiles qualitates, quæ delecta-

Dolores à causis quæ mutant fiunt.

Delitia & tristitia in rationali anima ad quàm attinent facul.

Dolor sentiri non potest.

tionem

tionem,aut dolorem afferunt eas quæ non immutant actu,quamuis noceant, non sentit. Neq; etiam eas quæ cum nocent, sensui non subiiciuntur, vt sensationes, de quarum numero est dolor. Sentit autem tactus causam dolorem inferentem, quæ per se nocet, vnum tamen hoc in loco prætermittendum non est, quod ab aliis longis ambagibus fuit disquisitum. Id verò est, doloris obiectum siue immediata causa, quod nos breuius quo fieri possit perquiremus. Auerrois lib.3. collectionum, solam intemperiem dixit, posse dolorem efficere: solutionem verò continui, non ex se, sed quoniam coniunctam habet intemperiem: ratio est inquit, quoniam sensile commune sentum mutare non potest, nisi intermedia specie sensilis proprij: propria autem sensilia sunt, qualitates tangibiles,& vnitatis solutio est sensile commune: ergo vnitatis solutio per se, aut immediatè dolorem non efficit, sed intermedio proprio sensibili. Rursus ad idem probandum accedit, quòd eo modo quo se habet visus ad visibilia, ita tactus ad tangibilia, sed visus omninò nihil videre potest nisi colore specie accedente: ergo neque tactus quippiam tangere poterit, nisi intermedia similitudine qualitatis alicuius per se tangibilis. Potest autem (vt inquiunt qui Auerroem insequuntur) vnitatis solutio disponere ad doloris generationem, quoniam vnitatis solutionem sequitur intemperies, quæ immediate sentitur: mediatè verò ipsa vnitatis solutio. Sed tamen neque Auerrois, neque eius assecłæ saluare possunt multa experimenta, quæ docent, solam vnitatis solutionem nulla accedente intemperie, dolorem efficere: veluti si acus pungat neruum: nulla enim accedet intemperies. Rursus vbi pars aliqua vehementius distrahatur, & vbi distracta disrumpatur, dolebit nulla accedente intemperie. Quòd si dixeris, vt ipsi, vnitatis solutionem afferre intemperiē, id falsissimum est. Nam si vnitatis solutio in ære fiat temperato,nō est vnde intēperies accedat. Præter id quod acus pungens neruum sibi tantùm viam ponat, per quam interim aer non ingredietur, neque etiam ab internis partibus affluente sanguine intēperies aduenier: Quoniam ante sanguinis affluentiam dolor adest, in momento temporis factus, in quo nondum sanguis effluxit. Adde quòd dolor fluxionem sanguinis antecedere solet, & fluxio dolorem sequitur. Quæ verò in continuum adducta sunt, facilè soluuntur. Nam sensibilia communia propriam speciem sensibus imprimunt, & visus à longè videt magnitudinem nullo colore percepto. Auicēna tamen non nouit Galeni mentem, dicens, ipsum voluisse solam vnitatis solutionem posse dolorem efficere, neque qualitatem aliquam mouere dolorem, nisi quoniam vnitatem soluit, idque in omnibus sensibus esse verum. Nam in visu dolor fit, aut à colore albo immodicè disgregante, aut à nigro immodicè congregante, & in gustu & reliquis: In tactu tamen calidum quoniam disgregat, & frigidum, quoniam congregat: quod verò immodicè congregat, ab aliis proximè sitis partibus segregat, ac vnitatem separat. Sumpsit autem Auicennas errandi occasionem ex his quæ à Gal. scripta sunt, lib.1. de Causis symptomatum. cap.6. quo in loco postquā causas dolorum in sensu tactus enarrauit, deinde in gustu dixit. Porrò gustandi quoque instrumentum quatenus tactione participat, à prædictis causis diuellitur, quatenus verò ad gustum propriè pertinet, ab amaris, acidis, acerbis, atque acribus: quandoquidem horum singula, vt demonstratum est, cōtinuum diuidere possunt. Rursus vapores ab his rebus elatos odoratum infestare continuum diuellēdo dicit, & auditum soni, magni, asperi, celeres, & graues, quia continuum soluunt, & visum offendere illustrissimos splendores: quia ipsum discriminant, & ea discretio, diuisio est. Et addit: In omnibus verò sensibus vnum commune deprehenditur, nempe pathos quod molestum est, indiscretione simul & diuisione continui, vniusq; corporis consistit, si modò affatim inciderit. Ex his videtur Auicen. colligere in omni sensu dolorem excitari, sola vnitatis solutione. Verùm, vt notum est exercitatis in dialecticis, non sequitur, dolor in omni sensu excitatur vnitate

Doloris causa disquiritur.

Auerrois de causis doloris.

affatim soluta,ergo omnis dolor in sensu fit affatim vnitate soluta: ex indefinitis namque non sequuntur vniuersales. Nam Galen. ipse à causis contundentibus dolores fieri asserit, quamuis continuum non soluant, vbi ad id soluendum proximè accedant: inquit enim loco citato. Quippe res quæ ita contundunt, aut intendunt, aut corporibus rupturæ periculum afferunt, planè inter dolorum causas numerandæ sunt. Et de causis alterantibus lib. de Inæquali intemperie inquit. Immodicus verò calor ac frigus proximè accedunt, vt vnitatem soluant, plurimus quidem calor, dum segregat ac diuidit substantiæ continuitatem. Summum verò frigus, tum stipando, tum introrsus pariter tundendo, quædam exprimit, quædam quassat, in hoc loco calorem & frigiditatem, cùm modum excesserint, proximè accedere dicit, vt continuum soluant. Quo fiet vt dolor ab eisdem eueniat, antequam continuum soluant, vbi ad id proximè accesserint. Præterea Gal. multis in locis mentem suam exposuit, doloris causas explicans, intemperiem, & vnitatis solutionem. Nam lib. 12. de Metho. me. inquit. Porrò naturalis notitia nos docet vitium illorum corporis ex quo sit dolorum, aut continuitatis diuisionem esse, aut alterationem aliquam. Et rursus infrà inquit. Quoniam id quærimus, quemadmodum in morbis dolore affligamur, vbi nihil nobis extrinsecus triste appropinquat: necessum est aliquam talem causam in corpore quæramus, quæ scilicet vehementer calefaciens, aut refrigerans, aut substantiam sensilis alicuius corporis diuidens, nos excruciet. Ad primum illud speculabimus, cuiusnam esse naturæ debeat, quod continuitatē diuidet. Necesse igitur est vel ruptionem, vel contusionem, vel erosionem esse affectum eum qui diuisionem continui faciat. Quo in loco Gale. non tantùm seiunctim meminit caloris & frigoris, vt causarum doloris, sed cùm causas recensuit, quæ continuitatem soluunt, eorum non fecit mentionem: ac si vellet calorem & frigiditatem dolorem efficere absq; solutione continui. Et lib. Artis medicinalis cap. 80. inquit. Dolor autem quemcunque obsederit locum, aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit. Idem 2. de Locis patientibus capit. 1. & 4. libro cap 8. Duæ itaque sunt in genere causæ doloris, siue ipsius immediata obiecta. Cùm enim tactus dolorē patitur, alteram duarum causarum adesse coniicere oportet, scilicet intemperiem calidam, vel frig. vel vnitatis solutionem affatim inuadentes. At cùm Gal. sententiam Hippo. lib. 3. de fract. qua dixit, verisimile esse, omnem morbum vlcus esse, exponeret, affirmare visus est, ad omnem distemperiem sequi vnitatis solutionem, quę vel sensu, vel rationali contemplatione comprobetur, vbi hæc immoderata fuerit, hoc est morbum efficere valuerit: nec tamen dictis contradicit. An tamen humiditas, atque siccitas dolorem inferre possint, ex sententiis Galen. dubium videtur. Nam libro primo de Causis sympto, à causis dolorem inferentibus excludit siccitatem, & humiditatem, inquit enim. Porrò vehementes eueniunt in tactu à naturali habitu, transmutationes, ob violentum calidi frigidique occursum, atque ob eas res, quæ contundere, secare, extendere, aut erodere possunt. Nam siccitas, humórq;, nisi calori frigorive coniungantur, occursu suo vim inferre non consueuerunt. Quòd si dolores illata vi fiunt, & siccitas & humiditas vim non inferunt, non inferent dolorem. Eandem sententiam affirmare videtur, lib. 12. de Metho. med. cùm ait: Ergo si cepisse ab euidentibus conueniet: euidenter autem videntur eorum quæ corporibus nostris propinquant, hæc sola esse dolorifica, & quæ vehementer vel calefaciant, vel refrigerent, & quæ substātiæ continuitatem soluant. Ecce, vbi qualitates dolorificas solam caliditatem & frigiditatem recensuit. At verò Gal. quibusdam in locis cōtrarium sensisse videtur, vt lib. Artis medecinalis cap. 80. cùm inquit. Dolor autem quemcunq; obsederit locū, aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit. Soluitur autem cōtinuitas, incisione, exesione, fractione, & tensione: alteratur verò substantia, à caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate. Et lib.

Dolor an fieri possit a siccitate aut humiditate.

de

de Inæquali intemperie inquit. Quemadmodum mirus dixit Hipp. dum alteratscit ac corrumpitur natura, dolores fiunt. Alteratur autem, ac corrumpitur cuiusque natura, quum calefit, vel frigefit, vel siccatur, vel humescit, vel eius vnitas dissoluitur. In iis quidem intemperamentis quæ inæqualia sunt, excalefaciendo vel refrigerando potissimum: quippe quum efficacissimè qualitates hæ sunt, secũdo loco exsiccando, vel humectando. Hanc eandem mentem seruare videtur lib. 2. de Ratione vict. acu. comm. 1. vbi postquam doloris causas recensuit, alterationem subitam, & continui solutionem addit. Alterantur autem subito simúlque ab efficientibus qualitatibus, quum & calfiunt, & refrigerantur, & siccantur, & humectantur. Accedit adhæc, quod habetur lib. 2. de Compositione me. per locos, vbi de qualitatibus ipsis citra materiã loquẽs inquit. Vehementissimi igitur capitis dolores ex caliditate & frigiditate nascuntur: præsertim cùm inæquales extiterint mediocres, qui ex siccitate proueniunt, humiditates, nullus dolor comitatur, Hoc loco siccitatem inter doloris causas annumerauit. Nos quidem veritatem ac veram Galen. mentem esse asserimus, caliditatem & frigiditatem posse efficere dolores per se, siccitatem tamen & humiditatẽ ex accidenti tantum modo, Verùm ex accidenti dolorem efficere aliqua qualitas potest bifariam, vno modo quoniam efficiet dolorem vbi cum humore cõiungatur, alio modo quoniam efficiet ipsum vbi coniungatur cum alia qualitate, quæ suam acceleret actionem. Primo modo siccitas & humiditas efficient dolorem, vbi enim humori iungantur, potius humoris ratione, quàm qualitatis, dolor fiet. Ea igitur ratio est quare Galen. lib. 1. de Causis symp. à numero causarum dolorem inferentium excluserit siccitatem, & humiditatem, sicuti & lib. 12. de Metho. med. quoniam in eisdem locis eas tantùm causas recensuit, quę per se dolores concitant, Secundo modo siccitas calori iuncta dolorem efficit. Nam cõfertam actionem siccitas non infert, nisi calore motio acceleretur, aut à frigiditate comprimendo continuum soluat. Sed tamen ad eum modum humiditas dolorem numquam efficiet: quoniam si iungatur calori actio eius à calore impedietur, & calor ipsam quoque humiditatem corrumpit exsiccans. Si verò iungatur frigiditati dolorem & omnem sensum obtundet, ac minimè dolorem efficiet, humiditas quoq; compressionẽ à frigore, laxando impediet, cùm igitur hæc ex accidenti fiant à siccitate & humiditate, meritò à Gal. locis duobus citatis, de numero causarum dolorum exploduntur, sed obiicies sententiã adductam ex lib. 1. de Causis symp. vbi siccitatem atque humiditatem, dixit dolorem nõ efficere nisi cali. aut frigi. iungantur, ergo humi. iuncta eisdem efficiet dolorem. Dicemus humidi. exigere humorem siue materiam vt dolorem efficiat, cui necesse erit duas adesse, qualitatum contrarietates ac perinde caliditas, aut frigiditas accedent: sic etenim inquit, qui humectant, nullum prorsus dolorem inuehunt, quãtum ad qualitatem attinet. Calor ergo & frigiditas vehementer alterantes dolores concitare possunt, humiditas & siccitas nudæ, & aliis non coniunctæ nullatenus. Atque iure ab Arist. lib. 4. Meteorologicorum, calor & frigiditas appellantur qualitates actiuæ, humor & siccitas, passiuæ non quòd hæ duæ nõ agant, sed quòd aliarum duarum collatione lenta sit earum actio, & magis sint ad patiendum aptę, quàm ad agendum, ad ea tamen quæ in contrarium adduximus, eadem serie respondeamus, Ad primum dicemus, quòd Galen. lib. Artis medicinalis, quatuor qualitates alterantes dixit dolorem facere, quoniam recensuit causas per se, & causas per accidens, humiditas namque & siccitas dolorem efficiunt, ex accidenti, modis suprà dictis. Ad 2. ex libro de Inæquali intemperie dicemus, Galen. eo loco de intemperaturis inæqualibus loqui, quæ à fluxione ortum habent, quarum exemplum est phlegmone. Nos verò concedimus facilè ab humido aut sicco humore fluxione, dolorem fieri posse, qui potius humori, quàm ipsius humiditati erit adscribẽdus, Leonardus Fuchsius libro primo de Causis symptomatum com. cap. 6.

Dolorẽ efficere ex accidenti bifariam.

Fuchsij explanatio locorum Gal.

hæc duo loca aliter explanare contendit, dicens: Aliquid bifariam alteratur, primo quidem violenter, & confertim, secundò autem lento gradu, ac sensim. Quare diligenter admodum considerandum erit, à quibus qualitatibus vtraque alteratio fiat. Nam ea quæ violenter ac confertim alterat, atque adeo corrumpit ac dolorem infert, à calido & frigido duntaxat fit. Altera vero quæ citra violentiam & sensim alterat, adeóque nec dolorem excitat, nec corrumpit, ab humido & sicco. Quapropter vt diuersitatem hanc innueret Galen. dixit, Alteratur, & corrumpitur: alteratur scilicet, quum siccatur aut tumefcit: corrumpitur autem cum calefit, aut frigefit. Vult ergo Fuchsius distinctionem esse sumendam ex Galen. verbis: diuersa enim res est, alteratio à corruptione, ac posse calı. & frigid. confertim alterando corrumpere: siccitatem autem, & humiditatem alterare, non tamen corrumpere; verùm neutrum locorum rectè exponit. Quod enim attinet ad sententiam ex libro Artis medicinalis, aut Galen. recensuit causas dolorem inferentes alteratione, aut causas alterantes tantummodo. Si causas doloris, siccitas & humiditas sunt de earum numero: si causas alterantes tantummodo ineptè quidem, is qui inquirit dolorum causas, recensebit causas alterantes, quæ dolorem inducere non possunt. Quinimo Galenus subitæ alterationis causas annumerat: quoniam dolores dixit ostendere aut subitam alterationem, aut continui solutionem, & in exemplo alterationis subitæ, adhibet siccitatem & humiditatem. Idem etiam confutat explanationem loci ex lib. de Inæquali intemperie. Nam Galen. recensens causas doloris quæ alterant, atque corrumpunt, meminit siccitatis & humiditatis, & litera ipsa Galen. idem docet. Quum enim dixisset cum Hippo. libro de Homine, dolores fieri cum alteratur & corrumpitur natura, refert causas caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis. In tertio quoque loco superius citato ex lib. 2. de Ratione victus acu. Galen. de causis doloris cum materia coniunctis loquitur: est enim exemplum ibi pleuritis. Nos verò siccitatem & humiditatem dolorem ex accidēti facere posse non negamus. Ad quantum ex libro secundo de Compositione me. per locos, verum est ipsum loqui de mutationibus quæ fiunt à nudis qualitatibus sine materia. Verum siccitas, quæ mediocres dolores efficit, quamuis sine materia sit, calori, aut frigori coniuncta esse debet. Quod ipse Galen. sentire videtur: cùm enim de qualitatibus sine humore loquitur, mediocres dolores dicit fieri à siccitate, & non addit, citra caliditatem, aut frigiditatem. Verùm cùm statim loquitur de ipsis humori iunctis, siccitatem dicit dolores mediocres facere, citra calorem, aut frigiditatem conspicuam: Quoniam alterum horum sibi visum est necessarium, vt siccitas dolorem efficiat: nempe, vt calori aut frigiditati conspicuæ iungatur, aut humori. Hæc de tactu dicta sufficiant, ac de reliquis sensibus exterioribus, qui omnes in hac vna re communicant, quòd rerum formas sine materia suscipiant: formas verò sine materia suscipere, idem est ac recipere similitudines absque susceptione rei sensibilis & suæ substantiæ. Quod facit olfactus suscipiens odoris similitudinem, non odorem, & visus rei visæ imaginem, absque calore: non enim suscipitur in oculo verus color. Nec tamen putandum est, sensus sic recipere rerum sensibilium simulacra, vt qualitates ipsas sensibiles recipere non possint: nec etiam putandum, sola sensuum organa rerum formas sine materia suscipere. Primum horum verum est: nam tactus non solùm similitudinem caloris suscipit, sed verum ipsum calorem, & fumalis euaporatio, quæ odor est, organum olfactus attigit, & sapor ipsum gustandi organum. Non tamen ea ratione sensibilia percipiuntur, quòd ad sensuum organa pertingant sensibilia sub propria essentia, sed quòd similitudine oblata sensui, sensum moueant. Non enim calor ignis à tangente percipitur: quoniam calorem imprimit in tactum, sed quoniam inducit in ipsum suam similitudinem. Nam vbi calor similis ei qui sit in igne tactui inductus fuerit, non

Fuchsius notatur.

Sensibus commune an sit, rerum formas sine materia suscipere.

Sensus non solas rerum similitudines suscipiunt.

amplius

amplius calor ignis sentietur: similia enim seipsa non alterant: quare neque seipsa sentient. Diuersa res est in aliis sensibus. Gustum enim immutat sapor, qui non immergitur organo, sed eius similitudo, quemadmodum in olfactu & odore fit: Auditus pariter solam speciem soni suscipit, & visus coloris & lucis, absque colore aut luce. Has tamen formas sine materia quæ sunt qualitates sensibiles, & sensibilium simulacra multa suscipiunt, quæ ipsas res à quibus emanant sentire non possunt. Aer etenim colorum, odorum & qualitatum tangibilium similitudines suscipit, non tamen sentit, quoniam potentia sentiente caret, atque anima sensibili. Hæc etiam est ratio, quare plantæ non sentiunt, & si caloris & frigoris simulacra suscipiant, atque ipsas qualitates, quemadmodum & Aer ambiens. Id quidem notissimum est, & propria ac immediata causa quare plantæ non sentiunt, quamuis Arist. 2. de anima libro, dixerit ob id plantas non sentire, quoniam non suscipiunt formas sine materia, quod videtur à veritate alienum. Siquidem plantæ, similitudinem caloris suscipiunt, quemadmodum & humanus tactus: quòd si calor plantæ immergitur simul cum caloris similitudine, pariter in humano tactu. Rursus quamuis in plantis sine materia suscipiatur sensibile, non inde sentietur: nam in aere suscipitur similitudo coloris, & non videt aer colorem: & similitudo odoris in aere inducitur, nec tamen aer odores sentit, Plato verò in Timæo, quoniam plantæ sensum alimenti habent, ipsas ζῶα id est, animalia vocauit, & quoniam in se ipsis motus principium habere nouit. Quicquid enim vitæ est particeps (inquit) iure animal appellabitur. Licuit quidem id Platoni: Nos tamen principium motus in plantis diuersum inuenimus à principio motus animalium. Habent enim animalia principium motus, de loco, & ad locum, licet non omnia. At verò sensus alimẽti plantis tributus non est, alius à potentia discernente, quod vtile est ab inutili. Quòd si hac de causa voluit plantas animalia vocare, bene est. Sed nos Arist. sequuti, plantas ab animalibus sensu distinguemus. Sensum autem appellauimus, rerum discretionem, ac cognitionem obiectorum, quę se offerunt sine materia, hoc est cognitionem quam potentia assequi potest, obiecto oblato sine materia, solo simulacro accedente cum qualitate sensibili, aut sine ipsa. Quod non faciũt plantæ: nam hæ alimenti naturam non agnoscunt, nisi alimenti substantia plantæ admoueatur, atq; ipsam attingat plantã. Quod faciunt naturales facultates animalium: ipsæ namq; non discernũt vtile ab inutili, nisi eis oblatum fuerit cum substantia, & materia: animalia verò sentiunt ea quæ solam similitudinem immittunt sensui. Hoc est ergo suscipere formas sine materia, posse obiectum dignoscere, vbi sola qualitas, aut similitudo ipsius sensui accedat, sine corpore, vt calorẽ sine corpore calido, & saporẽ sine corpore sapido, aut colorẽ absq; hoc q̃ coloratũ sensum attingat. Atq; ita intelligendus est Arist. cũ dixit plantas nõ sentire, & causam esse, mediocritatẽ nõ habere, neq; principium tale, vt sensibilũ sine materia suscipiãt formas, sed cũ materia patiãtur. Hoc est, plãtæ ob id nõ dicentur sentire, quoniam principium, aut commoderationem nõ habeant, qua possint res ipsas oblatas sine materia dignoscere, Atque ex his constabit dubium hoc, ad vsum nominum apud Platonem & Aristotelẽ attinere. Porrò quoniã præter functiones animales, qui in exterioribus sensibus exercentur, quædam aliæ nobis constant, quę ipsis respondere non possunt: post peractam tractationem de sensibus externis opportunum est inter nos alios inquirere, quot sint, & quales, ac quæ sint ipsorum propria munera: Visus namque colorem concipit, & circa proprij sensibilis cognitionem non fallitur, vbi oculus bene se habeat, & color modicè ab oculo seiungatur, neque aliquid obstet. Fallitur tamen vbi ex colore substantiam quoque diiudicet. Si ergo Socratis filium à longe venientem solo visu vellet quis agnoscere, facilè deciperetur non accedente quantitatis, figuræ, vocis & aliorum cognitione, quam solus visus non assequetur, cuius rei gratia alium

Simulacra rerum sensibilium alia à sensibus suscipiunt.

Plãtæ quare non sentiunt.

Platonis sententia.

Aristo. placitum sequimur.

Formas sine materia suscipere quid.

Sensus communis imũtio ex Aristot.

sensum à visu statuere decet, qui omnia coniungens cognitionem perficiat. Rursus visus agnoscit mellis colorem flauum: quod si colore cognito mel esse iudicaremus, vel putaremus mel esse: fellis enim inest color flauus. Quoniam vero hæc duo distinguimus, necessum est aliquem sensum assequi, qui colorem simul & saporem agnoscat, Is verò visus non erit, cuius est solos cognoscere colores, neque gustus à quo sapores tantùm cognoscuntur. Erit ergo aliquis communis gustui & visui, siue colori, & sapori. Nam duæ sensus externi siue interni, ea non distinxissent. Quoniam quemadmodum si Plato videt albedinem, Galenus verò nigredinem, nullus ipsorum distinguere valebit albedinem à nigredine: ita si duo sensus agnoscant flauiciem, & dulcedinẽ, nullus distinguet hoc, ab illo. Quòd si nos ea distinguere valemus, vt fit, vnicus sensus est, qui sensibilia diuersorum sensuum agnoscit, & distinguit. Hæc est via Aristote. & Themistij, qua probant sensum aliquem communem esse, qui sensuum aliorum obiecta sentiat, & motiones in ipsis sensibus factas à sensibilibus agnoscat. Non etiam attinet ad visum videre visionem, neque coloris alterationem. Sed ad internum aliquem sensum pertinet videre visionem, & audire auditionem. Quamuis non defuerint qui voluerint in sensibus ipsis externis nullam fieri sensationem, sed solam alterationem ab obiectis: internam verò sentientem facultatem simul sentire obiectum, & alterationem factam ab obiecto in organo sensus. Nos verò contrarium sentimus: falsum enim est, & rationi & experimento aduersatur, quod asserunt. Quoniam vbi adest facultas sentiendi cum instrumento ad sentiendum apto, aderit sensatio, obiecto accedente. Sed in neruo adest facultas tangendi, quæ neruis omnibus distribuitur à cerebro, & neruus valet, fiet igitur in ipso obiectorum sensatio. Docet quoque experimentum, nos in manu ipsa sentire calorem, & dolorem: rursus & quiuis discernit se alium sensum habere caloris in manu igni applicita, & in cerebro. Gale. quoque libro septimo de Placitis Hippo. & Platon. eorum qui ita opinantur assertionem damnat. Cùm enim de visione loquitur ac quærit, an visio fiat, delato quopiam à re visa ad oculum, an aër seruiat visioni, vt neruus tactioni, inquit, Plerique eius sunt sententiæ, vt dicant alterationem illam ab implementibus rebus factam, per neruum ad principem animæ partem distribui, atque ita in dignotionem rerum nos venire, non intelligentes, nullum nos doloris sensum in eo membro quod vel cæderetur, vel confringeretur, vel adureretur habituros fuisse, nisi in eo aliqua sentiendi facultas inesset. Aliter igitur atque illi opinantur, veritas se habet: ipse siquidem neruus cerebri pars cùm sit, sicut arboris virga, aut ramus, efficit vt membrum in quo inseritur vicius in se totum recepta, habilem, ad omnia quæ ipsum attingerint sentienda reddatur. Hunc communem sensum Arist. in corde sedem habere dixit lib. de Somno & vigilia. Putauit namque animalem facultatem simul cum aliis omnibus ab eo mẽbro originẽ trahere, sed hęc suprà refutauimus abũde. Est is ex eorumdem Peripateticorum opinione, veluti centrum quoddam in quod sensuum omniũ sensibilia perducuntur: ita vt ad eũ veluti ad punctũ ex aliis omnibus perducantur obiectorum simulacra. Atque ita Themistius soluit dubium, quomodo fieri possit, vt dulcedinis & coloris notitiæ simul in eodem consistant, & quod grauius esse videtur, vnus & idem sensus, albedinis & nigredinis suscipiat alterationes, quæ non tantùm diuersę, sed contrariæ sunt. Verùm, vt inquit, cùm sensus commmnis, in medio sit, ad eum immutationes perducuntur. Potest enim iudex à diuersis causidicis in contraria prouocari, cùm ipse vnicus iudex sit: hi verò qui contrarias agunt partes, veluti ad genua orantes decumbant, sic sensibilium omnium similitudines ad sensum communem delatę, non mutant ipsum contrariis alterationibus, sed veluti enuntiantes de sensibilibus diuersis, aut cõtrariis accedant. At verò hoc dubium non adeò difficile nobis videtur vt Themistio. Nam quamuis albedo

Sensus externi propria sentiũt sensibilia.

Sensum cõmunem in corde Aristot. statuit.

Themistij dubium.

nigre

nigredini contraria sit,eorum similitudines contrariæ non sunt,quemadmodum neque similitudo caloris & frigoris. Potest namque idem organum tactus simul recipere caloris & frigoris similitudinem, & oculus albedinis & nigredinis: quod fit nobis literas inspicientibus. præter id quod nos ex Gal. doctrina euidentibus rationibus probauimus cap. de temperamentis, posse vnum subiectum suscipere contraria, atq; contrariorum alterationes simul. Nihil igitur obstat quominus organa sensuum simul suscipiant cõtrariorum immutationes, quamuis ea quæ sensui imprimuntur contraria sint. Quod autem Themistius inquit,in nobis sensum esse, qui contrariis operam det: non tamen qui contraria suscipiat,alienum est à ratione. Non enim potest sensus aliquis alicui obiecto cognoscẽdo incumbere, nisi suam similitudinem suscipiat:id enim est sensum à sensibili pati,quod ad sensationem necessarium est ex Aristotel. Quòd si ipse rerum contrariarum simulacra, contraria concedit,in eodem sensu simul contraria admittere cogetur. Est & secunda facultas interna sentiens, quam græci φαντασιαν, appellant, hoc est visionem, à verbo, φαινω, id est,appareo dicta:quoniam visus sensuum omnium perspicacissimus est,& animalium vita visis maxime regitur, & quæ ab eo offeruntur sensui interiori perspicatiores apparitiones sunt:& quoniam luce media fiunt,quæ græcis φως est: inde in sensu interno apparitiones φαντασματα, & potentia, φαντασια,latinis etiam imaginatiua facultas dicta. Hæc simulacra rerum à sensibus suscepta componit, atque seiungit, ita vt sæpe falsa sint, quæ ab ipsa imaginantur, diuersa quidem res à sensu opinione, scientia, & intellectu: quare & ab æstimatione diuersa erit imaginatio. A sensu namque differt: quoniam sentimus eo tantum tempore quo sensibile præsens adest: imaginamur tamen ipso absente. Rursus sensus circa peculiare sensibile non fallitur:imaginatio verò sæpe fallit. Sensus quoque earum rerum est, quæ sunt: & quandoque eorum quæ esse non possunt. Differt quoque ab opinione: quoniam opinio sæpe vera est, imaginatio fere semper falsa. Rursus vt Arist. inquit, imaginari possumus cùm volumus, opinari non possumus: quoniam opinio adiunctam habet suasionem & fidem, quæ imaginationi non coniunguntur. Scientia quoque verorum est, & non fallentium: fallit tamen imaginatio. Intellectus pariter omnino verorum est, aut si de falsis aliquando dici posset, notum est ipsum esse vniuersalium, & immaterialium, neque materiæ misceri,ista vt à rebus in materia consistentibus pati possit, quemadmodum imaginatio, cuius est officium, imagines rerum suscipere à sensu, & eas diuerso componere modo, & tanquam à præsentibus susceptas seruare: quod docent insomnia, in quibus non omnino obligata imaginatio, circa sensibilium imagines versatur, ac si præsentia essent sensibilia. Tertia facultas interna sentiens æstimatiua est:cuius munus est complexa formare, ac ratiocinando discurrere,& syllogismos conficere. Hæc vtilia ab vtilibus,commoda ab incõmodis segregat. Hanc ὑπολημψιν, Aristot. appellauit,quasi suspicionem, & æstimationem dixeris. Diuisit autem ipsam ex functionibus in scientiam, opinionem & prudentiam. Scientia & opinio, præsentium & præteritorum sunt, quæ statutam habent veritatem, aut falsitatem. Nam scientia verorum est, & numquam fallentium, opinio fallere potest: sed vtraque statutam, & certam habet veritatem, aut falsitatem. Prudentia verò, quæ futurorum est, ambiguam, contingentem & nullatenus certam. Hæc in intellectu sunt, in sensu tamen opinio, & prudentia. Scientia verò non, quòd vniuersalium sit. Itaque vox ὑπολημψις, id est,æstimatio,inquit Themistius,omne iudicium intellectus & rationis,& habitum,omnémque formam intelligendi complectitur. Quamuis ergo iuniores Peripatetici hãc facultatem sentientem interiorem dicant, nom satis constare potest ex Aristo. & Themistio an sit sensualis animæ vis,an intellectualis. Quoniam tamen bruta opinantur,ac de futuris quibusdam præuident,eis hanc animæ facultatem adesse dicemus, atque in homine

Themistius notatur.

Phantasia.

Æstimatiua.

Memoria. mine intellectui ministrare immediatè. Est præter has quarta fac. memoria, quæ rerum simulacra seruat, quibus æstimatiua vsa res cognoscit absentes, tanquam absentes. Est eius munus seruare potius quàm quippiam agere. Has omnes facultates distinguere solent physici per functiones: quoniam si functiones specie differunt, facultates different specie, docente Arist. facultates distinguere ex functionibus, & functiones ex obiectis. Qua tamen ratione, & procedendi via id probari debeat, in expositione xix. lib. primi Prognosticorum docuimus: quamuis intelligam omnem eam probā. di viam, quæ est apud physicos scholæ Peripateticorum, esse inefficacem. Omnem namq; functionem facultatis imaginatiuæ posset quiuis ad æstimatiuam referre: quæ cùm ab ipsis præstantior approbetur, nihil obstat quin possit ea quæ ab inferioribus fiunt patrare. Posset quoque ipsa seruare imagines rerum, neq; opus esset memoria: quoniam & ipsi imaginatiuam volunt esse cognoscentem facultatem, & seruantem rerum cognitarum imagines. Nos verò Gal. viam sequimur, qui tres tantùm statuit internas sentientes facultates, scilicet imaginatiuam, cogitatiuam, & memoriam. Libro namq; de Diffe. symp. inquit. Porrò reliqua animæ functio, quæ est, ἡγεμονικὸν, id est, princeps animæ pars, diuisa in φανταστικὸν, καὶ διανοητικὸν, καὶ μνημονευτικὸν, id est, in imaginationem, cogitationem, & memoriam. Idem libro octauo de Vsu partium, itaque phantasia, siue imaginatiua vis eadem est, Aristo. & Gal. Ea verò quā appellat Aristo. ὑπόληψιν, id est, æstimatiuā, Gal. nominat διανοητικὸν, id est, cogitatiuā, memoria similiter eadem est apud ipsos. Cæterùm communis sensus neque aliqua facultas est, neque vt diximus, in corde residet, quod voluit Arist. Est autem sensus communis, non aliud quàm cerebrum, & fuuctiones quas sensui cōmuni tribuunt, imaginatiuæ debentur. Nam quamuis communis sensus meminerit Gal. cerebrum ipsum, non facultatem quampiam intelligere voluit. Libro namq; vij. de Placitis Hippo. & Pla. inquit, Alteratio verò ipsa ab vna eadémque facultate omnibus sensoriis communiter impartita à principio emanāte dignoscitur: quod quidam principium siue sensum communem, siue primum sensorium appelles, nihil refert. Hoc nos superiore oratione cerebrum esse demonstrauimus, vnde omnia membra sensum & motum adipiscuntur, & Arist. ipse lib. de Insomniis, phantasiam eandem esse dicit cum potentia sentiendi: ratione verò differre. Inquit enim, cùm verò de imaginatione & phantasia tractatum in libris de anima sit, & imaginandi vis eadē numero sit cum potentia sentiendi, quamuis essentia, rationeque differant. Cęterum functiones quas physici tribuunt sensui cōmuni, vt distinguere sentibilia diuersorū sensuum, phantasia procedere nihil vetat. Distinguere enim sentibilia ad imaginatiuam pertinet. Apud Galenum namque lib. de Diffe. symp. ille qui obseratis ianuis singula vasa pronunciebat per fenestram, quoniam singula propriis nominibus nuncupabat, nullam læsionem pati, argumentum fuit in imaginatiua facultate. Ad ipsum igitur attinere vult Galen. agnoscere singula, aut ipsa ab aliis distinguere. Ad æstimatiuam verò siue cogitatiuam attinet, de singulis iudicium ferre, & futura præuidere, & de meliori & optimo consultare, seligere, & censere. Infallibilis autem via distinguendi singulas harum fa. est ea qua Gal. vtitur docens vnam earum posse lædi reliquis nō læsis. Nam lib. de Diffe. symp. Theophili medici meminit, qui prudēter differebat, & pręsentes agnoscebat: verùm tibicines in angulo cubiculi, se videre ferebat quosdam sedentes, quosdam stantes, continenter verò canentes atque pulsantes, quos iubebat à cubiculo expelli, quod prudēter curabat. Is itaq; sana cogitatiua læsionem imaginatiuæ patiebatur. Memoria verò sana adhuc mansit: quoniam singula quæ dixerant, aut legerant qui adfuerant, memoriter tenebat, & narrabat, & ea quæ sibi de cantoribus apparuerunt. Simile est quod Gal. libr. iiij. de Lo. pati. de semetipso refert. Nouit quoq; hanc læsionis speciem, Aristot. libro de Insomniis. cap. 2. vbi loquens de læsionibus imagi-

Gal. de internis. fac. sentiētibus.

Sensus communis non est apud Gal. facultas aliqua.

Facultatē internorum sensuum inuentio ex Gal.

natiuæ,

natiuæ, & quomodo visis capiantur nonnumquam ægrotantes, inquit, Atque hic error quandoque vnà cum morbo inualescit, ita vt cùm leuiter ægrotant se falsos haberi agnoscunt, cum vero grauius minimè: sed ipsis quoque visis ducantur. Causa verò quamobrem hæc fiunt, est: quoniam id quod primatum obtinet, & id in quo phantasmata fiunt, non eadem vi iudicent. Quod Galle.loco citato tradidit: postquàm enim de se retulit per phantasiæ læsionem floccos euellere, & festucas colligere, addit: Cùm verò sic animo constarem, vt rationalis in me facultas non vacillaret, rectè, inquam, dicitis, proinde ne me phrenetis arripiat, auxilio estote. Quidam etiam sunt qui sana imaginatiua, læsionem cogitatiuæ patiuntur: cuius exemplum est is cuius neminimus, qui vasa per fenestram proiiciebat. libro quarto, de Locis patientibus. Ad tantam enim peruenit dementiam & læsionem cogitatiuæ, vt puerum quoque lanifici, cum quo Romæ domi continebatur, per fenestram proiiceret. Singula tamen vasa quæ proiecit propriis appellabat nominibus. Quod indicium præbere potuit, imaginatiuam facultatem læsione carere, pariter atque memoriam. Id docuit cùm vasa propriis nominibus nuncuparet, quod læsa memoria non fecisset, non seruatis rerum & nominum simulacris in ipsa. At verò memoriam lædi reliquis duabus non læsis, probat Thucididis testimonio, qui quosdam ex peste (quorum meminit libro secundo Belli Peloponnesiaci) adeò sine memoria remansisse refert, vt neque suos familiares, neq; semeipsos agnoscerẽt. imaginatiua itaq; virtus, cogitatiua, & memoria distinctæ sunt facultates, functionibus differẽtes, quarũ imaginatiua circa sensibilia versatur, & sensibilium imagines, quas componit ac separat, & sensiones & sensibilia dignoscit, & imagines vt præsentes seruat, vt somnia docent. Et Gal. libro secundo, de Motu muscu. inquit, φαντασικὸν id est, imaginatiua, quæcunque fuerit, hæc eadem recordatur & rerum impressiones cõseruat. Altiora sunt cogitatiuę facultatis munera, & de his quæ sensus excedunt, ad quæ externi sensus, & imaginatiua vis nullatenus pertingũt, vt opinari, & de futuris præuidere, meliora seligere, amicũ & inimicum distinguere. Memoria verò quid præstet, notum est, apud arist. & Gal. Sugerit namq; rerũ spectra quæ diu asseruat, cogitatiuę facultatis, vt eis vtatur, ad opinionẽ, & prudentiã, & de melioribus consultationẽ, & ratiociniũ, circa ea quę indagatione, & inquisitione egent. Id verò est reminisci, facultatem cogitatiuam, ad rerum spectra in memoria seruata conuerti, & circa eadem ratiocinari. Memoria verò imaginum rerum absentium, quarum cognitionem habuit cogitandi facultas, conseruatio. In Philebo autem Socrates inquit: quoties quæ cum corpore passa est aliquando anima, eadem sine corpore in seipsa resumens animaduertit, tunc meminisse eam asserimus. Quinetiam quando memoriæ passa iacturam, deinde vel sensu, vel disciplina mouente, eam iterum reuocet in seipsa, reminisci putatur, atque hæc iam memorias, reminiscentiásve vocamus. Ad animalem fac. attinent somnus & vigilia, quorum vigilia operatio est tam internorum quàm externorum, somnus vigiliæ priuatio & ociositas sensuum. Est enim, inquit Aristot. libro de Somno & vigi. capitulo secundo, impotentia operandi per primum sensitiuum, quam impotentiam, quietem & priuationem appellauerat. Verùm loco citato primum sensitiuum siue sensus principium dixit esse in corde, cùm tamen in somno cor minimè quiescat, sed perpetuò moueatur. Est quoque dispositio quædam media, absque morbo, per quam neque vt vigilantes sensuum actiones obimus, neque vt integrè dormientes ociamur, quæ somnium appellatur. Per eam enim dispositionem, non omnino liberi sunt sensus, quemadmodum cùm vigilamus, internis & externis sensibus suis muneribus fungentibus, neque omnino carceribus concluſi, atque ligati, vt in integriori somno, sed externi sensus quiescunt, & interni rerum imagines componunt, coniungunt ac fingunt multa numquam visa, aut audita, aut externo quo-

Thucididis testimoniũ.

Reminisci.

Somnus & vigilia.

Somnium.

piam sensu vsurpata. Id efficit imaginatiua virtus, aliquando etiam cogitatiua accedente. Etenim quemadmodum somnus & vigilia contraria priuatiua sunt, contrarias habent causas: somnium vero, vt medium, medias.

Somnus causa. Somnus namque obstructo cerebro fit, cuius causa vapor alimenti est eius qui consistit in ventre, aut in venis. Finis verò animalis facultatis refectio, quæ vigilantibus nobis ex labore dissoluitur. Hanc recreat somnus restituto inter dormiendum animali spiritu, ex vapore sanguinis copioso in caput delato. Cessat quoque assidua dissolutio, quæ in vigilia fit. Hic est naturalis somnus: nam præter naturam à frigore fit: congelante spiritum animalem, & obstructionem adaugente. Cùm igitur somnus incipit, is qui secundum naturam animali conuenit, caput oppletur & refrigeratur à multitudine & copia vaporum & humorum veluti oppressa flamma: deinde incalescente cerebro & discussis vaporibus obstructio euanescit, & sensus omnes reuiuiscunt, suscitantur, & ad opera se accingunt: id verò vigilia est, Quòd si interim dum animal somno ligatur, non in totum obstruatur cerebrum vaporibus: sed ita vt animalis facultas, in internis tantùm, quadamtenus libera maneat, neque integrè dormiet, neque verè vigilabit, sed insomnia patietur. Quo fit vt multi dormientes modo dicto loquantur, & quandoque respondeant, & vt Galenus de se retulit, incedant, atque integrum stadium peragant. Hoc quidem ad facultatem animalem motricem attinet, quæ nobis admodum secundum naturam dormientibus, non omnino ociatur: nam respiramus dormientes, & corpus deuoluimus, & membra transferimus: Quoniam tamen infantes nuper nati magnas cerebri oppressiones dormientes patiuntur, non somniant: sunt autem somnia imaginatiuæ facultatis opera. Quòd autem cogitatiua nonnumquam operetur in somno, inde constat, quod somniantes quandoque iudicamus nos somniare, & verum ferimus iudicium, & integros syllogismos conficimus. Terribilia fingit imaginatiua, amica etiam & grata componit: cogitatiua verò hæc amplexanda, illa fugienda esse iudicat. Vnde fit vt in risum quidam porumpant, alij clament, vociferentur, ac lugeant. Seruantur horum somniorum imagines in memoria: siquidem à somno excitati insomnia narramus. Nec tamen putandum est omnia apparentia in somno esse somnia, sed tantùm ficta, & quæ apparent, sed non sunt. Nam inter dormiendum canum latratum, aut alium quemuis strepitum audimus, aut muscæ morsum sentimus: ea verò somnia non sunt, sed verè sensata, somnia verò figmenta. Simili modo siquis inter somniandum se somniare iudicet, cogitatiuæ facultatis id munus est, non tamen somnium. Euenit autem sæpe, vt dormientes, sensibus externis aliquid percipiant, cuius simulacrum in imaginatiua somnium non erit. Sed deinde facultas ipsa quædam alia circa sensatam rem fingat, quę somnia erunt. Pariter fit, vt cogitatiua iudicet somniare hominem: deinde verò multa ficta eliciat phantasia quæ somnia erunt, quamuis primum iudicium somnium non sit.

Somnium.

Apparentia insomno non omnia sunt insomnia.

Insomnium nostrum. Neque erit à ratione alienum hoc in loco referre quoddam nostrum insomnium. Cùm ego non valde profundo somno dormirem, imaginatiuæ & cogitatiuæ viribus à ligamine solutis, somniaui me publice enarrare Aphorismos Hippocratis, duodecima sectione prima. In cuius enarratione multa referebam eorum quæ Galenus libro primo & tertio de Crisibus dixerat, quædam etiam ex his quæ à nobis tradita sunt, in libris Progn. exponendis. Contigit autem mihi medio ipso somniandi tempore, vt corriperer somno profundiori, per quem omnino à somnio cessaui, cogitatiua & phantasia integre ligatis. Rursus verò parum à ligamine solutis, redij ad munus inceptum: erubui tamen, & egrè admodum tuli, quòd publico in loco agendo dormitauerim. Itaque verò intellexi me somno nuper correptum: non quidem quoniam antè non dormirem, sed quoniam, cùm operarer per vim cogitandi & imaginandi, & somno profundiore accedente cessarem, tale

eisdem

eisdem facultatibus accidisse noui, ac si cùm vigilassem vigiliam & actionem, somnus interpellasset, itaque erubui & dormiens superdormiui. Cùm verò rursus ad Aphorismi enarrationem dormiens accederem, somniaui me interrogasse amicos, an id turpe admodum visum fuisset auditoribus, hominem publicè agentem dormitasse: ipsos verò me solatos, quòd id paucissimo tempore & fere non sensato præterierim, neque omnes id animaduertisse, parúmque interruptũ fuisse meũ ducẽdi cursum. Noui itaq; dormiẽs me dormisse, cũ verè somno profundiore fuissem corrept⁹, & ab omni sensus actione cessassem. Neq; est hoc simile ei quod multi patiuntur: sicuti & ego sæpe, nẽpe somniare se somniare: diuersa enim res est, quę à nobis refertur modò, si bene tenuerint quæ diximus lectores. Ego enim somniabã me vigilare, & inter vigilandũ dormitasse, cũ à leuiore somno in profundioré trãsiui. Sed iã ad nostrũ institutũ redeamus. Quidã dixerũt hac internas facultates sentiendi diuersas sedes in cerebro habere, imaginatiuã in anteriori vẽtre, cogitatiuam in medio, memoriã in postremo: quidã omnes has facultates in omni vẽtre cerebri existere & operari. Nos verò ea ratione memoriam in postrema cerebri parte residere putamus, quoniam læsa memoria auxilia parti eidem applicita conferunt magis: Imaginatiua verò & cogitatiua læsis, remedia anteriori cerebro admota proficiunt, & in commissura coronali. Sed tamen quoties imaginatiua læsa est, noxa communicatur sensibus externis, aut ab ipsis ad imaginatiuã processit, quoties enim imaginatiua læsa est, visus, aut auditus, aut ambo, aut aliquis alius sensus, falluntur in obiectorum cognitione. Lædi autem contingit cogitatiuam nullatenus consentientibus externis sensibus, vt constat in exemplo superius adducto, eius qui Romæ cum lanifici puero domi continebatur. Et maniaci magna ex parte cogitatiua læsa delyrant, nulla læsione sensibus externis accedente. Fit tamen vt ambæ lædantur, quod ex functionibus colligemus: sedem autem habere diuersam non est cur probemus. Sed cognoscentes facultates omnes eundem locum tenere & in eadem sede suis fungi officiis. Vt tamen superius dictum est in ordine animatorum corporum tertium locum habent quæ loco mouentur, hoc est à loco in locum. Perfectiora namque hæc animantia sunt, iis quæ sentiunt: fixa tamen loco manent: quoniam facultate secundum locum mouente prædita sunt. Quorum quædam progrediuntur, quædam serpunt, quædam volant, alia natant, quædam diuersos horum motuum exercent. Nam aues volant & progrediuntur, & quædam præter id natant: & beluæ ferè omnes progrediuntur, & natant. Et quamuis ad multos vsus hæc facultas munúsque ipsius accommodari possint, vnus est potissimus finis à natura intentus, vt animalia alimoniam disquirerent. Plantæ namque alimentum sibi proximum habent, quod à terra tanquam à ventre sugunt: est enim plantarum vẽter, terra, Animalia quoque terræ affixa, distensione tantùm & constrictione in loco mouentur: siquidem parum à natura plantarum abcedentes, proximum habuerunt alimentum, quod plantis & ipsis idoneum esse potuit: quoniam rude & minimè elaboratum naturis suis congruebat. Vt igitur sibi familiare alimentum aliunde venarentur, ea natura donauit arbitraria secundum locum mouente facultate, quæ vna est animæ sentientis facultas: sensitiuæ verò animę in cerebro residentis, quam rationalem Plato vocat, quòd ratiocinandi vires possideat, duæ sunt potissimæ ac primæ vires sentiendi, & mouendi. Mouens appetitus quidem liber est, cuius opus antecedat cognitio oportet: non enim fertur liber appetitus, nisi fine prius cognito. Quamobrem rectè Aristoteli dictum est, intellectus & appetitus mouent animal. Per intellectum autem potentiam cognoscentem audire oportet: quoniam & imaginatiuam appellat nonnunquam intellectum, vt cùm inquit, Si quis imaginationem vt intellectum quendam esse ponat. Decet itaque cognitum esse obiectum, & finem cuius gratia animal moueri debeat.

Facultatũ interius sentiẽtium sedes.

Imaginatiua facultas. læsa sensus externi cõpatiuntur.

Animalia quæ loco mouentur.

Appetitus mouet animal.

Digitized by Google

Sequitur autem deinde appetitus qui motum imperat prosequutionis, aut fugæ. Quoniam autem grata prosequimur, ingrata fugimus, & gratum aut ingratum apud nos nullum habetur, nisi prius cognitum fuerit: cognitio appetitum siue arbitrariam facultatem præcedat oportet. Atque aderunt in omni motu locali, mouens non motum, & motum non mouens, & mouens motum, & id quo motio fit. Finis namque, siue id gratia cuius animal mouetur, mouet animal, quoniam animalem facultatem cognoscentem immutat, & deinde appetitum ipsum excitat: finis autem immotus manet. Corpus animalis mouetur, sed non mouet: nam corpus ipsum deorsum tendere, aut naturale quouis alio motu fieri aptum est. Appetitus tamen mouetur à fine: mouet autem corpus. Est & quartum id quo motus peragitur: nempe nerui & musculi. Assidet vtique animalis arbitraria facultas, quæ neruis & musculis mediis corpus mouet, finis assequendi gratia: quibus paria coniectari in causa licet. Præsidet namque auriga ex electione motum imperans, laxat is aut compescit habenas, & equis veluti musculis currum agitat, finis gratia, Auriga appetitui confertur, habenæ neruis, equi musculis, currus corpori, & finis vtrisque communis est. At verò vt auriga liber est, ita liberam decet esse facultatem quæ motum imperat: ea vero appetitus est, siue voluptas sensui annexa. Neque aliam ad hæc putare oportet in brutis motus principium, quod constare potest. Nam in intellectu & anima rationali, præter cognoscentem facultatem est libera voluntas, à quo omnis actio tanquam ab imperante vi procedit: neque est alia ab hac quæ motum præcipiat: ergo in sentiente parte animæ, præter cognoscentem & appetitum, aut voluptatem, nullam aliam statuere oportet, quæ motibus imperet: in nobis tamen quandoque is appetitus quandoque voluntas, rationalis animę facultas motibus præsunt. Est enim finis gratia cuius appetitus mouet, bonum: id verò aut vtile, aut delectabile. Intellectui quidē coniunctus bonum vtile semper sequitur: quia præsentia, atque futura considerat: quoniam temporum cognitionem habet, qua carent irrationalia, quamuis quædam ex eis futuris præuideant, potius naturali propensione ducta, quàm futurorum agnitione, aut consideratione. Bruta verò cùm præsentia tantum aduertant, bonum delectabile amant, eligunt, & prosequuntur. Fit verò vt nobis quandoque duo hæc se offerant bona, duóque fines mouentes, quorum alterum prosequamur futurum est. Alter finis delectat, mouet sensum, incitat concupiscibilem animæ partem, quæ delectātibus capitur. Alter finis honestus est & vtilis, ex futurorum agnitione talis habitus. Imperat eo tempore rationalis voluntas id esse prosequendum: auellit in contrarium concupiscibilis: subaudit autem ea, quam diximus motum imperare rationali, in his qui animo constantes ac validi sunt: in aliis verò, qui beluarum instar voluptate feruntur, concupiscibili. Insequuntur autem omnes bonum, vel quòd tale simpliciter est, vel quòd imponit, taléq; existimatur. Bonum simpliciter per intellectum tale constitit, cuius est id bonum iudicare quod & præsenti tempore tale est, & futuro. Quod tamen bonum non est, sed tale putatur: sensui tale est, & præsenti tantū tempore delectans, nulla futuri consideratione præhabita, qua non tantū præsentem, sed futurum finē, absentem, & postremum animo concipimus. In quibus igitur boni apparētis imago vehemētius mouet, imagine eius quod verè bonū est, cupiditas aut iracūdia imperāt: animalis verò appetitus his imperādo motum, obsequitur: vnde fit vt quidā intemperantes gulę & libidini indulgeant, vincēte cupiditate, quidā iracundia vincente, temere quoduis aggressi parricidę fuerint, & sibiipsis mortē cōsciuerint. Est is finis primò cognitus maximè mouēs ad cuius assequutionē media quędā inquirimus, quæ alia ratione fines nō postremi dicūtur, ad quæ intellectus practicus ordine pcedit, ita vt primus finis ac potissimus, qui primò inuentus fuit, postremus sit exequutione, & postremò inuentum sit executione primum. Is enim est ordo consequutionis

In motu locali quæ ad sunt.

Analogia.

Principiū motus in brutis.

Finis motus.

per

perpetuò ſeruatus in his quæ natura, arte, aut virtute comparantur. Rurſus ad facultatis motiuæ munera redeamus, cuius opus eſt, vniuerſum corpus in alium locum traducere, quod arbitrio & electione fit, in aquatilibus animalibus, natatione, in auibus volatu, in his quæ terram incolunt, ingrediendo, aut ſerpendo: qui motus duo exigit fixa & quieta, alterum externum, cui firmetur corpus, quod ingredi debet, alterum internum, cui pars mota annectatur interim dum mouetur. Crure namq; dextro moto, neceſſum eſt ſiniſtrum quieſcere, & rei alicui externæ quieſcenti firmari, ita vt non eodem motu agitetur. Nam natantes, aquæ innituntur, & ſerpentes, & incedentes, terræ, aut cuipiam ſimili, & volatilia aëri, & qui ſalit, niſi terræ pedes firmaret, motum non exequeretur: & in ſingularium partium motu firmũ aliquid manet. Nam & muſculi oſsibus firmantur, & pars mota parti proximæ quieſcenti, & cæli motum firmum aliquid habere Ariſto. teſtatur libro de Animalium motione: quamuis falſum ſit quod quidam ferũt de polorum cęli atq; axis quiete: motus enim ab his non fiet, neque ad hæc indiuiſibilia referri debet. Fabulantur quoque alij Athlantem cælum circumagere, & pedes terræ affixos habere, qui norunt fixo aliquo opus eſſe his quæ mouentur. At verò primum ipſum mouens immobile eſt, quod cælum mouet, non tamen mouetur. Quod Homerus recte ſenſiſſe videtur, quum dixit Iliados θ.

Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτε ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε,
Ζῆν' ὕπατον μήστωρ' ὀδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.

Quod eſt,

—Aurea demiſſa catena,
Sed neque ſupernum in terram deducere cælo
Veſtra Iouem vis vlla queat, non dique deaque
Annixi quamuis adlibramini ſimul omnes.

Plato in Theæteto hanc auream catenam à qua deos omnes Iupiter ſuſpendi volebat, motum ſolis eſſe dicit, à quo omnia tam deorum quàm hominum ſeruantur, quo ceſſante omnia ſuſque deque ferrentur. Præterea ad eandem facultatem attinet, partem loco quopiam firmare, vnde fit vt non tantùm à loco in locum partem, aut totum mouere huius facultatis ſit opus, ſed firmare atque perſiſtere, aut totum corpus, aut aliquam eius partem. Nam qui firmum ſeruat membrum in loco vno, vt leuata manu & diſtento brachio ſit, is animalis facultatis munus exercet. Quod docent labor, & laſsitudo quæ inde ſequuntur, vbi diutius id facere conemur. Et auis in medio aere immota pendens ab animali facultate operante detinetur: nam ſi auis mortua eſſet ibidem, ſtatim procideret. Aliquid igitur interim agit viua, quæ ibidem firma manet, quod de parte corporis loco aliquo ſuſpenſa detenta probari pari modo poteſt. Ad eandem liberam facultatem pertinet motus thoracis diſtentionis & contractionis, qui liberi motus ſunt, quamuis nobis dormientibus exerceantur. Multas namque actiones animales ac liberas exerceri, vel nobis dormientibus Galen. probat lib. 2. de Motu muſculorum. Si quidem membra reponimus dormientes: non tamen ſummè relaxata, ſed contractiora, aut magis diſtenta, quàm in media figura: niſi dormientes, aut ebrij ſint, aut relaxationem patiantur. Sed omnis receſſus à media figura contractionis & diſtentionis muſculorum fit animali facultate, quæ per neruos & muſculos mouet operantem: ergo dormientes per ipſum operantur. Rurſus Gal. inquit, quidam ſedentes, alij ſtantes dormiunt: ſedere autem & ſtare actiones ſunt animalis, atq; arbitrariæ facultatis. Ipſe quoque de ſe refert, cùm iter ageret, integrum ferè ſtadium peregiſſe dormientem, neq; excitatum fuiſſe à ſomno antequam lapidem pede pulſaſſet, quamobrem ab Hippo. reprehenditur, ſu-

Reſpiratio an liber motus ſit.

pino corpore cubare, & hiantem dormire, primo libro Prognosticorum, vbi quædam ad hunc locum attinentia in nostris expositionibus diximus. Respirationem itaque liberam actionem esse hinc constabit, liber motus dicitur quicunque in nostra potestate sic situs est, vt ipsum exercere, aut cohibere possimus volentes, quem etiam possumus celeriorem, aut tardiorem, frequentiorem, aut rariorem efficere: id autem contingit in respiratione: erit ergo motus liber. Seruus namque barbarus, cuius Galenus meminit, sibi mortem conscisuit, spirationem ad mortem vsque compescens: quinis etiam paulominus ipsam cohibere valebit. Diuersa verò est natura motuum eorum qui sine libertate fiunt, vt pulsus, cuius motum aut augere, aut minuere, aut frequentiorem, aut rariorem efficere non valemus. Motus itaque qui musculis fiunt liberos esse in vniuersum proferemus: id igitur statutum verum & euidens est, arbitrariæ facultatis munus esse respirationem. Et quamuis aliquid obiici possit, quod dubium esse faciet, quod diximus: non tamen ob id quod verum, & euidens est, calumniã pati decet, sed aut causam inuenire tenebimur, aut non inuenta nos vtrumque ingenuè fateri, & verum esse quod nouimus, & causam eius à nobis ignorari. Dubium autem est: nam si respiratio liber motus reputatur, quare dormientes respiramus, vigilantes quoque, & neque motum illum imperamus, neque ipsum imperasse, aut aliquando fuit in animo, aut fuisse memoria tenemus? Id dubium Galen. soluit, multa namque à nobis fiunt dormientibus, aut vigilantibus, quæ liberè fiunt, quorum non recordamur, aut egisse, aut agere voluisse: quoniam leuem efficiunt in potentia memorandi impressionem, parúmque firma manent: quod ebriis & delirantibus fere semper accidit. Id quoque sanus vehementius alicui actioni intentus experietur: nam neque memoria tenet, an manus mouerit, & quo motu ipsas exercuerit, neq; an respirauerit, vel quidpiam horum agendum sibi elegerit. Non igitur mirum est, dormientes quibus facultas omnis sentiens ac memoratiua valde confusæ, & oppressæ somno sunt, aut non satis agnoscant quæ agant, aut actorum non recordentur, leuibus admodum impressionibus in memoria & imaginatiua factis, minimè fixis aut stabilibus. Aristoteles libro de Respiratione dixit motum thoracis sequi motum pulmonis: quoniam pulmo mouetur, humido contento in ipso ebulliente & in tumorem eleuato: ad id verò sequi thoracis distentionem: quod longè abest à veritate. Nam neque pulmo continet eum humorem qui ebulliat, & eleuetur in tumorem, neque si ipsum haberet à calore eleuante in tumorem fieret, vt mensura & ordo distentionis & contractionis thoracis seruarentur. Auerrois tamen qui naturalem philosophiam sophisinatis obscurauit, lib. 2. Collectionum. cap. 19. Galen. aduersatur, asserens motum respirationis non omnino esse liberum, neque omnino naturalem, sed medium atque compositum. Quòd itaque non omnino liber sit, probare nititur. Nam respiramus sine intentione respirandi: liberi tamen motus cognitione præcedente fiunt. Rursus liberos motus cohibere possumus volentes: sed non possumus tussim cohibere, cùm tamen tussis sit respiratio: non ergo est liber motus. Præterea motus palpebrarum per musculos fit, neque est in potestate nostra ipsum compescere: igitur non sequitur quamuis motus musculis fiat, ipsum liberum esse. Præterea ratio Gale. inquit. inualida est: non enim sequitur, non operante facultate per neruum, vt ipso præciso, nõ fit motus voluntarius, ergo operante facultate per neruum, motus erit voluntarius. In consequentiis namque bonis non sequitur ad oppositum antecedentis oppositum consequentis: sed potius ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis. Alter de classe barbanorum sic nititur Gal. sententiam, improbare, si namque motus respirationis esset liber, ei posset accidere lassitudo: sed respirantes non lassantur, neque ab eo munere vnquam cessant, nõ ergo est liber motus. Ad rationes autem Auerrois facilè respondebimus: respiratio namq; liber motus est, & non fit nisi præcedente cognitione

Respiratio an electione fiat.

Aristo. de respiratione.

Auerrois de respiratione.

Galen. à calumniis Auerrois defenditur.

distincta

distincta, aut confusa, & quæ in habitu potius quàm in actu consistat. Nam motus crurum liber est: sæpe verò dormientes crura transferimus absque cognitione præcedente. Et vigilantes cùm semel incedere cœperint, quandoq; non amplius motum crurum imperant, nec tenent mente conceptum finem, qui primò cognitus fuit. Ad aliud dicemus, tussim esse motum liberum: quoniam tamen motus quidam sunt, qui corporis affectibus seruiant, vrgente aliquo corporis affectu animal tussire cogitur, quamuis non tussire sibi potius elligeret. Simile est, siquis stans violentius trahatur, ipse enim crura mouet, incedit, & trahentem sequitur, quamuis nolens: eligit namque crura mouere, & incedere, potius quàm preceps ire, nihilominus is motus crurum liber est. Idem fit in motu palpebrarũ, qui liber est, licet aliquando corporis affectibus seruiat: fit enim vt à causa mordente, aut præ timore cogamur ipsas mouere. Ad aliud quo rationem Gal. subuertere conantur, dicemus Gal. ea vsum fuisse ratione lib. 2. de Placitis. Hippo. & Plato. vbi aduersus Aristo. probat vocem & thoracis motum à cerebro oriri, & non à corde. Musculi enim (inquit) instrumenta quædam respirationis, vocisq; effectricia mouent, ipsi à neruis qui à cerebro diffunduntur monitionem adepti. Quorum quidem neruorum si vel laqueis constrictum aliquem intercluseris, vel etiam præsecueris, motu statim orbaueris musculum illum in quem neruus ille pertingebat, membrúmque illud quod priusquam sectus neruus fuisset à musculo eo motionis cõpos efficiebatur, immobile reddideris. hæc Gal. Ratio nõ est ex opposito antecedẽtis, sed talis est potestate. Motus factus per musculos à cerebro manat: sed motus thoracis fit per musculos, ergo manat à cerebro. Quòd autem motus thoracis manet à cerebro, constat: quoniam si neruos à cerebro ortos, qui musculis mouentibus thoracẽ inseruntur, illaqueaueris, aut præcidas, motus illi cessant: habet ergo à neruis facultatem, & nerui à cerebro. Motus autem à cerebro procedens liber est, vt constat: non ergo procedit ratio Galen. ex opposito antecedentis: sed sic, Præciso neruo facultas non deducitur, & ipso non præciso deducitur: ergo facultas hæc per neruum defertur: hæc ratio validissima est. Nam illud dicitur principium, aut via delationis alicuius rei, quo posito defertur res illa, & quo non posito idem non defertur, ergo si posito neruo defertur animalis facultas, & ipso semoto eadem non defertur, via aut principium transmissionis eiusdem ipse erit. Quod autem affirmat Galen. dialecticam ignorasse, impudenter mentitur: nam Galen. libros de Demonstratione scripsit, & dialecticam esse à medico discendam admonet, ac probat, suáq; in differendo peritia docet, quantum in ea disciplina valuerit: vt cùm aduersus Arist. Crisippum, Asclepiadem, Menodotum, Lycum, aut Thessalum se offert differendi occasio. Quod autem alij dixerunt liberum non esse motum, quoniam non patitur lassitudinem, id alia ratione euenit, nempe quoniam cerebrum perpetuò per eos neruos influit & copiosè, ita vt numquam sentiant defectum, cuius gratia quiescendum eis sit, præter id quòd respirationis motus mediis quietibus fiunt. Respirationem itaque liberum esse motum cum Gal. dicemus, ab imperio appetitus animalis procedentem, cognitione obiecti siue finis antecedente, eáque vel manifesta vel obscura & confusa: quæ dormientibus cùm respirant adest, & cùm corpus aut aliquod membrum mouẽt, quod est imaginationem, & appetitum mouere animal, qua ratione 8. lib. de Physicis auscul. cap. 2. Aristo. dixit, animal ex se moueri, quoniã cùm quieuerit, motum rursus ex se inchoare potest, non accedente aut generante, aut remouẽte prohibẽs, quibus egent inanimata, vti & Cicero lib. de Republica, dixit, Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo. Quod autem animal est, id motu cietur interiore & suo, nam hæc est natura propria animæ atque vis. Aristo. sententia sic constabit. Nam lapis quiescens motũ deorsum nunquam inchoabit, nisi prohibens semoueatur, quod impediebat eius motum deorsum. Aut quemadmodum in vapore sublato in aere: is enim descendere incipiet

Animalia mouentur ex se.

piet aſcedente generante grauitatem, quæ in vapore non præfuerat: & ignis cum generatur, aſcendere incipit. Animalia tamen nullo horum accedente, ſed ſola immutatione à fine facta, & imperante interna, facultate moueri incipiunt: & hoc eſt moueri ex ſe, non quidem principium motus intrinſecum habere: nam id habent grauia & leuia, & quæcunque naturali motu cientur. Sed quoniam nullo extrinſeco concurrente à ſe ipſis motus inchoare poſſunt animalia, obiecti cognitione & appetitus imperio præcedentibus, ſiue id obiectum præſens, ſiue abſens fuerit, ſiue omnino non fuerit in re, ſed in anima tantum. Mouetur namque imaginatiua vis, non tantùm ab externis cauſis, ſed etiam ab internis. Nam quæ thoracem grauant, aut mordét tuſsire cogunt, cognitione præcedente, & deiectio inteſtina mouet, & vrina veſicam, & ſaliua os, & mucus nares, & ſapor internus à lingua ſentitur, & ſemen in vaſis retentum imaginatiuam valide mouet, prius moto tactu partis, vnde titillationes fiunt in ſenſu tactus, & imagines fœminarum, & totius corporis motus appetitus imperat: atque turgent animalia nullo ordine mota, & ad venerem concitata. Sequitur adhæc vt de appetitu quædam doceamus: verum is nullum animatorum ordinem conſtituit ex Ariſto. doctrina: quoniam omnibus animæ facultatibus immiſcetur. Nam altrix facultas, quæ in iecore ſedem habet, ſiue concupiſcibilis ipſa ſit, quemadmodum voluit Plato, appetitum habet immixtum, & ipſa appetitus nomen ſortitur, ἐπιθυμητικὴ dicta. Et ſingularum corporis animati partium altrix, alimenti familiaris appetitum habet, quo etiam alienum auerſatur: ſentiens quoque animæ vis voluptatem habet inſertam, quæ in ſenſibus exterioribus ipſorúmque organis inſita eſt. Docent guſtus & tactus quantum quiſque & delectetur, & triſtetur, ab his quę ipſis offeruntur: ſentiens quoq; interna vis appetitum prædictum habet coniunctum, cuius munus eſt motum ad locum imperare: is verò appetitus ſenſibus internis copulatus, tertium animatorum ordinem conſtituit, in Ariſto. doctrina. Quoniam verò is appetitus quidam eſt, & appetitus omnibus immiſcetur ordinibus: non ineptè quis hunc ordinem animatorum alio quopiam diſtingueret, quàm appetitu: nempe aliqua animæ vi quæ appetitum haberet adiunctum. Ac rectè diceret, vegetatiuum eſſe primum, Secundum ſenſitiuum, externo ſenſu, vt guſtu, aut tactu, quo animalia terræ affixa prædita ſunt, Tertium ſenſitiuum per internos ſenſus, ſiue æſtimatiuum, ab eo quòd æſtimare valet, Quartum intellectiuum. Secũdum locum motiuum verò nullum ordinem diſtinguit: quoniam ordines animatorum non diſtinguũtur appetitu, ſed facultatibus, quibus ipſe adiunctus eſt. Vegetatiuum namque non ab appetitu alimenti ordinem ſumit, ſed abalendi potentia, quæ ſibi aſciſcit appetitum alimenti, veluti in plantis. Et ſenſitiuum quod in terræ affixis inuenitur, non ab appetitu ſortitur ordinem, ſed à facultate ſentiendi, cuius gratia plantis ſuperiora ea animalia euadunt: & intellectiuum quamuis habeat adiunctam voluntatem, non ſumit ordinem à voluntate, ſed ab intellectu, cui adiungitur voluntas, ita quoq; ordinem in ordine eorum quę loco mouentur, ſed non intelligunt, inuenire decet aliquam animæ vim, quæ ordinem conſtituat, & appetitus non ſit, ſed appetitum ſibi adiungat. Hæc verò eſt interna ſentiendi facultas, quæ intellectum dignitate non attingit, ſed ſenſum externum, qui in terræ affixis inuenitur, ſuperat. Cùm autem internæ ſentientes facultates duæ tantum ſint, ſcilicet imaginatiua & æſtimatiua (non enim cognoſcit memoria) hunc ordinem, imaginatiuum, aut æſtimatiuũ, aut interius ſenſitiuum appellabimus: id verò ob appetitum imperantem, loco mouetur, poſtremò ſuccedit, de rationali animæ parte diſſertatio, quam ad vltimum locum diſtulimus, quoniam ad eam aliæ animæ partes ſunt neceſſariæ ſecũdum naturam, & quoniã ipſam aſſequi ſine aliarum cognitione foret impoſsibile. Tanta enim eſt eius dignitas & excellentia, vt noſtras vires cognoſcendi ſuperet, & magna ſit nobis per ſenſus adhibenda diligentia, vt vel minimum de ipſa

Appetitiua animæ pars.

Animatorum ordines.

Secundum locum motiuum non conſtituit ordinẽ animatorum.

Animæ intellectiuæ dignitas.

ipsa dicere valeamus. Nitemur tamen eius admirabiles vires perquirere, & in earumdem cognitione versari: tum quod hæc nos ducit in diuinarum rerum contemplationem, tum quòd homini sapienti nihil amabilius, aut conducibilius esse debeat, quàm sui cognitionem habere, & quę sua sunt in primis agnoscere. Porrò anima nostra rationalis, quæ in cerebro relidet, diuina quędam est substantia, incorporea, impatibilis, atque perpetua, humano corpori infusa, & ab eo per mortem & corporis dissolutionem separabilis, ad cuius productionem corporis dispositiones omnino non coagunt, quamuis præcedere sit necessarium, & sine ipsis corpus informare & ei adhærere anima nequeat. Hæc itaque à prima hominis generatione corpori immergitur, & multo humori infunditur, à quo vires offunduntur, caligant, & obtenebrantur, non aliter quàm à lignorum viridium multitudine flamma ignis. Quo fit vt infantes nullius sint rationis participes, & beluarum ritu alitioni tantùm incumbant. Cæterùm procedente tempore, humore diminuto & toto corpore aridiore reddito, sese ostendit anima rationalis, virésque suas in publicum profert, vti flamma, quæ sensim lignorum humorẽ exeutiens, seipsam accendit, auget, & patefacit, quæ antè ferè extincta iacebat. Erat autem in rationali anima lumen ferè extinctum, quod ei à summo omnium rerum opifice ad beatitudinem consequendam datum est, nempe intellectus, Diuina animi potestas, qua homines Deo similes sunt, & Deo copulari auent: cùm primum intelligunt non esse quidem integrum, aut omni ex parte perfectum lumẽ, quod animæ rationali innatũ est, sibiq; insitum à natura, sed alio egere perfectiori, & sublimiori, à quo ipsum illustretur ac perficiatur. Tunc enim perfectum fore intellectum humanum, qui ad adultam ætatem peruenerunt agnoscũt, cùm innatum sibi lumen à cęlitus infuso diuino splendore perfusum fuerit. Id verò est, intercedente lumine, intellectum humanum diuino copulari, & animam nostram in cælum euehi. Sunt autem rationalis animæ facultates, intellectus atq; voluntas. Intellectus verò duplex est, quidam intellectus potẽtiæ, quidam intellectus agens. Cùm enim intellectus vniuersalium maximè sit, & sensus singularium, & intellectus à materialibus immediatè pati non possit, ad consequendam rerum cognitionẽ oportet imagines earũdem quæ in sensu sunt, à singulari & materiali natura, quæ ab intellectu valde est aliena, nudare, atq; ipsas in aliam naturam mutatas intellectui tradere, & in ipsum transponere, & traducere. Quòd si id aut obiecti, aut sensus vi fieri nequit, vt notũ est, opus erit agente intellectu. Non fit tamen secundum naturam (vt ex his quæ nouimus constat) vt idem, materiæ & efficiẽtis vices gerat, sed alterum agat, alterum patiatur. Cogimur ergo naturæ ratione moti, alterum intellectum cõstituere passiuũ, qui intellectus potentiæ dicitur, ab Arist. Porrò cùm intellectus noster à phantasmatis mendicet, idest ab his quæ in sensu cõsistunt, & ea quæ sunt in intellectu in sensu præfuerint, necessum erit ad intelligẽdum interim dum anima rationalis corpori est infusa, vt intellectus ad eas rerum imagines sese conuertat, quæ aut ex se maiorem habent perspicuitatẽ, aut quæ aliarum rerum cognitionẽ ordine, discursu, & ratiocinio sequuntur, à quibus aliarum similitudines immateriales abstrahit intellectus, eas à singulari & indiuidua natura separans, atque secernens, quas intellectui potentiæ figit. Hęc verò generali quadã similitudine repræsentant id quod singulari & materiali natura sensui sese ostẽdebat. Præterea quod offertur intellectui potentiæ idem agnoscit per notionem quæ ab intellectu agẽte producitur, & ab intellectu potentię recipitur simul cum rei agnitę simulacro, à sensu in intellectum translato, eiusdem intellectus agentis coactione, ob quam intellectus potẽtię, dignitatis & perfectionis agentis fit particeps. Nec tamen ob id putandũ est intellectum potentiæ esse perfectiorem intellectu agente, quoniã intellectus potentiæ recipit notitias siue rerum cognitiones. Illud verò quod cognoscit, non cognoscẽte perfectius est. Nam intellectus potẽtiæ recipit notiones, & earũ ratione

Animæ rationalis vires.

Intellectus agens.

Intellectus potentiæ.

Intellectus potẽtiæ non est agente perfectior.

cognoscere dicetur, quemadmodum quæ calorē suscipiunt, calida, & quæ frigus, frigida: quæ vero nulli horum subiiciuntur, a nullo horum appellationem suscipiunt intellectus verò agens, nullam horū suscipiens, non intelliget, neq; tale nuncupabitur. Quòd si ea quæ cognoscunt, non cognoscētibus digniora, & nobiliora sunt, intellectus potentiæ dignior erit intellectu agente. At verò nos intellectum agentē dignitate & ordine priorē & superiorē esse intellectu potentiæ, rursus constanter affirmamus: siquidem agens patiente, & actus potentia, & forma materia, dignior est: intellectus autem agēs actus est & forma, si ad intellectum potentiæ referatur: erit ergo dignior. Intelligit quoq; nō per eam quam in se susceperit cognitionem, sed per eam quæ in intellectu potētiæ iacet. Est siquidem adeò intimus intellectus agens, intellectui potētiæ, vt nihil aliud sint ab anima rationali, quæ potest intellectionem efficere, & ipsam suscipere, vt vnica notitia, vnamet intellectione simul ambo fruantur, & anima rationalis per intellectum agētem & intellectū potentiæ, cognoscere, meritò dicatur, & agere ac suscipere intellectionem, vt infrà dicemus. Comprehēdit itaq; intellectus vniuersalia, & ea quæ à materia separata præsentantur, quorum efficit notitiā intellectus agens. Suscipit autē ipsam intellectus potentiæ, agnoscentibus ambobus: in vniuersali autē illa rei agnitione singulare quoq; loco, & tempore præsenti, & accidentibus affectum, deprehenditur. Trahitur enim ad singularis, & materialis agnitionē à corporis affectibus, quatenus & ipsis seruire sæpissimè cogitur: quod accidit rationali animę, interim dum corpori immergitur. Hinc fit, vt post mortē, non recordemur, inquit Aristo. (quod de memoria sensuali intelligi debet, nam memoria intellectualis post mortē manet.) Recordari namq;, amare, & odio prosequi, affectus sunt & conturbationes animæ, quæ in singularibus constitunt, & singularibus annectuntur: quādoquidē memoria corporea vis est, & odium atq; amor ad animam irascibilem attinent: quæ mortalis est, ac corruptibilis in corde residens: intellectus verò cum rationali anima, perpetuus est, diuinus & immortalis, vniuersalia à singularibus separans, atq; separata concipiens, deinde ea ordine componēs, & serie quadam coniungens ad veri & falsi constitutionem: nam verū & falsum in enuntiatione, siue assertione cōsistunt. Hæc tamen in intellectu conficiūtur, & cognoscitur verum, addita quoq; temporis ratione, sine qua nullum verum, aut falsum est, aut tale esse concipitur. Quoniam verò temporis rationem solus assequitur intellectus, ipse quoq; solus verum agnoscet. Vt enim inquit Aristo. 3. lib. de Anima. cap. 8. verum & falsum conceptus complexi intellectus sunt: sed tamen tam complexi, quàm simplices, qui primi conceptus ab ipso nominantur, phantasmata non sunt, sed nō sunt sine phātasmate. Phantasma vero hic significat rei simulacrum, quod in imaginatiua facultate, aut in memoria manet, quo cogitandi vis simili modo vtitur. Cùm verò memoria sensualis & cogitandi facultas, separata anima rationali à corpore corrūpatur, post mortem non recordamur, neq; amamus: sunt enim amor, & odium, de quibus loquimur, non rationalis, sed animę irascibilis passiones. Hæc verò perit in hominis dissolutione, neq; rerum in vita actarū recordamur, quia memoria corruptibilis est, & corpori annexa. Et cogitatiua facultas, cuius est munus in imaginibus memoria sensuali seruatis versari, pariter aboletur. Themistius tamen præter intellectū agentem, & intellectū potentiæ tertium statuit ad Aristo. mentem, quem appellat, intellectum communem, ac probat intellectum agentem & intellectum potentiæ esse perpetuos: cōmunem verò corruptibilē, ad quem recordari, amare, & odisse attinere vult. Primū quidem verum est, vtrumq; intellectum tam agentem, quàm potentiæ esse perpetuos: nam de intellectu agente lib. 3. de Ani cap. 5. inquit. Et is intellectus separabilis est, nō mistus & impassibilis, cùm sit substantia actus. Quòd etiā intellectus potentiæ sit perpetuus, voluit Aristo. lib. 3. de Ani. cap. 4. dicens: Si igitur ipsum intelligere sit, vt sentire aut pati, quòdda erit ab ipso intelligibili, aut aliquid

Intellectus agens qua notione intelligat.

Intellectus vniuersalium est.

Post mortem non recordamur.

Intellectus verum & falsum cognoscit.

Phātasma.

Intellectus impassibilis est tam agēs quam potentiæ.

aliud

aliud tale: impatibilem igitur ipſum eſſe oportet, ſed formæ ſuſceptiuum, & potentia talem, ſed non ipſam eſſe, & ſimilitudinem ſubire cum ſenſu, ita vt quemadmodum ſe habet ad ſenſibilia ſenſus, ita ad intelligibilia intellectus. Priora dicta ſunt de intellectu agẽte, qui omnia agere poteſt, quoniã omnium notiones agendo perficit: hæc verò de intellectu potentiæ, qui eſt ad omnia in potẽtia, quoniam omnium cognitionem, & formas omnes ſuſcipere poteſt: qua ratione ab omnibus eſt immunis. Quòd tamen attinet ad tertium intellectum, mixtum materiæ, cõmunem & corruptibilem, talem eſſe Themiſtius ex Ariſto. probare nititur. Primò ex cap. 4. lib. 1. de Anima, vbi inquit. Et ipſum igitur intelligere ac contemplari marceſcit, quia aliud quoddam intus corrumpitur, ipſum autem paſsione vacat. Ratiocinari verò & amare, aut odiſſe, non ſunt illius affectus, ſed huiuſce quod habet illud, ea ratione qua illud habet: quapropter & hoc corrupto, non recordatur, nec amat: non enim erat illius, ſed ipſius communis, quod quidem periit. Alter locus habetur lib. 3. cap. 5. quum inquit de intellectu ſeparato loquẽs: Non autem recordamur, quia hoc quidem expers eſt paſsionis: intellectus verò paſsiuus extinguitur, & ſine hoc nihil intelligit. Hęc tamen loca non probant eſſe aliquẽ intellectum, ab agente, & potentiæ diuerſum. Nam vbi in primo libro dixit ratiocinari, & contemplari, marceſcit, quia aliud quoddam intus corrumpitur, id non eſt de intellectu audiendum, ſed de potentia cogitatiua, quæ contemplationi & ratiocinio ſeruit miniſtrãs intellectui, quæ ſi corrumpatur, vt in hominis abolitione, nullum ſingulare intelligere valebit intellectus, neq; quempiam aut amare, aut odio proſequi, neq; recordari ſenſuali memoria: cùm id ad corporis vires referri debeat. Adde quòd eodem loco poſtquã dixit, illius quod perit corruptione, nõ recordari inquit. Intellectus autem diuinũ quid eſt, fortaſſe, paſsionéq; vacat. Rurſus quod lib. 3. dixit, intellectus verò paſsiuus extinguitur, conſtat ipſum non loqui de intellectu qui eſt rationalis animę vis: is enim incorruptibilis eſt, vt probaui, apud ipſum, ſed vſus eſt nomine intellectus, pro potentia cognoſcẽte, ita vt cogitatiuam facultatẽ compræhẽdat, quæ corruptibilis eſt, quemadmodum li. 3. de Anima. cap. 10. intellectum & appetitũ mouere animal dixit, ſiquis imaginationẽ vt intellectionem quandam eſſe ponat. Sed rurſus ad animam ipſam rationalem de qua ab initio agendũ inſtituimus, redeamus. Anima hæc quæ in vnoquoq; vna habetur, ab anima alterius numero diſtincta, ſpecie vnica, ſic noſtro corpori hæret, vt forma quæ eſt rei eſſentia, & quæ eſſe rei præbet. Differunt enim eſſe, & eſſentia. Nam eſſentia hominis forma ſubſtantialis & actus ipſius eſt: eſſe verò conſtituti totius ex forma, ſiue ſpecie & materia conſtat. Id verò eſſe totum conſtitutũ à forma ſuſcipit: nam & forma hominis quæ anima rationalis eſt, nõ aſsidet corpori vt gubernator naui: is enim non eſt nauis actus, & perfectio vt anima rationalis hominis. Prẽterea gubernatore ablato, atque pereunte, nauis ſuum eſſe non amittit, homo verò ablata anima perit, & ſuũ eſſe perdit: aliter ergo anima corpori, & nauta naui iunguntur. Separatur autem anima hæc à corpore vinculis diſſolutis, quibus corpori alligatur. Nã vincula ipſa ſolubilia ſunt, & mortalis anima, quæ apud Platonẽ alia eſt ab hęc, cũ corpore diſſoluitur, & perit, inquit enim in Timęo: Dij dum animã immortali initio præditam accepiſſent, circumligauere obduxeréq; ei corpus fluidũ & mortale, adiecto genere quodã mortalis animæ, qua perturbationes & affectus plurimos cõdiderunt. Meminit hoc in loco animæ rationalis & immortalis, atq; animæ iraſcibilis, ad quam attinẽt affectus, ſiue perturbationes, quę corruptibilis eſt, per hominis abolitionem, altera ſeparabili euolante, vt perpetua. Hanc Ariſto. lib. 2. de Generatione animaliũ. cap. 3. extrinſecus aduenire voluit, & ingenitam eſſe putauit. Nos tamẽ à primo rerum conditore genitam, vel potius creatam eſſe aſſerimus, mediam quãdam naturam conſequutã inter angelos, & ea quæ materiæ omnino annexa ſunt. Nam angeli immortales ſunt, neq; aliquo modo materiæ, aut corruptibili &

Intellectus communis an ſit.

Non reminiſcimur poſt mortem.

Eſſe & eſſentia.

Anima rationalis media.

mortali cuipiam adiuncti. Formæ elemẽtorum & mixtorũ corruptibiles sunt, & dissolubili subiecto coniunctæ: anima tamen rationalis immortalis est, corpori tamẽ mortali & dissolubili alligata. Qua quidem parte corpori annectitur, sæpe à corporis affectibus vincitur, & præceps trahitur, à bono aberrare cogitur, & malum prosequi: qua verò rationalis & immortalis ac impatibilis est, bonum amat numquam errat, aut seligendo fallitur. Rursus qua immortalis & impatibilis est, vniuersalia cõsiderat, & rerum essentias meditatur, ac diuina, & à materia separatas substantias contemplatur, se quoq; intelligit: qua verò mortali & deciduo corpori circumuallatur, à cogitandi vi, quæ sensitiuæ animæ facultas est, ad singularium & materialium cognitionem adducitur. A quibus rursum ipsa viribus suis vsa, tãquam à materialibus similitudinibus rerum singulariũ, similitudines alias, quas iuniores philosophantes, species intelligibiles vocant, educit, quas intellectui patibili traducit, eisq; præsentibus rerum earũdem essentias intellectus agens aduertendo cognoscit: ea verò est vniuersalium notitia. Id exemplo facili ac breui doceamus. Agnoscimus primùm visoria facultate colorem, magnitudinem, & figurã Socratis aduenientis: imaginẽ eiusdem suscipit phãtasia, atq; Socratem esse cognoscit. Succedit autem cogitandi facultas, quæ ratione & discursu, quædam cõuenire Socrati iudicat, vt quòd Coriſci filius est, aut cuiusuis alterius pater, & quòd amicus est, aut inimicus. Hæc verò non fiunt antequam in ipsa similitudines Socratis à phantasia fuerint translatæ. Ab his tamen intellectus agens, quas proximas habet (quòd magis aliis perspicuæ, & euidẽtes eo tẽpore sint) simulacra transfert intellectui potentiæ, & in intellectionem essentiæ Socratis format: quæ vniuersalis omnium hominũ agnitio est, quoniam in ea essentia omnes homines conueniunt, tanquam in specie, in qua & Socrates ipse continetur. Cùm tamẽ, vt diximus, anima & eius intelligendi vis annexa & alligata cogitatiuæ sit, rursus ab ea ex sua vniuersali notitia, in singularis cognitionem astringitur, & reuocatur. Id ad mentem ferè omnium Peripateticorũ dictum sit, à quibus vna hac re dissentimus, quòd ad ipsas imagines in phantasia sitas, intellectum agẽtem conuerti asseueramus, in primis ipsis rerũ cognitionibus, & antequam in generali conceptione ab intellectu cõprehendi, quàm cogitatiua vis ipsam agnoscat, aut de ea iudiciũ ferat, itaq; in ipsis primis intuitionibus, quæ à sensibus externis manant, & ab eisdem procedunt, imaginatiua immediatè ministrat intellectui, à qua vniuersalis cognitio abstrahitur. Post modũ verò quum quippiam de ea singulari re considerandũ se offert absente intelligibili, intellectus ad rei similitudinẽ, quæ cogitatiuæ hæret, ab imaginatiua translatam, aut ad ipsum ex memoria reductam, se cõuertit, & de singulari re multa disquirit, & considerando venatur, & inuenit, inuenta quoq; affirmando, aut negando prædicat. Id est quod dixit Arist. oportere intelligentẽ phantasmata speculari, id est, in primis rerum cognitionibus intuitionibúsque, intellectus à phãtasmatibus, ideſt imaginibus in phãtasia sitis mẽdicat: ministrat namq;, ac suggerit rerũ imagines intellectui: in absentia tamẽ cùm semel vniuersalia & generalia, ex singularibus intellectus cõfecerit, aut solus immaterialia & vniuersalia contẽplabitur, nulla facta adsensus cõuersione, aut si quãdo singulare quodpiã agnoscat, quod in generali notitia cõprehensum habuerit, ad cogitatiuæ formas & simulacra se conuertet. Hæc enim rerũ absentiũ suggerit imagines, quas à memoria seruatas suscitat. Interim itaq; dum anima corpori iungitur, singularia primũ agnoscit ordine nobis debito, deinde vniuersalia, quæ in rebus sunt, concipit, vniuersalibus conceptionibus. Demum verò ab vniuersalibus conceptionibus ad singulares regreditur naturæ ordine, quo à dignioribus & sublimioribus, ad ignobiliora, nobis tamen notiora, proceditur, sic & in sui ipsius agnitione intellectus à singularibus procedit, à quibus ad sui cognitionem discursu progreditur: Separatus tamẽ seipsum in vniuersalium cognitione intelliget per se. Non defuerunt, qui existimarent intellectum duplicem

Anima rationalis vniuersalia considerat.

Exẽplum.

Phantasia intuitionibus intellectus immediatè ministrat.

plicem esse agentem & passiuum, duas substantias diuersas, quarum agens vt forma esset, & actus & passiuus vt materia & susceptiuus, ex quibus rationalis anima constaret, vnica & indiuisibilis substantia. Sed nulla ratio ad id opinandum mouere nos poterit: nam intellectus potentiæ substantia est, & forma, non vtique materia: verùm ex duobus actibus nihil vnum cõstitui potest: non igitur constituerẽt, aut intellectum vnum, aut animam & substantiam vnam. Est autem intellectus in anima rationali nihil aliud ab ipsa anima, quæ ea facultate fruitur. Qua enim potest agnoscere & rerum notiones habere dicitur potentiæ intellectus: qua verò rerum cognitiones & notitias efficit, agens dicitur intellectus, ipsa anima rationalis. Solent namque Græci animam irascibilem, facultatem irascibilem nuncupare, & animam rationalem, facultatem rationalem, & animam intellectiuam, facultatem intelligendi: etenim, δύναμις dicitur quæuis causa potens, ἀπὸ τοῦ δύνασθαι, id est, ab eo quod potest quidpiam facere, vt facultas intelligẽdi, facultas sentiẽdi, quia facit intellectionẽ, aut sensationem. Verùm ipsa anima rationalis diuersa quadam ratione agit, ac patitur: idem namque vtriusque vices egerit, sed diuersa quadam ratione. Sic enim quę suprà diximus, de intellectu duplici intelligi volumus. Sed quo pacto ex singulari rei similitudine in phantasia sita, possit intellectus vniuersalem producere notitiam, dubiũ videtur. Nam si phantasma nihil agit in rei cognitione, sine ipso cognosci posset, quod nõ fit. Quòd si quid agat, materiale mouebit immateriale, & intellectus à sensibilibus patietur, aut mutabitur. Quòd si noscantur singularia ab intellectu sine specie, quo pacto aut qua ratione intellectus se conuertit ad phantasma, nisi ab ipso immutetur? Quòd si simulacrum id necessarium est in intellectu potentiæ, à quò producetur? Quibus sequentia satisfacient. Intellectus humanus, siue anima ipsa intellectiua nõ intelligit absque rerum similitudinibus, quæ in intellectu potentiæ, siue anima ipsa imprimãtur. Fiunt aũt partim ab intellectu agente, partim etiã à phantasmate: nam intellectus agens phãtasmata illustrat, ac perficit: deinde vt agens pręcipuum simul cũ phantasmate intelligibilis, similitudinẽ intellectui potẽtiæ tradit, qua præsente intellectus agens rei notionẽ producit, per quã anima vtraq; ratione, & qua agẽs & qua patiẽs, intelligere dicitur. Neq; probãr quidquam illi qui conãtur phantasma nõ coagere, & intelligibilis simulacrum nõ differre à rei ipsius cognitione. Nã cessante intellectione manet adhuc similitudo rei intellectæ: non igitur sunt vnũ. Posset aũt quis obstrepere aduersus ea quæ diximus, probare cõtendens simulacrum obiecti, nõ produci in intellectu potentiæ ab intellectu agente & à phãtasmate. Phantasma siquidẽ nullam facultatẽ habet immutãdi incorpoream substantiã, vt diximus. Verùm id nõ est à ratione alienũ: nam sua virtute & potestate nõ mutaret intellectũ, aut minimè per simulacrũ obiecti. Phantasia intellectum potentiæ perficeret: sed in ea mutatione præcipuũ agens est intellectus, minus præcipuũ phantasma. Quòd si præcipuum agens tale est, quãuis minus præcipuum id nõ valeat efficere, ad actionem concursum habere poterit, quemadmodũ in generatione animalis, quãuis ad formam substantialem generandã imperfecta causa caliditas sit, & inualida, nihil vetat ipsam coagere. Coaget igitur similitudo in phantasia generationi alterius in intellectu. Rursus quoque aduersarius obsistere posset. Quoniam si rei similitudo in intellectu à phantasmate habet ortũ, vt à causa minus præcipua, & ab intellectu agẽte, vt à causa magis præcipua, intellectui potiúsquã phantasmati similis esse deberet: quod non esse hinc constat, quòd phantasmati similima est, non intellectui. Sed tamen quamuis similitudo prædicta phantasmati similior in modo & repræsentandi facultate sit, quoniam spiritalis est essentia eius, similior euadit intellectui agenti, qui veluti vniuersalis quædam causa est omnium intellectionum: phantasma verò vt particularis & singularis, cuius simile in hominis generatione fit: sol enim & homo generãt hominem: sol vt causa generalis & magis præcipua, homo vt singula-

Intellectus duo nõ sunt duæ substantiæ.

Vniuersale cognoscitur ob phantasma.

ris:verùm homo homini quàm ſoli,ſimilior euadit:Sic quoq; ſimulacrũ in intellectu potẽtiæ ſitum,intellectui magis ſimile eſt in ſua eſſentia,quamuis magis ſimilem habeat vim immutãdi cum phantaſmate.Nam & phantaſma ſingulare repreſentãt,ſimulacrum verò in intellectu ſpeciem &eſſentiã vniuerſali modo.Quemadmodũ etiam ad formæ quæ ſubſtantia rei eſt,& ipſi ſpeciẽ præbet,inductionem quædam antecedunt naturæ ordine præparamenta in materia,ita phãtaſma in imaginatiua facultate antecedit eiuſdem actionem, qua obiectum cognoſcit.Et in intellectu ſimulacrũ antecedit intellectionem, quæ veluti forma & perfectio intellectus eſt, qua materialia à ſenſibus oblata cognoſcit,ab vniuerſalium cognitione contractus. Diuina quoque & intelligentias ſeparatas à materia ratiocinio quodã aſſequitur:neque enim ipſarum euidentem cognitionem habere poteſt,donec à corpore anima noſtra fuerit libera. Tunc etenim ſuperna meditabitur,& Deo ipſo intuendo fruetur, vbi ſingulæ ſubſtantiæ,reliquis patẽt intelligentiis,quibus ſe totas pandũt.Quòd ſi ad ſupremum eum diuinũ intuitum in vita nemo pertingere poteſt,neminẽ in viſa beari dicemus:ea enim eſt noſtræ animæ beatitudo poſtremúſq; finis. Sunt verò quæ ad ipſam conſequendam parant, virtutes animi,quibus diſciplinæ vehementer adſtipulantur,tum quòd quæ meliora ſunt, nos docẽt amare,& proſequi, tum quòd vitia, animíq; perturbationes cõpeſcunt. Iure ergo dicemus virtutibus & ſcietiis animam noſtram illuſtrari,ornari,perfici, & ad poſtremam ſummámq; felicitatẽ præparari,ac tandẽ perduci:naturales verò philoſophi aliam humanã felicitatem intellexerunt,qua homines in hac vita fruuntur qui animã ſuam prudẽtia, iuſtitia tẽperantia & fortitudine exornarunt.Stoici quidem hæc tantũ ad felicitatem conducere voluerunt: Ariſt.tamen bona fortunæ ſimul cum prædictis animi dotibus ad felicitatẽ putat eſſe neceſſaria,&felicitatem ex neceſſariis complet,& ipſam actionẽ virtuti conſentaneam eſſe dicit, neq; deformẽ aptũ eſſe ad beatam vitã, neq; beatũ eſſe, qui in Priami inciderit calamitates, quòd & magnificentia paupertati iungi non poſſit,affirmat: Cicero verò hæc bona bonis animi adiecta,nihil magis addere putat,quàm aquæ guttæ mari additæ, quæ mare nihilo maius reddũt. Et quemadmodum lumẽ aſtri, lumini ſolis additũ cerni non poteſt, ita bona corporis bonis animi addita paruam & exiguam faciunt acceſsionẽ,ſine quibus hominẽ beatũ eſſe aſſerit.Neq; memoria dignus eſt Ariſtipus, qui in dulcedine & corporis oblectamentis,neq; Epicurus qui in voluptate animę,neq; Hieronymus qui in doloris carentia felicitatem ſitam eſſe putauit: nam hi finẽm noſtrum ſtatuebant ſecundum naturam viuere.Præterea volũtas,animę rationalis vis tertia ordine à nobis conſtituta eſt, de qua modo agendum. Eſt quidem hæc libera quædam animæ facultas, quæ id tantùm quod bonum eſt, amat,&proſequendum eligit, quamuis id duplex ſit: nam quoddam eſt bonũ verè tale,quoddam tale ſe oſtendens, menti noſtræ imponens. Altero duorũ modorum bonum eſſe oportet, quod eligi debet:fieri etenim nequit(vt inquit Socrates in Mennone)vt qui malum quale ſit,nouerit,ipſum appetat.Antecedit tamen volitionem,aut eiuſdem contrarium rei cognitio. Nihil enim volitione aut nolitione proſequendum,aut fugiendum inſtituimus,niſi prius oblatum ſit intellectui,&tali ratione ab intellectu comprehenſum,voluntati offeratur. Deinde verò voluntas ipſa liberè eligit proſecutionem, aut fugam,volitione aut nolitione,producta in voluntate patiẽte quę volitioni ſuſcipiendę deſtinata eſt. Producitur autẽ à volũtate agẽte,quæ duæ animæ rationalis vires ſunt.At verò anima,quæ viribus eiſdem vtitur,ab ipſis ſola ratione,vt ipſę inuicem,diſtat,verùm ob id quòd voluntas paſsiua vis animæ eſt, ab agente diſtincta,volitionem ab agente factam ſuſcipit, hoc eſt rationalis anima, ipſa mediante.Ad cuius generationẽ ſola vis obiecti voliti nõ ſufficeret:nã ſola ea ſuapte natura volitionẽpareret,omni libertate excluſa.Cùm enim obiectũ ſe ferret volendum,ſi volitio obiecti actionem ſequeretur,cùm agẽs naturaliter

Intellectio ſeparatarũ ſubſtantiarum.

Viuentium felicitas

Voluntas.

Voluntas agẽs & patiens.

id

id agat,non posset nō agere oblatum,atque voluntas nō posset non suscipere volitionem:id verò est velle,nō ergo esset volitio libera actio,aut voluntas libera potestas. Rursus actio, natura facta in subiecto naturaliter suscipitur, sed volitio natura sit ab obiecto,ergo naturaliter suscipitur à volūtate.Quod tamē natura actū,naturali modo & nō libero suscipi debeat,constat.Nā si naturali modo actū,liberè susciperetur,posset id agi & nō suscipi,quod nullatenus fieri cōtingit.Erit igitur volūtas quædā patiens,quædam etiam agēs, ratione diuersæ quas liberas statuūt,tam agentem quā patientem:nos tamē agentē liberam esse cōcedimus, quandoquidē id voluntatis est donū,Patienti tamē libertatem non cōcedimus:nā siue volitio ab obiecto procedat,siue à volūtate agēte, volūtas passiua non potest nō suscipere volitionē, nō est ergo libera passiua volūtas:neq; id tollit rationē voluntatis,quæ est libera ad aliquid agendū,aut non agendū potentia.Nā qui sit definiunt voluntatē, vnicam volūtatem esse intelligāt oportet,ex agēte & patiente constitutā. In his tamē libertas ea est, quæ in volūtate agente, quæ volitionē non efficit, neq; quippiā volendū esse, cōcedit,nisi postquā oblatū ab intellectu fuerit,id sibi prosequendū aut fugiēdum,imperet.Est igitur tota libertas humana in volūtate agente,quę obiectū amat,aut odit: amat autem bonū, & odit malū,quod tale est,aut tale esse putatur.Quāuis sine delectu ac ferè omni sublata libertate quædā velimus,quæ se temere offerūt, quę postea collecto animo, & re penitus animaduersa,odio prosequimur,id quidē fieri frequēter cōspicimus, malo aliquo oblato fere subito,q; boni paruum quoddā afferat momentū:quod quidē incōsideratius eligimus:deinde tamē omni boni & mali ratione penitus considerata, auertendū cēsemus.Quod primò diximus, id est quod in primis motibus euenit, quos nō esse in nostra potestate theologi intellexerūt,quibus etiā cōsentimus,neq; volentibus id vitio vertendum putamus,nisi is qui primos naturæ impetus sequitur,prauis cōsuetudinibus animū ad eos primos motus amplexandos parauerit.Hūc volitionis actū in volūtate patiēte,natura suscipi nō dubitamus, agentem tamē voluntatē,eum actū,neq; omnino liberè,neq; funditus citra libertatē produxisse asserimus. Nam quatenus aliquā boni rationē ab intellectu oblatā habuit,id quod prosequendū subitò decreuit,& volūtas id aggressa est,libera actio dicetur.Quatenus verò sine omni delectu & nulla habita melioris distinctione,id præcipit,nō libera,omnino tamē libera actio illa est,quę à volūtate procedit,probè prius agnoscēte intellectu appetibilis conditionē, & efficaci ac firmo modo,& stabili id volēte,ac eligēte.Is tamen actus quāuis sine melioris electione fieri possit, sine delectu,siue animaduersione ipsum nō fieri,notum euadit:non enim semper quod melius est eligimus,sed aut externis causis,aut internis corporis affectibus nō imponētibus intellectui,aut voluntati.Sunt qui affirment,vnicā tantū voluntatē agentē,quandoq; vt voluntatem,ac perinde liberè,quandoq; vt naturā,sed nō liberè.Ad actum itaq; voluntatis,vt volūt nonnulli,tria sunt necessaria,obiectū,intellectus,& volūtas. Obiectum quod moueat & simul cū voluntate agēte coagat ad actū voluntatis producendū,Intellectus qui obiectū voluntati offerat, rationem boni, aut mali præsentās,& volūtas,quæ simul cū obiecto volitionē producat. Obiecti & intellectus actus, naturales sunt,voluntatis tamē liberi:sed tamē dubiū videtur:nam obiectū,finis,quē prosequendum imperat voluntas, volitio igitur, ad ipsum ordinatur,sed ipsum coagit ad volitionē:erit ergo idē efficiens & finis,prius & posterius,quod rerum natura nō patitur. Nos quidē volitionem à sola volūtate fieri posse putamus,obiecto nullatenus coagēte,sed tantūmodò oblato & præsente in intellectu.Cū enim intellectus rem intellexerit simulacro suscepto, &ipsam volūtati obtulerit,conspecta ratione boni voluntas volitionē edit se sola.Quòd si obiectū coagere cōcesseris,erit diuersa ratione efficiens,& finis.Qua enim interna res est animo concepta,coagit:qua verò res est extra animā,quæ consequi potest,finis est cuius gratia animal mouetur.Id

Voluntas patiens libera non est.

Volitionem producentia.

enim

enim volũtas prosequi & amplexari peroptat, ad cuius prosequutionẽ cũ voluntas in arce corporis residẽs, reliquarum facultatũ princeps sit, quandoque motum imperat, per neruos & musculos alicuius externi finis assequẽdi gratia: nonnunquam verò intellectui ipsi quippiam scrutandũ, aut exactius examinandum præcipit, Semel enim re quapiam intellecta voluntati grata, liberũ est intellectui præcipere in illius cõsideratione persistere, & immorari, donec intellectus multa ignota ad eam rem attinentia indagatione consequatur. Neq; obstat quod quidã opponũt: Nã voluntas, inquiunt, nunquã fertur in occultũ, sed quæ non nouit intellectus, ea occulta sunt: nõ ergo ea disquirere imperabit volũtas. Ad quod respõdemus, voluntatẽ semper ferri in rem prius cognitã quandoq; distincto & cõspicuo modo, vt quę singulari quadã notione cõprehensa sunt: nonunquã verò in ea quæ cõfusè quadãtenus noscũtur, & in generali quadam notione continẽtur, vtroq; modo res cognita dicitur. Cùm igitur volũtas quidpiã scrutari intellectui præcipit, fertur quidẽ in id quod nõdum cognitũ est distinctè, sed generali notione cõprehensum: cuius cognitionem exactã voluntas cupit: ad eam verò assequendã, intellectus opera, anima opus habet. Ideóque voluntas intellectui id munus exequi, & in eo exerceri præcipit, id vt bonũ eligens & volens, quemadmodũ & quæ sibi ingrata sunt, odit, & nolens auersatur. Quædam etiã neq; odit, neq; amat, ita vt præter volitionem & nolitionẽ medium actũ statuamus. Hanc facultatem alia ratione omnium supernã, quidam asseruerunt: nempe, quoniã ad ipsius actum beatitudinem, postremúmq; bonorum finẽ attinere volunt, non ad intellectũ, & quoniam morales omnes virutes ipsius sunt opera. Verùm quoniã hæc iam nostri instituti limites excedere videntur, de facultatibus & earũdem actionibus dicta sufficiant, quo loco primæ parti operis finẽ imponam, si prius de spiritibus quædam adiecero, his quę diximus cũ de vitali facultate ageremus, & rursum cùm de ani. facult. instrumentis. πνεῦμα, Græca vox, spiritum ac rem, & flatum significat, cuius definitionem suprà tradidimus, materiam, & generationis loca. Notum perterea est Hipp. libro sexto. de Mor. pop. humanum corpus dixisse tribus constare: cõtinentibus, contentis, & impetentibus: hoc est, mẽbris, humoribus, & aere, siue spiritu: significat autem impetens, non solùm spiritum, sed & sanguinis exhalationem, & aerem qui inspiratur, & transpiratione ducitur. An tamen sit spiritus quidpiam præter aerem, & sang. exhalationem, præter antiquorum sententias, quas locis citatis retulimus, nulla demonstratione probari, aut vrgenti ratione suaderi potest. Quoniam verũ est, & ab eisdem acceptum, temperamentum instrumentum esse partis, cui munus incumbit: non igitur erit opus spiritus; minimè verò id de naturali spiritu probabitur, vel nobis qui sanguificam facultatẽ à iecore venis transmitti affirmamus: nam hæc per venarum substantias defertur, vti vitalis per arteriarum corpora, & animalis per substantias neruorum. Non tamen si spiritum naturalem admittas, contrarium suadebit, quòd sanguis iecoris crassus sit: cùm enim vaporem à se mittat, ab eo spiritum generari. nihil vetat. Neq; illud obstat quod ferunt, spiritus generationem officina egere: nam ad id satisfaciẽt iecoris & venarum cauitates. Illud verò præ cęteris suadere valebit, in humano corpore aliquem adesse spiritum, quòd subitum casum facultatum non aliter reparare possemus, quàm spiritum suppeditantes, cuius generationem adhibitis liquidis alimentis, subitò quoque fieri existimamus, transeunte humore ex alimento in quandam veluti flammam: hanc nos spiritum appellamus.

Voluntas intellectui imperat quippiam examinare.

De spiritibus.

πνεῦμα.

CHRI

CHRISTOPHORI A VEGA COMPLVTENSIS, IN LIBRVM SECVNDVM DE ARTE MEDENDI PRAEFATIO.

Ad Carolum Hiſpaniarum Principem maximum.

QVAMVIS certò ſciam, & nemini dubium eſſe exiſtimem, pro ratione præſentis ſtatus humanæ naturæ, mortis ineuitabilis (quæ omnia deuaſtat ac populatur) omnes viuentes legibus eſſe deuinctos, perpetua quoque ſuſpitione angi, nullámq; temporis habere rationẽ, quàm maximè homines iuuare ad mores componẽdos, & animam virtutibus & diſciplinis ornandam: illud tamen non me latet, omnes facilè proſalute, nedum pro vita, vniuerſa fortunæ bona commutaturos cùm ſummè exoſum mortis nomen apud homines habeatur. Nihil ſanè tam amatum dixerit aliquis, nihil tanto habitum prætio & honore, quod non illico diſpenderit, ſi ſemel vel vnius horæ ſpatium ſibi vitam prorogandam intellexerit. Quamobrem non parum amabilem, non in poſtremis gratam fore exiſtimauerim hanc ſecundam huius operis partem, qua docemus, qua ratione fieri poſſit, vt medicus arte ſua ſanitatem tueatur, & vitam non tantùm cuſtodiat, ſed eandem vltra ſuæ temperaturæ limites producat. Neminem autem mentis compotem puto adeò futurum ſocordem, vt cùm ſemel in hanc operis partem inciderit, nõ omnem diligentiam apponat in eiusdem lectione, & relectione, donec eorum quæ à nobis dicẽda ſunt, integram proſequatur cognitionem. Theologus etenim præter multa quæ in primo libro diximus, de hominis conſtitutione, eiusdem facultatibus & actionibus, à quibus ſimul cum temperamento, animi mores magnopere deriuantur, in hoc ſecundo præcepta reperiet, quibus ſeruatis, non tantùm ſanitatem tuebitur, quæ ad bonorum operum executionem, eſt accommodatiſſima, vti & morbi ab eiſdem remorãtur: verùm & hiſce valebit proprios & alienos affectus compeſcere. Ego ſanè ſi mihi foret principum ab ipſa infantia commiſſa cura, eoſdem ſtatim magiſtro, pædagogo, & medico traderem. Magiſtro quidem ſapientiſſimo, qui eius animum diſciplinis illuſtraret. Pædagogo, qui eundem bonis moribus informaret. Medico, qui cognita eius temperatura, omnem animi propenſionem in vitia, omnémque prauum affectum, ac mentis perturbationem moderaretur: nam in animum deprauatum, & vitiis corporis ſer-

uientem, fieri nequit, vt ſapientia & integritas morum ſedem habeat. Video iam hæc Iuriſconſultis eſſe grata, quorum animus magnorum voluminum lectione defeſſus, in alimentorum facultatibus cognoſcendis, in eligendis exercitationibus, ſomno, & ſingulorum opportunitate recreabitur. Rectores & Grammatici horũ omnium, cum ſibi futura ſint ex vſu, vel compendiariam habere cognitionem deſiderant. Sed quid de philoſophis dixerim? quorum ſtudium eſt, rerum cauſas & naturas contemplari. Porrò cautè admodum de ſanitate tuenda, & vita proroganda ac introducenda immortalitate, præcepta tradidiſſe mihi videtur philoſophus ille Ægyptius, cuius meminit Gal. libr. de Tabe. Is enim immortales futuros pollicebatur, qui eum audirent, quique ſua viuendi inſtituta ſeruarent: Is verò ad ſenectutem perductus contabeſcenti ſimilis factus, oculis, excauatis, temporibus collapſis, fronte arida & tenſa, ſuam impoſturam detexit. Nec tamẽ perinde vana eſſe præcepta fatebatur, ſed rurſus pueros bene habitos, aptos eſſe prædicabat ad ſuam illam viuendi normam & immortalitatem aſſequendam. Intelgens decrepitus ille octogenarius, mortem ſibi adeò proximam, vt viuens non ſperaret futurum, vt in mendacio deprehenderetur, auſus eſt is non ſine quorũdam applauſu immortalitatem affirmare: quoniam (vt Gal. ait loco citato) nulla via eſt neceſſario probans, aut demonſtrans, omne genitum corrumpi debere, ſed ſuaderi tantùm poſſe. Potuit igitur affirmari, & apud nonnullos recipi, quod non omnino erat ratione improbabile, quamuis experimento ſit aduerſum. Nullus enim mortẽ natura, aut arte euadere valuit. Habuit Gal. conſentientẽ Platonem, qui in Timæo mundum genitum fuiſſe affirmat, incorruptibilem tamen. Ariſt. verò lib. 1. de Cælo, cap. 12. multifariam contendit, omne genitum corrumpi debere, ſiquidem omne genitum corruptibile eſt: quod ſi nunquam corrumperetur, ſed ſemper duraret atque infinito tempore duraret, haberet potentiam, vt ſit, & non ſit. Ego verò nõ video demõſtrabile eſſe, genitũ omne corrũpi debere, neq; in ſimplicibus, & homogeneis, neq; etiam in aliis. Sed iam ad hominem noſtra ſe conuertat diſputatio, quem genitum eſſe conſtat: morituru quoq; ipſum perpetuò verum eſt, non tamen demonſtrabile eſſe vult Gale. Quod tamen quidam putant calorem natiuum noſtræ corruptionis eſſe intrinſecum principium, & natura ipſa mortem ſequi, Gal. reprobat loco citato. Si enim dixeris ea de cauſa mortẽ naturalem eſſe, quoniam natura ſit, falleris: non enim mortem naturalem dicimus, quoniam à naturali ſit calido, ſed quoniam ad actionem caloris neceſſariò ſequitur. Neq; verũ eſt calorem noſtrũ eſſe igni ſimilem, qui ſolet ſubiectam materiam deuaſtare, atq; abſumere: quapropter ipſe deinde deficit. Natiuus enim calor non eſt qui deuaſtat, ſed qui trahit, coquit, adiungit & commutat, quæ ſibi offeruntur in noſtram ſubſtantiam. Quando tamen viſa eſt ignis flamma qua materiã, ex qua accenſa eſt, adaugeat, aut eidem alimentum aſſimilet? Neque Hippocr. eſſe videtur liber quo dixit, calor qui noſtra genuit corpora, nos occidit: verum itaque eſt (inquit) à calore noſtro natiuo ſenectutem fieri, atque corpora ad finem perducta corrumpi, non tamen veluti ab igneo calore, qualis eſt calor febrilis, cuius munus eſt, corrumpere, diſſoluere, atq; putrefacere: ſed fit quadam cõſequutionis ratione ad ipſa natu-

An hominem moriturum eſſe demõſtrari poſſit.

væ opera. Contendit vtique natiuus calor à prima ipsa animalis, aut plantæ generatione, animal aut plantam conformare, & extendere, atq; ad eam perfectionem perducere, vt valeat sibi commissas, & naturales actiones perficere: vt autem eas perficiat, vt animal, aut plantam obduret necessum est: vt igitur extendatur generationis materia, ab initio mollis & humida fuit: quæ verò sicca iam sunt, cùm amplius humescere nequeant, aut subrogari non amplius possint prima generationis elementa, reliquum est, vt sequenti tempore magis in dies exsiccato corpore, senectus ac mors, de necessitate sequantur, cordis humiditate absumpta. Quod si interim dum hæc aguntur in corpore, nulla præter naturam, violentáve causa occurrat, animal naturali morte defecisse dicemus. Quãuis tamen hæc rationi consona Gal. velit. Nihil obstat, quo minus mentẽ nostram hac in parte explanemus. Et si nulla demonstratione probari possit, omne genitum corrumpi debere, homini ineuitabilem esse mortem, non tantùm verum est, sed demonstrari posse affirmamus, demonstratione inquam, qualis in materia hac desideratur, quæ ex causis naturalibus procedat, qualem sapissimè in suis assertionibus comprobandis Galen. demonstrationem appellat. Non enim putamus natiuum calorem ita conseruare corpus, vt ipsum alat tantùm, atq; reficiat, sed vt exsiccet quoq; & ad consumptionem aliquando deducat. Nil minus naturale sanè existimamus calori nostro dilatare membra, extendere, formare, excauare, & duriora reddere, quàm eadem nutrire, & recreare, quando naturæ principia in id contendunt, vt animal & plantam ad eam perfectionem deducãt qua muneribus naturæ sint apta: id verò non fiet sine incremento, & exsiccatione: ad hæc igitur, principia tribuisse naturam necessum est. Cùm autem principia eadem quæ ab initio accesserunt, (quamuis mutata) tota vita permaneant, transacto incremento, & perfecta membrorum solidorum duritie, amplius exsiccant, atq; obdurant eadem, & ad marcorem perducunt: sic enim Aristo. naturalem mortem appellauit. Principia verò quæ animalium generationẽ perficiunt, hæc sunt, semen & sanguis: semen plus habet ignei & aerei elementi, sanguis plus aquei & terrei, aqueum & aereum adfuit elementum, vt materiam præstarent ab initio extensioni & incremento aptam, igneum verò & terreum, vt exsiccarent. Quod si hæc duo sicca elemẽta ad hunc finem fuerunt à prima generatione necessaria, actio ignei & terreni elementi nobis natura inerit: Sed rursus actio horũ nobis natura inest, & actio hæc hominem ducit ad mortem: ergo actione naturalium principiorum inducitur mors: præinducitur autem senectus, quæ via est ad mortem. Præterea negauit Gal. conferendum esse calorem nostrum cum igneo calore. Verum quidem est, non esse omni ex parte similem: nam neque coquit, neque format, neque similia his agit. Caterùm magna ex parte mihi similes esse videntur, quandoquidem vterque calor materiam sibi oblatam in suam substantiam cõuertit, & materiam in qua calor ignis consistit, ipse perpetuò arefacit, quod pariter calor noster, qua parte igneum elementum habet coniunctum, facit, neque obiter, sed ex naturæ instituto. Quod ad probandam naturalem mortem euidenti demonstratione, summum est argumẽtum: Si namque agentia naturalia adplicita materiæ aptæ actionem suscipere, perpetuò

agunt, calor noster siccando, nos ad mortem necessariò perducet. Nouit hæc ipse Gal. qui lib. 1. de Sanit. tuen. in semine & sanguine igneum & terreum elementum ad primam generationem accedere dixit, vt exsiccarent, atque addit: Ergò statim in generationis initio, coniectum copiosius oportuit elementum id quod siccandi vim haberet: est verò id natura quidem maximè ignis, sed tamen & terra. Meminit huius naturalis mortis Plato in Timæo, dicens: Quidquid enim contra naturam fit, molestum, quod autem pro rei natura, iucundum. Similiter & mors quam morbi & vulnera intulerunt, violenta est atq; molesta. Quæ verò senio paulatim ad finem ducente naturaliter surrepit, inter omnia mortis genera leuissima est, & cum voluptate potius quam cum dolore cõtingit. Sed dices nonne nutritione, humectatione, & temperatura in meliorem permutatione, fieri posset vt exsiccatio prohiberetur, & tandem euitaretur mors. Hæc sanè nihil conuincunt, in refectionibus enim solida membra perpetuò sicciora reddũtur: nam interim dum calor alimentum adpositum ossi mutat in ossis substantiam, calor ipsam aliqua ex parte exsiccat & obdurat: quod verò aduenit, nunquam perficietur donec passione, & mutatione vniatur, & assimiletur substantiæ ossis priori: cùm verò hæc siccior sit facta, quàm ante alimenti aduentum, ad eam siccitatem tandem quod aduenit perducetur, ac perinde ossa, & alimenta quæ in ipsa transeunt semper sicciora fient. Quod tamen attinet ad temperamentorum cõmutationem, dicemus, fieri non posse, vt solidæ partes semel arefactæ, rursus humectentur: sed fiet vt tardius exsiccari prohibeantur. Sed de his in hac secunda parte operis non longè ab initio agemus. Porrò natiuus hic calor, qui à prima generatione animantibus inest, qui animal gubernat, vitam præstat, & mortem affert, id modò potest quod à mundi exordio potuit, nec minus vitam producere valet, quàm viuentibus antiquissimis illis Achille, Hectore, Hercule & Milone: Si enim de medio miracula & diuina mysteria tollas, nihilominus validos & viuaces reperies homine hisce, quàm illis temporibus, vbi rectam viuendi normam seruauerint, & se ab externis iniuriis probè tueantur. Vides enim homines non paucos, centesimum quintum annum excedere, cùm tamen Dauid Rex, Psalmo 89. dixerit: Potentatum eorum 80. anni, amplius labor & dolor. Præcessit autem nostri Seruatoris aduentum annos mille & tringintaquinque. Nos verò præcessit duo millia & octoginta duos annos: quo toto tempore nulla est vigoris & periodorũ longitudinis differentia, vt constat. Illi enim vti & nos post 80. annum inualidi reddebantur. Vidi ego sanè hominem qui dextra manu pectori equi opposita, eius progressum, & cursum prohibebat, equite ipsum calcaribus feriente. Videbis quotidie baiulos onera grauissima portantes, quos non dubito, cum Milone certare posse. Vidi præterea quendam rusticũ cum tauro certantem, quem apprehensis cornibus subuertit, nec magno vt ferebatur labore. Hisce oculis conspexi equitem, qui equum medio cursu sistebat femoribus compressis, adeò valide, vt respirationem cohiberet equo valenti, atque robusto. Quæ enim de Hercule feruntur, fabulosa sunt, vti quæ de Achille & Hectore & Diomede Homerus tradidit poetica. Temporum verò ignorantia fecit, vt Euphorum Arcadum regem 300. annos vi-

An homines nostro æuo, antiquis, viribus æquiparentur.

xisse

xisse dixerint, & Dandonem in Illirico 500. Xenophontem in Periplo 600. & filium eius 800. cuius rei Plinius autor est, lib. 7. cap. 48. quoniam annũ quidam æstate & hyeme diuidebant, quidam quatuor temporibus secabant, vti Archades, quorum anni trimestres fuere. Aegyptij Lunæ motu annum definiebant, apud quos mille annos vixisse quosdam proditum est. Sed iam euidenti ratione apud Philosophos probemus, hominum robur non semper tendere in diminutionem, sed esse nostro æuo nihilominus quàm antè validos. Si nanque perpetuò homines tenderent in diminutionem, naturales Philosophi conuincerentur ad dicendum, mundum non esse futuro tempore perpetuum, falsúmque fuisse Aristot. qui ingenitum atq; incorruptibilem ipsum esse existimauit: quod ita futurum demonstratur. Si nanque homines semper tendunt in diminutionem, & omne finitum per ablationem finiti tandem absumetur, si finitum ab homine, qui etiam finitus est, demas, tandem peribit humana species, non igitur erunt perpetuæ species. Præterea pari ratione demonstratur mundum non fuisse increatum, aut perpetuum, à priori tempore. Nam si humana species infinito ante hac tempore fuit, & semper diminutionẽ patiuntur vires humanæ, quæ aliâs infinitæ non erant, defecisset multò antehac homo, idem de reliquis animalibus & plantis sequitur. Sed dices res in circumitum duci, & nunquam species finituras: quoniã transactis quadraginta millibus annorũ, omnia vti ante redibunt, erúntque omnia qualia modò, ex cœli conuersione, quæ respondet octauæ sphæræ, aut fiet in anno vertenti, cuius meminit Cicero in somnio Scipionis: Quum autem (inquit) ad idem vnde semel profecta sunt cuncta astra redierint, eandémque totius Cœli descriptionem longis interuallis retulerint, tamen ille verè vertens annus appellari potest, in quo vix dicere audeo, quàm multa hominum secula teneantur. Is annus continet duodecem mille quingentos & quinquaginta quatuor annos, quo tẽpore omnia ad priorem redibunt statum. Sed concedamus modò cùm ipsis disputandi gratia, quod falsum esse credimus, neque aliqua ratione aut experimento probabile. Verumtamen dicant, precor, transactis quadraginta millibus annorum, redibunt res subitò ad priorem statum, aut sensim vti modò decrescunt? Non subitò, quoniam languidissimus homo, & equus similis non generabit validissimum hominem, qui primus accedet cum temporum reuolutione: dicemus igitur vti in plantarum & animalium generatione, accedente Solis motu in Zodiaco, singula sensim vires amissas reparatura. Præterea quæ tam longo interuallo decrescunt, longo etiam interuallo restituentur. Quo dato, quæram qua ratione constabit hoc nostrum æuum non esse partem magni circũitus, in qua homines reparantur, sed eam qua in diminutionem tendunt. Ego nanque omnia simili modo procedere dico, aut augeri quidem modo si placet, & validiora in dies fieri, canes venatorios nihil minus quàm antehac posse, equos pugnacissimos modò viuere, homines longissimas attingere periodos, & valentissimos esse, qui laboribus exercentur, nõ qui ocio & deliciis vitam agunt. Quod obiiciunt corpora hac tempestate non ferre longam inediam, id ad hominum ingluuiem ex consuetudine natam referẽdum est. Medicamenta quoque purgantia ferunt validissima rustici: præter id quòd si omnia

languent cursu temporis languidi homines, languida medicamenta ferre possent, vt validi quondam valida. Quapropter neque id obstat, quominus constanter affirmemus, homines, beluas & plantas nostro seculo, integra frui valetudine, virium robore, & vitæ longitudine: demõstrabile quoque esse mortem necessariò futuram ac naturalem esse. Fieri nanque nequit vt viuente animali, cohibeas actionem qua calor ignis, & siccitas ipsius atq; terræ (quæ vitæ principia sunt, vti diximus) humorem absumunt, cùm eidem adiaceant. Verùm si quis oblatione causarum eum cursum non tantum retardare, sed etiam impedire vellet, aut illæ forent alimenta à quibus fieri non posse probauimus, vt exsiccatio solidorum inhibeatur: siquidẽ solida membra interim dum alimenta mutantur, sicciora fiunt, qualia futura sunt alimẽta, post mutationem & assimiliationem. Qui verò aliis quàm alimentis hanc actionem caloris & siccitatis inhibere tentaret, impediret quoq; actionem, qua eadem principia, alimenta per venas deducta, liquida & iusto humidiora, commutari & siccari, atq; incrassari debent, sunt etenim humidiora quàm carni, & solidis membris deceat. Aut dicas quî fiet vt calor & siccitas mẽbrorum adiunctum humorem siccare & absumere non valeant, alienum in alimento consistentem valeant?

CHRIST

CHRISTOPHORI A VEGA COMPLVTENS.

DE ARTE MEDENDI LIBER SECVNDVS.

Ad Carolum Hiſpaniarum Principem maximum.

DE AERE, SECTIO PRIMA.

POSTQVAM Humani corporis conſtitutionem à primis ipſis elementis docuimus, atque de eiuſdem functionibus nõ pauca pertractauimus, nihilque prætermiſsimus eorum quæ ſecundum naturam homini inſunt, cuius non fecerimus aut diffusè, aut vbi opus fuit perfunctoriè, mentionem, in hac ſecunda totius operis parte, de cauſis agemus, quas non naturales ſuprà appellauimus: nunc verò eadem vtemur appellatione, aut cauſas ineuitabiles noſtrum corpus alterantes, eaſdem nuncupabimus: quę cùm modum ſeruant, ſanitatem cuſtodiunt, & modum excedentes morborum cauſæ fiunt. Hæ ſunt, aer nos ambiens, motus & quies, cibus, potus, ſomnus & vigilia, quæ excernuntur & retinentur, & animi accidentia. Vniuerſam quoque ſanitatis tuendæ rationem, lib. 1. de Sanitate tuenda Gale. ab his quatuor tantùm pendere dixit, ab aſſumendis, excernendis, agendis, & exterioribus, ad quæ ſex prædicta cauſarum ineuitabilium genera reducemus, vt nihil eorum videatur in hac prætermiſſum diuiſione. Nam cibus ac potus, & aer qui tranſpirat & inſpiratur, in aſſumendis comprehenduntur, & eadem aſſumenda nominauit Galen. lib. Artis me. Aer verò nos ambiens, de exterioribus eſt: licet enim, exteriora dixerit libro de Sani. tu. & lib. Artis medi. aeris nos ambientis tantummodo meminerit, nihil refert: ſiquidem de exterioribus ſolus ambiens nos aer eſt ineuitabilis, & de ineuitabilibus tantummodo cauſis eſt diſciplina: quæ verò excernuntur & retinentur, de excernendis ſunt, aut non excernendis: ſomnus autem & vigilia, motus & quies, & animi ſymptomata ſunt de agendis. At verò quoniam de cauſis agendum eſt, minimè perſpicuam exiſtimarem futuram meam docendi methodum, niſi à generalioribus ordinetur, quemadmodum & in ſuperiori totius operis parte, tanquam perutile, & ad docendum valde neceſſarium, hoc idem ſeruare conati ſumus: præter id quòd cauſarum omnium genera noſſe ad inuentionem cauſarum, de quibus futura eſt pertractatio, vera eſt & ſcientialis docendi methodus, quam philoſophum ſequi oportet, qui voluerit rerum naturas & cauſas ſcrutari, quemadmodum Ariſto. ad initium libri, de Phyſicis auſcultationibus. Primum itaque quem-

Cauſæ ineuitabiles.

admod

admodum facultatē ab eo quod facit, Latini, & ἀπὸ τοῦ Græci à verbo ἀπάδω, ita & causa, ab eo quod quæstioni respondet, meritò dicetur, veluti si quæratur, à quo fit ignis, recte respondetur per causam efficientem, ab igne fieri dicentibus nobis. Ac perinde cùm Arist. lib. 2. de Physicis auscultationibus. cap. 3. tātùm quatuor inuenisset quæstiones, quibus aliquid quæri posset, eorū quæ ad rerum naturalium constitutionem quidpiam per se conferre valent, quatuor quoque causarum genera statuit: nempe genus causæ materialis, formalis, efficientis, & finalis. Quatuor tamen esse prædictas quæstiones, hinc constat. Aut enim quæritur, ex quo aliquid fit, ita vt insit: ad quam quęstionem respondetur per causam materialem. Veluti si quæritur, ex quo fit statua, respondemus, ex ære: ex quo fit scannum, ex ligno. Aut quæritur à quo fit: vt hoc sit lapis, aut illud ignis, respondemus, a forma: quemadmodum & in arte constantibus, si quæratur, à quo fit vt hæc sit statua, respondemus, à forma statuæ. Tertia quęstio est, à quo est principium motus, vt à quo est ignis generatio, aut domus erectio. Id enim est, quærere vnde principium motus & causam efficientem, ac respondemus: ignem fieri ab igne, & domum à domificatore. Quarta quæstio est, cum quæritur, id cuius gratia aliquid fit: éstque quæstio finis, ad quam respondemus. Veluti si quæratur cuius gratia sanitatem procuramus, respondemus, vt fruamur ipsa. Ac si quæratur, cuius gratia domum conficimus, respondemus, vt tueamur à frigore, & reliquis aduersis. Verùm cùm causæ quædam sint immediatæ, quædam mediatæ, quædam per se mouentes, quædam per accidens, Arist. eodem loco omnium meminit, atque causæ sine qua non, quæ media quoque est inter finem, & id à quo principium motus. Quæ enim inter principium à quo est motus, & finē mediant, quædam sunt opera, quædam instrumenta: hæc verò atque illa causæ sunt, sine quibus non. Neque Galen. sententia huic Arist. doctrinæ repugnare videtur, libro de Diffe. sympto. quo in loco probè admodum definiuit causam in genere, dicens, id verò quod suapte natura inducere potest ei quod fit, aliquam suæ generationis partem, ipsum illius causa dicitur. Cùm autem dixit, suapte natura, idem voluit ac si diceret, per se. Deinde genera causarum recensens, ea esse dixit, materiem, vtilitatem, scopum, instrumentum, & vnde principium motus. Atque statim causæ sine qua, non meminit, dicens. Μὲν χωρίσμασι δὲ τῶν εἰς φερομένων τὴν ὑπ' ἄλλου, λέγω ὀργάνων. Quod est: Quæ verò ab his quæ conferunt (nempe ei quod fit) generationis partem, non seiungunt, rationem habent eorum sine quibus non, sic enim legenda est pars hæc. Quòd verò hæc non sint ab Arist. doctrina diuersa, hinc constat, quòd earundem omnino causarum, sapientissimi duo philosophi, mentionem habuerunt. Nam causam materialem, materiem dixit Gal. Et vnde principium motus, siue causa efficiens, communis est ambobus. Quod etiam Galen. dixerit vtilitatem, aut id cuius gratia, aut causam finalem, nihil vtique refert: idem enim omnino sunt: Nam & ipse lib. de Sectis, dixerat. Artis mediæ scopus est sanitas, finis verò possessio: sed possidere sanitatem nihil est præter vsum qui ad sanitatem sequitur: sanitatis ergo possessio, quæ finis artis est, gratia cuius, siue causa finalis, eadem erit cum vtilitate. Et finis omnis quia bonum quoddam est, expetitur, & desideratur & frui sanitate, atque ipsam possidere, bonum est, & vtile, atque finis artis medicæ. Scopum quoque annumerauit, qui non est aliud à forma, siue formali causa. Siquidem in sententia citata, sanitatem dixit esse scopum, sanitas verò, tēperies est, quæ actione medici adquiritur. Exemplum est quod docet, scopum & vtilitatem coincidere cum causa formali & finali. In rebus quæ arte constant, scannum conficitur ab artifice atque inuenire est in scanno artis scopum, & vtilitatem, siue finem. Nam forma scanni, est scopus in quem artifex contendit, quemadmodum in sanitatem ars medica: finis verò scanni est eius vtilitas, quæ est possessio, ea verò est vt lassati requiescamus: eius namque rei gratia scannum conficitur. Nec tamen ob id diuersam habuisse

Causarum genera.

Causa.

Arist. & Gal. eadem statuūt causarum genera.

Digitized by

habuisse sententiam putandum est: quoniam instrumenti, & causæ sine qua non, meminit Galen. Nam & Aristo. loco citato instrumenta & opera mediare dixit, inter causam, quæ primò mouet & finem: in operibus verò sunt causæ sine quibus non, omnes enim tales, aut sunt opera, aut instrumenta. Præterea non ob id putare oportet Aristo. non rectè sensisse cùm dixit 4. esse causarum genera, cùm 4. tantùm sint quæstiones, & si quidam contradicere videantur, addentes quæstionem qua quæritur, per quod fit aliquid: cui respondetur per causam instrumentariam. Vt per quod fit scannum, dicimus, per dolabrum, & per quod fit ignis in lignis, dicimus, per calorem, Addunt quoque aliam quæstionem, qua quæritur, sine quo aliquid fieri non potest, ad quam respondemus, per causam sine qua non. Hæc enim facile soluuntur, neque mihi digna videntur vt Aristo. opponantur, aut ob eadem virum alioqui grauissimum, quiuis prouocare audeat, Nouit namque Aristo. vt ex ipsius sententia retulimus, causam instrumentalem, & genus causæ sine qua non. Quòd verò nullam quæstionem eisdem aptauerit, & quòd causarum genera 4. enunciauerit, nihil refert. Imprimis etenim causæ instrumentalis loco citato meminit, tanquam causæ mediæ inter eam quæ primùm mouet & finem, deinde ex talibus intermediis dixit quædam esse instrumenta, quædam verò opera. At verò nulla est causa sine qua non, quæ non sit aut instrumentum, aut opus, ad finem consequendum necessarium. Neque opus est has causas inter primas recensere, neque quæstiones ipsis respondentes aliquod genus adiiciunt, generibus ab Aristo. habitis. Quoniam ipse genera causarum per se constituentium rem natura constantem recenset, non alia. Verùm causa instrumentalis & causa sine qua non, non alia ratione accedunt ad rei constitutionem, nisi quatenus mouentur ab eo quod primum mouet ad finis assecutionem: quapropter dictæ sunt ab ipso mediæ inter id quod primò mouet & finem. Quæstiones quoque eisdem respondentes, circa ea versantur, quæ ex accidenti accedunt ad rei natura constantis constitutionem. Tempus etiam & locus nihil per se conferunt ad constitutionem rei, nisi tempus aërem significet, & locus quatenus vim habet alterandi: constituentur enim in genere causæ efficientis. Cùm ergo in superiori parte de his actum sit, quæ corpus humanum constituunt, nempe semen, ac menstruus sanguis, & hæc ab elementis sint accepta, veluti à materia, & deinde de facultatibus, quæ ab anima procedunt, tanquam à forma, siue formali causa, & de fine materialium functionum, & de fine functionum animalium: modò de causis agemus quæ prædictum corpus alterant ineuitabiliter: id verò corpus vt suprà constitutum, aut est sanum, aut neutrum, aut ęgrum, de quibus est tota ars medica, tanquam de subiecto, quod à Græcis τὸ ὑποκείμενον, appellatur. Est autem sanum, quoddam temperatum, quoddam lapsum, & ex his quoddam, parum, quoddam verò multum: & ex corporibus lapsis quædam sibi viuunt, quædam negotiis adstricta sunt, atque administrationibus irrepetibilibus. Sana itaque corpora & temperatissima sunt simpliciter semper sana. quæ verò labuntur parum, simpliciter vt multum, vbi talia fuerint à sua natura, siue ab ipso naturę ortu. Reliqua tamen sana dicentur, vt nunc, quæ etiam & temperata, & à temperamento lapsa esse possunt, & aut parum, aut multum, in quibus comprehenduntur corpora neutra simpliciter, & ægra simpliciter: corpora verò actu neutra, & actu ægra, ideſt neutra, aut ægra, vt nunc, extra hanc sunt latitudinem. Quòd si corpus aliquod medico offeratur, an per causarum ineuitabilium administrationem conseruari, an curari debeat, & an similes causas, vel dissimiles exposcat, nullatenus assequetur, nisi prius nouerit corporis statum, in quo videlicet genere corporum sit cõstitutum. Neque enim omnibus, eadem causarũ administratio est ex vsu. Quo in loco succedit de signis sermo, tanquã de his quæ ad corporum cognitionem sunt necessaria, quæ etiam præcedere debent prædictarum causarum administrationem, quæ vltimo loco sequitur. Continebitque tota ars tracta-

Aristo. causam sine qua non explicuit in causis mediocriter.

Medicina de quibus est.

Corporum diuisio.

A signis inchoanda est ars tota.

tionem de corporibus sanis,ęgris,& neutris:ad quorum cognitionem nos ducent,signa sana,ægra,& neutra:& deinde succedent causæ sanæ ægręque & neutræ. Signa verò & causæ impropriè has sortiuntur appellationes: corporibus namque solis debetur, vt sana,ægra, aut neutra dicentur: Signis vero & causis,quoniam ad eorundem notitiam conferunt, vbi eadem significauerint: & causæ quoniam eadem conseruant,aut mutant. A signis itaque initium faciamus,quæ quidem in vniuersum sumenda sunt,ab actionibus,ab his quæ à corpore procedunt, & a corporis qualitatibus. Actiones quidem sunt animales, vitales,& naturales. Excrementa sunt sudor,vrina,deiectio. Qualitates sunt, colores,sapores,& tangibiles primæ,ac secundæ qualitates,sic & a totius corporis compositione & singularum partium,atque figura & pilorum copia,aut inopia, à facilitate & difficultate patiendi. Temperati corporis signa, omnia mediocritatem ostendunt: in compositione siquidem neque magnum,neque paruum erit, neque macilentum, neque obesum, sed medium obtinebit corporis habitum,eritque quadratum,ac respondebunt ad portionem partes partibus,vt magnitudo ceruicis,magnitudini capitis,& thoracis, amplitudo ambobus, & manus brachio erit commensurata, & pes cruri. Præterea vbi brachia & crura summè distendat, extremi & maximi digiti manuum, æquè distabunt ab vmbilico, sicut & pedum, ita vt linea per summas partes deducta altero circini pede in vmbilico fixo, circulus fieret perfectus, cuius centrum foret vmbilicus. Thorax paulum eleuatus, capitis figura similis sphęræ leuiter vtrinque compressæ: esset quoque id calore & frigore moderatum, & humore ac siccitate, non durum nec molle, non pilosum, & hirtum, nec etiam glabrum,sed pilis ornatum in capite,mento,supercilijs,& palpebris,rursus in pudendis, pube, fœminibus & interfœmineo, his tamen rarioribus, sicuti & in thorace & brachiorum extima parte, rarioribus verò in tibijs pauciſsimi quoque eisdem nascuntur in pedibus & manibus, atque tenuissimi, & breues admodum: totius corporis color medius inter album & rubrũ,maxillis paulò rubicundioribus:quem colorem vngues etiam seruant,labia verò adhuc magis rubrum,quàm maxillæ: quod non vbique sed in regione temperata,& loco temperato expetendum est, & in homine qui nec se Soli exponat æstiuo, neque frigoribus importunis. Venas habebit neque latiores,neque prominentiores, neque valde obscuras: is pulsum habebit validissimum, moderatum magnitudine,celeritate & crebritate,æquãlẽ & ordinatum,atq; eurithmum, naturales quoque facultates valentes, & animales sic eisdem respondentes, vt tantum appetat, quantum coquere possit. Ad naturalium verò facultatum moderatas actiones, sequitur vt vrina sit in ætate adolescentię subrufſa, consistentia mediocris, quam etiam mingetter in die, nisi aliquando volens id effecerit,vt frequentius mingat,aut oblitus rarius ipsam emittat. Minget autem vbi naturę operibus lubens concedat,neque accesserit aliquis vehementior motus, summo manè, deinde iuxta meridiem, & tertiò cùm dormiturus est. Deiectio quoque ciborum quantitati ad portionem respondebit, mollis; constans, subrufſa, non valde fœtida, neque omnino fœtore priuata, semel hæc succedet summo manè, aut fortè iterum interdiu. Oportet autem in vniuersum causas omnes manifestas excludere: nos enim quæ secundum suam naturam cõmensurato corpori insunt,referimus:in animalibus verò facultatibus, non erit peruigilis, neque somnolentus, segnis aut iusto alacrior, non iracundus,neque ignauus. Erit is misericors, humanus,pius,prudens, amicos redamans, secum conuersantibus gratus, & vrbanus, & visu pulcherrimus, qualem intelligere decet fuisse, quam ferunt Polycleti statuam, & regulam quandam qua aliorum omnium corporum lapsus metiri decet. Corpora verò his calidiora, in siccitate moderata, tactui se talia ostendunt, & pilis abundabunt, & his flauis & crassioribus. Erunt quoque ad motum alacriora, & ad iram proniora pariter erunt graciliora, & facies & color rubicũdior parum

Temperati corporis signa.

Calidi corporis signa.

quàm

quàm temperati. Quòd si calori siccitas coniungatur, corpus erit durum, extenuatum, calidum, pilosum, & pili erunt nigri: iracundus quoq; is erit & pertinax, amicus belli, & seditionis. Pauca is appetet & si multa superare possit, quemadmodum & in re venerea: neque enim tantum perficere poterit, quantum cupiet. Erit quoque hæc natura masculorum generatrix, eritque is niger vbi multum labatur. Si tamen humiditas calori fuerit iuncta, corpus erit calidum, & molle, multo sanguine abundans, latis venis, & carnosum ad portionem caloris & humiditatis: ab his enim caro habet generationem, & augmentum: cùm tamen hæc sint principia putredinis, erit id corpus putredinis morbis obnoxium. Quòd si calor valde increuerit, humiditas verò parum, corpus erit paulò mollius, & valde calidius, & multo temperato hirsurtius, & nigris pilis, & paulò carnosius: caro pinguedine carebit, quam calor vehementior absumet. Multum verò excedente humiditate, carnosum & molle reddetur corpus, rubicundum & minus pilosum, quàm prædictum. Si tamen corpus iusto frigidius fuerit, id tactus frigidius apparebit, pingue, segne, & tardum, color ad albedinem vergens, & rufus color capilorum, multum appetet & parum coquere valebit. Valde verò crescente frigiditate, color totius corporis erit liuidus. Quòd si frigiditati iuncta sit humiditas non multa, fueritque frigiditas non multa, corpus erit colore album, pingue, crassum: hoc est, non gracile, vt calidum, eritque molle, eius cutis alba ad liuorem tendens, & pili rufi, qui ad pallorem vergant, ampliúsque crescente frigore cum humiditate, erit corpus liuidum colore, & valde glabrum, & maximè segne, erit is hebeti ac tardo ingenio. Quòd si qualitates quæcunque prædictæ diuerso quouis modo augeantur, semper ad portionem qualitatis vincentis speranda erunt signa. Si tamen frigiditas siccitati iuncta augeatur, corpus frigidum tactu se ostendet, glabrum, durum, tenue: eritque id corpus excrementorum ratione pituitosum, ob eruditates: & quod non ex natura sua, sed ætatis processu ex calido & sicco frigidum & siccum euasit, erit durum, gracile, hirsutum, & nigrum, apparebúntque in summo signa quæ atram bilem ostendent dominantem, & corpus ad morbos ab ipsa ortos erit valde paratum. Præter hæc aduertendum an omnia membra similes, aut proportionatas præbeant notas, simili modo an corporis amplitudo & crassitudo, musculis & carni respondent, an ossium amplitudini. Postquam verò medicus ex prædictis notis corporis naturam agnouerit, considerare debet an id egeat conseruatione, quæ propriè talis sit, qualis quæ temperatis debetur hominibus, & his qui ab optima temperatura parum labuntur, aut præseruatione, aut permutatione, aut simplici curatione, aut ea quæ præcautionem habeat immixtam. Quòd si corpus temperatum fuerit intra latitudinem quandam, tale omnino seruandum est: si manifestè labatur, non valde, altera via vti licebit, aut conseruatiua, aut si homini ipsi placuerit, atque suppetente ocio, idem erit in melius mutãdum. Si tamen corpus manifestè labatur, aut suppetente ocio mutabitur in meliorem temperaturam, aut vbi non suppetat, ab vlteriori lapsu præseruabitur. Corpus autem humanum ab eisdem rebus conseruari debet, à quibus ineuitabiliter alteratur, in aliis enim nulla potest adhiberi methodus: alteratur tamen perpetuò ab aere, & reliquis quorum suprà meminimus. Quod si humanum corpus adamantinum foret, nihil referret ipsum ab aere alterari: non enim corrumperetur, aut dissolueretur ab ipso, neque etiam cibis aut potibus egeret ad refectionem: eget autem his omnibus, quoniam ab eisdem validè alteratur, & numquam non dissoluitur, sicuti & ab insito sibi calore. Est siquidem humani corporis substantia ex semine & sanguine menstruo à prima ipsa generatione, vt in prima parte docuimus: animalia autem omnia calore viuunt, atque seruantur, quamuis idem calor sit naturalis corruptionis initium intrinsecum: itaque is humidum, quod est alterum principium materiale corporis semper mutat, partémque dissoluit. Quamobrem aerem

Signa frigidis corpori.

Causarum non naturalium administrandarum ratio.

Corpus humanum per qua conseruatur.

attemperare, vt inde calor attemperetur, oportet, atque alimentis quod dissoluitur reficere, caloris eiusdem ope. Ad refectionem autem non parum confert somnus, vigilia verò ad digestionem est necessaria, & ipsa præsente viuimus verè, quemadmodum & dormientes mortem ipsam referimus. Animalis quoque facultas somno & quiete reficitur, quemadmodum vigilia & motu exercetur: id verò non paruum affert saluti momentum. Accidentia præterea animi magnas quandoque inferunt corpori alterationes, & fere ineuitabiles sunt, quantum humana fert fragilitas. Quòd si medicus cognito corpore, id tale seruare voluerit, ab aere præparando prius incipiet, atque ipsum in regione temperata locabit. Quòd si id fieri haud possit, eam seliget habitandam, quæ nullum extremum teneat caloris, aut frigoris. Et si ratione tẽporum validas frigoris & caloris recipiat mutationes: sunt etenim validiores homines, qui regiones habitant, in quibus temporum mutationes sunt magnæ, vt inquit Hippoc. lib. de Aere & aquis. Tales verò sunt inter tropicum cancri & circulum arcticum, magis ad tropicum quàm ad circulum accedentes. In aeris præterea administratione non tantum in primis qualitatibus temperamentum seruandum est, sed in substantia. Est enim quorundam locorum aer crassius & nebulosus, aliorum quoque locorum aer putridus est & ex paludibus & stagnis inficitur, maximè in quibus linum, aut canabis putrent, aut vbi à corporibus mortuorum vapores commiscentur. Hæc enim omnia non tantum corporis vitiant temperiem, sed etiam pestilentes ac graues afferunt morbos. Ad aeris tamen temperiem & salubritatem non parum conducit situs locorum: neque enim regio tantùm eligi debet ad sanitatis tutelam, sed locus regionis. Ex regionibus namque illæ quæ sunt in septentrionali plaga, ad finem quinti climatis, & sub sexto, & septimo, frigidæ sunt, supramodum. In quarto verò & tertio æstus adeò vrit, vt ferè inhabitabiles sint. Iam quidem sub æquinoctiali temperatissimæ sunt habitationes, quarum experientiam habent, qui nouam Hispaniam nauigarunt, & Peru, & insulam sancti Dominici, & reliquos antipodas. Qui enim sub æquinoctiali habitant, nullam validam temporis mutationem sentiunt. Est quoque eius rei indicium fertilitas, & rerum omnium abundantia, & quòd bis in anno terra fructum fert. Nostra verò regio, quæ sub quinto climate sita est, commune habet parallelum Romæ, & Peloponneso: ad occidentem verò, Vlisbonæ & insulis fortunatis. Hispania namque omnium est feracissima, immensa siquidem est apud nos copia boum, & ouium, porcorum, damarum, ceruorum, aprorum, & auium domesticarum, atque siluestrium. Fert quidem mel copiosum, oleum, & vinum, multáque ipsorum laudatissima, & generosa, ac valida, è quorum numero est vinum, quod portatur à sancto Martino, & sancto Torcatio, & alia quorum in posterum fiet mentio. Triticum verò, ordeum, & siliginem, quanta in nulla alia regione inuenta sunt, & orizam, cicera, fabas, lentes. Arborum quoque fructus omnes fere quotquot esui sunt: fert etiam omnigena olera satiua & agrestia, ita vt hac in re nulli habeatur secunda nostra Hispania, præterea linum fert abundè, atque canabim. Ex minerabilibus verò aluminis copiam magnam præbet, argenti non parum, ferri plurimum, quod potissimum est belli instrumentum: & iure quidem Hispanis abundè donatum, quibus erat opportunum ad suorum animorum præstantiam ostendendam. Sunt enim homines qui hanc colunt regionem, strenui milites, ac prudentissimi consiliarij, quemadmodum non paucos hodie ostendit in omni disciplina peritissimos professores, & duces præstantissimos, præ omnibus verò diuino consilio datus est nobis Regum exemplar, Philippus Magnus Hispaniarum & Angliæ Rex. In hac itaque regione tempora anni quatuor mutationes efficiunt magnas. Nam Ver temperatum est, Aestas calida & sicca, Autumnus frigidus & siccus, Hyems frigida & humida. Experimentum tamen docet horum temporum mutationes esse necessarias

Aeris præparatio.

Locorum situs.

Hispaniæ fœcunditas.

ceſſarias ad conſeruandam ſalutem habitãtium in hac regione, atque eiſdem decientibus non tantum morbos fieri, ſed etiam malignos, ac peſtilentes. Porrò præter regionem, ſitum ciuitatis conſiderare oportet: nam maritimæ ciuitates minus ſanitati ſeruandæ ſunt opportunæ, quàm mediterraneæ. Siquidem maritimæ homines efficiunt molliores, & minus ad labores valentes, quemadmodum & reliqua omnia animalia in eiſdem locis degentia, ob niniam ambientis humiditatem. Ad quod pariter accedit piſcium frequentior quàm carnium eſus. Homines verò mediterraneam plagam habitantes, validiores multo ſunt, ſicciores ac duriores. Ex mediterraneis itaque ciuitatibus quædam vni, quædam alteri vento ſunt expoſitæ, ac perinde quamuis ex cæli ſitu, & parallelo nihil omnino interſit, ex natura ventorum eaſdem ciuitates perflantium, quædam ſunt aliis multo ſalubriores, ac temperatura diuerſiſsimæ. In eodem namque parallelo ſunt Complutum & Metimna cæli: eſt autem Metimna frigidior & niuoſior: ſic etiam parallelus, qui per Scobiam, parum vergit à parallelo, qui per Complutum verſus Septentrionem: eſt autem Compluto Scobia frigidior multo. Quod quidem ad ſitum loci pertinet: ſiquidem Complutum in loco ſitum eſt humili, & plano, Metimna Scobia in ſublimi & montuoſo. Sunt autem loca ſublimia frigidiora & ſicciora: inferiora verò calidiora & humidiora, & morbis à putredine ortis paratiora, infima namque loca & potiſsimum cauſa ſolis radios magis ſeruant & reflectunt in idem. Sic etiam ex locis ipſis montuoſis, aut planis, quædam ſunt huic, quædam illi vento magis expoſita. Flant in hac Toletana prouincia venti ab oriente æſtiuo, pauci admodum, neque ſalubres, quamuis ſicci. Flant interdum & ab oriente hyemali, ſed hi pernicioſi, quos fugiunt ipſa animalia, natura duce. Flat ſæpe boreas frigidus & ſiccus, ſubſtantia tenuis, qui valde corpora peruadit, raras pluuias ſecum affert. Concitat autem ſæpe morbos capitis, atque thoracis, potiſsimum eos qui fiunt ex diſtillatione & catarrhis. His perſimiles ſunt, qui ab occidente æſtiuo huc permeant. A meridie pauciſsimi venti flant verſus hanc noſtram prouinciam, quin & Hiſpaniam totam. Sunt autem frequentes, totam ferè Hiſpaniam, (præterquam quòd regnum Aragoniæ venti orientales perflant aſsiduè) perluſtrantes, qui ab occidenti hyemali procedunt. A noſtris is ventus Auſter impropriè dicitur, ab aliis Apricus, melius verò Africus dicetur, nautis vendaual. Is ſecum affert nubium copiam, & pluuias ferè omnes: de hoc verè dicemus quod de auſtro dixit Ariſtotel. nempe ipſo flante pluere in regionibus Septentrionalibus. Quòd ſi montibus adiuncta eſt ciuitas, ita vt conuerſa ſit vel ad Septentrionem, vel ad Meridiem, expedit magis vt ventis Septentrionalibus, quàm Meridionalibus perfletur. Prauus enim eſt ſitus locorum ad Meridiem vertens, non perflatus à borea & collateralibus. Si verò iuxta ciuitatem fluuius non paruus permeauerit, decet ciuitatem parte Orientali & Meridionali ſedere fluuium contra, à cuius curſu quadringentis aut pluribus ſecebat paſsibus. Domus verò partem habebit quæ Septentrionem ſpectet, eámque ſublimiorem, vt totam à boreæ incurſu tueatur: humilior verò pars vergat ad Meridiem. Prodeſt namque id vt à ſole hyemali luſtretur: neque ob id magis æſtiuo ſoli patebit: aſcendit ſiquidem adeò ſol ſuprà noſtrum orizontem, vt latera domorum, quamuis ſublimia, ingreſſui ſolis obeſſe nullatenus poſsint. Sit quoque pars domus vergens ad orientem adhuc humilior ea quæ ad occidentem, maximè æſtiuum, ne ſol eò tendens æſtatis tempore domos exurat. Ex domiciliis præterea, inferiora & quorum pauimentum eſt terra ipſa, ſaluti ſunt inimica: maximè ſi non perflentur abundè. Salubriora ſunt domicilia à terra ſublata, tabulata, feneſtras habentia quæ Septentrionem ſpectent, veris & æſtatis tempore, ſic & autumno, niſi is frigidior fuerit: tunc enim, & hyeme ad Meridiem conuerſæ, meliores ſunt. Erunt autem domicilia ſpacioſa, quædam longitudinis trigintaquinque pe-

Ciuitatum ſitus aduertendus.

Maritima loca.

Toletana prouincia venti.

Domicilio-rum spacia.

dum,amplitudinis 18.altitudinis 20.in quo dormiet æstate: hyeme verò in altere discumbet,18.latitudinis,& eiusdem altitudinis, viginti verò longitudinis,idque stragulis munitum & ornatum. Habebit quoque domus aulam ad exercitationis paratum, longitudinis 40. pedem, latitudinis 18. altitudinis 22. His in summa collectis iterum latius repetamus aeris vires naturales. Aer

Aer bifariam corpus mutat.

nostrum corpus mutat aut exteriora tangens,aut inspiratione,atque transpiratu tractus. Exteriora qualitatibus suis mutat: calidus enim calefacit, frigidus infrigidat,humidus humectat,& siccus exsiccat. Calidus quidam eatenus dicitur,quatenus à moderato aere versus calorem vergit,quamuis aer omnis vim habeat infrigidandi, quandoque tangens, semper verò inspiratus: siquidem aer omnis cuius vis loci aut temporis cordis calorem attemperat. Frigidus quoque ob id dicitur,quia iusto vehementius infrigidat hominem temperatum. Humidus est omnis aer secundum suam naturalem temperiem,verum is tantum humidus à nobis reputatur,qui vaporum copiam habet cõmixtum, & siccus qui eis caret,& cui siccitas accedit,qualis in rebus aridis, quæ qualitas est. Est quidem is non purus ac simplex aer, quale est purum elementum, sed impurus qualis nobis offertur, nos ambiens. Is verò cùm inspiratur, ad pulmonem deducitur ad implendum vacuum, quod sequitur ad distentionem thoracis factum ab animali facultate: In pulmone verò quamprimum attemperatur quadantenus,deinde ad cor distentione trahitur, ad tres vsus. Primus

Aeris inspirati vsus.

vt generentur in corde spiritus vitales, quemadmodum in transitu cerebrum peruadens materiam præstitit generationi animalis spiritus. Secundus vt calor cordis potissimum moderatior reddatur, & præseruetur à magno lapsu & incẽdio. Tertius vt postea cõstrictione emissus, fumos secũ deferat, & cor ab ipsis repurget. Duo hęc postrema facit aer qui trãspiratu ducitur: attemperat enim is calorem totius corporis,& ipsum à fumis prauis mundat. Quapropter opus est ipsum tẽperatum esse, atq; ab omni praua qualitate, aut aliena à natura substãtia esse immunẽ. Nam qui distẽperatus est aliqua elementorũ qualitate superante,maximè calore aut frigore, non attemperabit innatum calorem. Qui verò veneficam qualitatem, aut corruptam substãtiam secum defert,aut subuertet spiritus substantiam, aut munificationi erit ineptus. Quoniam tamen aer talis omni tempore seruari non potest,mutationes veneficas & pestilentes omnino cauere oportet, atque easdem fugere,tam eas quæ causas sequuntur inferiores, quàm eas quæ à superioribus oriuntur. Mutationes verò quæ secundum naturam aeri aduenium, & quas in primis tantùm qualitatibus consistunt,aut omnino fugiendæ non sunt,quoniam corpora reddunt validiora,aut regio illa seligenda est habitationi,securitatis gratia, quæ non valde magnas recipiat mutationes,aut eisdẽ qua fieri possit cõmodiùs obstandum,per ea quæ eosdem excessus moderentur. Mutatus autem aer per diei partes,& id aut naturæ cursu & solis motu, aut contra eorundem temporum

Partes diei aerem mutantes.

naturam. Nox quidem frigidior natura est ob solis recessum: dies calidior,ob propinquitatem,& ex diei partibus meridies calidior,matutina tamen hora, vespertina frigidior est: nam hora matutina sol nõ calfecit aerem sua præsentia,vespertina verò nondum ob absentiam refrigeratus est, atque perinde ex noctis partibus prior minus frigida est posteriore. Quod si diuersum ab hoc contingat,non fit secũdum naturam. sed causam aliquam occultam sequetur,

Temporum mutationes.

aut vẽtum aliquem frigidum,aut calidum eo tempore flantem. Tempora præterea mutantur solis cursu,quandoq; secundum naturam,quandoque contra naturam,& quandoque vnum tantum,quandoque duo,aut plura,vnde prauæ aduenium corpori dispositiones & diuersa morborum genera: singula verò horum quàm sint medico cognitu necessaria norum est. Nam siue sanitatem tueri sit in animo,siue morbis mederi,expedit quàm maximè aeris dispositiones considerare,& temporum quamuis mutationẽ,sic etiam & regionis quam homo ipse inhabitat,situm, ventorum ipsam perflantium naturam,& maris

atq;

atq; fluuiorũ propinquitatem,aut distantiã,atq; terræ speciem, nempe an sit, arenosa,cœnosa,limosa aut metalli alicuius referẽs vires:sic enim futura præcauebit & præsentia procul ablegabit. Primum quidẽ ex mutationibus temporum secundum naturam ea potissima est,quæ accidit per anni quartas. Ver enim natura temperatus est, & si à quibusdam calidus & humidus censeatur. Calidus siquidem & humidus ea ratione asseritur,quoniam ex anni temporibus id minus aliis calore& siccitate simul abundat,&quoniam aer natura sua calidus & humidus est,& vere magis quàm aliis tẽporibus naturam propriam seruat. Et vt in summma dicam,calori naturali similis est, atq; perinde vt ipse temperatus dicitur,& calidus atque humidus. Noster siquidem calor & nostrę generationis principium, ex calore humido est, neque id tollit eundem esse temperatum. Eo ergo tempore quo calor,naturali nostro calori est similis in re,& temperatus,& calidus atq; humidus dicetur. Nec vere aut per exuperantiam talis est:quoniã non tantùm cõstitutio verna non esset omnium saluberrima (quod cõstat) sed foret omniũ pessima. Neq; enim est epidemia quępiam pernicioſior ea quæ aere humido & tempestate humida excitatur. Quod verò multa morborum genera per id tempus excitentur minimè dãnat ipsius temperaturã, aut torquet aduersus Hippo. qui 3. Apho. sectione Apho. 9. dixit. Ver verò saluberrimum & minimè mortiferum. Nam per id tempus morbi concitantur(vbi tempus modum seruauerit)salubres quidem,& qui iudicatorij sint eorum malorum quę hyems,sua congessit malicia. Crudos namque accrassos humores hyeme congestos vere aduenìente calor attenuat, coquit,& inde necessario eosdem effundit. Natura quoque robustior temporis ratione reddita,eosdem iudicatoriè sępius excernit,aut ad cutem, aut ad alias extremas & ignobiles particulas,quæ omnia veris bonitati potius quàm eiusdem malitiæ sunt adscribenda. Quòd verò quandoque non parui momenti mala per id tempus fiant,vt febres ardentes, phrenitides & difficultates intestinorum, morbi comitiales, auginæ,raucedines,& grauedines,nihil obstat. Siquidẽ qui ex his salubres non sunt,aut non habent quã diximus iudicationis rationem, aliis anni temporibus accomodantur, & ipsorum proprij sunt, vt cõstat apud Hippo. aliorum temporum morbos recẽsentem. Reliqui verò qui veri ipsi debentur, veluti quædam Iudicationes sunt,& naturæ opera, trudentis excrementa ad cutem,atque ignobiles partes,cuiusmodi sunt lepræ,vitiligines,impetigines,pustulæ vlcerosæ, atque articulorum dolores. Miro equidem modo Gal. id tempus exercitationi cõtulit,quæ & si salubris sit, vbi corpus inueniat excrementis vacuum, vbi eisdem plenum reperiat,morborum fit causa: Sic quoque & ver vbi corpora fuerint excremẽtis vacua,sana eadem seruat, quæ si eisdem abundauerint,eadem in morbos prædictos deducit, qui tamen salubres sunt. Adde, quòd quemadmodum exercitatio, ita etiam ver amplificat humores ac rarefacit ipsos, & cursui parat, & cutem laxam reddit, veluti meatus omnes. Quo in tempore temperati optimè degunt, quales in adolescentia sunt,quę omnium ætatum optima est, sic etiam & pueri,per id tempus bene valent,quamuis siquis integram atque omni ex parte inculpatam voluerit proferre sententiam, dicet, Adolescentes, vt qui temperatissimi sint, vere, pueros,vt qui paulo sint prædictis humidiores, principio æstatis optimè se habere. Mensuratur tempus veris à principio mensis Martij, aut ab æquinoctio vsq; in solstitium æstiuum. Aestas calida est & sicca ex natura sua, ita vt multos afferat morbos bilioſos & acutos, vt febres ardentes, & exquisitas tertianas,& choleram,& opthalmias,& ventris profluuia,aurium dolores,& genitalium putredines, atque ob sudorem cutem exulceratam, & exasperatam. Præterea & quosdam ex morbis qui vere fiunt:nam vbi constitutio nõ valde variat à verna constitutione, morbi similes erunt vernis, sed tale est æstatis initium: eo igitur tempore adhuc verni morbi sunt expectandi. Non enim morbi tẽporis ratione eueniunt,sed quatenus aer nosambiẽs hoc aut illo modo affe

Veris temperies.

Verni morbi.

Vere qui optimè degunt.

Aestatis tẽperatura.

do affectus,nos afficit. Quod Hippo. eadem Apho. sectione docuit, dicens, In temporibus quando eadem die calor atque frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. Morbi siquidem semper aeri respondentes sunt expectandi. æstate verò iam media fient morbi respondentes calori ac siccitati. Calor namque æstatis siccat vehementer, quoniam validissimus est, & calor resoluens humidum aeris,& vapores qui à terra & aqua eleuantur, aerẽ & terram aridam reddit: inest siquidem calori maior vis exsiccandi ex accidenti, quàm siccitati per se efficienti. Idem quoque aer tenuissimus redditur à vaporibus mundatus. Calor verò eiusdem constitutionis non ob id omnium vehementior est, quòd sol nobis propinquior sit quàm vere: nam vere propinquior est, & æstate in auge & maxima elongatione. Verùm rectitudo radiorum maximam facit impressionem, & quoniam reflexio radiorum è terra rectis radiis copulatur, & in eundẽ aerem conuertitur. Accedit ad calorem æstatis augendum, quòd diutius sol aerẽ calefecerit, vnde calor calori accreuit. Est id tempus à solstitio æstiuo vsque ad æquinoctium autumnale, siue ab initio Iunij in finem Augusti, Vnde autumnus inchoat, tẽpus siccum, calore verò & frigore inæquale, ac pernicioſum, & ea ratione mortiferum, quoniam inęquale est, ac vires exterminans. Est autem id tempus inæquale quoniam aer magnam ab æstate contraxit tenuitatem, & quod tenue est facilè recipit alienas qualitates, & externas mutationes, quod de aqua asseruerat Hippo. 5. Apho. sectione dicens, Aqua quæ citò calefit, & citò infrigidatur, leuissima est: Id verò est ipsam esse substantiã tenuissimam. Quam sentẽtiam ad aerem transferre decet. Ac perinde fit, vt autumno noctes sint frigidæ valde, cùm tamẽ iuxta meridiem calor sit iusto maior. Colligit quoq; temporis frigiditas multa excremẽta magna ex parte melancholica, quæ æstas generauit biliosorũ humorum vstione. Cũ enim hæc & reliqua per cutẽ copiosè purgari ac discuti deberent, frigiditas poros astringẽs hæc impedit: iuuat non parũ ad morborum eorundem generationẽ fructuum autumnaliũ frequens vsus. Verũ quòd morbi eius temporis pernicioſi ac mortiferi sint, imbecillitas est causa, quã partim æstas pręcedẽs resoluẽdo calorẽ effecit, partim etiam tẽporis inęqualitas. Facit etiã morbos malignos & pernicioſos malorũ humorũ reclusio in partes pręcipuas: Aestate nãq; hi ad cutẽ à calore ambiẽtis deferebãtur, ac deinde natura tentante ad eã partem, in quã assueuerat æstate, eosdẽ trãsfundere, frigiditas ambientis eos repellit, & ad interna protrudit. Oriũtur eo tẽpore melancholici morbi, vti mania melãcholia, lienis tumores, & inde hydropes, & tabes, difficultates inteſtinorũ, asthmata, & anginæ, morbi comitiales, febres quartanæ & erraticę. Prorogatur id tempus ab initio Septẽbris, aut eiusdam ęquinoctio, vsq; in solstitiũ hyemale, aut finem Nouẽbris. Iam sequitur hyems, quę reliquũ anni tempus ab initio Decembris vsq; in finem Februarij metitur, frigidum & humidũ, & natura pluuioſum, prędaliis temporibus, quapropter morbos affert longos aere ambiãte impediente coctionem, ac discussionem humorum, quod quartanæ febres docent, æstate genitæ, quæ ad autũnum perductę longę sunt: ad hyemẽ verò quã maximè, & in vniuersum morbi calidis temporibus facti breues sunt, frigidis verò longi. Ad quod accedit quòd hyeme aceruatur pituita multa ob temporis naturam, quæ temperaturæ ipsius respõdet. Verùm huic sententiæ obstare videtur quod Hippo. dixit Apho. 15. sect. prima. ventres hyeme & vere calidissimi sunt natura. Vbi sanis corporibus cibos competere copioſiores statuit. Et rursus Apho. 18. Aestate (inquit) & autũno cibos grauissimè ferunt, hyeme facillimè, ver secundum locum habet, quod de ægrotantibus dictum est. Quibus competere vult alimenta copioſa: quoniam ea hyeme faciliùs ferunt. Calor igitur hyeme validior est ac perinde perperam dictum, morbos eius temporis longos, ac difficilem coctionem admittere: siquidem calor morbos curat, & humores coquit, & maior citius. Paritèr falsum videtur eo tempore pituitam augeri, quo calor natiuus validior est. Natiuus enim ca-

lor

Æstatis calor quare vehementior.

Autũnus qualis.

Aer quare facile mutatur.

Autũnus quare mortiferus.

Hyemis tẽperatura.

lor cùm temperatus sit, humorem augebit temperatum, nempe sanguinem, non pituitam, frigidum & humidum humorem. Duo porrò à nobis dicenda se offerunt, Quare morbi hyeme longiores sint, & quare hyeme acerbatur pituita copiosior, valēte interno calore. Morbi equidem hyeme longi fiunt: primum quoniam humores crassiores eo tempore generantur, & humores crassi tardius coquuntur ac discutiuntur: deinde quoniam tempore calido aer ambiens coctionem, digestionem, & dissolutionem coadiuuat. Nam & febrilis calor qui ambientis calore deterior est, & à natura nostra magis alienus idem efficit, vt inquit Ga. Com. 70. quintę sectionis Apho. Qua ratione febris morbis frigidis, vt conuulsionibus & aliis prodest. Adde quòd frigiditas hyemis vt naturalem calorem intus roborat, ita humores crassos intus conditos seruat. Quod tamen ad pituitæ augmentum attinet, hic hyeme copiosior est ob ciborum naturam, quibus homines vtuntur, vt legumina quę prauos gignant ac crassos succos, & coctiones impediunt, atque coctionis defectum sequitur pituita. Sunt hæc, bulbi, & rapæ & cepæ, castaneæ, & glandes, quæ sunt inepta coctioni. Sunt etiam ciusmodi carnes agninæ, porcinæ, caprinæ, & cochleæ, & caseus, & lac: rursus exercitiorū genera, vestium inopia, & itinera non parum agent ad pituitæ augmentum. Cæterùm si quis hæc rectè aduerterit, non absoluunt dubium: nam quòd quorundā ventres ob inopiam vestium refrigerentur, non ad temporis naturam sed ad inopiam ipsam referri debet, quemadmodum, quòd quorundam ventres refrigerentur, ob imbecillitatem, aut ciborum malorum vsus, aut profectiones idem efficiant, quod enim ad tempus attinet, rectè dictum est ab Hippo. hyeme validissimum calorem ventribus inesse: reliqua verò nō sunt temporis propria, de quibus modo agimus. At verò illud rectius dictum videtur, membra refrigerari hyeme, & si venter incalescat & in membris acerbari pituitam, & si venter validissimum habeat innatum calorem. Sed rursus instandum videtur: nam pituitæ generatio in ventre fit, non in ipsis membris: quamuis ergo membra frigeant, vbi venter calidus sit, nullatenus accrescet pituita. Verùm neque hoc veram ipsam sententiam subuertere valet: vtrumque enim est consentaneum rationi, ventres hyeme calidissimos, & pituitam per id tempus augeri. Siquidem pituita in ventriculo (ex his quæ in prima parte operis probauimus) genita, in iecore conficitur atque in venis: si tamen venæ refrigerentur: & maximè si refrigeratio iecur pertingat, pituita infecta manebit, neque ex ipsa sanguis, vt solebat, generabitur. Confirmat idem, quod pituita in venis contenta aliqua ex parte discuti solet ab ambientis calore, quod nō eueniet in ambiente frigido, quódque dissolui deberet ab ipso natiuo calore. id quoq; prohibebitur: omnia verò hęc simul multam ostendent redundantem pituitam hyeme. Huius temporis morbi sunt, qui ex refrigeratione fiunt, & ad internas partes fluxione. Nam vbi frigus membra ipsa peruadat, refrigerabuntur atque inde imbecillitates fient, & humores crassi & frigidi acrescent: vbi tamen frigus compresserit tantummodo membra, ipsis non valde refrigeratis, exprimet humores in partes nobiles & internas & quandoq; foras per meatus ampliores, & si quandoque magni etiam effluxus cohibeantur. Huiusmodi erunt morbi laterales, & pulmoniæ, & grauedines, & tusces, & rancedines, & attonitus morbus. Ad solam autem frigidam intemperiem sine humorum redundātia, aut solo flatu accedente attinent laterum dolores, & pectoris & vertigines. Vtroque tamen modo fiunt capitis dolores atque lumborum, nempe ex solo refrigerio, aut etiam accedēte humore: sic & morbi neruis eueniunt, & membranis, maxime eis quæ ossa deuoluunt, aut ad eas delato humore, aut solo frigore ipsas peruadēte. Et quamuis horum temporum naturæ diuersæ & quodammodo contrariæ sint, quoduis eorum sibi adiuncto non parua portione similis est: siquidem quoduis eorum tripartitum est. Ver namque primam sui partem hyemi similem habet, & tertiam iam ad æstatis naturam accedentem, mediam medio

Hyemis morbi quare longi.

Hyeme quare accrescit pituita.

Hyemis morbi duorū genera.

Tempora omnia tripartita.

Digitized by Google

modo se habentem,ac omnino veris naturam seruantem,à qua constitutione: sicuti & ab aliis omnibus nullæ subitæ fiunt mutationes, secundum naturam, Sed quod paulò antè præcessit,ei quod immediatè sequitur valde simile est nisi violenta fiat temporum, ac repentina variatio. Iam ergo medium æstatis vere æstas integra est, & finis autumno similis incipienti. Deinde sequitur autumni medium eius constitutionem ad vnguem seruans, & deinde finiens similis fit incipienti hyemi: deinde medium sequitur hyemis, post quod finis similis veri incipienti. Variant etiam tempora proprias naturas, aliquando vnum,aliquando etiam plura, & vnum quidem, cùm hyems calida, aut æstas frigida:dico verò vbi hyems fuerit calida,ver autem frigidum: possunt etiam multa tempora variari, veluti si post ver frigidum prædictum æstas eiusdem naturæ sequatur. Vno quoque tempore varias fieri mutationes contingit, vt si ex æstatis diebus quidam fuerint frigidi, quidem post hos calidi,quidam præter id humidi: quod & eisdem diebus euenire videmus, nempe vt eodem die calor & frigus fiant, quod autumno secundum naturam conuenit, aliis verò non nisi contra naturam. Illud etiam prætermittendum non est, omnes morbos in omnibus temporibus fieri. Sed in quibusdam quidam ex ipsis magis aliis. Nam quod in quibusdam hominibus temporis constitutio facere non potest,victus facit frequentius autem eueniunt qui temporibus respondent. Aer enim ambiens omnibus est communibus, victus tamen diuersus. Quòd si tempora suas amiserint naturas, non tantum aliorum temporum morbos adducent, sed erunt hi inconstantes & mali iudicij, ac perinde pernicioſi. Quamobrem ego quidem nullum adeò fidum præsagium futuræ pestis (eius quod ab aere habet ortum) reperi, vti quod ex temporum mutationibus præter naturam accipitur. Nam vt Hippocr.ait, In constantibus temporibus, si tempestiuè tempestiua redduntur, morbi constantes & boni iudicij fiunt, in non constantibus verò inconstantes & mali iudicij: morbi tamen inconstantes & mali iudicij, qui per populum grassantur: quoniam temporis constitutionem sequuntur, pestilentes omnino erunt, fient tamen, vbi humidæ fiant constitutiones frequentius, rarius in siccis, quoniam de his Hippocr.inquit, Ex anni quidem constitutionibus, vt in summa dixerim, siccitates imbribus sunt salubriores,& minus mortiferę. Euenit autem quandoque vt temporibus non valde mutatis, adeò magnas recipiat mutationes aer, vt pestis causa fiat, veluti cùm putrescit mixtis putridis vaporibus, ex aqua & terra eleuatis:hi namque cordis spiritus corrumpunt, & quandoque humores,aut ipsam cordis substantiam. Sed primò spiritus: interim tamen dum solos spiritus mutat, & si calorem factum præter naturam in ipsis inducat,pestilens febris nunquam fiet, nisi humores aut cordis ipsius substantiam inuaserit,ita vt febrem faciat putridam, aut hectică: solis enim spiritibus aut corruptis, aut alteratis breues fiunt febres, & minimè pernicioſæ: Sed diutius malo perseuerante in aliam deteriorem dispositionem aut humorum, aut membrorum perducto corpore, pestilentes & pernicioſi fient morbi. Nouimus quoque sine febre,pernicioſum aerem, ferè subito homines interimere,corrupto spiritu malitia qualitatis aeris,vel potius, vt dicere solemus,ipso tota substantia mutato. Eligendus igitur est aer mundus & purus sine malis vaporibus, quales eleuantur à stercore, corporibus mortuorum, aquis stagnantibus, aut putridis leguminibus, aut fluuiis, aut cloacis repurgantibus ciuitates: vitandus etiam aer nebulosus & concluſus, maximè in locis & domiciliis infernis. quantum ad hoc itaque aer omnibus conueniens hominibus idem est,quantum verò ad temperiem qualitatum attinet diuersis temperaturis,differens aer accommodatur, qualis verò futurus, infrà dicemus. Quoniam autem venti aeri commixti sunt, & simul cum aere inspirantur & transpiratione trahuntur, de eorundem natura & facultatibus quædam dicemus. Porrò ventum omnem exhalationem quandam esse antiqui dixerunt,

Temporum à natura variationes.

Morbi omnes omnibus fiunt tẽporibus.

Pestis fidũ præsagium.

atque

atque ipsam esse calidam & siccam. Aetius tamen non simpliciter, Sed collocatione ad alterum exhalationum genus. Nos quidem exhalationem quandam agnoscimus humidam, & quandam aliam siccam; ambæ verò à terra & aqua eleuari solent. Sed interest: quoniam sicca exhalatio à calore exuritur: quòd si non exuratur humida manebit. Ad exustionem autem non parum faciet materia terrenæ substantiæ mixta: venti verò ea ratione pluuias antecedunt: quandoque verò easdem sequuntur. Quoniam præcedente pluuia terra humorem concipit, qui mixtus materiam efficit exhalationi paratam, ita vt accedente solis calore, aut præsente aut antè à terra concepto, venti statim oriantur, & moueantur. Præcedunt verà sæpe venti pluuias, calore excitante vapores quosdam, quos exurit, & in ventum commutat, quosdam deinde non exustos, quos frigus in pluuiam vertit, interim etiam ambo perseuerant, ventus flans & nubes deportans, atque pluniæ quæ ex nubibus fiunt: Siquidem exhalatio humida vento & aeri coniuncta, aerem aliquando reddit vaporosum: crassior verò exhalatio nebulam efficit, & crassior adhuc nubes, ac deinde maiori accedente crassitudine, fiet aer caliginosus atque tenebricosus. Is vapor, siue humida exhalatio, si à frigore concrescat parum à terra eleuatus, ros efficietur, aut congellatus pruina: in supremis verò partibus, aut pluuiam, aut congelatione in niuem, aut grandinem ibit. Sed rursus ad ventorum naturam redeamus. Venti siccæ quædam exhalationes sunt, Sed nunquam absque aere sunt aut mouentur, & quandoque humidas exhalationes secum ducunt: cùm tamen ipsa agitatur, secum agitat & reliqua, ita vt nunquam ventum sine aere, quis sentire possit. Sunt autem ventorum multa genera, ex loco à quo agitantur & flant, naturam sortita: atque hi generales, quatuor quidam præcipui, & singuli suos habentes binos collaterales, ita vt omnes numero 12. habeantur. Quatuor præcipui sunt Septentrio, qui ad polum arcticum, qui etiam Aparctias dicitur: à Meridie Auster, siue Notus: ab Oriente Subsolanus: ab Occidente Zephyrus, siue Fauonius. Septentrio Orientem versus habet collateralem, Boream siue Aquilum: ad Occidentem verò Circium. Auster Orientem versus habet Euronotum, aliàs, Euroaustrum: ad Occidentem verò Euroafricum, siue Libonotum. Subsolanus tamen, ad Septentrionem habet Cetiam, siue Elespontium, ad Meridiem verò Vulturnum: Zephyrus tamen ad Septentrionem habet adiacentem Argestem, ad Meridiem verò Africum. Sunt tamen alij quidam venti locorum proprij, qui semper flant, aut sole Oriente, aut iuxta solis occasum, sunt & qui à terra in mare perflant Apogei appellati à nautis, qui etiam ab Oriente sole generantur: locales autem venti quoniam minus puri sunt, ventis generalibus minus sunt salubres, atque diuersas sortiuntur temperaturas. Nam Boreas frigidus est & siccus, Auster calidus & humidus, Subsolanus siccus, Zephyrus humidus, ac perinde morbos afferent suis temperaturis respondentes. Quoniam autem, vt suprà diximus, aeris mutationes omnino fugere foret impossibile: minimè tamen eas quæ per tempora anni fiunt, aerem ipsum modum excedentem aliquatenus attemperabimus. Erit autem moderatus in quo homo neque sudat ob æstum, neque riget ob frigus, non tamen expectendus est aer, qui omnino non alteret corpus, sicuti neque causam aliquam ex salubribus: omnes enim corpus alterant, sed sensim. Quapropter Galen. lib. Ar. me. capit. 85. salubres omnes causas ex correctiuarum genere esse dixit: naturales tamen temporum mutationes fugere commodè non fiet: quandoquidem sanus homo cuius sanitatem tueri proposuimus, non debet in loco aliquo concludi, aut à conuersatione aeris totius ciuitatis prohiberi: accedet igitur aliunde temperaturæ tutela, rebus aliis omnibus debito modo à temperatis: valet enim aer magis omnibus aliis causis non naturalibus, quæ ex necessitate occurrunt, corpus humanum alterare. Nam cibus & potus non perpetuo alterant, Sed interim cibus, quandoque potus, quandoque neutrum. Somnus

Ventorum genera.

Ventorum temperatura.

Temporum mutationes fugere non valemus.

& vigilia vt nobis occurrunt, necessariò se inuicem corrigunt, atque neutrum perpetuò adest, sic etiam retentio & euacuatio, motus & quies: animæ verò accidentia quæ manifestè alterent, secundum naturam raro ocurrunt: aer quidem multis modis alterat, atque validè mutat nostrum corpus. Nam ambiens nos tangit, & per poros cutis transpiratione ducitur, & inspiratur & is pulmonem & cor itatim attingit, & spiritum cordis, non bis aut semel in die, sed perpetuò ingrediens atque egrediens, deducitque ad nos ferè omnes externarum causarum alterationes, vt terræ & aquæ, & ignis cùm non tangunt nos, & cælestes astrorum influxus, & à corruptis rebus vapores, & qualitates, mutatúrque interim solis qualitatibus, vt calore & frigore, humiditate & siccitate, interim sua substantia, vt crassitudine & tenuitate, aut alienam suscipiens substantiam, aut rerum putrescentium vapores, aut vt aiunt à tota substantia, vbi malam adeptus sit proprietatem, ac venenicam naturam. His de causis summatim cognitis Gale. lib. Artis medicinalis capitulo octuagesimoquinto dicit: Optime igitur corporis constitutioni cùm circum fusus aer fuerit in temperie positus, earum rerum de quibus nuper diximus, quietis scilicet ac motus, somni & vigiliæ, & eorum quę assumũtur, atque excernuntur quantitas moderata conueniet. Quum verò aer à temperie recesserit, tantum à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit ab optima temperatura recessus: verùm huic sententiæ quædam obstare videntur. Non enim necessarium est aere labente ad aliquod extremorum, omnes causas non naturales, pari lapsu ad contrarium inclinare. Definito namque lapsu aeris, atque cognita alteratione, quam in corpus humanum facere potest, facile erit in cibo, aut potu, aut somno & vigiliis parem obiicere contrariam vim, quæ omnino impediet & attemperabit aeris actionem, atque potentiam. Præterea nunquam per causas prædictas temperatas fieret sanorum hominum conseruatio. Nam aer ferè nunquam temperatus est, sed pro temporum natura semper euariat. & ver ipsum quamuis natura tẽperatum sit, raro suam seruat naturam. Hæc tamen nullatenus perturbant. Galen. sententiam: Sed id in primis nosse oportet, quòd causæ non naturales ea ratione calefacere, aut infrigidare, aut humectare, aut exsiccare dicuntur, quoniam potestate id faciunt: etiam si ex accidenti faciãt, vt somnus ex accidenti humectat, quoniam nutritioni confert, & hæc humectat refectione corporis, & vigilia ex accidenti ob resolutionem exsiccat: quod tamen per se facit aer calefaciens, aut quouis modo alterans, quemadmodum & cibus, atque ex his quæ accidenti faciunt quædam positiuè, quædam etiam priuatiuè. Nam vigilia parua humectare dicetur, quia non abundè exsiccat, & somnus exsiccare, quoniam non humectat quantum par est, & moderatum. Dicuntur autem moderatæ causæ omnes non naturales: quoniam temperatum corpus conseruant. Nam & si ipsum perpetuò alterent, non tamen à temperamenti limitibus educunt, & ob id salubres causæ omnes correctiuæ sunt, vt aer: is enim nunquam non alterat humanum corpus, & cibus, semper est ab initio contrarius corpori: at verò omnes hæ causæ sic occurrunt vt quædam ex eis alias corrigant, & ab omnibus simul corpus in temperie sua seruetur. Cùm verò modum excesserint causæ prædictæ ipsum à temperie, & quandoque à sanitate educunt. Quapropter si aliquod eorum ad alterum extremorum labatur, reliquorum administratione malum corrigendum venit, id in aeris lapsu notum est. Nam si is ad calidum labatur, oportet potum labi ad frigidum pariter, & cibum atque quietem augere: quoniã calor exsiccat, & quies humectat. Idem etiam intelligere oportet de cibis, quod de aere. Nam si cibi fuerint debito calidiores reliqua ad frigidum labi decet. Quare igitur si id in omnibus causis naturalibus verum est, de solo aere asserunt Galeni sententiam? quare etiam dixit, omnes alias causas in contrarium labi debere? Siquidem vnius

Aer quantũ alterando valeat.

Causæ conseruantes quare dicuntur moderatæ.

tan

tantum lapſus magnus vniuerſam aeris labentis noxam poſſet emendare, vbi medicus noxæ quantitatem, probe metiatur? Primùm quidem in aliis cauſis, non eſt par ratio: nam aliæ ſemel, aut bis ocurrunt, in vnius diei ſpatio, vt ſomnus & vigilia: itaque ſomni noxa vigilia emendabitur rectè, & econtra. Rurſus ſi cibus frigore nocet, facilè potu emẽdabitur: & ſi motus, quiete, aeris tamen alteratio perpetua eſt, & multis modis accedẽs, vt ambiens, inſpiratus, & tranſpiratione ductus. Quod autem præceperit id omnium aliarum cauſarum oppoſitione fieri debere, non eſt, quoniam non poſſet per vnicam cauſam oblatam fieri, aut quoniam in aliarum cauſarum lapſu non liceat omnes etiam admouere contrarias: ſed quoniam vbi lapſum aeris quis tentaret vnius cauſæ oblatione corrigere, cauſa futura eſſet validior multò, vt vno occurſu faceret quantum aer frequenti acceſſu, quod aliis de cauſis obeſſet: nam ſi cibus oblatus ad emendandam aeris calidi noxam ſufficere deberet, ſtomachum valde læderet. Præter id quod ſtatim plus iuſto infrigidaret, & ad finem minus quàm par foret, ſic etiam ſi ſomno aeris calor emendari deberet, longus futurus eſſet: verùm interim dum adeſt, id faciet: poſtea verò non: cùm tamen toto tempore aer alteret. Probè igitur fiet vt Galen. ait, omnibus aliis cauſis in contrarium labentibus, vt ex omnibus vna cauſa aeri æquipollens fiat, neque opus ſit aliquam vnam immodicè valentem, & inæqualiter occurrentem offerre. Sic etiam fatemur in aliarum cauſarum lapſu fieri poſſe correctionem, omnibus in contrarium labentibus: ſed tamen neque opus eſt tot cauſas opponere, cùm vna ſatisfacere poſsit: quod in aere labente non fiet: neque ſi aliæ opponantur, decet vt omnes pari labantur menſura cum ipſa cauſa labente, ſed multò minus. Præterea quoniam cibus, in alterum facilè mutari poterit contrarię temperaturæ, per quem emendabitur lapſus, & ſomnus emendabitur vigilia: aerem verò emendare, aut ipſius mutationes per anni tempora impedire eſt impoſsibile, ſed probè aliarum cauſarum mutatione, fiet correctio: & vt melius fiat, non vna tantùm mutata, ſed omnibus. Aere itaque labente omnes alias cauſas pari menſura in contrarium labi oportet, vt ex omnibus vna æquipollens aeri fiat, & omnes ſint parum excedentes propriam menſuram. Dicemus igitur cauſas non naturales temperatas quoniam etſi alterent, corpus ſanum & temperatum ſeruant, & nullam manifeſtam efficiunt alterationem, ita vt ad ipſam manifeſtus ſequatur lapſus. Diſtemperatæ verò dicentur, quoniam aut plus iuſto mutant, aut quoniam non efficiunt quod debent. Aer namque frigidus dicitur, quia immodicè infrigidat, & calidus, quoniam etſi infrigidet (quod omnis aer per anni tempora & regiones facit) non tamen quantum aeri qui inſpirationi ſeruit, debetur, ſic & motus dicitur calidus, quoniam ad maiorem caliditatem, quàm par ſit, corpus perducit, & frigidus, quia citra prædictum iuſtum calorem, calefacit. Ex quibus omnibus notum euadit temperatis corporibus cauſas ſalubres deberi temperatas omnino, & quæ temperari non poſſunt, vt aer per tempora variatus, aliarum ſalubrium cauſarum contrarium oblatione eſſe corrigendas: diſtemperatis tamen corporibus, intra latitudinem ſanitatis manentibus, qualis aer debeatur, nec diximus, neq; ex dictis notum euadet: verùm diſtemperata corpora quædam ſunt talia ſeruanda, quædam in meliorem temperaturam mutanda. Quod fit, vbi ſuppetat ocium: ſiquidẽ ſubitò, aut breui tempore naturalem temperaturam mutare nullatenus conuenit. Quòd ſi id facere fuerit in animo, ſalubres cauſæ accommodatæ ſunt, quæ ab optimè temperato corpore, & à cauſis ipſum conſeruantibus, æquis numeris in contrarium labuntur: veluti ſi corpus moderatè calidum ab optimo coporis ſtatu duobus recedit numeris, cauſis ſalubribus egebit, duobus etiam numeris ad frigidum labentibus, à ſalubribus cauſis temperatis hominibus debitis. Hominem verò negociis irrepetibilibus diſtrictum mutare non expedit, ne multis & validis mutationibus ſimul, hinc & inde agatur. Quòd ſi in animo fuerit tale corpus

Aer diſtemperatis corporibus ſeruandis.

Conſeruatio corporũ quibus cauſis fieri debeat.

ſeruare, quale ab initio acceptum eſt, quemadmodum temperatis & in optimo ſtatu conſtitutis corporibus, aer & reliquæ cauſæ ſalubres ſimiles ſunt offerendæ, ita & diſtemperatis, calidiora ſiquidem corpora calidioribus cauſis ſalubribus egent, frigidiora frigidioribus, humidiora humidioribus, ſicciora ſiccioribus, vt Galen. docuit lib. Art. me. vbi tamen valde laberentur præſeruanda forent, non conſeruanda. Quod itaque Galen. dixit, in alijs quidem omnibus notum eſt, cibos frigidos homines ſeruare frigidos, & calidos, homines calidos. Nam cibi calidi frigidis hominibus oblati, tandem poterunt ipſos ad temperamentum deducere, vt diximus: quin & aliquando in contrarium traducere ſtatum: ſic & ſomnus & vigilia metienda ſunt, ac reliquæ cauſæ ſalubres. Aerem tamen calidum calidis offerre corporibus aut frigidum frigidis, incommodum euidens apparet. Si enim calidum cor refrigerari inſpiratione debet, non ſatis neque ad menſuram refrigerabitur, aere calido attracto, ſic etiam frigidior aer frigidiori cordi non erit ex vſu: ſiquidem ipſum immodicè refrigerabit. Rurſus natura ducimur, vt calidiores redditi aerem quæramus frigidiorem, & frigidiores calidiorem. Præterea ſi aer tanto frigidior temperato, admoueatur calidiori cordi, quanto cor calidius eſt, nullatenus attemperabitur. Nam maior reſiſtentia maiori eget potentia alterante, ſed calor maior magis reſiſtit minore: ergo maiori potentia refrigerandi egebit, quàm cor aut frigidum aut minus calidum. Præterea Galen. lib. de Sanitate tu. contrarium aſſerere viſus eſt dicens: Fiunt autem, & qualitatibus conuenientiæ, vtique ſi ſeruare temperamentum ſtudes, humidis naturis humectante cibo maximè quadrante: ſiccis verò, eo qui ſiccet: ſin alterare placet, contrariis: in eo verò qui eſt in calido frigidóve ad intemperantiam lapſu, contraria dare ſemper expedit: quum & efficaciſsimè eiuſmodi temperies ſint, (& vt ita dicam) magis quàm quæ ex ſiccitate & humiditate conſiſtunt, potentes: quippe cùm facilè ſimilibus nutrimentis in morboſam intemperiem abeant. At ſi ſiccius quoduis membrum efficias, nihil manifeſtè lædes: pari modo nec ſi humidiori ſuam humiditatem ſerues. Præterea non eſſe ſimilibus exercendam ſanitatis tutelam, docuit Galen. lib. 3. Apho. comm. 3. dicens: Contrarij quidem ad contraria bene, ſimiles ad ſimilia mala. Ob rationes adductas nonnulli coacti dixerunt, corporibus lapſis conſeruandis non competere aerem ſimilem: hoc eſt eum, qui eam ſortiatur denominationem quam corpus: veluti vbi corpus calidum ſit in primo ordine corporum, non oportet aerem pariter eſſe in primo ordine calidum, lapſum à temperato aere, eo nempe qui conuenit temperatiſsimo corpori: quoniam is non refrigerabit cor hominis in primo ordine calidi, ad portionem. Quod autem Gale. præcipit, ſimilia ſimilibus ſeruari, non obſtat: ſiquidem ſimilia non debentur denominatione, ſed potentia talia: illum nanque aerem ſimilem temperato medici dixerunt, qui etſi non foret eiuſdem denominationis cum corpore, neque eſſet eidem ſimile, (quoniam omnis aer debitus temperato corpori, ipſum alterare valet) ea tamen ratione ſimilis dicetur, quatenus potentia talis eſt, & in temperamento corpus ipſum ſeruat, idem etiam de aere debito corpori lapſo à temperamento dici volunt, Aerem eum ſimilem eſſe calido cõrpori, qui ipſum ſeruare valet, & ſi ipſum alteret, & non ſortiatur eandem cum ipſo denominationem. Contra quorum ignorantiam quædam manifeſtè procedunt, quæ omnino valent eorundem opinionem confutare. Primum quidem Gal. nũquam aſſueuit ſimile dicere, niſi quod verè ſimile eſt reipſa, non tantùm poteſtate: ſiquidem lib. 6. de Sanitate tu. de his temperaturis lapſis loquens, quæ conſeruari expoſcunt, inquit. Nam qui in rebus ciuilibus verſatur, & multis negotiis diſtringitur, huic tutius eſt vt neque tentet temperamentum ſirũm, mutare, ſed accommoda ſibi nutrimenta aſſumat. Porrò apta ſunt humidis quidem, humida, & ſiccis ſicca. Nutritio enim fit cùm qui nutrit cibus, corpori quod alit, aſsimilatur, citius autem aſsimilantur

verè

ſicca,ſiccis,& humida humidis. Ex quibus notum eſt ſimilia dici alimẽta,quæ verè ſimilia ſunt,non tantum potentia.Quoniam quæ in corpora ſicca facilè vertuntur, ſicca verè ſunt, & quæ in humida, verè humida. Nutritio enim (vt inquit) fit cùm id quod nutrit, ei quod nutritur aſsimilatur, & inter ſymbola facilis eſt tranſitus.Prẽterea nullum medicamentum aut alimentum denominationem accipit, niſi ab eo quod agere poteſt: quod igitur infrigidare poteſt, frigidum denominabitur, & quod calefacere,calidum, atq; in alimentis eadem eſt ratio. Nam abſoluto ſermone talia dicuntur omnia, ad corpus temperatum collata, & quæ talia dicuntur, in re talia ſunt, & in vniuerſo talia: quod ſi denominationem habent ab effectu, malè dixerunt aduerſarij, aerem ſeruantem corpora lapſa,eſſe ſimilem in effectu, non in denominatione. Præterea ſi aer frigidus debetur lapſis corporibus verſus calorem, conſeruandi gratia, quæritur ab ipſis qualiſnam futurus ſit is, qui permutare poſſit eadem corpora in optimum ſtatum, atque ſtatuent in eodem genere cauſas conſeruantes lapſa corpora, & permutantes: cùm tamen Galen. has contrarias adhibeat,illas verò ſimiles. Præterea ſit corpus aliquod lapſum à temperamento calidum,non multum, ſed per numeros duos, id eget ad permutationem aere frigido duobus numeris: quod ſi conſeruari debeat in eodem ſtatu, aere,ex eorum opinione,frigidus etiam eſſe debet, ſed non adeò,ſitque aer per numerum vnum ad frigidum lapſus: iam ergo ad conſeruationem corporum parum lapſorum adhibentur contraria, ſed remiſsiora: ſit autem corpus aliquod valde lapſum ad calorem, quod non expoſcat conſeruationem,neque etiam vacet permutationi,id egebit præſeruatione: quæritur autem, quibus fiet? non equidem aliis quàm frigidis, ſed remiſsioribus: paribus namque fieret permutatio. Ex quo fit vt eædem genere omnino ſint cauſæ conſeruantes & præſeruantes,atque eadem omnino menſura,veluti numero vno in contrarium labentes:concedunt itaque neceſſe eſt, cauſas conſeruantes, permutantes, & præſeruantes, in eodem genere & ferè omnino eaſdem, quod naturæ cauſarum agentium repugnat. Nempe vbi iam varij effectus à ſimilibus fiant cauſis, aut eiſdem. Nos itaque Galen.mentem diuerſam ab eis agnoſcimus.Quoties enim Aui. lib.Art.me.præcepit ſimilia ſimilibus ſeruari. Aui.lib.3.Metho.in vlceribus,id quod ſecundum naturam eſt cuſtodire præcepit,atque ſicciora,ſiue corpora,ſiue membra ſiccioribus egere,humidiora humidioribus dixit: idem etiam ſexto de Sanitate tuen. & ſæpe alibi ea tantum ſimilia eſſe voluit, quæ eandem in ſuo genere ſortiuntur appellationem, ſiue denominationem, atque eundem ordinem & ſitum,quem corpora quibus debentur inter reliqua corpora,vti cauſæ ſalubres calidæ,collatæ calidis corporibus,& frigidæ frigidis,humidæ humidis,ſiccæ ſiccis. Præterea etiam calidis corporibus in primo ordine calidæ cauſæ in primo, & his qui in ſecundo, pariter in ſecundo, idem quoque in reliquis temperamentis & temperamentorum ordinibus habendum eſt.Ad quod comprobandum,prædictis accedit hęc ratio potiſsima. Sit corpus aliquod temperatum & in regione temperata nutritum, quod mutet regionem, & in frigidam habitandam ducatur, in qua tamdiu demoretur,vt temperaturam etiam mutet,ita vt frigidę temperaturæ fiat. Nonne vbi corpus id in frigida hac tẽperatura ſeruari debeat, in eadem regione commodè permanebit? Nemini dubium exiſtimo,atque id corpus in ea frigida regione tale ſeruari,quale ab eadem redditum eſt,& in quauis alia, mutationem accepturum. Præterea de cibis eadem omnino ratio eſt, vbi corpus aliquod ex vſu ciborum calidiorum in calidam temperaturam,nam valde lapſam (de hac enim loquimur) deductum ſit,notiſsimum eſt eiſdem, omnino ſeruari probè in nuper adepta temperatura, & vnumquenque in ea regione probè ſeruari,in qua temperaturã aſſecutus eſt, ſiue natiuam, ſiue aſcititiam. Rationes verò in contrarium ab initio adductæ nihil omnino conuincunt. Ad primum enim dicemus, calidum aerem probè refrigerare cor calidum,

Corpora lapſa ſimilibus ſeruanda.

Ratio valida.

Nam

Nam id vbi parum à suo temperamento labatur, statim refrigerium expoſcit. ac perinde aere frequentiùs attracto & copioſo, & quoniam calidorum cordium reſpirationes maiores & frequentiores quam aliorum ſunt, commoda fiet cordis calidi refrigeratio à calido aere, aut etiam ſi ſola magnitudo reſpirationis accedat, vbi cor non valde incaleſcat. Cor etiam frigidum, vbi incaleſcat ſatis, aerem expoſcet frigidum, à quo tẽperetur, & quale ex natura eſt, ſeruetur, quod non niſi ab aere ad menſuram corporis frigido fiet. Nam quod minus frigidum fuerit, frigidius cor non refrigerabit. A minori nanque frigido non inducitur altior frigoris ordo, quo eget frigidum cor incaleſcens: præter id quòd cordi frigidiori minor debetur reſpiratio, & quandoq; etiam tardior ac rarior, ob quam nunquam ſupra modũ refrigerabitur. Cum etiam addunt, natura duce, refrigeratos aerem quærere calidum, & calefactos frigidum, id tantùm euenit, quoties ob calorem aut frigiditatem à propria natura & innata temperatura corpus educitur. Cum tamen ſolam eam recipimus alterationem, quæ ſecundum naturam nobis perpetuò aduenit, talem eligimus aerem, qualis dictus eſt, ſimilem vtiq;, & qui nos tales quales antè ſeruet. Niſi foret etiam quis adeo lapſus à natura, vt egeret præſeruatione ac permutatione celeri, de quo non eſt nobis modo ſermo. Ad aliud dicemus, cordi calidiori aerem calidiorem ad conſeruationem offerri debere, atque ad id ſufficere. Quoniam paucus calor ab eodem demi debet refrigeratione: ſiquidem cor calidum tale ſeruare volumus, & præter hoc multus attractus id probè faciet. Ad id tamen quod adduximus ex Galen. lib. 6 de Sanitate tuen. in his quę de humidis & ſiccis temperaturis ab eo dicta ſunt, nota eſt ſententia à nobis comprobata, ſimilia ſimilibus eſſe offerenda. Attamen ibidem de alimentorum exhibendorum natura & temperatura loquitur, non de aere, de aeris nanque temperie ſcripſerat lib. 1. vbi poſtquam aerem ſubſtantia purum dixit omnibus temperaturis eſſe accommodatum, de primarum qualitatum temperamento ſubiungit, At verò quæ ex calore, frigore, ſiccitate & humiditate diuerſitas aeris contingit, non perinde ſe ad omnes homines habet, ſed corporibus quæ optimo temperamento ſunt optimè temperatus aer eſt ſaluberrimus: in quibus verò aliqua exuperans qualitas dominatur, his vtiliſſimus aer eſt, qui ei qualitati maximè aduerſus, frigidus calidæ, calidus frigidæ, humidiori ſiccus, ſicciori quàm par eſt, tanto humidior quantò ſiccitas ipſa modum exceſſit: verumtamen neque hic locus noſtræ contrauenit ſententiæ. Loquitur enim Galenus de temperamentis valde labentibus ob qualitatis alicuius dominium in extremo, propter quod corpus præſeruatione potius quàm conſeruatione eget. Idem etiam lib. 6 de Sanita. tuenda voluit, magnos lapſus in calore & frigore ſeruare contrariis, aut potius præſeruare: in humido autem & ſicco ſimilia adhuc conuenire, à quibus non imminet validæ alterationis periculum. lib. 3. Apho. Comm. 3. aut de magnis loquitur lapſibus. aut hic & lib. 1. de Sani. tu. loco citato, aerem contrariæ temperaturæ proficere dicit: quoniam attemperat, & mutat, non quoniam ſeruat. Vt itaque in vniuerſum de omnibus cauſis non naturalibus agamus, diſtinctione opus eſt: ſiquidem non omnibus eſt eadem ex vſu viuendi ratio. Corpora temperata, aut temperamento proxima, quæ ſana ſimpliciter, aut vt multum appellantur, ſola egent cõſeruatione ad iuuentutem vſque: poſt iuuenturem verò & in ipſa, quantum attinet ad humiditatem & ſiccitatem, præſeruatione vſque ad mortem: ſiquidẽ his omibus ſiccitatis impetum, & curſum cohibere humectantibus conuenit: calorem autem ſeruabimus vſque ad ſubſiſtantiam: deinde verò parum augebimus. Si tamen à temperamento labantur, is aut erit magnus, aut paruus lapſus: magnus lapſus in conſuetudinem verſus, aut à natura contractus corpora efficit inſalubria ſimpliciter, aut ſemper, aut vt multum. His nunquam debetur conſeruatio, niſi velis præſeruationem, conſeruationem appellare, quoniam præſeruatione corpora ſuam tuentur ſanitatem: omnes

Methodus generalis conſeruationis corporum.

Digitized by Google

omnes enim cauſæ conſeruantes in correctiuarum genere ſunt, autore Gale. libro Artis med. cap. citato. Sed quoniam ſenſim corrigunt, conſeruantes appellantur: tales ſunt quæ præſeruant ab vlteriori lapſu. Conuenit itaque hæc præſeruare corpora, ſimilibus forma, ſed gradu minoribus: præterquam ſi homo ſiccus fuerit: in hac enim diſtemperantia ſemper humida adhibebimus toto vitæ decurſu, quibus non tantum præſeruabuntur, ſed in meliorem ſtatum recipient mutationem. Humidis verò valde talibus, humida ſed remiſſiora. Prætermitto quorundam nugas, qui cum omnibus conuenire per ſimilia conſeruationem ferant voluiſſe Galen. Deinde addunt id non conuenire ex arte: quare cùm rarò ſuppetat ocium, quod ipſi putant neceſſarium ad permutationem, ferè ſemper egebunt conſeruatione: ea verò, vt aiunt, nocet: ferè nunquam igitur ſine noxa ſanitatis præcepta ſeruabunt. At quis fatebitur, ſimilia ſeruare corpora valde labentia, & ab eiſdem lædi, & noxam recipere? hæc enim apertè pugnant. Sed ad incœpta redeamus. Quæ diximus corpora probè dicto modo ſeruantur, aut præſeruantur, eadem verò permutare in meliorem ſtatum contrariis adhibitis conuenit. Nec id rarò, ſi hominum diuerſum viuendi inſtitutum conſideres, demas ab his iter agentes, nauigantes, & qui laborem aliquem magnum ſubeunt, cui nunquam aſſueuerunt, neque aſſueſcere citra magnum vitæ diſcrimen licet: reliquos omnes inuenies facile admodum admittere permutationem & vſum contrariorum, vbi valde labantur à temperamento. Nam ſiue is cultui diuino miniſtret, vt canonicus, aut monachus, ſiue medicus ſit, qui in viſendis ægrotis ſit occupatus, ſiue cauſas agat, ſiue in aula regi ſeruiat, ſiue faber, aut ſutor ſit. Quid vetat, quominus nullo alio ſuppetente ocio, præter id quod hæc admittunt negocia, prædicti contrariis ſuæ temperaturæ vtantur? vbi ſenſim ad eadem accedant: prius verò ad ſimilia in forma, gradu remiſsiora: ſenſim enim conſuetudinem mutare & temperaturam, nihil prohibet. Neque perinde malè feret duos labores: cum cui allucuit, & mutationem quæ à contrariis fit: nam aſſueta antè nihil mutant, aut alterant: quæ verò ſuperueniunt ſenſim, parum: præter id quod hæc aliorum mala emendant, cùm mutent ſenſim ſine moleſtia, temperaturam vitioſam, & conſuetudinem illi parem. Præterea temperamenta extremè calida ad iuuentutem vſque, & in ipſa validè attemperabimus: deinde verò minus, & in ſenectute nullo modo: frigida verò ſemper, quoad fieri poſsit, mutabimus ad calorem, ſicuti & ſiccitatem ad humiditatem: humidam autem temperaturam in extremo, ita vt ſæpius eius cauſa in morbos incidat, in pueritia humidis minoribus præſeruabimus, ſic & in iuuentute. Sed magis ad humiditatem labentibus, in ſubſiſtentia & reliqua ſenectute, paribus. Nunquam autem temperaturam humidam exſiccabimus, quæ non inducat frequentes morbos: quoniam hæc longiſsimæ vitæ eſt, & diutius ſeruatur, teſte Galen. libro 6. de Sanitate tuenda. Siccum verò lapſum ſemper, quo ad fieri poſsit, humectabimus, & toto vitæ curriculo, & in pueritia maximè præſeruabimus, ſed modò de temperaturis non valde labentibus, agamus, quæ neutræ ſimpliciter dicuntur, & ſibi ſanæ ſunt, in quibus maior hominum pars numeratur. His ſanè ſatis tuta eſt conſeruatio per omnia ſimilia & forma, & gradu, & per omnes ætates quantum attinet ad calorem & frigiditatem: in ſenectute tamen attemperabimus præſeruatione. Humidam quoque temperaturam atque ſiccam tales ſeruare vſque in ſubſiſtentem ætatem tutum eſt. Deinceps verò humidam paulò plus humectantibus, & ſiccam aut tempetatis aut minus ſiccis ſeruabimus, aut, vt rectius dixerim, præſeruabimus. Quamuis enim præſeruatio eis temperaturis maximè conueniat, quæ valde labuntur, ob periculum delapſus in ſiccitatem ætatis ratione, ſiccas quoque, quin & prædictas humidas temperaturas præſeruare conueniet humectantibus, aut temperatis, aut parum exſiccantibus. Permutare autem eoſdem nihil prohibet, vti diximus de valde labentibus, etiamſi nullum aliud

ocium ſupperat: præter id quòd ſuppetere videmus ferè omnibus, qui officiis & artibus incumbunt, præterquam iter agentibus & nauigantibus, de quibus ad finem huius libri dicemus: aut fortè laboribus præter modum inſudantibus, quibus præſeruatio, aut etiam conſeruatio erit ex vſu. Sed laudo vt magis tutam in his præſeruationem: nam talium temperamenta non minus apta ſunt in morbos incidere ob immodicos labores, quàm eorum qui in extremo labuntur, quos ægros ſimpliciter eſſe diximus. His inſtitutis inuenies conſentire quæcunque Galen. docet. Nam libro Artis.me. conſeruare præcipit ſimilibus non valde lapſa corpora: id verò non prohibet valde lapſa præſeruare. Præterea ſuppetente ocio fieri permutationes admittit, id ocium abũdè ſuppetit in prædictis hominum conditionibus, laboribus, & artibus. Niſi dixeris Galen. ad maiorem ſecuritatem maius ocium deſiderare, nec perinde quod diximus vetare, præſertim rationibus traditis.

DE MOTV ET QVIETE, SECTIO II.

ELECTA Aeris & loci commoda temperie ac ſitu, decet, ſanum hominem exercitationibus vti, ſine quibus probè miniſtratis ſanitatem ſeruare nemo poteſt, ſaltem eorum qui decimumquartum attingunt annum, in aere verò ita temperato, vt nec ob calorem ſudorem moueat, neque ob frigus rigere cogat, opportunitas exercendi corporis ſe offert, poſtquam cibus è ventre deſcenderit, & coctio in iecore perfecta ſit. Intelliges tamen in iecore perfectam coctionem, ſi vrinam inſpexeris, nam aquea, aut ſubpallida coctionem adhuc fieri indicat: flaua iam diu peractam: ſubruffa, ſiue pallida, tunc primùm perfectam: quæ in commentario de vrinis latè patefecimus. Decet quoque ante exercitationem, ventris & veſicæ onera deponere. Exercitationem verò non omnem corporis motum appellamus, ſed validiorem, ita vt reſpirationem ad crebritatem vſque mutet, aderunt enim iam magnitudo & celeritas. Quædam autem antecedunt, & ſequuntur exercitationem: quamobrem omnium eorum ordinem, quantitatem & qualitatem definire decet. Antecedit quidem frictio præparatoria, ſequitur apotherapia, ſiue frictio recuratoria. Antè igitur quàm quis ad cibum accipiendum accedat exercitatione eget, dicente Hippocra. libro 6. de Mor.pop.par.5. Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia moderata. Incepit à labore ſiue exercitatione, quæ cibos antecedere debet. Præcedet autem exercitationem frictio corporis, quæ præparatoria appellatur: non enim licet validos corporis motus aggredi ex improuiſo: præuidetur autem frictione molliente ſolidas partes, priùs linteo totum corpus modice fricantes, donec incaleſcat, deinde oleo addito. Cùm verò paucis manuum circumactibus, modica celeritate, non grauibus, nec comprimentibus corpus incaluerit, & rubore vniuerſa cutis ſuffundatur, tunc oleum inducere oportet, manibus nudis, inter molles & duras mediis. Primò tamen blandiùs fricare oportet, deinde ſenſim paulò fortius, donec carnem citra noxam premat: id autem fiet, ſi bis tantum, aut ſemel frictio valida, partem tangat, fiátque ad omnem loci differentiam frictio recta, obliqua, tranſuerſa, ſubtranſuerſa. Quòd ſi abſque hac præparatione quis ſubitò ad exercitationem accedat, excrementis attenuatis, & meatibus exiguis laxatis, periculum eſt ne ſolidarum partium aliqua rumpatur, aut conuallatur, & excrementa vehementis Spiritus impulſu obſtruant meatus. Diuerſa res eſt, vbi cutis primùm molliatur, atque ſolidæ partes: habet nanq; frictio vim molliendi, obdurandi, impinguandi, & diſſoluendi, dicente Hipp. lib. κατ' ἰητρεῖον, frictio, dura ligat, mollis ſoluit, magna reſoluit, mediocris craſſeſcere facit. Meminit autem in hac diuiſione quantitatis & qualitatis frictionis. Ad quantitatem attinent magna & mediocris, ad qualitatem verò dura, & mollis. Neque taxandus venit Hippocra. quòd magnæ & mediocris

Exercitatio.

Exercitatio cibus præcedat.

Frictio præparatoria.

Frictionum genera.

frictio

frictionis meminerit:prætermiserit autem paruam: neque quod duræ & mollis meminerit, & prætermiserit mediam. Non enim generis frictionum extrema ac media prosequitur: sed earum mutationum, quas in nobis efficiunt: magna autem & mediocris extremas efficiunt mutationes. Siquidem magna trahit quidem primùm sanguinem ad partem, deinde ipsum discutit, atque perinde resoluere dixit. Mediocris verò nõ dissoluit, sed trahit & attracto frui permittit, atque ea ratione impinguat. Cognitis autem his effectibus extremis facilè erit, agnoscere medium, quod neque extenuatio est, ac dissolutio, neque incrassatio: cognita quoque erit frictio, quæ id efficere valeat, nempe parua: etiamsi Hippo. eiusdem non fecerit mentionem. In diuisione verò, quæ attinet ad qualitatem, meminit duræ ac mollis, quæ extremæ sunt: non tamen ea ratione, sed quatenus extremos inducunt effectus, dura nanque ligat, mollis verò soluit. Cognitis autem his extremis contrariis à contrariis denominatione frictionibus euenire, medium à medio procedere, nemo ignorabit. At verò cùm Hipp. Laconismis vti soleat, eorum tantùm mentionem magna ex parte facit, per quæ omnia assequi sit facile. Accedit statim exercitatio, quam hæc tria in corpore necessariò sequuntur, membrorum duritia, ob partium vehementiorem attritum, genuini caloris augmentum, Spiritus concitatior motus. Ad hæc verò magna sequuntur cõmoda. Nam ex duritiæ membra valida redduntur ad reliquos motus, & minus ab eisdem & similibus læduntur: consueta nanq; multo tempore minùs inconsuetis molestare solent. Ex caloris augmento omnes naturales functiones felicius perficiuntur, attractio potissimùm & coctio, & nutritio: deinde verò solidorum mollitio ex humectatione: humidæ verò partes attenuantur, & meatus laxantur, Spiritu quoque vehementius concitato, pelluntur excrementa, & meatus exigui purgantur. Hæc nouit Hippo. lib. 6. de Mor. popu. par. 5. dicens. Labor articulis & carnibus, cibus & somnus, visceribus: labor enim articulos roborat, & carnem auget, delato sanguine per vniuersam corporis molem: cibus verò recẽs sumptus alit viscera, vti ventrem, & somnus viscerum functiones coadiuuat & perficit. Et Plato in Timæo dixit: Exercitium roborat, quies verò contabe facit. Contabescunt enim & extenuantur membra omnia dimissis exercitationibus: aluntur tamen & roborantur abundè, vbi commodè exerceantur. Quod non tantùm in corporeis motibus verum esse nouit Plato, sicuti & nos, qui partes corporis paralysi laborãtes, aut conuulsas tabescere sæpe vidimus. Sed in motibus animalibus, in dialogo Thæetetus, vel de scientia, inquit: quid corporum habitus? an nonocio & torpore corrumpitur, exercitatione autem motúque plurimum conseruatur? Animæ quoque habitus disciplina & meditatione, quæ motiones sunt, doctrinas consequitur, seruatur atque perficitur, ocio autem, idest, negligentia & pigritia, nihil penitus discit, & si quid didicerit, obliuiscitur. Si itaque oculus visum amiserit, aut auditus audiendi munus, cõtabescent celerrimè, sicuti & genitales partes marium & fœminarum diutius ocitantes, tenues, languidæ & inualidæ ad sua obeunda munera redduntur. Vt itaque corpus motu & exercitatione vegetum redditur, ita studio literarum anima alitur, & inualescit, atq; ad similia allicitur agenda, & facile ferenda: nam & memoria culta augetur, ocium verò corporis ventrosos efficit homines, pigros & segnes, inualidos & inertes. Prętereа calorem ocium refrigerat, & extinguit, pituitam auget, corpus excrementis implet, ad quæ innumeri sequuntur morbi: sic etiam qui literarum studio non applicat animum, segnis est & turpis, neque eorum quæ suæ sunt conscius, neque reipublicæ gubernandæ aptus, sed vt Homerus inquit.

Exercitationem quæ sequuntur.

Ocium quæ mala offert animæ & corpori.

Μητ' ἰνὶ πολέμῳ ἰναρυθμος, μητ' ἰνὶ βουλῇ.

Hoc est, neq; bello, neq; consilio aptus. Quamobrem illas exercitationes summè laudandas antiqui voluerunt, quæ corpori sanitatẽ, & animę oblectamentum afferant: è quorum numero est ludus paruæ pilæ. Inter exercitandũ verò

Digitized by Google

Exercitium quæ efficit mutationes in corpore.

corpus vniuersum intumescit, color floridus apparet, qui in summa residet cute, & membra sensim ad motũ habiliora redduntur, sudor etiam calidus quandoque elicitur. Atq; tandiu exerceri decet, quandiu hæc seruantur: cùm motuum æquabilitate. Finire tamen decet exercitium, vti Hippo. dixit, in omni corporis motu, cùm cœperit quis dolere. Gal. tamen finem exercitio imponere docet, cùm aliquod eorum quę diximus mutari videatur: vti si corporis moles contractior appareat: reddetur enim deinde corpus gracilius, & aridius, & ad incrementum minus habile: sic & si coloris gratia euanescat, ne corpus dissoluatur & frigescat. Præterea si motuum continuitas, alacritas & contentio, atque æquabilitas flaccescant, remittantur, & collabantur, sicuti & si sudoris quantitas aut qualitas mutetur. Exercitationem sequetur recuratio, quæ minoribus & blandioribus motibus perficitur, párq; est ipsius corporei motus, & olei perfusio, quæ partes corporis humectat, & recreat, sunt verò exercitationum multa genera, lucta, pancratium, pugilatus, cursus, saltus, armorum meditatio, disci iactus, aut per alteres, quod vocant, pondere aliquo manibus sublato, seruato corporis habitu, ludus pilæ magnæ, aut paruæ, summis manibus decertare, trocho ludere, ipsum flagello agitantes, aut intra centũ pedum spacium certamen committere, quod ἐστλιτρίζειν dicunt, aut vbi quis summis pedibus ingrediatur, manibus in sublime erectis, antè ac retrò agitatis, quod appellant πίσυγίζειν, aut inaniter brachia iactare, quasi cum vmbra certantes, quod appellant σκιαμαχεῖν: & siquis alterũ à loco dimouere cõtendat, aut contendenti validè repugnet: aut siquis manus vehementius cõprimat, aut alter easdem dispecere contendat. Sunt etiam exercitationes multæ, quæ opus & laborem habent adiunctum, vti fodere & remigare, arare, iter agere, equitare & armatum pugnare. Differunt autem prædicta genera exercitationum propriis differentiis: nam aut sunt robustæ, aut imbecillæ, vehementes, aut leues. Potissima verò differentia est, quæ ex celeritate & tarditate desumitur: quibus accedunt motuum cõtinuitas aut interciſsio, ordo, aut deordinatio, æquabilitas, aut inæquabilitas, & breuitas, aut prolixitas, & quòd cum puluere, aut sine ipso fiant. Præterea ex exercitationibus quædam quasdam partes magis aliis fatigãt, & motibus agitant, quasdam minus, veluti saltus crura & lumbos magis: quæ summis manibus exercetur, manus magis. Paruæ pilæ ludus maximè laudatur, quoniam vniuersa corporis membra ferè pari mensura exercentur: in magnæ nanq; pilæ ludo brachia plus iusto laborent: in ludo siquidẽ pilę paruæ adsunt saltus, cursus, brachiorum agitatio, celerior erectio, atq; depressio corporis, ceruicis firmitas, & oculorũ intentus aspectus. Nec putare, decet nostrum paruæ pilæ ludum esse eundem, qui à Galeno ex instituto paruo quodam opusculo laudatur: in illo enim adesse debent palæstrici cõplexus & frequentes, colli prehensiones, quorum neutrum in nostro ludo paruę pilæ adest, in quo vetitum est lege ludi, aduersarium apprehendere aut cohibere, aut amplexari: sed est Gal. ludus paruæ pilæ qui apud nos velorti dicitur qui à prædicto parum differt. Nos tamen non omnem pilę paruæ ludũ laudamus, sed eum quo non contenditur de gloria aut pecunia, nam vbi de aliquo horum contenditur, omni sanitatis seruandę ratione posthabita, homines seipsos vehementer fatigant, neque celeritatis, neq; vehementiæ, neque temporis modum seruantes. Hac tamen nostra tempestate nemo est, quod sciam, qui modũ seruet in prædictis exercitationibus, aut qui salutis tuendę gratia exerceri decreuerit, neq; quisquã balneis vtitur: balnearum nanq; vsus ferè in totũ periit. Pilæ tamẽ ludus opus & labor apud homines est, quo pecuniã lucrantur. Qui verò id exercitij genus sibi eligunt quandoque multis diebus continuis ab eodem abstinẽt, & deinde aliis multis ad idem redeunt, nulla tẽporis ratione habita: sed nunc quidem manè, nunc autem vespere, nunc quidẽ ante prandiũ, nunc verò post ipsum, nec longè ab eodem. Prætereà finito iam ludo non sine magno labore, ac salutis dispendio, nec præcedente præparatione, nec sequente

Exercitationum genera.

Paruus pilæ ludus noster alius erat Galen.

recura

recuratione,aut leuioribus motibus,copiosam aquam bibunt,& sępe frigidissimam,quæ ventrem lædat, & thoracem valde refrigeret,& nondum detersosudore,sine delectu aeri se exponunt,aut vento frigido.Quòd si eosdem ex labore lassatos atque confractos,rursus alter prouocet, statim se ad opus accingunt, veluti ab initio. Quapropter cùm intelligam paucos admodum auscultare,aut Galen. aut nostra de exercitationibus pracepta, breui eadem absolnere decreui.Paucissimi siquidemsunt,qui sibi tantum viuant,irrepetibilibus namque negociis ferè omnes adstringuntur, quibus exercitij genus, aut horam,aut numquam,aut raro eligere licet. Erit enim de balneis & exercitationibus multa percurrere, quod est in prouerbio, Arenæ semina mādare:omnibus tamen id admonitum esse volumus,vt qui sibi viuunt,& sui corporis integrum dominiū habent,& inculpata sanitate fruuntur, quotidie ante prādium depositis ventris & vesicæ excrementis,aut saltent,aut pila ludant parua,modica quadam celeritate, sine magna contentione,donec respiratio in magnitudinem, & celeritatem & frequentiam mutata sit, aut lassitudinem sentire incipiant, aut sudore pauco cutis madescat, aut Galen.præceptum dictum de sudore seruent. Vespere verò ante cœnam deambulatione paulò celeriori vtantur, idq; in spatio 20. passuum aut longiori,in breuiori enim caput,oculi & animalis spiritus in gyrum vertiginis modo aguntur. Aut equitantes longius incedant, equitatione namque spina erecta tenetur, ac lumbi laborant, sicuti & ceruicis musculi, & feminum, potissimum quibus costis equi corpus affiginus, laborat quoq; totum eius,& viscera omnia agitātur,& concutiuntur,& excrementa transfunduntur deorsum, & sanguis in totum diducitur corpus. In lectica verò gestari aut curru,aut nauigatio minus bonum est, præter id quòd nonnullis vomitum cient: quibusdam verò caput interturbant, membris nondum probè motis neque exercitatis. A` prandio quiescere per horam decet,deinceps verò mollibus passibus incedere,vtcibus ad imas ventris partes descendat,quòd à cœna ante somnum facere nihilominus oportet. Hic etiam summo manè caput pectine scalpat, retrorsum, manus, faciem,& ceruicem frigida abluat, & linteo asperiore detergat, & os colluat:is quoque verno, aut æstiuo tempore singulis hebdomadis, præhabitis necessariis, balneum tepidè ingrediatur,in quo cutis sordes deterget,hyberno tamē tempore atque autumno manè ieiuno ventre depositis excrementis ventris & vesicæ,corpus sibi fricari linteis mollibus modica compressione ac celeritate præcipiat,eiusdem etiam admonemus eos,qui literarum studio incumbunt, si eis id facere per tempus cōcessum fuerit,reliqua vt prædiximus deinde agent. Illi verò qui cùm inculpata fuerint sanitate, aliis ministrant, aut in foro causas agunt,aut rempublicam gubernant,aut sibi & suæ familiæ laborantes victum quæritant, eorundem quæ dicta sunt,occasionem arripiant: interim tamen,aut validioribus exercitationibus excrementa discutient non sine sanitatis labe,aut multis iam aceruatis, eorundem euacuationem medicamentis procurabunt,veluti & neutra corpora.Galen.eos qui ministeriis aliorum impediti tenentur. Cùm liberi à domino discedunt, fricari lauari, & dormire præcipit.Qui verò nō integra sanitate potiuntur, omnino correctione egent, totámque victus rationē,& exercitationē in id dirigere oportet,vt ipsos restituamus, & restitutos seruemus.Vox præterea exercitationis species est, qua thorax & pulmo mouentur,vbi ipsa, quemadmodum de corporis motibus diximus,paulò vehementior sit:cùm enim aer attrahitur thoracis partes distēdunt:cùm autem emittitur,musculi thoracis,& ventris validè exprimunt aerem, vt impulsus vocem magnam efficiat:inde fit vt totius corporis excrementa vehementi spiritus impetu trudantur, & quandoque sudor eliciatur: quod mihi sæpissimè accidit publicè in theatro orationem habenti, aut in schola legenti:cùm enim opus est errores medicorum confutare, aut quæ vtilia sunt persuadere,aut turpis odio,aut honesti amore concitatus, vehemen-

Deambulationis spatium.

Vox exercitatio est.

tius ago & alta voce thoracis & ventris partes exerceo, quod ſaluti nõ parum conducere agnoſco: liquidem æſtate ob caloris importunitatem à quotidianis lectionibus vacans, manifeſtam in eiſdem partibus ſentio grauitatem, & quandoque per vniuerſum corpus tenſiuam laſsitudinem. Decet autem hac exercitatione vti, manè vacuo ventre à cruditatibus effatu dignis: & excrementis: aliàs compreſſo ipſo, in totum corpus diffundentur. Si verò caput excrementis plenum fuerit, fiet vt in pulmonem, fauces & thoracem diſtillent.

Exercitationes quales quibus corporibus conueniat.

Stare quoque ac ſedere exercitationum modi ſunt, hoc eſt functiones animalis facultatis mouentis ad quam nõ tantùm à loco mouere attinet, ſed in loco partem firmam tenere. Stantibus igitur, dorſi & crurum muſculi laborant: ſedentibus verò dorſi. Motum itaque corporis adeò validũ, vt res ſui rationem dicto modo mutet neceſſarium eſſe ad ſanitatis tutelam omnes fatentur, non tamen omnibus conſimilem deberi: liquidem non omnibus eadem ineſt temperatura, & excrementorum copia, neque in omnibus pari facilitate diſcutiuntur excrementa, aut ſanguis transfunditur membris. Exercitatio nanque celeris valde accendit calorem, non tamen diſcutit copioſum excrementum: id enim non tantùm validum calorem exigit, ſed viam qua diſcutiatur. Ob pororum itaque corporis anguſtiam, non niſi ſenſim excrementa diſcuti poſſunt, & multa longo tempore, neque calor maior multo, poteſt ad portionem tempus reſcindere, non admittentibus meatibus excrementorum tranſitum: exercitatio tamen longa, & quæ intermiſsionibus multis fit, nõ valde accendit calorem, ſed multa excrementa ſenſim diſcutere valet. Quòd quidem corporibus temperatis, temperata exercitatio debeatur, longitudine & celeritate, notum eſt: neque enim egent magna caloris accenſione, nec magna excrementorum diſcuſsione, quorum alterum celeri, alterum longa exercitatione fieri diximus. Sed omni moderamine, veluti & in omnibus cauſis non naturalibus. At quibus exercitationibus vti debeant calidiora, & quibus frigidiora, diſquirere opportunum eſt. Non enim videtur exercitatio corporibus natura calidis conueniens: corpora enim iuſto calidiora refrigeratione egent, dicente Hippo, libro ſexto de Mor. pop. par. 4. In calida natura refrigeratio, aquæ potio, & quies. Præterea qui calidam habet temperaturam iuxta extremum, quauis leui adhibita exercitatione incaleſcet amplius, & à latitudine ſanitatis delabetur. Præterea faciliùs diſſoluuntur excremẽta corporis quàm eiuſdem ſolidæ partes: ſed calor temperaturæ optimæ, aut calidæ, aut etiam frigidæ, poteſt membrorum ſolidorum ſubſtantiam diſſoluere: poterit igitur & excrementa. Iam etiam ſi & calida & frigida corpore excrementorum diſſoluendorum gratia exerceri debent, frigida maiori omnimodo exercitatione egebunt. Siquidem in ipſis excrementa plura ſunt, & calor diſcutiens minor, nec fiet per ſimilia conſeruatio. De his tamen, quę habenda ſunt, facile erit inuenire. Ex calidis nanque corporibus quædam prope temperamentum ſita ſunt, quædam longè ab ipſo. Ex hominibus verò qui longè à temperamento abſunt, quidam actionibus nonnullis vitam tranſigunt, & quidam nihil tale facere inſtituerunt. Calidis igitur qui longè à temperamento abſunt, & proprias ſibi elegerunt actiones ad vitam, vel illæ tantùm exercitationis loco ſatisfacient, ad ea quibus exercitatio accommodata eſt, illis verò qui ſimili ſunt temperamento, ſed in ocio degunt, breues quaſdam, neque celeres exercitationes præcipere decet, ne excrementis impleantur: diutius autem quieſcere eis erit ex vſu quod Hippocra. docuit, quietem ipſis conuenire dicens: non quòd omnino exerceri non debeant, ſed quòd ipſis ſua munera ſint ſatis, aut quòd parum eos exerceri deceat, quietem tamen valde longam eiſdem conferre, quos potiùs permutare quàm conſeruare intendit. Qui verò non valde calidi ſunt, exerceri debent celeribus exercitationibus, nõ longis, quoniam maior calor breui, excrementa diſcutit, præſertim quæ multa non ſunt, vti in corporibus natura calidioribus. Neq; oportet longis exercitationibus

Exercitia temperatorum.

nibus calida corpora seruare, quoniam in eadem facile ducuntur: nam corpora calida à longioribus motibus sunt arcenda, & frigida ad eosdem sunt stimulis proritanda, sitque, eorundem corporum per similia cõseruatio. Nam celeriter eosdẽ exerceri decet, nec multis intermissionibus. Id verò calorem validum accendit, & accensum similitudine seruat: frigidos autem exerceri decet tardis, sed longioribus exercitationibus, quæ non accendunt valde calorem, & si interim se ipso maiorem reddant, longitudinem tamẽ copiosa excrementa, & crassa dissoluent. Neque ex his colligere licet calidis in extremo, nullo modo exercitationem conuenire, vel à sanitatis limitibus egressurum: nam eorumdem sanitas limitibus quibusdam circũscribitur, intra quos quiescentes frigidiores sunt: moti verò calidiores, sed sani, atque ea de causa nullam validam motionem ferent, aut sufficerent eisdem motus, quos sibi ad vitam instituerunt, aut alij eorumdem loco forent subrogandi, qui exercitationibus adscriberentur. Neq; damnãda est exercitatio, quia sine ipsa calor solidas partes corporis dissoluere valeat, id enim longissimo tempore calor facit, quod sentiri possit. Quòd si excrementa seruarent, copiosissima interim aceruarentur. Ne igitur id eueniat, expedit interim commodis exercitationibus, vti quæ longè magis proficiunt excrementorum dissolutione, & sanguinis digestione per membra quàm noceant solidorum membrorum, aut etiam spirituum diffl ationc, quos reparare facile est oblato sanguine, & viuificato calore. Adde quòd calidis etiam corporibus robur addit articulis, quod ad minus patiendum per exercitationes similes maximè proficit. Et propterea dixit Hippo. Apho. 49. sect. 2. consueti solidos labores ferre, & si sint imbecilles aut senes, non consuetis fortibus atque iuuenibus facilius ferunt. Et rursus Apho. 50. inquit. Quæ longo tempore consueta sunt, & si deteriora fuerint, minus inconsuetis molestare solent. oportet igitur etiam ad insueta transire. Duo hæc scribens ad sanitatis conseruationem valde necessaria. Alterum est, consueta minus molestare, alterum verò, præcipit ad insueta transire. Primum non tantùm in exercitationibus verum habere voluit Galen. in Com. sed & in omnibus causis non naturalibus, docente experimento ab aere fugido minus lædi eum qui eidem insueuit: valde tamẽ læ di ab eodem, eum qui perpetuò in aere calido degit, adapertis poris cutis, qui facilè admittẽt aeris frigidi ingressum, & alterationem. Præterea in exercitationibus, is qui saltui, aut cursui tantùm assueuit, molestè fert equitationem, & is qui nunquam currum ascendit aut lecticam molestè fert gestationem in ipsis: qui verò ludo pilæ & nulli alteri exercitationi insueuit, luctam ægrè fert. Sic etiam in cibis notissimũ est, quàm molestè, & quanto cum detrimẽto salutis Philippus magnus Hispaniarum & Angliæ rex ferat piscium esum, quibus nec assueuit, nec assuefieri potuit: cùm tamen vẽter ex natura caloris facilius superet piscium, quàm volatilium, aut pedestrium carnes. Quamuis itaque aliquod, exercitationum genus, deterius sit altero, is qui deteriori assueuit & non alteri, à deteriori minus lædetur. Qui etiam prauis cibis, non valde talibus assueuit paulò tamen meliores non degustauit, à deterioribus minus lædetur, quos in consuetudinem duxit. Quapropter consilium Hippo. est, non semper in eadem consuetudine permanere, sed omnibus assuefieri, vti calidis & frigidis, carnibus, fructibus & oleribus. Pauciscimi siquidem homines sunt, quorũ vita adeò sit limitibus quibusdam definita, vt nulla eisdem possit offerri occasio trãseundi ab eis cibis quibus assueuerunt, in alios, & ab vno in alterum aerem diuersæ temperaturæ, & ab vno in alterum exercitationis genus. Ne itaque mutationis noxas sentiant, vel eadem non adeò molestè ferant, decet ad inconsueta transire, & singulis assuefieri. Cùm igitur primum verum statuat Hippo. nempe cõsueta quamuis deteriora, minus molestare, secũ dum facilè colligit, præcipiens ad inconsueta transire. Idem etiam præcepit Celsus lib. 1. cap. primo, dicens. Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligatus esse legibus debet, ac neque

Consueta minus molestant.

medico

Consueta quare minus ladant.

medico,neque alipta egere. Cæterùm non parum dubium videtur, nec facilè intelligi potest, quidnam sit in causa, vt ea quibus assueuimus minus nobis noxa sint:cùm enim quis calidis insuescit,dubium est, an aliquem relinquant factum in corpore: si enim nihil relinquunt, quare dicitur corpus assuetum? Rursus si nihil relinquitur ex rebus quibus assueuimus, non est cur minus ab eisdem quàm ab aliis lædamur:cùm hæc de quibus loquimur causæ naturales sint.Præterea Gale.in Com.Apho.citati ex ciborum vsu similitudinem quandam relinqui dicit,ob quam familiaris cibus facilius mutatur:in symbolis autem facilior est mutatio.Quod si ex calidorum vsu dispositionem aliquam relinqui dixeris,nõ perinde fiet vt à similibus minus corpus lædatur. Nam cùm semel simile factum fuerit,maiorem habebit ad patiendum promptitudinem: cùm non omnino simile sit. Rursus si ex rerum frequenti vsu quidpiam relictum fuerit,id erit consuetudo, siue habitus:aut ergo omnino in naturalibus facultatibus habitum generari est impossibile, aut si is generetur, potentiam ipsam inducet in similes actiones,cis à quibus fuit genitus, non tamen ad minus patiendum, quidpiam proderit. Rursus Galen. in Com. eodem consulit, contrariis assuefieri:at vero impossibile est, in eodem corpore contrarias dispositiones induci,& contrarios habitus, aut contrariis simul insuescere: sed secundo aduenientes, primum perire docet, contrariis actibus accedentibus. nihil igitur proderit contrariis vti.Præterea lib.2.de Motu muscu. Gale. consuetudinem asciticiam quandam naturã in esse dixit:nullustamen contrariis naturis afficitur. Verum vtique est, atque firmum,quod Hippo.docet,decere consuetudinem permutare,ne subitò quis cogatur incidere in id cui nõ assueuerit à quo lædetur:quamuis seruandam esse consuetudinem,& cibos consuetos facilè superari,secundo lib.de Ra.vict.acu. Hippo.cum Gale.asseruerit,sicuti & secundo lib.Prog.Com.15.Est enim consuetudo asciticia quædam natura.Decet autem consuetudinem seruare, & omnibus assuefieri: non enim hoc illi aduersatur.Qui enim cibis assueuit tenuis substantiæ,& non aliis,aut carnibus galinarum,&nõ aliis, id seruare debet:at verò eidem expediet transire ad diuersæ naturæ cibos, vt omnibus insuescat,sed id sensim facere oportet,ne interim subita quadam mutatione facta,manifestè lædatur.Quod Hippocr,admonuit lib.6. de Mor.pop.par.2.sect.29. dicens: Contraria sensim adhibere conuenit,atque interquiescere. Quam sententiam de consuetudinum mutatione audiendam vult Gale.in Com. idque in iuuentute facere, aut ante ipsam nõ in senectute oportet.verum etiam est, hominem minus molestari ab assuetis,quamuis minus bona sint:causa verò non satis constat.Galen.etenim nunquam ipsam scriptis mandauit,quamuis inquirendi præbuerit occasiones.Porrò Gal.placitis cõsonum est,& rationi, & vsu dispositionem aliquam, siue habitum relinqui. Gal.nanque inquit:cibi ac potus naturam aduẽtitiam efficiunt:maximè quidem in ventriculo, cum hoc verò & in aliis partibus. Nam &si maximè vincantur & transmutentur à corpore, ipsum tamen quodammodo pro sui natura disponunt. Itaque processu temporis multa fit permutatio ac similitudo nutritorum ad nutrientia: rationi verò quàm maximè consonat. Impossibile enim est naturalia agentia coniungi & diutius vincta manere,quin diuersam habentia naturam ab initio ad finem quadantenus similia euadent,ac suarum qualitatum consensus fiant,Quid autem sit quod in singulis consuetudinibus adquiritur,cuius gratia minus à consuetis lædimur, & quomodo possibile sit cõtrariis insuescere, nondum satis constat: Scire tamen oportet ex vsu rerum aliquando naturalem temperaturam mutari, quo tempore natura & consuetudo coincident in vnum. Quandoque verò consuetudo dispositionem afferet, aut ex nimio vsu habitum, seruata natura,in quibus nonnunquam fit vt consuetudo contraria naturæ sit, Sed iam quamobrem ab assuetis minus molestemur,dicamus. In exercitatione quidem notum est articulos obdurari, & obduratos minùs molestari per exercitationes similes.

Cõsuetudinẽ mutare.

Digitized by Google

similes. Præter id quod natura ad partem motam transfundit sanguinem & spiritus, quibus instrumentis ad functiones vtitur. In ocio pituita augetur & quandoque articulos occupat, cui si assueuerint, minus ab ipsa patientur, de qua ea erit ratio, quæ de ciborum cõsuetudine dicetur. Aeri præterea callido ac frigido assuescere oportet, qui enim calido tãtum assueuit, valde à frigido molestabitur, tũ quod meatus raros, à calido aere factos facilè peruadet, tum quod magnã inferet in cõtrarium mutationem, Quod si calido & frigido aeri assuescat, cutis obdurabitur à frigido, & deinde minus ab vtroque patietur. Sed obiiceret aliquis contra hanc nostram atque etiam Galen. sententiam. Nam si à frigido aere cutis obduratur, ita vt ab vtroque deinde minus patiatur, ei tantùm assuescere foret tutius, quàm calido tumul: calidus enim posset duritiem emolire, nihil autem ad obsistendum iuuaret, dicemus, Aerem frigidum obdurare cutem, & calidum dissolutione quoque siccare, & ad obsistendum proficere: quibus accedit, quod de cibis dicendum est: minus enim molestãtur qui à cõtrariis pasi sunt. In cibis rursus qui calidis, frigidis, duris, mollibus, fructibus, & oleribus, carnibus, & piscibus assueuit, ab eisdem minus molestatur: relinquunt enim in corpore dispositionem quãdam, ob quam minus ab eisdem oblatis patiuntur. Hæc quidem consuetudo est siue habitus. Poscũt igitur dices, naturales facultates corporis assuefieri, siue habitus adquirere, si ob habitum melius vincuntur assueti cibi, quod omnium philosophorum sententiæ repugnat. Non enim lapis celerius descẽdit, etiam si millies descendat, neq; calor vehemẽtius calefaciet, etiam si milliescalefecerit. Sed id coniicere oportet, quòd naturales facultates mutatione habitum adequi possunt, & ad agendum promptitudinem. Si enim lapis descendens sæpe grauior fieret, assuescceret vtique, ac perinde celerius descenderet: sic etiam si ventriculus ex vsu calidorum, calidior redditur, assuescit equidem, & deinde vehemẽtius calefacit. Hæc est ad agendum habilitas. Rursus si id cui assuescimus, similem sibi in corpore relinquit qualitatem, in actione qua à corpore mutatur, facilius mutabitur: quoniã minus dissimile est corpori assueto, quàm non assueto, cum quo non habet eam familiaritatem. Assuescit quoque corpus & eius naturales facul. ad minus patiẽdum, quia quæ magis similia sunt, minus inuicem alterantur, tale est corpus assuetum cum re cui assueuit. Animales autem facultates assuefieri nullus in dubiũ vertit: nam ingenij exercitatione fiunt homines ingenioſi, & memoria culta augetur, & digiti citharœdi exercitatione habiliores redduntur, sensus externi minus patiuntur ab assuetis, ob relictum similem sensibili dispositionẽ Falsum autem est, minus sentiri, quia ad assueta imaginatio minus aduertit, & risum fieri à manu aliena, non propria: quia aliena non aduertenti occurrit, idque ad risum concitandum esse necessarium. Primum falsum est, ea ratione consueta minus sentiri, quia non aduertit sensus: nam qui assueuit aeri frigido, ei occurrens, quamuis attendat, minus ab ipso patietur, quàm incõsuetus. Secundum quoque falsum est. nam vbi duo inuicem titillationem inferre sibi ipsis colludentes conentur, quamuis summè attendãt, titillatione cõmota ridebũt. Quinimo nonnullos videbis sola specie titillationis oblata digitis alterius ad risum cõmoueri. Quosdam etiã videbis summa cum aduertentia, titillatione commota præ risu animo fere linquentes. Falsum etiam est, assuetos ferre labores corporeos, eosdem facile perferre: quoniam fibræ contrahentes musculos, ex frequenti motu dispositionem sunt adeptæ, quæ ad contrahendam inclinant. Nam quemadmodum fibrę flectentes crura, inclinant ad flexionem, ita contrariæ ad distensionem ex frequenti distensione, contracta in eis dispositione, ac perinde nihilo faciliùs quàm antè, motiones facient. Dicemus tamen ex motu frequenti faciliùs prę-ferri labores, quoniam musculi indurantur, & nerui mouentes copiosum spiritum recipiunt, ei in motibus musculi minus dissoluuntur, quã molles nerui, & musculi qui motibus non assueuerunt. Sed rursus obiicies, Sint duo, quibus

Facultates naturales assuescunt.

par insit robur neruorum & musculorum. Alter autem cõtraxerit id à natura, vti iuuenis & robustus, alter exercitatione, fieret vt pariter perferrent labores contra Hippo. qui cõsuetos facilius perferre labores dixit, quamuis sint senes & imbecilles, iuuenibus & fortibus. Nihil obstat: quoniam senes, & imbecilles esse, ad iuuenes & fortes collatione facta est intelligendum in omnibus, præterquam ea in re de qua agimus: nempe in musculorum robore, quod senibus, & aliàs languidis, exercitatis tamẽ, inesse putandum est. Adde quòd æquè robusti, si fuerint, exercitatus & assuetus magis valebit, ob copiam spirituum & sanguinis, quam natura ad musculos mittere consueuit, ventriculus verò cibos familiares absque robore faciliùs mutat, ob symbolum & familiaritatem. Rursus dubium videtur: si nanque verum est, ex consuetudine calidorum, & frigidorum, & aliorum, dispositionẽ aliquam sequi, ob quam eadem faciliùs feruntur. Ponamus duos, quorum alter calidus natura sit tribus numeris, qui ex cõsuetudine frigidorum ad duos deducatur caloris numeros, alter sit vno numero calidus, sed ad duos ducatur calidorum vsu, isti similem habent dispositionem, ergo similia exposcent, vi consuetudinis ad idem deducti: cæterùm alter calidis, alter frigidis assueuit. Ad quod cum distinctione sic facilè respondebis: aut enim ex vsu calidorum & frigidorum hi duo amiserunt naturales temperaturas, aut secus: si non, calidus tribus numeris ratione temperaturæ naturalis, calida exposcet, & ratione consuetudinis frigida, alter vtraque ratione calida. Si verò temperaturis naturalibus corruptis, in mediũ illud duorum graduum caloris deuenerint, quamuis temperaturę ratione similia exposcant, vi consuetudinis, assuetus frigidis, frigidis egebit. Licet enim natiua temperatura calida sit, quæ in solidis consistit partibus, ex vsu tamen frigidorum sanguinem, & spiritũ frigidiores habet, qui frigidis assueuit. Vitalem præterea facultatem assuescere ita fit. Qui irasci sæpe solet, sanguinem cordis calfactione & ebullitione parat ad rursus irascendum: præterea qui frequẽter irascitur, frequentes & leues occasiones, vt graues & molestas ęgrè fert, indignatur, & vindictam assequi cupit, quod est irasci. Et qui ob leues occasiones irascitur, sæpe irascetur, & iram sine noxa feret. Qui tristitiæ assueuit, melancholicam adauxit, quæ rursus animum ad tristitiam allicit. Gaudium sanguinem auget, & perinde lætitiam adducit: illud tamen dubium est nondum solutum, consideratione tamen, & explanatione apprimè vtile. Quo pacto fieri poterit vt contrariis simul idem corpus assuescat, si consuetudo in dispositione, aut habitu relicto consistit? id modo considerandum. Quæ corpori offeruntur, aut primas qualitates actiuas inducunt, aut alias ab eis, veluti cibus calidus, calorem inducit: sed præterea etiam crassum aut tenuem generat sanguinem, & deinde carnem eius naturæ, præterea distendit, aut contrahit, obdurat, aut mollit, rarefacit, aut dẽsat. Quod quidem ad primas qualitates actiuas attinet, qui calidis ac frigidis insuescit, non adquirit habitum caloris, & frigoris, qui nihil aliud sunt quàm caliditas facta, atque habituata, & frigiditas facta, atque habituata, quas duas mediam latitudinem excedentes, habere est impossibile: In medio autem aut iuxta ipsum, ipsis etiam corporibus, citra consuetudinem adsunt. At cùm aliquis solis calidis assuefit, habitum calidum tantùm assequitur, & calidis non lædetur, ob similitudinem: à frigidis tamen valde mutabitur: sic etiam si frigidis tantùm assuescit, habitum assequetur frigidum, siue factam frigi. & à frigidis minimè lædetur: calida tamen valde mutabunt ipsum. Quod si calidis simul assuescat, ac frigidis in multum extremorum deducetur, sed in medio constituetur, cõtrariis pariter vtrinque trahentibus: inde verò fiet vt corpus ab vtrisque minus patiatur: quoniam, vt parte prima docuimus, temperata corpora difficiliùs in morbosos lapsus deducuntur, quoniam à nullis extremè læduntur, aut alterantur. Temperatus enim nec calidos nec frigidos cibos habet familiares, sicuti neque aliquem ex aduerso situm. Qui tamen calidis tantũ assueuit, calidus efficitur, & calidos cibos

Dubium.

hab

habet familiares, sed frigidos longè aduersos: & qui assueuit frigidis, frigidos habet familiares, sed calidos extremè aduersos, quos etiam molestè admodum feret. Sic etiam qui omnibus assueuit, nullum cibum familiarem habet. Sed nulli extremè aduersatur: atque perinde omne cui assueuit, citra magnũ laborem mutat. Adde quòd qui calidis & frigidis cibis assuescit, calidis & frigidis humores habet familiares. Deinde quantum ad alias qualitates à primis attinet, si caro genita non valde dura, nec valde mollis est, nec extremè crassa, tenuis, aut compressa, aut laxa, non lõgè abest ab his cibis, qui aliquid horum facere possiunt, quamuis nulli eorum sit omnino similis: verùm qui carnem tenuem habet, familiares habet cibos tenuis substantiæ, difficile tamen alios vincit, aut in suam substãtiam mutat, quorum mutationes molestè feret. Præterea qui laxantibus & comprimentibus assueuit, nõ valde laxatur, aut comprimitur, ac perinde laxantes, aut comprimentes cibi, nullum extremum mutando inferunt, vti laxatis, comprimentia, & compressis laxantia: Id itaque perpetuũ existimamus, nullũ extremũ seruare, aut tenere, eum qui omnibus assuefit longo tempore, nam si alterum teneret, longa contrariorum consuetudine permutaretur, & extremum amitteret. Quod si ita est, vti constat, in omnibus medium tenere, quod contrariorum consuetudine fit, salubre est, & consilium Hippocrat. seruandum, atque ad inconsueta transeundum. Neque ea quæ in contrarium adduximus, hæc quæ modo asserimus peruertunt. Ex vsu nanque longo aut frequenti, consuetudo fit, manente in corpore dispositione fixa, simili ei cui assueuimus. Quòd si contrariis quis assuescat, media quædam dispositio firmatur, nulli extremorum similis. Hæc soluimus quæ omnibus ferè medicis ambigua visa sunt, & nunquam ab eis satis exarata. Sed iam ad institutum redeamus. Ab exercitatione cibum accipere conuenit, dicente Hippocrat. vbi fames, laborandum non est, Aphorism. 16. Sectione secunda. An tamen statim sumi debeat, dubium videtur: suadere siquidem nonnulli conantur statim esse sumendum, cibus nanque refectionis gratia sumitur: reficimus tamen quod dissolutum est: sed ab exercitatione, vt valido motu, corporis vires dissolutæ sunt sunt, sanguis etiam & spiritus diminuti. cibo ergo reparanda statim erunt hæc. Præterea Paulus libro primo, capitulo vigesimo, inquit: Omne autẽ qui lassitudinibus laborant, cibo statim refici debent. At verò contrarium expedire luce clarius est: nam per exercitationem, sanguis agitatur, spiritus & calor ad extremas partes effunduntur, internis partibus calore desertis: non igitur licebit cibum accipere, donec agitatio sedetur, & calor ad intima reuocetur. Id enim ad ciborum coctionem est necessarium: id quoque Hippocra. testatur de balneis loquens, lib. tertio de Ratione vict. acu. Sectione quinquagesimaquinta, dicens: Neq; confestim à balneo sorbendum, neque bibendum. Et Galen. in Comment. Quare neque ab exercitatione, neque à balneo cibos accipere liceat, rationem reddit dicens, Sedata quæ ex balneo est turbatione, tum esse, tum bibere, melius est, veluti & composita ea quæ ab exercitatione oritur. Nam cibum protinus aut potum sumere, caput replet, deuoratúmque interdum superfluitare facit. Neque obstant, quæ in contrarium adduximus: non enim decet adeò validas & longas esse exercitationes, vt ad eam dissolutionem corpus deducatur, vt protinus sine aliquo temporis interuallo cibum assumere & vires reficere opus sit. Paulus verò nostræ sententiæ minimè aduersatur: vbi enim in græcis Codicibus legitur, ἐνθὺς, id est, statim, legendum potius, ἰυχύμου, id est, boni succi. Eritque tota litera hæc. Omnes autem qui lassitudine laborant, cibo boni succi refici debent. Quod probè annotauit Oroscius vir non vulgaris eruditionis. Exercitationibus præcedentibus lassitudines sequi solent, vbi intempestiuè fiant, aut modum non seruent, aut negligantur præparatio, aut recuratio. Aliis quoque occasionibus quandoque cutis constipatur, aut meatus obstruuntur: quandoque etiam fit vt nulla exercitatione præcedente, aut

An cibus statim sumendus sit ab exercitatione.

Oroscius.

etiam nullo circa ipsam commisso errore, lassitudo accedat, ei quæ ab exercitationibus nascitur simillima, quam tamen spontaneam appellat Hippocr. quòd sine præcedenti manifesta causa accedat. De his itaque omnibus quoniam sanis hominibus, quorum sanitatem tueri oportet, eueniunt, opportunè hoc in loco dicemus. Lassitudinum tria genera sunt, vlcerosa, tensiua, & phlegmonis speciem referens. Quibus quartum addere licet, & si non propriè lassitudo sit, eam exiccatiuam lassitudinem nominant. Vlcerosa lassitudo, cùm in corpore copia acrium excrementorum acceruatur. Ea nimia exercitatione fit incalescentibus humoribus & acribus effectis, effusis, & attenuatis. Medebimur huic affectioni adhibita corporis fricatione multa, molli, & ex multo oleo, cui tamen non inest aliqua adstringendi vis: astringit autem oleum omotribes, hoc est, ex immaturis oliuis, quod græci Hispanum appellabant. Tensiua verò lassitudo, quæ exercitationem sequitur, nullum excrementum abundans ostendit, sed talem in musculis relictam dispositionem, qualis inter exercitandũ aderat: hæc autem est fibrarum eorundẽ tensio. Medentur huic affectioni, frictio pauca, mollis, ex oleo dulci ac gelido. Balneum pariter calidę & morari diutius in ipsa, aut bis etiam, térve lauari, medetur quoque eidem quies. Lassitudo phlegmonis speciem referens, vbi copiosum excrementum musculi inter exercitandum attraxerint, valde calentes fit: sentiunt tamen partes veluti contusas, & inflammatione obsessas, partim à multitudine occupatas & tensas, partim calorem & acredinem sentientes. Medentur huic lassitudini refrigerium & euacuatio. Hæc verò mollissima frictione & oleo copioso tepido fit, atque in dulci temperata aqua longior mora, multa quies, frequentes vnctiones. Lassitudo exsicatiua ea ratione lassitudo appellatur, quòd corpus ad motiones quodammodo pigrum reddit, non tamen eo modo quo in aliis lassitudinibus. Per eam verò musculi exsiccantur, & corpus squalens, contractúmque apparet, sine aliquo eorum quæ in reliquis lassitudinum generibus dicta sunt: incidit autem in corporibus refertis bonis succis, quæ immodicè exercentur, cùm non assueuerint. Medetur eidem primo die aqua calens, quæ contrahat, calefaciat, & roboret cutem: secundo verò apotherapeuticus motus, frictione molli, pauca tarda, & aqua calida, à qua in frigidam exiliat: inde enim fiet, vt corpus humectetur & recrecetur. Succedit etiam post exercitationes, στύψις, id est, angustia meatuum, quæ fit, aut meatibus obstructis, qui ad cutem sunt, aut eisdem densatis, obstruuntur à crassis, lentis, aut multis excrementis: hæc verò non aderunt his qui sani cùm sint, exercentur. Cutis autem densatur ab his quæ exsiccant, aut infrigidant, è quorũ numero est aer frigidus, cui se exponũt homines temere ab exercitatione. Agnoscitur dispositio exuto homine ex cutis tũ albedine, tũ duritiæ tum densitate: inter exercitandum verò difficilè incalescunt, & rubent, ac tument, aut sudorem emittunt. Medetur ei affectioni, inunctio ex oleo relaxante, vti anethino, valentior exercitatio, balneum calidius. Sponte quoque persimilia lassitudinum genera occurrunt, quæ redundantias excrementorum ostendunt, perinde morbos futuros prænuntiant. Lassitudo itaque spontanea vlcerosa, ab acribus & mordentibus fit excrementis, quod ostendunt qui cõqueruntur referentes se pati per vniuersam cutem quendam punctionis sensum, at si acubus multis pungerentur. Est quidem affectio, acrimonia tenuis succi ac calidi, sensus lassitudinis symptoma est: causa verò in his quæ ob exercitationem fiunt, ipsa exercitatio; in spontaneis verò, vitiosus succus. Medebimur huic dispositioni, considerantes priùs an in cute tantùm sit, neque vitiosus aliquis succus in venis abundet: tunc enim existimare oportet à causa prægressa veluti intempestiua & inordinata corporis motione euenisse, cui mederi oportet, vt diximus de vlcerosa lassitudine, & motu concitata. Quòd si citra causam manifestam euenit, intelligere oportet in venis adesse cacochimiam, cui malo Galenum succurrere docet quiete

Lassitudĩ genera.

Lassitudo vlcerosa.

Lassitudo tensiua.

Lassi. phlegmo. speciem referens.

Lassi. exsiccatiua.

Lassitudines spontaneæ.

&

& somno & sorbitione pauciſsima, ſed boni ſucci: talis enim competit omnibus laſsitudinem patientibus, & vini potu, quod ſucci corruptum eſt, ſudore & vrina euacuantes, & ſemicoctum coquere procurantes. Quibus peractis ſi profecerint, ad conſueta remittere hominem, ſin minus, ſequenti die maiora ſunt admouenda remedia: ſolet autem ipſe magna remedia appellare ſanguinis miſsionem, & purgationem: ſi itaque prauus ſuccus ſanguini admixtus fuerit, ſanguinem mittemus, aut aliam ſanguinis euacuationem tentabimus, conſtante facultate, quam ſi non admiſerit, vt fieri ſolet, (pauci enim ſunt ſani qui magnis remediis præceptis auſcultent) ventrem largè ſubducere erit ſatis. Deinde tamen venter quoque purgandus erit, id verò ab initio faciemus, vbi citra ſanguinem ſucci praui redundantia adfuerit, pro ſucci peccantis ratione, & quantitate medicamentum expurgans adhibentes: agnoſcetur autem id ex puſtulis, ſi quæ oboriantur, victu præcedenti, ætate, & tempore, & totius corporis colore, tum vrinis & reliquis excrementis corporis. Quòd ſi crudis ſuccis abundauerit, eoſdem victu ac medicamẽtis attenuabimus, vt apomelle, & aceto mulſo, & capparis ex aceto mulſo, inflatis etiam hypochondriis dia trion pepereon: à motu autem omnino abſtinebunt. Tenſiua laſsitudo, vbi ſponte eueniat, plenitudinem ſequitur, ob quam ſolidæ partes, maximè vaſa, in quibus ſucci continentur, tenduntur. Sucurrimus huic diſpoſitioni, ſanguinis miſsione: laſsitudo verò quæ phlegmonis ſpeciem refert, ab vtraq; cauſa fit, nempe vitioſo ſucco, & boni ſucci abundantia. Eſt hæc quadantenus ex vlceroſa & tenſiua compoſita. Has quandoque conſpicies ita complicitas, vt phleg. morſum & acredinem excedentem habeat coniunctam, aut ſenſum tenſionis, aut cum ſenſu vlceris ſenſum tenſionis, aut hæc ambo cum phlegmonidi, quæ viciſsim exuperantia ſe oſtendent. Sed ad phlegmonodem redeamus. Per hanc doloris magnitudo adeſt, præterea calor & muſculorum tumor: hanc ὀστίτην id eſt, oſſeariam appellant, vbi adeò valida fuerit, vt oſſa ipſa contundere videatur, vel potius obuoluentes membranas comprimere. Huic affectioni ſuccurrimus miſſo ſanguine, ad ídq; maturare oportet, atq; ad animi deliquium ipſum ducere, aut ſi primò in id non deducatur, ſecundò ad animi vſque deliquium ducemus. Quòd ſi id facere cunctemur, non multis poſt horis, ne dum duobus aut tribus diebus febres accenduntur: caliditſsimus ſiquidem eſt per eam affectionem ſanguis. Quin & ſanguine etiam detracto nonnulli in febres incidunt, ac perinde citò & multum detrahere decet. Mihi quidem iam tertiò contigit laſsitudinem hanc patienti & ſanguine abunde miſſo, febres validas ſuperueniſſe, à quibus magno negotio euaſi. Quòd ſiquis ſanguinis miſsionem per hanc laſsitudinis ſpeciem neglexerit, aut omnino morietur, aut bona fauente fortuna & medicum peritum nactus, liberabitur, nec ſine aliqua ſanguinis euacuatione, aut ex naribus, aut maricis, aut menſtrua purgatione, aut copioſo ſudore.

Laſsitudo tenſiua.

Laſsitudo phlegmonodes.

DE POTIBVS ET ALIMENTIS
SECTIO III.

TERTIO Loco de iis quæ bibuntur & comeduntur agendum nobis eſt, quæ mihi latiſsimum campum oſtendunt, adeò vt ad finem rem ipſam perducere, & tam longum iter peragrare nemo ſine magno ciborum & potuum diſpendio poſsit. Quamobrem breuitati conſulens de potibus primùm agam, deinde verò alimentorum vires perſequar, non omnium, ſed eorum quæ hominibus noſtri temporis ſunt frequentiùs in vſu. Potus autem apud omnes ferè homines ſunt, aqua, aut ſuccus vuarum, vinum appellatus, aut ſuccus pomorum appellatus ſidra, aut ſuccus ordei, appellatus ceruiſia, ac zythum, & liquor palmarum.

De Aqua. Cap. primum.

Aqua.

AQVA Vnum est elemẽtorum eorum quæ corporis humani compositionem intrant: verùm nostra præsens consideratio circa aquam versabitur, vt vnum est eorum quæ bibuntur, aut quæ tangunt nostrum corpus, & ea ratione ipsum alterant. Primum ergo de ipsa agemus, quatenus potui seruit. Hanc tamẽ seligere oportet visu, gustu, & olfactu, vt purã & syncerã à reliquis distinguamus. Nec tamen existimare oportet ob id synceram dici, quoniam nullam habet alienę substantiæ mixtionem, aut qualitatis, aut quòd purum sit elementum: sed eam nos in præsenti loco simplicissimã, & purissimam aquam dicemus, quæ sensui talis est. Nempe visu, quia limpidissima est & valde pellucida, & in qua nulla substantia extranea oculis offertur, quæ in ipsa inuehatur, gustu quoque vt nullum referat saporem, & si potabilis, dulcis dicta sit. Propriè nanque aqua pura apoion, idest qualitatis, aut saporis expers esse debet. Odorem etiam nullum refert extraneum nec fœtida est: siquidem fœtor maliciam, corruptionem, & putretudinem indicant. Sit quoque leuissima, ac perinde tenuissima: quæ enim talis est, citissimè ad hypochondria descendet, atque minimè eleuabit eadem in tumorem, in quibus parũ immorabitur, Agnosces quidem ipsam primùm pondere: nec hac potissimùm nota, sed vt Hippocr. dixit, ab eo quod citò calefit atque infrigidatur, hæc enim leuissima est. Hanc autem aquam ad potandum eligendam, in aliquo sex generum disquiremus. Sunt enim pluuiæ, fontanæ, aut fluuiales, aut putoanæ, aut stagninæ, aut ex niue, aut gelu liquatæ. Aquæ pluuiæ omnium tenuissimæ sunt, atque leuissimæ: qua propter facillimas recipiunt mutationes, suntque putredini obnoxiæ, vt inquit Hipp. lib. de Aere, & aquis: quam sententiam sequutus est Paulus: verùm Gal. eisdem contrarius videtur lib. 7. de Compositione me. per locos, in compositione arteriacæ diacodion, dicens: Aqua igitur pluuia inditur vt medicamentum putredini minus sit obnoxium: habet enim hæc aqua nimium quid in se adstringens, nec tamen puto has esse contrarias sententias. Nam Hipp. solam aquam considerauit, non mixtam, quæ ob substantiæ tenuitatem, facilè alterari & corrumpi potest. Galen. tamen ipsam misceri præcipit, in mixtione verò tenuitatem non seruat, sed astrigendi vim, qua aliis medicamentis conseruandis prodest. Paulus aquam pluuiam citissimè putrescere dixit, ob mixtionem quam habet ex diuersis substantiis. Id verò non timemus, vbi aqua compositionem medicamentorũ ingrediatur: conseruationi tamen proderit ob siccitatem. Forent quidem aquæ pluuiæ tenuitatis ratione præ omnibus eligendę, nisi haberent adstringendi vim, quam ex mixtione terrenæ substantiæ simul cum nubibus eleuatę contraxerunt: siquidem earum maior pars à mari eleuatur: aut quoniam aliquam vstionem à sole passæ sunt. Vt ergo partes diuersæ separentur, & minus putrescat, ipsam ebullire præcipiunt medici. Adstringendi tamen vis aquæ potabili indita, multis corporis dispositionibus nocua est, vt his qui ob aliquem affectum, egent detersione, aut coctione aut diductione. Est autem aquæ potissimum munus alimentorum & humorum per corpus diductio, siquid etiam à thorace spui debet, cohibebitur: & in summa, quamuis ipsa tenuior substantia sit, quàm fontana, potui minùs accommodata est, ob qualitatem & vim qua adstringit: proderit autem morbis ex fluxione. Aquæ puteanæ magnas inferunt noxas: sunt enim crassæ admodum, & graues, qua propter non nisi in profundo loco manant, nec à terra scaturiunt, vt fontanæ, viscera lædunt, & hypochondria eleuant in tumorem, in quibus plus iusto morantur, coctioni alimentorum ineptæ sunt, sicut & distributioni. Possent quidem prodesse æstuanti stomacho: verùm si sanus homo puteanam aquam bibere coactus fuerit, ipsam vino misceat, potissimum dulci, aut eam elixet, aut denique parum anisi admisceat, vt odorem saltem aqua suscipiat. Stagnantes aquæ omnes malæ sunt, putredinis aliquid habentes, quoniam quiescunt & à

Aquarum electio.

Aquarum genera.

Aquæ pluuiæ.

Aquæ puteanæ.

Aquæ stagnantes.

sole

sole alterantur,& à terra caloris susçipiunt reflexionem:quiescentes nanque aquæ mortuæ meritò dicuntur, quòd viuæ & fluent, & motu agitantur, & veluti mortuorum corpora citò putrescunt,ita & aquæ mortuæ,quin & aer ipse in loco retentus & conclusus putrescit, de impuris elementis loquimur. Diximus autem in commentariis lib.1. de Diffe.febri. An elementa putrescant, & quæ his similes sunt lacultres, quarum quædam proprios fontes habent quædam fluuiis inundantur, quædam præter id aquas à fluuiis receptas refundunt,suntque aliis lacultribus meliores,damnat has aquas Hippo.lib.de Aere & aquis. Huius aquæ malitiam ostendunt pisces,& animalcula,quæ in stagnis generantur: ex eis nanque nonnulla venefica sunt, & pisces omnino esui incommodi,& insalubres. Ego tamen si quando aquam stagnantem bibere coactus essem,vt à fæce mixta (quam plurimam habet) & limo & putredine mundarem, ipsam elixare præciperem,& cinnamomi parum ad finem infunderem, ac deinde percolarem: sine elixatione verò nunquam bibatur, nisi percolata ac deinde si fieri potest, vino mixta. Aquæ præterea ex niue aut gelu liquatæ omnium pessimæ habentur,crassissimæ enim sunt, liquidem dum congelantur,tenuior ipsarum pars effluit: cum verò in niuem concrescit, aut exprimitur pars tenuis in aquam versa, quæ cum niue descendit, aut tenuiores nubis partes in aerem transeunt, reliquis à frigore in niuem concretis. Est itaque pernicioſa aqua ex gelu, aut niue, corrigit quidem aliquatenus vinum copiosum eius malitiam. Cæterùm hęc omnino in sanitatis custodia fugienda est, præterquam valde æstuanti stomacho, quem potius curare quàm conseruare sit opus. Nam nec his est satis tuta ob circunstantia membra: verùm hac nostra tempestate, inter magnates veluti pestis quædam pernicioſa, suborta est consuetudo, apud quosdam æstate tantùm, apud alios omnibus anni temporibus, diluendi vinum niue: cùm tamen ex frequentia niuis vsu aut solius, aut vino mixtæ,maximum immineat periculum,hydropis,ac mali habitus,ex iecoris & ventris imbecillitate, & colli doloris. Quod si eorum quispiam ab his & similibus morbis liberetur, hac vna tantùm ratione id sibi euenisse putet, quòd pari modo incontinentes sint in vsu calidorum, vt piperis, zingiberis, cinnamomi, & mellis, quæ omnia niuis malitiam aliquatenus corrigunt, sed vtrunque excessum vt mortiferum damno. Doleo tamen nostri æui calamitatem: video enim luem epicuream deuastasse primùm Germanos, deinde Flandros,& Gallos, & nunc Hispaniam quoque in tirannide tenere, antiqua Hispanorum continentia sepulta. Id etiam docet vehementem mutationem quam aqua ex niue facere valet: in primis enim ventrem valde refrigerat, is verò paulò pòst,in validum calorem ac sitim mutatur. Euenit etenim eis quod iis qui manibus niuem attrectant: interim nanque valde refrigerantur, & paulò pòst ardore nimio vexantur. Has autem mutationes vehementes & subitas nunquam sine magna noxa tulit natura. Galen.equidem libro de Cibis boni & mali succi, docet niuis vsum vitare: nam etsi iuuenes (robustos intellige) nullam sensibilem noxam patiantur, inualescente ætate articulorum, neruorum & viscerum morbis molestantur, qui difficile admodum, aut nunquam tolluntur: concederem quidem ipsis, non quod omnino tutum esse putem: sed ad domandam eorum sitim,vel potius luxuriem,vt vinum & aquam in puteis infrigidatam biberent,æstatis tempore,aut in aqua & nitro: infrigidat enim hæc vinum aut aquam in vasis argenteis non parum. Neque mirandum est & si nitro (cùm calidum sit) aqua frigida mixta, vehementius quàm sola aqua infrigidet. Nitrum enim non impedit suo calore actionem aquæ, quoniam ipsum non calefacit actu, sed potestate, interim tamen refrigeratum,refrigerat, penetrat autem magis, sed tamẽ ipsius mixtura,aqua crassior quàm antè redditur, & quod frigidum est crassarum partium vehementius infrigidat. Gale.nanq; docet nullum esse exactè frigidũ,tenuium partium. Ex naturali quoq; philosophia accepimus, densiora aliis paribus validius agere,

Aquæ ex niue & gelu.

Aquarum ex niue effectus.

Aqua & nitrũ quam tum infrigident.

confert

confert quoque non parum ad refrigerium vini aut aquæ contentæ in vasis, quæ aquæ frigidæ nitrosæ immerguntur, quod ministri vasa non plena portãt, quę dum infrigidantur celeriter mouent, vt liquor contentus in vase omni ex parte contingat vas, & propius accedat aquæ ex nitro. Nam & quiuis experietur facilè, in vasis semiplenis immersis aquæ frigidæ, vbi agitentur, citius liquores refrigerari, ac magis. Aquæ fluuiales quandoque ex fontibus perpetuò manantibus procedunt, quandoque verò eis ex niuosis montibus aquæ liquatæ miscentur, quandoque verò pluuiæ: vbi aquis ex niue liquatis, aut pluuiis misceantur fluuiales, ipsarum naturam quam explicuimus, referẽt. Nunc tamen fluuialem ipsam consideremus. Ducit hæc secum naturam aquarum fontium à quibus manat, & terræ per quam incedit. Quoniam tamen non omnes fontes, qui in vnum confluunt fluuium laudabiles sunt, mixtam omnino habebit naturam aqua fluuialis. Quod verò ad terræ quam permeat naturam attinet, quid opus est dicere? Est enim quandoque argillosa, quodoque limosa, nunc quidem fœnum, nunc algam, nunc arborum diuersæ naturæ radices abluit, & multam secum defert fæcem terrenã admixtam. Quapropter in sanorum hominum custodia, nunquam fluuialem aquam bibendam concederem, nisi colligatur flante borea (tunc enim syncera ac minimè turbida fluit) & in magnis vasis reposita, triginta aut pluribus diebus quieta seruetur. Atque postea quàm fæx omnis subsederit, in vas aliud transfundatur oportet. Quòd si id per tempus facere non liceat, per mortarios lapideos erit percolanda. Ego quidem Nili aquam non noui: cæterùm quantum ab Aëtio laudatur, tantum à Galen. reprobatur. Noui tamen Tagum optimam aquam ferre, & cui nullus fluuiorum Hispaniç conferri debeat, non Iberus, non Durus, non Tormes, non Guadiana, nec qui Beticam inundant, turbidi atque cœnosi, pręter vnum Fenarium, quem absorbet Tagus, postquam irrigauit Complutum: is enim quem sibi dicandũ elegit Apollo cum musis, meritò & salutis seruandæ, & bonis ingeniis alendis fuit accommodatus: Betis tamen propè naturæ eius accedit. At si cui liceat aquis frui fontanis, non est, cur eis omissis, alias exposcat: fluuiales enim, cùm è pluribus manent, ex ipsis quædam erunt bonę, quædam malæ: fontanæ tamen selectæ inculpabiles erunt. Sunt siquidem hæ omniũ optimæ, vbi quales dicendæ sunt, seligantur. Primũ enim quæ ex petris manant, ad aquilonem versæ crassæ sunt, & graues, coctioni & elixationi ciborum ineptæ: laudabilis verò quæ versus orientem scaturit, ex terra munda, aut loco arenoso procul ab arborum radicibus: hæc enim citò alteratur, tenuis est & facilè permeat: bonitaté etiam eius ostendit, quòd hyeme calidior, vere autem frigidior scaturit: hæc limpidissima, pellucida, omníque sapore & odore priuata erit. Quòd si quempiam referat saporem, malitiam loci quem permeauit, ostendet. Erítque aut nitrosa, aut aluminosa, aut sulphurea, aut ferrea, aut salsa, aut amara. Quoniam terra salsa est, aut mineralia adsunt sulphuris, aut nitri, aut ferri, aut aluminis, aut diuersæ arborum radices. Nulla tamen harum aquarum est quæ non habeat exsiccandi vim: quædam etiam præter id calefaciunt: sola dulcis aqua infrigidat, simulatque humectat. Sed potest calorem accipere, quo calefaciat: nunquam tamen non humectabit, siue calori siue frigori iungatur, quæpropter Galen. aquam summè humidam, hoc est, maxime humidam, & primariò humidam dixit: frigidam verò non sic. Bibitur aqua ad tres vsus, nempe vt sitim sedet, ac calorem extinguat, & vt in ipsa alimenta elixentur, & vt diducat eadem. Sitim quidem sedat, vbi ex temperie calida orta sit, aut simul cum siccitate, sine humore. Nam si bilis in ventre adsit, ibidem aqua demoratur diutius, atque corrumpitur. Elixationi ciborum ita prodest, vt sine ipsa elixari non possint solida alimenta, nisi vinum aut liquor alter vices eiusdem impleat. Diductioni verò ciborũ prodest, tum ea quæ cum cibis ad elixationem bibitur, tum ea quæ iam coctis assumitur. Defert hæc cibos, in vniuersum corpus, quibus delatis iterum in renes, &

Aquæ fluuiales.

Aquæ fontanæ.

Aqua dulcis sola infrigidat & humectat.

Aqua ad quos vsus bibitur.

vesicam

vesicam recurrit, inutilis enim est alitioni, vt apud Galen. lib.3. de Ratione victus acu.comm.39. inquit enim, Neque prorsus imas partes penetrat, neque siccitatem humectat. Quòd autem non alat, antè dictum est. Idem lib.4. de Vsu partium. Rursus 4. Secti. apho. cont.13. inquit, Aqua verò neque epota, neque extrinsecus occursans, natura apta est solidas corporis partes humectare. Contrarium asserere videtur, lib.1.de Simpli.me.fa.cap.8. aquam vasorum corpora & carnosum genus humidius reddere dicens. Atque idem lib.5. de Simp.me.fa. cap.4. Præterea lib.10.de Metho.med. de balneis loquens, inquit. Secunda eius pars, vbi quis in sicco corporis affectu ea vtitur, potest madorem vtilem solidis partibus immittere, vindicabitur tamen Gale. à contradictione hac, vna distinctione præhabita. Nam bifariam aliquid humectari potest: vel per humidam qualitatem aut per substantiæ humidæ adiectionem: aqua quidem humidam qualitatem addere potest, quapropter hecticis est accommodata, & is qui inaruerunt. Humidam autem substantiam corpori addere non potest: siquidem id tantùm addit, atque adiungit corpori humidam, substantiam, quòd reficere & alere potest corpus: quia tamen id aqua nullatenus efficit, Galen. locis citatis, ipsam non humectare, solidas partes dixit, vt 4. Apho. sectio. & 4.de Ratione victus acu. Quoniam tamen simplici qualitate alterans humectat, humectare, & vtilem madorem solidis partibus immittere dixit lib.de Simplici.medi.fa.& lib.10.de Metho.me. Sed rursus obiicies, Arist. qui problem.13. sect.1. quærit: cur mutationem aquarum grauem, aeris verò non granem esse affirmant, & addit, An quòd aqua corporibus alimento est, quo iam habito complexóque, peregrinamur: aer autem nullo se exhibet alimento. Dicunt aliqui, Aristo. loquutum de aquis medicatis, quas ipse dixit multarum specierum, vt anisi, aut fœniculi, atque has nutrire. Sed falluntur bifariam: nam Aristo. de diuersis generibus aquarum, quibus vtuntur peregrinantes, loquitur, quæ etiam per se, & natura sua tales sunt. Inquit enim, Aquarum item genera multa & varia per se sunt, sed aeris minimè: itaque hoc etiam causæ esse potest: quippe cùm peregrè profectis in cælo quidem prope eodem, in aquis autem variis versari eueniat: nullus autem versatur iter agẽs in aquis elixis prædictis. Præterea aquam anisi aut fœniculi, nullus putauerit anisi aut fœniculi ratione alere, potiùs quàm puram: cùm neque anisum alimentum sit. Sed quid in his moror? Dicemus tamen, Aristo. aquam alere dixisse, quoniam alimento conducit coctioni & diductioni. Præter hæc nosse oportet, aquæ calidæ potum frequentem, catharros efficere, ventriculi imbecillitatem, atque hecticam. Potest etiam, aqua occurrens partibus corporis exterioribus, causæ salubris, aut insalubris rationem habere: nam balneum tepidum aut calidum, offerri potest, & aut natura, aut arte tale, aut etiam frigidum. Aquæ dulcis balneum tepidæ vim habet infrigidandi & humectandi, sed parum: calidæ calefacit parum, & humectat valde, quæ verò multum calida est, calefacit: sed ob id quòd meatus obstruit, cutémque obdurat, non humectat: calida ergo non valde laxat cutem, & emollit ipsam, ac perinde excrementa dissoluit, & sanguinem per corpus effundit: priùs tamen corpus in tumorem eleuat, deinde dissolutione humorum facta detumescit. Quapropter si quis diutius in balneo aquæ prædictæ permaneat, periculum incidet dissolutionis virium & deliquij animi. Hecticis itaque accommodata est aqua balnei calida, vbi deinde in frigida submergantur. Prima enim humectabit, & secũda calorem balnei, & febrilem corriget: sanis autem hominibus hac nostra tempestate non est in vsu frequenter balnea ingredi, & iure quidem: frequens enim balneum aquæ dulcis, corpora reddit molliora & imbecilla. Atque cùm pauciſsimi sint homines, qui sibi tantùm viuere aut possint, aut debeant, quacunque iusta occasione oblata, ab vsu balneorum desistere coguntur: & hanc mutationem, assueti molestè admodum ferent. Præterea iter agentes balnea ingredi, non possunt, aut ob temporis, aut balneorum inopiam. Hispanis itaq;

Aqua an alere possit.

Balneum.

ob iustas causas ratus est balneis vtus, & is ætatis tempore, vbi corpora à sordibus mundare volunt. Quibus consulo hunc ordinem seruare, vt à somno excitati, per horam prius ventris & vesicæ excrementa deponant, deinde animaduertant, ne abundent crudis excrementis in partibus ventris, neque redundent in corporibus ipsorum multa excrementa acria & mordacia: nam pauca à balnei calore dissoluentur. Docet id horror, qui enim multis acribus excrementis abundant, statim balneum ingredientes horrore tentantur. Balneum deinde ingredientur, in quo quàm diu commorabuntur, donec non amplius delectationem senserint, quàm à principio sentient, hi qui balneo opus habent. Quòd si interim etiam sudauerint, bonum erit. Domus prima aer calidus sit & vaporosus, in quo vestē deponet, deinde corpus oleo amygdalarum dulcium vnget leui frictione & molli, deinde aquam calidam ingredietur, in qua fere ad quartam horæ partem immorabitur. Egressus linteis amictus ad lectum ducetur, vbi sudabit & sudore spongis aut linteis detersus, oleo vnctus, & indutus recedet. Quòd si hecticus fuerit, quem curandum assumpseris, sudorem vitabis: sed post balneum ipsum in aquam frigidam non valde immerges. Eductum verò oleo dulci inunges corpus vniuersum, cui rei violaceum est vtile valde. Quòd si opus fuerit medicamentosam aquam efficere, quæ resoluat, calida immiscebis medicamenta, vt pulegium, origanum, thymum, aut hyssopum: si exiccare humida corpora, nitrum, sal, sulphur, & aliquando alumen miscebis: si verò cutem mollem facere velis, vt fœminæ quæ in cute curanda plus æquo curam habent, maluam domesticam addes, aut sylueltrem, aut fœnogræcum, aut lini semen. Balnea præterea aquarum sponte calefacientium, quæ balnea naturalia dicuntur, omnia exsiccant: licet ex eis quædam potestate calefaciant, vt aluminosa & sulphurea, nitrosa, & salsa, quædam infrigidant, vt ferrea, itaq; aluminosa & nitrosa morbis humidioribus accommodantur, & ex fluxione ortis. Hi sunt, podagra & articularis morbus: sic etiam & conuulsioni, & resolutioni, & frequenter abortientibus, & his quæ ob nimiam purgationem, aut humiditatis abundantiam, in vtero aut in vniuerso corpore non concipiunt. Et his qui ob neruorum incontinentiam ad labores sunt inepti, & immodicè sudantibus. Sulphurea verò aqua leprosis, scabiosis, & impetiginosis, & antiquis vlceribus prodest. Ferrea tamen iecori & stomacho languētibus auxiliatur, & bibita fluxiones cohibet. Aquarum frigidarum balnea noxis quæ ab extrinsecis causis eueniunt, proficua sunt: nam cutem obdurant, & calorem intrò reuocant, & roborant, attemperant quoque æstuantia corpora: quapropter æstatis tempore laudo natationem in aqua frigida, non valde, sed qualis est, eo tempore fluuialis, idque ter aut quater, mensibus Iunij, & Iulij in regionibus temperatis & calidis. Neque tamen id sæpius faciendum, neque in aliis anni temporibus, ne natura balneis frigidæ, aut natationi assuescat, quam dimittere postea non licebit sine salutis damno: & quoniam sæpius corpora non sunt ad id parata. Debent enim esse excrementis vacua, neque lassitudinem pati, nec cruditatem, nec multum vigilasse, neque prauis cibis assueuisse, atque nulla interna affectione aut imbecillitate laborare, ac ieiuno ventre, & fœcibus atque vrina depositis, ingredi, non sensim, sed subitò immergi. Qui enim sensim accedunt, calore inæqualiter moto horrore tentantur, & inæquali sensu. Priùs etiam corpus, duriori frictione erit fricandum, deinde exercitandum, & ante ingressum oleo vngendum, & ibidem immorandum non vltra quartam horæ partem: in aliis autem anni temporibus ab æstate, non sine periculo fiet vehementis refrigerationis. Et Vere quidem non decet impedire eum motum qui fit à natura sanguinem dilatante, & ad exteriora perfundente. Autumno verò & hyeme ad roborandum calorem & densandam cutem, satisfaciet cæli status. Inter reliquos autem, balneum frigidæ, aut frequentem natationem in ipsa, potissimùm vitabunt pueri, & qui nondum ad incrementi finem peruenerunt

Balnea aquarum sponte nascentium.

Digitized by Google

uenerunt:impedit enim corporis augmentum. Hecticis verò maraſmum ſentientibus,balneum frigidæ vtile adeò eſt, vt Gale.hanc dixerit eſſe earum curationem,lib.10.de Metho.med.non alias balnei partes.

De Vinis. Cap. Secundum.

Vina.

VINORVM Naturam, vires & differentias ipſorum dicturus, id dicendum ante omnia ſe offert, quòd quibuſdam placuit,vinum inter potus reponere, quibuſdam inter cibos:habet enim naturam ambiguam. Nam quatenus ad ſitim ſedandam, cibos in ventre elixandos, & eoſdem in corpore digerendos bibitur, potus eſt: quatenus verò vim habet reficiendi corpora, inter cibos annumeratur. Nos verò potum dicemus eſſe refectorium, quod non tantum languentes reficit vires, ſed celerrimè: Quod faciunt vina craſſa & colore rubra: nam alba & aquoſa pauciſsimùm nutriunt. Nouimus itaque vina celerrimè reficere, & reparare vires, etſi id per odores adhuc fiat celerius. Habent etiam præter alendi vim, alterandi potentiam, quapropter ſecundo ordine calefaciunt: quòd ſi valde vetuſta fuerint, adhuc tertiò, vt vult Aëtius. At verò Galenus contrarium aſſerit:nõ enim vult omne vinum calidum eſſe. ſiquidem lib.4.de Simplic.medic.facul.cap.13.inquit: Quippe cauſam ſermo ſcrutabitur, propter quam vinum natura frigidum, atque inualidum ab extrinſeco arguatur calore.Et rurſus inquit: Perſimile enim quid vinis accidit, quæ natura frigidiora,aquoſioráq; ſunt, quale flammis exiguis & imbecillis. Rurſus quod excrementoſum eſt, & improbè coquitur, frigidum eſt:tale autem eſt vinum nouum.Inquit enim Galenus libr. de Cibis boni & mali ſucci. Nouum autem vinum aquoſius eſt & imbecillius quàm vino deceat, præter id quod difficiliùs coquitur,& excrementoſius eſt. Idem omnino habetur lib. ſeptimo,de Metho.me. Præterea ſecunda ſecti.aphoriſm.commen.11.de vinis loquens, inquit: Nam & aquoſa (ſic autem nominant alba & tenuia) ſicuti aquæ ſimilem formam habent,ita & vim.Præterea libro de Cibis boni & mali ſucci, docens magnam habere virium latitudinem vina, inquit: Vina quidem ſi diſtinctæ (vt diximus) ſpecies eorum à nobis conſiderentur, maximè: reliqua verò non admodum, inter ſe differunt. Nunquam enim, vel lenticulam vel braſsicam humectãtis naturæ eſſe deprehendes, ſed minore alteram ad ſiccandum efficacia, cum humectandi facultate, nullam, exceptis item porris, alliiſque, nulla ſunt quæ refrigerandi vim habeant, ſed plus minúſve calefaciunt,nec agreſtis lactuca,atriplex, blitum, portulaca calefaciendi facultatem habent: in his tamen plus minúſve, non magnum diſcrimen recipit. At in vinis, quod vetuſtiſsimum eſt, & cecubum à Romanis (vt diximus) appellatur, adeo ab albo, ſimúlque auſteritatem habente, necnon recente craſsóque differt,vt illud efficaciſsimè calefaciat, ſenſibilem hoc refrigerandi vim habeat. Ex quibus ſequi manifeſtè conſtat, vina alba tenuia, & noua craſſa,& nigra auſtera,de quibus comm.3.lib.de Ratione vict.acu.infrigidãdi vim habere, & maximam eſſe facultatum vinorum differentiam. Nam vina flaua & fulua & antiqua,calida ſunt,vt inquit Paulus: quamuis vbi vellit omnia vina calida eſſe,manifeſtè fallatur, ſicuti & Aëtius. Et quamuis Galenus multis in locis dixerit,vina antiquitate fieri validiora, & acriora, vt libro 4. de Simplic.medi.fac.cap.10.& libro de Cibis boni & mali ſucci,libro quoque de ſani.tuenda,5.& 13.libro de Method.med.non in omnibus vinis, aut omni tempore intelligi debet:nam vina omnia tandem ſeneſcere credimus temporis nimia vetuſtate, & languida citò ſuas ætates percurrere: fortia verò primùm augere vires,quædam ad decem,quædam ad quindecim annos, & deinde pluribus annis in conſiſtentia manere, ac deinde eorum vires inclinare. Verum ergo eſt, vina antiqua,abſumpta aquoſa & excrementoſa parte validiora fieri, & tandem nimia vetuſtate reſolutis viribus, & igneo elemento,

Vinum alit

Vini temperies.

languere. Habet quoque vinum exsiccandi vires calori coniunctas, vt Paulus libro septimo docuit, quamuis nec calefaciendi nec exsiccãdi pares habeant vires vina omnia. Nouella omnia (quæ natura calida sunt) post primum ordinem calefaciunt, antiqua verò ad tertium vsque: in secundo quoque ordine vina exsiccare dicit, valde autem antiqua in tertio, vti mustum in primo: verumtamen, huic sententiæ Galen. aduersatur libro secundo Aphorism. commen. 11. ad comprobandam sententiam Aphorism. in quo Hippocrates dixit, faciliùs est impleri potu quàm cibo, aliam ex libro de Alimento adducit sententiam, cùm dixit, Quicunque indigent citissima adiectione, humidum remedium, ad recuperandas vires optimum est. Et libro tertio de Causis pul. capite vltimo, de vino loquens, inquit, Appositio enim, quam facit, celeris est, quòd humidum sit & calidum. Non laudamus quod quidam dicunt, vinum vt medicamentum exsiccare, & vt alimentũ humectare. Naturalia siquidem agentia, non variant suas actiones nostra imaginatione, aut opinione. Nihil igitur refert, si vt alimentum aut medicamentum, vinum offeras, longiùs tamen abest à vero, quod alij dicunt: nempe vinum humidum esse, sed siccum appellari: quoniam excrementa discutiendo exsiccat, vti balneum calidæ aquæ: nam aqua calida ex accidenti exsiccat. Paulus tamen libro 7. non statuit ordines medicamentorum ratione eorum, quæ faciunt ex accidenti, sed per se, & eo loco vinum dixit siccum. Præterea Galen. libro 12. de Metho. med. vinum vetustate dicit amarum fieri, amara verò, calida & sicca sunt, libro quarto, de Simp. med. fac. ac per se calefaciunt, & exsiccant: sed noscas oportet, medicamenta dici talia, quoniam corpori adhibita, calefaciunt, infrigidant, humectant, aut exsiccant, & eadem ratione alimenta medicamentosa talia dicuntur, de quibus vinum est aliquod, per se calefaciens, & exsiccans: quatenus autem alimẽta sunt, in sanguinem vertuntur, sed eius denominationis. Itaque vinum cùm calidum alimentum sit & siccum, in sanguinem vertetur, sed calidum ac siccum, vbi quis ipsum tẽperato & mediocri sanguini contulerit. Quod tamen Gal. locis citatis vinum humidũ esse voluit, prædictis non obest, nam omne quod alit, humidum dicitur: siquidem siccatas partes reparat humore. Cæterùm ex his quæ reparant, quædam humidiorem. quædam sicciorem retribuunt, substantiam atque ea ratione alimenta sicca, aut humida dicũtur. Bifariam igitur vinũ siccum dicetur, vt medicamentum, & vt alimentum, bifariam quoque humidum apellabitur: tum quia membra humore reparat, tum quia liquidam habet substantiam: quod voluit Gal. locis citatis, quum vinum humidum dixit, hoc est liquidũ & fluidum, quale ad citam refectionem est necessarium. Quod autem siccum potestate sit, vbi humidum ac liquidum fuerit actu, ad celerem alitionem, nihil impedit. Distinguuntur autem vina per proprias differẽtias, ex quibus procedimus ad facultates vinorum inuestigandas, vt colore, odore, sapore, substantia & potentia: sed harum differentiarũ, illæ quæ sumũtur à colore & odore non considerãtur primò & per se, sed ex accidenti. Nam tenuia vina possunt esse alba, & fulua, & aquosa, quædam sunt odora, quædam inodora: possunt ergo colores & odores diuersi cum eisdem substãtiis coniungi, atque eadem vires habere. Adhuc magis ex accidenti consideratur in vino tempus, nam nec recens, nec antiquum differentiæ vinorum sunt, nisi quatenus vini qualitates tempus mutat. Ex primis itaque differentiis, quæ per se considerantur, quædam per se quidpiam agunt, vt substantiæ crassitudo, aut tenuitas, dulcedo & acerbitas, vigor & imbecillitas, quædam nihil per se agunt, vt color & odor: color enim nullam vim habet, sed vires vini ostendit, & odor nocet capiti, quoniam substantiæ tenuitate & calore caput ascendit, & implet atque molestat, vti omnia odorata, cerebrum quandoque corroborans. Si quis igitur vinorum vires ex saporibus scrutari voluerit, vinum dulce sciat statim nigrum esse, & substantiæ crassæ: quamuis sint vina aliqua non exquisitè dulcia, sed aliquam habentia immixtam

Vinum an exsiccet.

Vinorum differentiæ.

Vinum dulce.

xtam acrimoniam, quæ flaua & craſſa ſunt. Muſcatelina verò dulcia ſunt & alba, quæ fortè Gal. non nouit. Quæ igitur propriè à Galen. dulcia dicuntur, craſſam habent ſubſtantiam, & in meatibus iecoris retinentur. nam & ab ipſo celeriter trahuntur, lædunt iecur inflãmatum & ſcirrhoſum, & obſtructione laborans, lędunt etiam dulcia vina lienem, ſed minus quam iecur: inflãt quoque hypochõdria eadem ratione, & quoniam ab ipſis multus flatus, & craſſus eleuatur: proſunt autem his quæ à pulmone educi debent: nõ enim obſtruunt meatus adeò amplos. Non tamen vrinis aut ſudoribus eliciendis ſunt accommoda, quemadmodum neque biliosis: ſiquidem dulcia facilè in bilem tranſeunt: verùm ea neque valde calefaciunt, quæ dulcia non ſunt vehementer calida, neque caput tentant, aut neruos feriunt. Muſtum tamen coctum, ſiue ſapa, ad horum vinorum naturam propè accedit. Siquidem dulce eſt & craſſæ ſubſtantię. Vinum autem auſterum in ventre diutius immoratur, neque facilè venas permeat, aut ad vrinam defertur. Proderit verò fluxionibus ventris, & cœliacis morbis. Eſt autem quoddam nigrum, & id eſt aliis omnibus auſteris craſsius: quoddam eſt fuluum, ſed minus craſſum, & auſterum. Quoddam eſt album, ſed parum auſterum. Ex his omnibus ſolum album & parum auſterum ego permitterẽ ſanis hominibus adhibere. Sed vinũ acre & vinoſum calidius aliis eſt, habebítque id colorẽ aut fuluum, aut maiori parte flauum. Eſt etiam quoddam album ſed minus fuluo & flauo potens. Tentant vinoſa vina caput & neruos, ſed ventri ſunt vtilia & ex ætatibus ſenibus. Alba verò vina aliquã adſtringendi vim habentia à natura minus fuluis, & flauis calefaciunt. Cæterùm quædam ſunt alba ex temporis antiquitate reddita acria, & valida. Quædam etiam ex natura talia, vt vina quæ portantur, à Sancto Martino, quæ ſanis hominibus incommoda ſunt. Nam præter id quod immodicè calefaciunt, caput & neruos vehementiùs tentant, & articulos lædunt. Sed inter alba vina laudandum vinum de Yepes, & Lilio, & vinum à Sancto Torquatio, & à Riba dauia, & Canta la petra, vehementiora ſunt his & acriora, quæ in betica Hiſpaniæ parte fiunt, talia ſunt Xereſana, & à Cazalla, & Alanis. Vinorũ nigrorum tenuiora laudantur, parum adſtringentia, qualia ſunt quæ portantur à Sancto Torquatio. Sed omnium optima, & quæ mediam ſeruant naturam, ſunt Illanea nõ adulterata: verùm hæc citiùs aliis aceſcunt, quoniã ex diuerſarum vuarum mixtione exprimũtur. Quæ verò ex nigris craſsiora ſunt, ſanguinem multum generant, & melãcholicum, apud Gale. libro quarto, de Ratione victacu. Com. 110. Sunt & vina quædam languida ex natura ſua, quæ citò aceſcunt, & turbantur, ac putrent. Ad quod non parum conducit quòd in calidis locis reponuntur, & apricis, aut auſtro expoſitis, quorum copiam fert Complutum, Madrid & Guadalaxara. Ex eis quædam auſtera, aut minus his adſtringentia, quædam dulcia, quæ muſcatelina vocantur, quæ fœminis ſunt ex vſu, quoniam caput non tentant, & ipſarum naturis ſimiliora ſunt, & iis qui ſtudio literarum vacant. Horum itaq; muſcatelina flaua & fulua, & quædam ex ipſis alba ſunt, & omnia dulcia, quæ ego crederem Galen. non deguſtaſſe, ſed hæc tribus tantùm menſibus anni bibi debent, Ianuario, Februario, & Martio. Deinde verò quod à Corpa, & Villauilla vſque in menſem Auguſti. Deinde ad finem vſque Decembris, vinum à Sancto Torquatio, à Yepes verò non eiuſdem ſed alterius anni: tardè enim id vinum conficitur. Eſt etiam præter hæc vinum Protropum, ſiue primarium appellatum, quod ab vuis nõdum expreſsis ſtilat, id tenuem habet ſubſtantiam, demendis obſtructionibus & mouendis vrinis vtile. Peruadit autem neruos & articulos. Gale. libro tertio de Alimentorum fa. hęc de vinorum potentiis ſcripſit, Rubra (inquit) & craſſa ſanguini generando aptiſsima ſunt, vt quæ minimo negotio in eius naturam tranſeant. Deinde nigra craſſa cum quadam dulcedine, deinde quæ ſunt colore rubra, aut nigra & craſſa: ſed adſtringũt, minus alunt alba craſſa & acerba, minimè omnium alunt candida & tenuia. Quæ igitur craſſa ſunt, valen-

Muſtum. coctum.

Vinum auſterum.

Vinum vinoſum.

Vina alba.

Vina nigra

Vina languida.

Protropũ.

ter alunt, vbi inventre retenta à calore valido ſuperentur, vti tamen vehementius alunt, ſic minus vrinam mouent: ſed tamen ex dulcibus & auſteris, dulcia melius coquuntur, & calidiora ſunt: vina tamen valida in ventre imbecillo corrumpuntur, quoniam non ſuperantur. Ex vinis rurſus, quæ natura ſunt languida, citò degenerant. Quamuis ad vinorum conſeruationem non parum conducat cellas vinarias expoſitas eſſe boreæ. Nam vina imbecilla à calore ambientis facilè ſuperantur & corrumpuntur, vt docet experimentum. Hac etiam ratione valida vina qualia ſunt à Sancto martino, & Yepes, & Ribadauia in Germaniam, & Flandriam tranſportantur, & vina à Cazalla & Alanis in nouã Hiſpaniam, & vſque in Antipodas, vbi meliora ſunt, quàm in Hiſpania: vina verò languida ambientis arguit calor, atq; motus qui mixturam vini ſoluat, & ſi tranſportare ea in diuerſam regionem, aut diſtantia loca velis, ſtatim in acidum degenerant ſaporem. Cùm verò ex his quæ diximus manifeſta euadat vini temperatura, duo ſe offerunt conſideranda, alterum eſt, An ſanis hominibus cuiuſuis temperaturæ vinum conueniat: ſecundum erit, An in omnibus ætatibus vinum bibere liceat. Quod ad primum horũ attinet, Hippo. 6. de Mor. pop. par. ſect. 4. is negat calidis naturis vinum, cùm inquit: Calidis naturis quies refrigeratio, aquæ potio: nõ ergo exhibẽdũ eſt vinũ calidis naturis. Sed tamen Hip. ipſe. 3. lib. de Ratio. vict. acu. cõtrariũ ſentire videtur. Quoniã ibidẽ vinũ in morbis acutis dãdũ præcipit, cùm de acutis loquatur morbis: ac ibidem vtilitates vinorũ in victu acutorũ, referat. Gale. dubium hoc diuerſimode ſoluit lib. 8. de Metho. me. & 5. de Sani. tuen. ſicuti & diuerſa eſt ſanorum & febrientium ratio. De his enim qui febricitant, loquitur lib. 8. de Meth. quo in loco ipſe præcipit vinũ in diariis febribus, atque maius eſſe refert, quod Hippo. idem in acutis præceperit morbis. Verùm, vt inquit, non denegauit calidis naturis vinum lib. 6. de Mor. po. Sed frequentiùs vti voluit aqua, quàm vino, calidos homines. Ac perinde febrientibus competere aquam frequentiùs, vinum non adeò frequenter. Concedet præterea vinum aquoſum & natura frigi. non aliud. Lib. tamen. 5. de Sani. tuen. non adeò plenè ſoluit dubium, cùm inquit: An verò calidis vinum idoneum non ſit, ſed vtilior his aquæ potio ſit, ſicut in lib. de Morb. po. legimus, nunc æſtimandum eſt: fortaſsis enim abſurdũ omnino cuipiam videbitur, iuuenẽ qui athleticus aut militaris ſit, aut etiã foſſor, meſſórve, aut arator, vel deniq; qui robuſtum aliquod opus exerceat, aquæ tantùm potione vti, atque in hoc falli Hippo. cùm calida temperamẽta aquę potionem poſcere abſolutè pronuntiauit. Mihi verò Hippocr. non abſolutè, ſed de naturis ſummè calidis, quæ vtique propter intemperiem tales ſunt, id dixiſſe videtur: non quòd plurimum habeant naturalis caloris, quem ipſe augeri in athletarum exercitio confirmat: at qui ex intemperie calidus eſt, is neque athleta, neque miles bonus, ſed neque foſſor, meſſor, aratórve, aut deniq; ad ruſtica vrbanáve opera, fortis vnquam euadet: quippe valentium hominum ea ſunt munera. Porrò tales nunquam fuerint, niſi mediocri ſint temperatura: atqui ſi media temperie ſint, vtique plurimus iis fuerit naturalis calor, ac tali quidem naturæ mediocre profectò dandum eſt vinum ſicuti ipſa quoque mediocris eſt, atque hactenus ſaltem mediocre, quòd ipſa mediocris eſt temperamenti, quando hanc quoque neceſſe eſt, non ſolùm in ſenectute, ſed etiam in remiſsionis tempore, media temperatura frigidiorem euadere. Si cui ergo vt intemperie quæ in ſanitate cõſiſtit calidiſsimum temperamentum ſit, huic omnino vinum intercidiſſe prodeſt. Voluit igitur Gale. Hippo. non denegaſſe vinum temperaturis calidis, ob magnam abundantiam caloris natiui, ſed eis tantùm, quæ calidæ ſunt in exceſſu caloris, quæ etiam in extremo tales ſunt. Veruntamen id nõ ſoluit dubium integrè: quandoquidem febricitantibus vinũ concedit Hippo. qui in exceſſu calidi ſunt, & plus quàm qui à natura ſunt calidi in extremo. Magis integra videtur ſolutio dubij ex lib. Metho. me. Nam in calidis temperaturis & in febricitantibus meritò præ-

Vinum an cali. temp. conueniat, præſertim calida natura.

cipiend

cipiendum videtur, vt aqua frequentiùs quàm vino vtantur. Nos tamen credimus Hippo. non de eisdem loqui lib. de Mor. po. & in lib. de Ratio. vict. acu. Nam cùm in lib. de Morb. pop. præcepit calidis naturis quietem refrigerationem & aquæ potionẽ, id in educatione sanorum intelligi voluit. Si quis enim hominem ab ipsa pueritia educandum susceperit, cuius calida fuerit naturalis temperatura, & valde quidem calida, ita vt eius calor acris, nec natiuo similis sit, quietem refrigerationem, & aquæ potionem instituet, vt valde labentem temperaturam à maiori lapsu præseruet, & corrigat, vt & vini aquosi potionem: nam id aquę vires seruare testatur Galen. Denegat quoque Gale. calidis ætatibus & temperaturis vinum, libr. de Cibis boni & mali succi. Quoniam tamen consuetudinem mutare difficile est, & ipsam seruare, maximè dum ægrotant homines oportet, lib. de Ratione vict. vinum bibendum dabat Hippo. his nempe, qui vini potu assueuerant, & hæc quidem videtur Hippo. mens, neque opus est alia locorum conciliatione. Hac verò tempestate potissimum in regionibus temperatis, aut calidioribus, laborãtibus morbis acutis; vinum denegamus, quamuis ei assueuerint, experimento id admonente, accedente quoque ratione. Nam vinum febres reddit maiores, & inflammationes auget, & quamuis tenue sit & aquosum, siue aliàs dilutum, capitis efficit dolores, & quandoque deliria, à calore febrili accensum. Quoniam tamen consuetudo non paruam præbet indicationem, sed inter naturãles primam, dum ægrotãt homines, sumentes à febre indicationem, quæ est omnium dignitate prior, infrigidabimus, sed potus erit minùs quàm aliorũ non consuetorũ vino infrigidabimus, & aquam ex cinnamomo vini loco propinabimus, aut vbi magnus adsit facultatis lãgor præsens, aut qui speretur, indicatione sumpta à facultate, vinum exhibebimus, adeò dilutum, vt neque odorem, neque saporem vini seruet. In febribus verò longis, trãsacto vigore, & morbo iam cocto, & purgato aliqua ex parte corpore, dandum erit: in intermittentibus verò hora intermissionis, animo tamen linquẽtibus, & languentibus, assuetis, cùm opus fuerit, non denegamus. Sed hæc ad tertiam partem huius operis magis pertinent: coacti tamen sumus in hæc incidere ob Hippo. sententiam, qui vinũ febricitantibus per morbos acutos concessit. Quemadmodũ autẽ calidis temperaturis vinum denegabat Hippo. Ita neque à pueritia, cùm sanitatem tueri proponimus, dandum erit. Et hoc quidem non tantùm pueris calidioris temperaturæ, sed & omnibus, Plato siquidem libro secundo, de Legibus, iure legem statuit. Præterea (inquit) legem imponimus, imprimis, vt pueri vsque ad annum decimumoctauum omnino vinum non degustent, agnoscentes non decere ignem igni addere, animæ & corpori, nondum aptis ad labores obeundos: furiosum namque habitum iuuentutis cauere oportet. Deinde verò moderatè vtantur vsque ad annum ætatis trigesimum. Ab ebrietate tamen & vini repletione iuuenes omnino abstineant. Sed cùm ad quadragesimum peruenerint, tunc in conuiuiis liberius discumbentes, cum alios deos, tum Dionysium ad sacra senum & ludos inuocent, qui hominibus vinum quasi remedium aduersus senectutis duritiam est largitus, vt reiuuenescere videamur, & mœstitię nos obliuio capiat, ipsáque affectio animi, sicuti ferrũ in igne ex duritie in mollitiem, deducta & flexibilior fiat. Hoc in loco Plato non tantùm vinum interdicit pueris, sed senibus vtile esse docet, & mensuram ad modum quo vti debeant homines vino, per singulas ætates percurrit, Galen. quoque lib. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur, Platonis sententiam sequitur. Et primo de Sani. tuenda, non tãtùm malum esse vinum oblatum pueris refert, sed causas addit. Vinum namque humectat, caput replet vaporibus, atque totum corpus: pueri tamen humidi sunt, & vaporibus pleni. Præterea vinum pueros mouet ad iracũdiam, & libidinem, adeóque rationalem animæ partem occupat, hebetat, atque confundit: eosdem quoque ad disciplinam & scientias ineptos reddit. Et nos ipsi nouimus non paucos

Vinum calidis temperaturis quare denegãdum & qñ.

Vinum pueris.

ante

ante septẽnium ex potu vini incidisse in morbum comitialem, quosdam in febres ardentes, & alios in pulmoniam, sicuti & quosdam alios, post septimum suæ ætatis annum, & ad 20. vsque valde læsos. His tamen minimè obstat quod lib. de Ratione victus priuatorum, pueris vinum concessum sit, nam liber ille non est Hippo. sed Polybi, Galen. verò in comment. tantummodo sententiam autoris enarrat, laudat quoque vinum non omnino frigidum: tale enim omnibus conducit, non tantum pueris. Intelligẽdum tamen id esse melius quàm omnino frigidum, quibus adhiberi debeat, an tamen his, aut illis adhibendum sit, non docet. Adultis verò id concedit moderatè, quemadmodum voluit Plato, quod bifariam moderatum est, tum copia, tum etiam vini natura quam decet esse debilem, qualis est vinorum aquosorum & pallidorum. Nam & hæc ipsis commoda sunt, ad humectandas siccitates ex laboribus partas, & bilem mitigandam, & per vrinam ciendam. Senibus autem vinum conuenire, quid opus est dicere, post relatam ex Platone sententiam. Verùm Gale. libro sexto, de Sanita. tu. inquit, Sanè vinum sicuti pueris est alienissimum, ita senibus est aptissimum, Valẽtiora tamen vina esse eisdem accommodata eodem loco latius retulit, Ex vuarum tamẽ succo fit sapa, quæ græcis ἕψημα, dicitur, & σίραιον. Fit tamen ex vino, quod appellant ἐπιμέλι, hoc est vinũ mulsum, hoc quidem mellis mixtione dulce redditũ, illud verò coctione. Succus nãque vuarũ nimia elixatione dulcis fit, qui si amplius elixetur, fiet amarus, sicuti mel, & quæcunq; dulcia: ea enim ampliori coctione amarescunt. Moderata coctio ea est quam Plinius scripsit lib. 14. cap. 9. dicens: Siræum quod alij hepsema, nostri sapam appellant, ingenij non naturæ opus est, musto vsque ad tertiam partem mensuræ decocto, quod vbi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus, omnia in adulterium mellis excogitata. Hinc constat, quod id quod apud Græcos Galen. potissimum lib. 12. de Metho. me. & lib. de Cibis boni & mali succi appellant ἕψημα, siue σίραιον, latinis est sapa, siue mustum ad tertiam decoctum. Nos sapam conficimus elixato musto, donec consistentiam mediocrem assequatur, qualis est cõsistentia mellis sole liquati. Nam hoc integram sibi debitam consequitur dulcedinem, & diutius seruari absque corruptione potest, cuius potentia calida est, non valde: siquidem dulcia calefaciunt, non valde supra temperamentum: sed quædam in primo ordine, quædam in secundo. Id enim animaduersione dignum duximus, ex dulcibus quædam amaritudini adeò proxima esse: vt leui superaddita coctura statim amarescant: quædam non prius, quàm diutius elixentur. Quæ ergo leui elixatione amarescunt, vehementiùs calida sunt, siquidem amarus sapor ex Galen. calidior est dulci. Quapropter quæ magis ei accedunt ex dulcibus, erunt calidiora, quæ verò magis recedunt, qualia quæ ampliori egent elixatione, ea minus calida erunt. Ac perinde notum euadet mel ex dulcibus esse calidius moderato, ita vt in secundo calidorum ordine collocetur, in quo pariter sapa cõsistet cum maiori caliditate quàm mel, quam docet præter dulcedinem quædam immixta acrimonia, qua sapa participat. Verùm sapa & mel vbi parum elixentur, sine aquę mixtione, aut alterius liquoris impedientis incrassationem, & amarorem ab igne inducendum, facilè amara redduntur, quod saccharo minimè euenit adeò citò, conuenit sapæ ea ratione qua dulcis, pulmonis & thoracis morbis, qui sunt absque febre: in his verò qui sunt cum febre validiori non nisi accommodatis medicamentis misceatur. Vinum autem mulsum, quod Græcis ἐπιμέλι, dicitur, conficitur duabus partibus vini & vna mellis mixtis: quidam etiam tribus partibus vini vnam mellis miscent, quæ igne lento ad mota tandiu bullire permittunt, donec mel totam euomat spumam. Est id pituitosis vtile, & his qui lapides, aut arenulas in renibus congerunt, & senibus, & febribus pituitosis, & anasarca laborantibus. Miscent autem quidam vini sex partibus vnam mellis prius despumati, quibus deinde breui mixtis igne lento addunt malabatrum & zingiberum. Est etiam quam appellant

Vinum senibus.

Sapa.

σίραιον.

Vinũ mulsum.

Hisp

Hiſpani,clarea,ex vino albo confecta,quæ modo ex decem vini & vna mellis parte fit,addito cinamomo, caryophilis & zingibero. Conficiunt autem & id quod ab ipſis appellatur vinum Hippocraticum, ſiue Hippocras, ex vino nigro deſumptis partibus quinque,ex albo totidem ſacchari parte vna,atque in linteo apponunt,cinnamomum,zingiber, caryophylos, & muſci parum, per quod vinum prædictum percolant.Eſtque is potus gratus in poſtremis menſis, parcè bibitus,& hyberno tempore,ac prodeſt ſtomacho. & inteſtinis frigidioribus. Conficiunt quoque vinum quod coctum appellant, muſto ipſo elixato ante integram vini coctionem, quæ à natura fit : ſed id craſſum eſt, & excrementoſum, & difficile à natura ſuperatur:implet caput, & neque vrinis, neq; ſputis mouendis eſt accommodatum, & in ſumma, id eſt ſaluti pernicioſum. *Vinum coctum.* Vituperantur etiam meritò vina calce, aut gipſo cõdita. Hæc enim exſiccant vehementius,& ſalſam generant pituitã,ac perinde ſcabiem & impetiginem: ventrem turbant, & inteſtina irritant, ita vt vſu frequentiori incidant in difficultatem inteſtinorum. *Vina ex calce & gipſo.* Alimenta verò quæ ipſis miſcentur intempeſtiuè per ventrem deſcendunt, neruos lædũt,& veſicam,caput grauant, & inflammant,ſed contra venena proſunt. Ex vitibus prætera nuper amputatis, aqua quædam ſponte inſtillat, quæ vim habet calefaciendi in fine ordinis primi, atq; valet maculas teneras faciei detergere : verùm quoniam pinguitudinem quandam ſubſtantiæ habet,fœminarum facies illuſtrat.A vinis tamen nigris diſtillatione, vi ignis.aqua educitur, per appellatum alambicum : aquam vitæ ipſam nominant, quæ igni appoſita inflammatur, tanta eſt eius ſubſtantiæ tenuitas,támque ignis in ipſa prævalet, Quapropter doloribus à cauſa frigida medetur,flatúsque diſcutit, & aurium doloribus ab eiſdem cauſis ferè ſubitò auxiliatur.Damnamus tamen,quod medici faciunt,qui ipſam adhibent doloribus qui à multo humore fiunt,tum quia humorem diffundũt, ac perinde dolorem augent:tum quia tenui parte humoris diſſoluta reliquum obduratum relinquitur.Perniciosiſsima etiam eſt conſuetudo, quæ modò apud vulgares extat homines, qui quouis manè æſtatis tempore vnius vnciæ quantitatem aquæ vitæ bibant. Hæc enim bilem adauget, & eius generis febres eo maximè tempore generat. Sunt qui eandem aquam vitæ ſecundò per alambicum educunt,ignis vi,verùm tertiò id tentare inutile eſt, & quod non ſine magno negotio ponatur. *Aqua vitæ.* Lora quoque in Hiſpania fit optima, quæ deuteria appellatur, hoc eſt ſecundarium vinum, Hiſpanis reuinum, Græcis, ἀνύτριά, & στιμφυλίτης, vinaceis nõ calcatis aquam ſuperfundentes,quam ima parte dolij percolantes excipiunt. Quòd ſi prima aqua per vinacea educta,ſecundam etiam effundas, inualida omnino reddetur lora,prima validior ſecunda,& vino minus efficax eſt. Gal.verò.2.lib.de alimentorum fa.loram, quam ἀνύτριαν Atticorum more & στιμφυλίτην, ipſe appellat, calcatis & expreſsis vinaceis fieri dicit, ſuperfuſa aqua, eam nos quoque conficimus : & primam aquam appellamus delicatum, & ſecundam aquapie. Prodeſt autem vtraque nuper ex morbis reualeſcentibus, & qui volunt vino aſſueſcere : caput tamen ferit, niſi diluatur.Conficiunt quoque medicamentoſa vina,quædam cum alterantibus, quædam cum purgantibus medicamentis,vti cum abſinthio,aut ſcammonio, hydropicis non febricitantibus valde vtile. Acetum ex vini corruptione fit: eſt enim aceti generatio,putrefactio quædam,quæ vinum occupat,transitque in contrariam naturam,vincente externo calore,& interna frigiditate,interna ac natiua caliditate corrupta. Cùm autem externæ caliditatis vim ſeruet non omnino frigidum eſt, ſed aliqua parte calidum, à dominio tamen frigidum, & ad modum tenuium partium. Nec tamen fieri poteſt,vt aliquod extremè frigidum tenuium partium ſit, ſiquidem valde magna frigiditas ſubſtantiam incraſſat. Habet quidem vim extenuandi corpus, & humores incidendi, digerendi, & calidos dolores ſedandi, repellit, infrigidat, & coagulationem ſanguinis, atque lactis prohibet. Aduerſatur autem venenis, ac *Lora.* *Acetum.*

ipsa superat, vti mecomium, cicutam, ixiam, & taxum: cum sale verò hirudines reiicit deuoratas: Colluitur ad dentium dolores: miscetur alimentis, & condimentis, redditque eorumdem gratos sapores vbi alias, aut valde dulces aut valde pingues forent. Seruantur etiam in ipso, aut ex ipsius & salis mixtione multo, nec diutius seruata putrescunt. Messores vini loco eo vtuntur aqua copiose mixta, atque id quod Poscam appellant, ad eam mensuram diluitum, vt bibi possit: cui si oleum & panem addat cibum conficies refrigerantem, vtilem laborantibus, & iter agentibus sub æstu solis, ex Posca præterea repellentia optima fiunt, atque additis sanitatis, prope inflammationes quæ in extimis membris fiunt, valide fluxiones cohibentur, chirurgi nostri defensiuum appellant. Inuenerunt etiam homines, ob inopiam vini duo alia vinorum genera. Alterum fit ex pomorum succo eo modo in doliis seruato, quo succus vuarum. Feruet namque prædictus succus, vt Galenus inquit, libro quarto, de Simpli. medi. facult. capitulo decimo, appellant hoc vinum Sudra: Feruent quoque succi herbarum, seminum, & fructuum, calore igneo succorum eleuate flatum & ipsum discutiente: interim verò fermentatione facta, & terrena parte secreta, & ad imum vasis descendente. Hanc separationem in vinis fieri videmus cum conficiuntur, & in humano corpore dum humores qui putrescunt coquuntur, & ad perfectionem deducuntur. Subsidet enim crassa pars in vrinis prædictam fermentationem: interim tamen turbidæ ac confusæ descendebant vrinæ. Celtiberis hoc vinum communis potus. Flandris verò & Germanis, vinum ex succo ordei, aut tritici, cum lupulis. Eum namque ebullire in vasis permittunt ad vini perfectionem, quod appellant, Ceruisiam. Dioscorides zythum appellat. Sunt hæc duo vinorum genera crassa substantiæ & excrementosa: caput implent flatibus, atque inebriant, sicuti & quod ab Aphricanis paratur, & ab his qui insulas fortunatas incolunt. Palmas enim magnas, crasso terebro perforantes, non longè à radice, fistulam æneam infetiunt, atque succum copiose manantem in doliis reponentes vinum efficiunt crassum, & excrementosum, & austerum.

Posca.

Sidra.

Ceruisia.

De Alimentis in vniuersum, Cap. III.

ALIMENTORVM Vires nosse non tantùm medicum decet, sed philosophum rerum naturalium principia considerantem: omnibus præterea qui literarum studio vacant, aut rem militarem profitentur, aut in foro causas agunt, aut rei rusticæ operam nauant, facultatum alimentorum cognitionem valde valde, atque gratissimam fore reor. Quamobrem omnibus sapientiæ amore captis, quæ nobis de alimentis dicenda sunt, tradimus, sicuti & quæcunque in hac secunda huius operis parte diximus, & quæ in consequentibus dicemus: de quibus nihil temere dictum putet lector studiosus, sed omnia experimento, ac ratione nobis constare, atque his qui nos ætate præcesserunt, variis auctoritate dignis, quorum magna ex parte placita seruamus. In vniuersum tamen quicunque alimentorum administrationem debitam procurat, primò eorumdem vires agnoscat oportet, deinde corporum quibus administrari debent, temperaturam, & habitum: nec tantùm totius corporis, sed & singularum ipsius partium. Improbè namque facit, qui calidioribus corporibus permutatione egentibus, calida obtulerit alimenta, sicuti & qui in calidorum conseruatione, alia offerret, quàm calida. Præterea nec crimine vacat, qui corporibus quorum meatus angusti sunt, aut occlusi pori, alimenta præbet crassæ aut glutinosæ substantiæ. Porrò animaduersione dignum alimenta ore ingesta si solida fuerint, aliquam recipere præparationem masticationes deinde tamè in ventre suscepta alterari, ad finem quoq; formam chyli suscipere, partimque in pituitam verti. Quòd si venter alimenta suscepta superare

non

non valeat, aut incrudari, quo est pati ἀπεψίαν, aut in prauam qualitatem transire, non in eam quam ventri familiarem diximus, necesse est. Atque id aut quantitatis, aut qualitatis, aut substantiæ ratione, aut totius substantiæ contrarietate, aut ob malum ordinem. Quantitas exuperans, notum est quantum impediat naturæ actionem, quamuis assumptum temperatum sit, vt caro pulli: nam & hæc immodicè ingesta non vincitur, præter id quòd interim ventrem grauat & distendit. Mirum quoque videri posset alimentum quandoque corrumpi in ventre quod paucum assumptum est: nam vehemens ventris calor Pauciſsimum cibum aut dissipat aut in fumum & aerem conuertit: qualitates verò alimentorũ sæpe causa sunt, vt aut nõ superentur à natura, vti frigida nimis, aut plus æquo superentur, vt iuito calidiora: substantia verò alimẽtorum non parum variat eorumdem mutationem. Nam alimenta crassa & dura à pueris non bene mutantur, & si validam habeant facultatem coctricem: quæ verò tenuem habent consistentiam, adeò facilè mutantur, vt validi caloris vires non ferant. Carnes nanque bubulas nec probè elixas messor superat, galinas verò & phasianos in prauam mutat qualitatem, non semel, sed sæpe. Humida quoque ac liquida in quorundam ventribus corrumpuntur, in aliis diutius innatant, & fluctuant, ac interim vitiantur. Tota quoque substantia siue proprietas est in alimentis consideranda: nam plura sunt alimenta praua, sed hominibus grata & familiaria, ac perinde vtilia. Parum enim deterior potus aut cibus dilectabilior, melius in delectabilibus magis est appetendus: esse tamen cibos magis gratos non tantùm ad totius substantiæ familiaritatem referendum, sed ad gustum. Quædam tamen sunt tota substantia aduersa, quæ homines nec degustare audent, atque vti mortifera fugiunt, tum natura moti, tum etiam edocti experimẽto quàm noxia sint eisdem. Sunt enim qui periculum mortis subirent potius quàm vt caseum degustarent. Mihi verò sardenæ salitæ veneficæ sunt, quæ me vel paruissima earum quantitate ingesta in mortis discrimen deducunt, cum symptomatis venenatorum propriis. Malus præterea ordo assumptionis alimentorum semper eorumdem coctioni, & degestioni obest: sæpe etiam in corruptionem eadem ducit. Si quis enim alimenta quæ difficilè superantur primo loco ingesserit, ea verò quæ facilè superantur postremo, notum est postrema aliquando cocta esse, cum nondum eisdem patet aditus in ima ventris parte, Aut enim pyloro aperto vtraqua simul descendent, supremis iam coctis, & infimis nondum coctis: aut piloro clauso neutrum descendet: quo fiet vt quod iam coctũ est, corrumpatur, quemadmodum quæcunque post integram coctionem retinentur. Hæc enim sunt quæ non gubernantur à natura libro secundo, de Differen. fe. Quo in loco retulimus causam corruptionis eorum quæ non digeruntur, ac dispensantur. Necessarium autem est omnino turbari ordinem alimentorum in mensis magnatum, in quibus hoc nostro seculo quotidie supra duodecim alimentorum diuersa genera, ac condimenta apponuntur: quandoque verò & supra triginta. Quæ omnia simul componunt & ingurgitant, quorum diuersitas vel sola innumeros & ingentes poterit afferre morbos. Quantum etiam possint alimentorum condituræ & præparationes ad eorumdem vsum, quis ignorat? Nemo enim cui non sit strutij venter, bubulas carnes assas edet, nec quispiam porcellum elixabit, aut capum in sartagine torrebit. Quapropter & culinariam artem nosse debet peritus medicus, vt condituram diuersam variis aptet alimentis, éstque proinde peritus coquus eligendus. Medicus quidem hæc arte assequentur, agnoscens alimentorum naturam, & medicamentorum, si quæ gustui placendi gratia ad condituram afferantur: coquus verò cùm nouerit quæ palato sint gratiora, quæ nec Medicus peritus ignorat. Finis tamen Medici est sanitas, coqui verò gustui placere. Alimentum præterea, vt parte prima docuimus, hac re à medicamento

Causæ quibus imperfecuntur alimenta.

Sardena.

Ordinis ciborũ perturbatio in mensis magnatum.

Alimentorum differentia.

differt, quod alimentum alimoniam & materiam præbet, medicamentum verò qualitatem, qua corpus mutat. Sunt tamen alimenta quædam quæ vim habent alterandi, quoniam natura eorum alimentitia & medicamentosa est. Quamobrem quæ omnino materiam præstant, & nullam mutationem, quæ sensui pateat, ea non tantùm alimenta, sed temperata dicentur: quæ verò vim habent mutandi sensu cognitam, alimenta sunt medicamentosa, atque eatenus distemperata, quatenus medicamenti naturam magis referunt. Sunt etiam ex eisdem quæ vnam naturam in partibus seruant atque hæc arte potius quàm natura constant, vt panis, aut caseus: quæ enim natura constant vt animalia, & plantæ non omnes suas partes similes facultate habent. Nam animalis viscera alterius naturæ sunt, à pedibus, & carne, & ossibus. Et plantarum, alia est natura radicum, alia germinum, alia foliorum, alia seminis, alia fructus. Quædam vero cùm aliorum partes sint vt fructus arborum immixtas habent diuersas facultates, & quandoque contrarias, de quibus non erit vnica ferenda sententia, neque vnus sperandus effectus. Si quis enim elixationem lentis ingesserit, ventrem emolliet: si verò substantiam edat eundem adstringet. Intra eandem etiam speciem diuersa est alimentorum natura: nam cicera nigra calidiora sunt albis & pirorum, & cotoneorum quædam magis aliis adstringunt, & ex prunis intra eandem speciem, sed quæ diuerso solio nascantur, quidam magis aliis laxant, & quod eadem omnino planta seratur & colatur, aut deserta & inculta relinquatur, adeò varias vires adsequitur, vt ex amygdalis dulcibus incultis, amaræ fiant, & arbor persica in Aegyptum translata venenum amiserit. Idem præterea alimentum ex plantis & animalibus per diuersas ætates vires mutat, omnia nanque animalia atque omnes plantæ temporis processu ficciores redduntur, absumpta natiua illa à primordiis contracta humiditate. Antiquiora itaque & vetusta ficciora sunt & duriora, nouella verò meliora & humidiora. Differunt quoque intra speciem plantæ & animalia, quod quædam sana sint, quædam ægrotant. Id verò licet ad sanitatis tutelam quammaximè conducat, à medicis omnino negligitur. Hanc tamen ego puto esse vnam ex potissimis morborum causis, tutò enim sanis & quibusdam ægrotis medicus gallinarum carnes edendas præcipit, quæ si morbidæ fuerint, nullum bonum succum præstabunt, sed qualis morbo gallinæ respondeat. Forent tamen viuæ ac mortuæ ante administrationem, quales essent considerandæ. Differunt etiam ex loco: nam plantarum quædam in terra pingui, libero solio, & probè aluntur, quædam in terra pullulant, salebrosa, & gipsea aut alterius prauæ naturæ. Differunt quoque repositione: nam & seminibus & cerealibus, quæ prauè reponuntur, putredinem & vliginem contrahunt, aut vbi diutius asseruentur, sicuti & carnes occisæ quæ seruandæ sunt hyeme diutius, quàm æstate. Iam etiam eadem omnino alimenta ex diuersa præparatione diuersas admodum vires nanciscuntur. In summa, alimenta omnia differunt genere, specie, atque intra speciem, & intra indiuiduum. Generum nanque quædam sunt temperata, quædam distemperata in elementorum qualitatibus: ex temperatis verò, quædam sunt crassæ substantiæ, quædam tenuis, quædam mediocris, & quædam lentore participant, quæ damno. Distemperatorum verò quædam calida, quædam frigida, quædam humida, quædam sicca, quædam crassi, quædam tenuis & quædam lenti succi sunt: atque eius aut boni, aut mali, genere quoque differunt, nam quædam sumuntur ex animalibus, quædam ex plantis: ex animalibus quidem, aut ex pedestribus, aut aquatilibus, aut volatilibus. Ex plantis, aut arboribus, fruticibus, aut suffruticibus, aut herbis. Appellant tamen arbores, quæ ab radice simplici caudice, vt trunco, procedunt: frutices dicimus multiplici procedentes ab radice, vt rubus: suffrutices herbæ sunt, sed fructum ferunt, vt melonum planta, &

fragar

fragaria: ex quibus aut edendo est tota planta, aut radix, aut folia, aut fructus, aut semen, aut flos: tota planta, vt rafanus. Radix vti napus, aut pastinaca, aut bulbus. Folia, lactucæ, brassicæ, boraginis, oxalidis. Fructus piri, cotonei. Semen, triticum, ordeum. Flores, boraginis, violæ, rosæ, citranguli. Differunt etiam alimenta specie & viribus, vt caro bubula, ab arietina, & pomum, à piro. Intra speciem verò notum est ex piris quædam magis aliis adstringere, & ex prunis quædam aliis magis laxare. Vnum tamen & idem alimentum se ipso redditur viribus diuersum, vt sanum ab ægro, vbi fuerit tale animal, aut planta, & nouellum à vetusto, & repositione, ac conditura. Ex eisdem quoque alimentis, quædam bonum succum præstant, quædam malum, & quæ bonum, aut tenue, aut crassum, & aut multum aut paucum, & quæ malum præstant alimentum, rursus aut tenue, aut crassum, aut multum, aut paucum.



Id verò memoria dignum quod Galen. Admonuit cap. de Lupinis, quòd ex alimentis, quæ humidam habent naturam, facilè nutriunt, paucum præstant & inconstantem succum, sed qui facilè & breui dissoluatur: quæ tamen dura sunt, & crassam ac terrenam habent naturam, difficilè superantur: semel verò separata valde nutriunt, & constans præbent alimentum, maximè si præter crassitudinem nonnihil lentoris habuerint, Docuerat id Hippocrat. Aphorism. 18. Secti. 2. dicens: Eorum quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. Sunt præterea alimenta quædam quæ præter id quòd bonum succum præstant, is non habet manifestum aliquem excessum crassitudinis, aut tenuitatis, vti carnes selectarum auium, panis, & caro arietina intra primum & tertium ætatis annum. Nos quidem intelleximus Gale. de alimentorum faculta, & cibis boni & mali succi abundè scripsisse: quapropter partem hanc breui comprehendemus, addentes nonnulla quæ modò ad mensas deferuntur, quæ non decet medicum ignorare, atque multa alia qui à nobis sunt experimento probata in sanis & temperatis, siue temperamento proximis. Quorum collatione singula intelligenda sunt, quæ de alimentorum viribus scribentur impræsentiarum. Illud quoque prius admonentes ex Gale. id alimentum bonum succum præstare ex quo bonus sanguis generatur: bonum autem & inculpatum dici sanguinem, qui non est serosus admodum, vbi post venæ sectionem concretus conspiciatur, sapore dulcis, modicè calidus atque humidus, neq; omnino sero carens crassus, concretus ad picis speciem. *Bonus succus.* Dicemus autem de seminibus primum, deinde de herbis, oleribus, & fructibus, ad finem de carnibus & piscibus. Semina verò in triplici sunt differentia: quædam enim sunt cerealia, vt triticum & ordeum, quædam legumina chedropa dicta, vt fabæ & cicera, quædam sunt fructuum semina, quæ intra fructus ipsos continentur, quæ etiam grana dicuntur: qualia sunt quæ intra vnæ acinum continentur, γίγαρτα, dicta, è quibus in pomis & piris sunt tria, aut quatuor, pluráve, in aranziis, limis, & limonibus quamplurima. Hęc quidem semina non sunt hominibus esui. De aliis autem duobus generibus nonnulla dicemus: primùm tamen de cerealibus.

Triticum.

IN His quidem primum locum habent triticum, & panis triticeus, quo ferè omnes nationes vescuntur. Triticum trium est differentiarum: nam quoddam est pulcherrimum appellatum, quod autumno seritur, metitur ineunte æstate: quoddam est trimestre, quod serimus ineunte vere, metitur autem æstate, quoddam est bimestre, quod seritur mense Maio, metitur duobus mensibus transactis, vtile agricolis cùm ob aquarum multitudinem serendi opportunitatem omiserunt: id quidem in Hispania non fit. Tritici verò optimi duplex natura est apud nos: nam quoddam est appellatum trichel, quoddam cãdeal. Primum magis lentam habet substantiam, secundum magis friabilem. Præterea primum celerius per ventrem descendit, ac minùs alit, éstque optimum, quod grauius solidiúsque fuerit, ac minùs friabile: in summa semen omne decet esse densum, durum, graue, plenum. Cæterùm quod nos candeal dicimus, barbari candarusium appellant, Græci chondron, Latini alicam, frumenti speciem: nam sunt aliæ alicæ arte paratæ, quæ fiunt ex zea, aut ex farre. Triticum quidem, vt Galen. cap. de Ordeo dixit, planè calefacit, crassum ac lentum succum generat. Ex farina tamen triticea bene molita panes fiunt, quorum quidem sunt silignites, quidam semidalites, quidam autopyri, quidam sordidi. Ex purissima & tenuissima farinæ parte fit silignitis, albissimus panis, qui difficillimè omnium coquitur, & per ventrem descendit. Semidalitis panis secundum locum habet: recipit quidem furfuris quàm pauciſsimum: sed ea ratione minus in ventre detinetur, ac minus alit. Sequitur, qui à Græcis αὐτόπυρος & συνκόμιστος, dicitur, quoniam ex toto ipso tritico conficitur, aut quod ad confectionem totum triticum reportatur. Actuarius lib. de Spiritu anima. 2. malè panem συνκόμιστον appellat, cui furfuraceum tantum demptum est, vt constat ex Galen. Hispanis nigrior est, & minus aliis alit, & celeriùs ventrem pertransit. Postremo loco succedit sordidus panis, qui fit tenuiore farinæ parte sublata, relicta ea quam Hispani dicunt moiuelo, quod parum farinæ & multum continet fufuris: eo modo quoque fit, qui à nobis panis medius appellatur. Panis semidalitis, qui frequentius in vsu est, moderatam habet naturam: probè alit & nobis familiarissimus est cibus, vbi moderatam quantitatem fermenti susceperit, atque salis, & aquæ, deinde abundè subigatur, bis tamen. Primò ante fermentationem tota massa in magnum deducta globum: secundò singuli panes vehementiùs subigendi sunt: deinde pãnis contegendi, ne ab ambiente tangantur adhuc calido, fiétque vt interim singuli panes iterum fermententur & in tumorem attollantur: ea verò est occasio mittendi panem in furno, cui non insit vehemens flamma: siquidem ea præsente panis extimæ partes vruntur, intimis adhuc crudis, sicuti & tenuis ignis nunquam panes perficiet. Sunt autem qui ex consulto panes magnos conficiunt, ponderis quatuor librarũ & maioris, quos tandiu assant donec cortex immodicè torrefiat, & denigretur: hanc tamen deinde abiicientes, micam probè assam educunt. Laudabilis certè panis, mollis, gustui gratus, senibus potissimum, qui aut dentes non habent, aut eos caducos. Postea verò quàm panis à furno extractus fuerit, non est edendus calidus: nocuus enim est calor igneus, & multam interim continet flatuosam humiditatem, & tardè coquitur, & ægrè descendit, glutinis modo ventri hærens, interim tamen dum infrigidatur panis cooperiendus est, ne aeris frigiditas, cortice obdurato, vaporum exhalationem impediat. Duodecim itaque horis transactis probè eduntur præterquàm panes leues, & qui ex admodum liquida massa conficiuntur, quos expedit post sex horas edere, omnes verò cùm indurantur coquuntur difficilè, & ventrem retinent. Diutius tamen seruati flaccescunt, & vermes procreant. Selectus panis moderatus cibus est, & qui omni tempore & omni ætati debeatur, aut solus, aut aliis cibis commanducatur: est namque veluti materies omnium ciborum

Seminum electio.

horum: miſcetur enim carnibus, piſcibus, fructibus, & oleribus, ſolidis, & liquidis alimentis. De quo dicere fas eſt, quod Galen. de cera. Hanc enim quod aliis medicamentis miſceatur, vti & oleum, materiam appellauit medicamentoſam; atque nos modò panem, quod omnibus alimentis miſceatur, iure appellamus materiam alimentoſam. *Panis materia alimentoſa.* Præterea ex farina triticea varia ac multa alimenta conficiunt coqui, ex quibus ſunt, ὄψωνα, Græcis dicta, hoc eſt belaria, & ex his quædam in ſartagine friguntur, quæ ταγηνίτα, vocant, quædam in furno aſſantur. Quidam itaque maſſam conficiunt mollem quæ recipit triticeam farinam, fermentum, ſalem & aquam copioſam, quam ſubigunt diutius & fermentari permittunt, deinde oleo feruentiſsimo, portiones ponderis duarum vnciarum, aut paulo minus infundunt, & bis, aut ter, eaſdem voluunt, vt ſuperior pars inferior reddita, ad perfectionem frigatur, deinde verò cum melle eduntur, in poſtremis menſis. Quamuis enim deceret alimenta quæ facilè deſcendunt, aliis anteponere, verum poſt dulcia valde, cùm ſint grationa palato, carnes inſipidæ & ingratæ videntur, maximè verò ſi poſt alimenta mellita aut ſaccharata ſequantur. Quærunt autem homines huius temporis ventris delitias, potius quam aut ſanitatem, aut vitam: eſt id, lenti parum, ſed non mali ſucci, Hiſpanis buñuelos. *Hiſpanis buñuelos.* Aliud alimenti genus fit ex farina triticea & albis ouorum mixtis, pauco vino addito, acſale, ſed ſine fermento, quam ſubigunt, & latam efficiunt ac deinde frigunt in ſartagine denoluentes, Hiſpanis hoiuelas, lenti ſucci, craſsi, & quæ tardè per ventrem deſcendant. *Hiſpanis hoiuelas.* Deterius autem eſt, quod ex maſſa, caſeo, croco adiecto, & ſale, & albis ouorum, quidam etiam additis vitellis conficiunt, Hiſpanis artaleios, à pane nomine accepto Græco. Eandem maſſam quidem extendunt & tortellas efficiunt, aut ſolam triticeam maſſam, cum oleo & ſale extendentes tortellas efficiũt, quibus caſeum, ouis miſtum & ſubactum addita mentha ſuperextendunt, & in furno aſſant, Hiſpanis queſadillas, craſsi ac praui ſucci, & tardi deſcenſus, ac coctionis difficilis, quãuis malitiæ corrigendæ gratia cum melle, omnes prælictæ plancentæ, & tragimata edantur. *Pollenta.* Fit etiam pollenta ex aqua calida & ſale addita farina triticea, & melle, aut lacte aut ſapa, deinde cochleari deglutitur, antè quam inſpiſſetur; nam inſpiſſata pollenta à glutino librariorum, ſale tantummodo differt. Facilè permeat à ventriculo, & iecur obſtruit ac grauat. Tortellæ præterea quæ in cineribus aſſantur, crudã, ac lentam habent ſubſtantiam & minus bene coquuntur, craſſum itaque & lentum ſuccum præbet, & qui difficilem admittat coctionem. Quidam etiam has eaſdem tortellas in oleo frigunt, quæ paulò meliores alitioni reddunt. Quidam conficiunt tortellas oleo ſubigentes triticeam maſſam, & nonnulli olei loco butyrum apponunt, conficiúntque quas appellant onaldres, quæ ex oleo conficiuntur, craſſum, & prauum ſuccum præſtant. Quæ verò ex butyro magis lentum, & minùs malum: cum melle eduntur vtræque, vt minùs in ventre morentur. Fiunt etiam biſaſsi panes quos appellant bis coctos, vt diutius ſeruentur, nauigantium cibus: cum ſaccharo tamen bis aſſas tortellas faciũt, ad poſtremas menſas, his qui os ventris humidius habent vtiles. Priorum duo genera Hiſpanis in vſu ſunt, alterum appellant fideos, alterum hormigos. Quæ ambo in aqua elixantur, aut in lacte, & deinde cum melle aut ſuccharo eduntur. Verùm ſecundum prædictum genus cum coriandri foliis, ſale, & oleo parant. Vtrumque tamen craſſum præbet ſuccum, lentum, & qui meatus iecoris, & renum obſtruat. Triticum verò elixum ego parcis tantùm traderem ſaginandis, ſicuti & toſtum ruſticis iuuenibus: elixum namque ventrem grauat & difficile ſuperatur, quod ſi ſuperetur, validè nutrit. Amylum ſuccus tritici *Amylum.* eſt, aqua videlicet prius macerato deinde expreſſo tritico: hic ſolis calore, exſiccatus amylum dicitur. Paratur ex amylocibus gratus aut cum lacte & ſaccharo, aut aqua, aut iure carnis, proficuum ſpuendis humoribus, qui ſunt ad thoracem: commodè quidem nutrit, ſed lentum ſuccum præſtat, & manifeſtæ

feſtæ qualitatis expertem, non calefacit, ſicuti neque panis lotus, & vt ipſe nutrit. Panis lotus apud nos non eſt conſuetus, vtimur tamen offa panis bis aut ter in aqua frigida lota, deinde pauco ſaccharo addito, & quandoque aceti guttis, & quandoque ſine his, éſtque cibus refrigerans, ſqualentes, atq; exuſtos ex itinere, & infantibus, ac pueris bilioſis, ac febricitantibus per magnas febres, & aridas, quibus amylum conueniet.

De Ordeo.

Ordeum. DE Ordeo ſecundo loco dicendum eſt, cuius temperies frigida eſt: exſiccat autem, aut humectat pro præparationis ratione: nam toſtum exſiccat, & in aqua elixum humectat. Panis ex ordeo ſit electo graui, tenſo, & denſo, & pleno. Errant enim qui eligunt ſemina pro magnitudinis ratione: nam plura ſunt aliis maiora, & peiora: tument enim & vana magnitudine ſunt humore plena alieno, quæ repoſita partem eam breui amittunt, & parua redduntur. Præterea ordeo ac omnibus ferè ſeminibus tritico, auenæ, tiphæ conuenit, vt electiora ſint, quæ in aqua madefacta priſtinam molem recuperent, quæ verò eam non recuperant deteriora eſſe. Nos quidem ægrotantibus panes ordeaceos exhibeamus: ſani enim non veſcuntur eis, niſi in magna annone caritate, aut ruſtici, & inopes, vbi itaque per cribum tenuem farinæ ordeaceæ tenuior pars coletur, cum fermento & ſale panes conficimus hecticis accommodos, cum aliis eduliis humidis, & his qui iecoris calida intemperie laborant. vtimur quoque aqua ordei, & cremore ordei, & ptiſana ordeacea. Aquam ordei ſic conficimus, Triginta partes aquę, & vnam ordei mundi aſſumimus in olla aut vaſe æreo, aquam verò lento igni apponimus, atque ordeum tandiu elixari permittimus, donec grana valde intumeſcant, deinde hanc aquam colare, & potui ſeruare præcipimus. Hæc potus eſt, qui ferè nihil alimentitium habet, quem in morbis calidis ventriculi & iecoris, & febribus bilioſis, & ſanguineis cum cibis propinamus. Cremor autē ordei fit apud nos, viginti partibus aquæ affundentes ordei mundi partem vnam, quam tandiu elixamus, donec grana ordei non tantùm intumeſcant, ſed rumpantur. Hanc quoque aquam ſiue ordei cremorem colantes ſeruamus, éſtque cibus ac potus morbis accommodatus acutioribus, & qui ad ſeptimum cum virium robore finiuntur. Ptiſanam verò conficimus 25. partibus aquæ & vna ordei aſſumptis, ordeum prius macerantes, vti & Galen. in aqua, & aſpera quadam re ex aſpalto, aut cannabi manibus accepta ordeum ipſum à cortice mundamus exteriori, deinde lento igne ebullire permittimus donec aqua & ordeum in vnam conſpirent ſubſtantiam, quæ æqualis, mollis, & lenis ſit. Addimus interim ſalis & aceti parum, ſæpe etiam ſaccharum, guſtui placendi gratia. Hæc languidis in acutis morbis maximè cùm inclinant, & hecticis optimus cibus eſt, qui valde nutrit, bonum ſuccum præſtat, frigidum, ſed qui facile à natura ſuperetur: pectori tamen vtiliſsimus cibus ptiſana eſt. Nam ipſum lenit, ſputum facilem reddit, tuſsim ſedat, neque tamen inflat: quoniam probè elixa cùm fuerit, omnem amiſit flatum. Falluntur autem qui primo loco dictam, aquam ordei, flatuoſam eſſe putant, non enim aqua ipſa flatuoſa eſt. Foret tamen flatuoſum ordeum ipſum, ſi ſemicoctum quis ederet: modò verò non ordeum, ſed elixationem bibendam præbemus. Antiqui polentam ex ordeo molli nondum arreſcentibus ſpicis, & parum toſto, aut etiam ex alio conficiebant: nos verò farinam ordei depuratam cribro tenui, aqua miſcemus, ſale addito, quam deinde lento igne paramus, addentes ſaccharum, cibus extenuatis vi caloris, vtilis. At dubitant nonnulli de ordei temperatura, licet enim omnes vno ore concedant frigidum eſſe, non tamen in altera contrarietate conſentiunt. Nam cùm ordeum hecticis concedant, humidum æſtimant, Galen. tamen lib. 7. de Simp. me. fa. in primo ordine infrigidantium & exſiccantium, ipſum ſtatuit: ſiccam

Aqua ordei.

Polenta.

quoque

quoque dixit ordeaceam farinam lib.3. de Metho.meden. Itaque dicemus ordeum atque eius farinam à natura infrigidare quouis modo præparetur,exsiccare,quoque à natura sua, primo ordine, atque eo amplius, ex præparatione. Humectare tamen cùm in ptisanam transit ob præparationem, ob quam diximus in eandem substantiam componi aquam & ordeum. Inest quoque præter reliqua ordeo vis detergendi, maximè cortici ipsius. Tipha ex cerealibus est, quam Hispani centeno nominant, granum tritico minus, ac paulò nigrius, quod in triticum transit, si in pingni terra sæpe seratur, quemadmodum & triticum in leuiore & minus culta terra satum, degenerat in tipham. Fert calamum simplicem, sed tritico longiorem, & spicam cum pauca & breui arista. Exea conficiuntur panes non boni odoris & nigri, rusticis frequens cibus, qui etiam tipham hac nostra tempestate tritico miscent, aut serentes, aut postea simul molentes, vt panes conficiant, viliores quàm ex sincero tritico, etsi semper rustici parum tiphæ cum tritico ferant: quoniam tipha longiorem mittit calamum & minus friabilem, ac perinde ad ligandos tritici, aut ordei faces commodior Manifestè calefacit. Auena verò quam Bromon dicunt, & cuius quædam species appellatur ægilops Græcis, calefacit non parum & exsiccat: ventrem tamen nec astringit, nec emollit, parum tamen nutrit. In auenam degenerat ordeum, vbi sæpius in terra improbè culta, aut minimè feraci seratur. Iumentorum alimenta sunt ordeum, & auena: verùm in magna inopia tritici, tiphæ, & ordei, homines panes conficiunt ex auena. Ex milio & panico panes quidam conficiunt, aut pauperes, aut in nimia annonæ caritate: barbari etiam his panibus vescuntur, Africani, & Valentinorum villici, & Lusitani. Aridi sunt vtrique & friabiles, & gustui ingrati, sed minus ex milij farina confecti. Quapropter, aut panes, aut farinam milij aut panici cum lacte & melle edere meritò instituunt.

Tipha.

Auena.

Milium.

De Leguminibus. *Cap. V.*

EX CEREALIBVS Ea homines legumina appellant, vt inquit Gale. ex quibus panes non conficiuntur, vti oryza, lens, faba, cicer, cicercula, atque alia nonnulla, de quibus pauca quædam dicemus. Oryza, quæ ryzum, etiam dicitur crassum præbet alimentum, terrenam habet substantiam, & ventris sistendi gratia adhibetur. Difficilè coquitur, & tostum difficilius: verùm sic ventrem validè cohibet. Apud nos paratur bifariam, elixatur enim cum pingnibus carnibus, aut in earundem iure, ac redditur cibus minus adstringens, & minùs terrenæ substantiæ. Elixatur quoque cum lacte ouillo, aut caprillo, & deinde editur cum melle, aut saccharo & cinamomo, éstque cibus quibusdam valde gratus, qui difficilè coquitur, atque descendit, minus quàm tostum adstringens ventrem, sed magis quàm vbi cum pingui iure elixatur. Exhibetur is cibus frequenter in postremis mensis. Ex farina eius & pectoribus gallinarum elixis, atque discerptis, cum lacte & saccharo igne lento coctis & validè subactis interim ligneo instrumento, cibum album appellatum conficiunt Hispani, gustui gratissimum, cui primas concessit ars culinaria. Plurimum præstat alimentum, sed crassum, quapropter & constans est, sed tardè descendit, & validioribus viribus eget ad coctionem, & distributionem. Lactis quoque ratione aliquatenus grauat caput. Lentes corticem habent, & carnem, siue intimam substantiam. In cortice diuersę facultates considerantur: altera enim in summa, vt dixerim, consistit superficie, altera, in corpore corticis, & eiusdem substantia: in suprema supercie dicemus adesse vim irritandi & turbandi ventrem. Quod docet aqua in qua lentes fuerint elixæ, siue prima lentium elixatio, quam his qui inflammationibus laborant, adhibemus, & his quę fiunt cum dolore fluxionibus, & non ad ventrem. Quòd siquis prima elixatione abiecta secundò lentẽ elixet, hæc secunda, vt quę vires corticis internas, partim etiam

Zizum siue oryza.

Cibus albus.

Lens.

ſubſtantię lentium receperit, adſtringet non parũ, vehementius verò ipſa lens in cibo ſumpta ſimul cum cortice. Adſtringit enim cortex & lente ipſa adhuc magis: nam lens parum adſtringit, detracto cortice. Generat autem craſſum, terrenum, & melancholicum ſuccum: quapropter & melãcholicis morbis aduerſa eſt, vti quartanis, cancris, & varicibus. Abiecta itaq; prima aqua, deinde in iure carnium elixatur, adiectis ſale & pauco aceto, ac ſemine coriandri, aut ſucco aranzij loco aceti. Quòd ferculum ventrem cohibet, ſicuti & menſium immodicas euacuationes. Præfatus quoque cibus ſine aceto, lienteriis & dyſenteriis medetur. Si verò quis detracto cortice lentibus tantùm vt ſuprà paratis vtatur, magis aliis nutrient, & minus adſtringent. *Fabæ.* Fabæ flatuoſæ admodum ſunt elixę, etiam ſi diutius elixentur, toſtæ minus id efficiunt: ſed craſsiorem ſuccum præſtant & difficilius coquuntur. Magis omnibus flatuoſæ ſunt virides, ſiue immaturæ, vti in Hiſpania frequẽtiſsimæ ſunt in vſu medio vere: ſed tamen & virides cum carnibus bouinis elixantur à nobis, & à quibuſdam caſeo addito eduntur, ſine ipſo tamen non admodum flatulentas eas experimur, vbi virides elixentur. Eſt autem omnibus fructibus commune, vt ante maturitatem humidiorem ſuccum præſtent, & excrementoſiorem, non tantum in ventre ſed in corpore toto. Præſtant autem, vti & quouis alio modo elixatæ, aut crudæ, paucum ſuccum, ſed inconſtantem, talem etiam præſtant vbi fractæ in paruas portiunculas elixentur in carnis iure, aut in aqua, oleo & ſale, aut vbi integræ prædicto modo parentur, addito petroſelino, aut vbi ex earum farina pultem confeceris. Habent tamen detergendi vim, qua inteſtina detergunt, & ex farina earum & melle, medicamentum conſtituitur, ad *Piſa.* faciei maculas. Piſa quamuis fabis ſubſtantia ſimilia ſint, non habent detergendi facultatem, vt ipſæ, neque parem habent vim flatum generandi. At verò ſi Piſa recentia cum valuulis edantur, magis aliis flatum generabunt, *Cicera.* ac ructum mouebũt. Cicera ſimiliter fabis flatulenta ſunt, craſſum generant ſuccum, & pluſquam fabæ detergunt: nam renes mundant ab excrementis ex quibus arenulæ & lapides generantur. Id verò potiſsimum faciunt cicera nigra, ita vt lapides ipſos iam genitos comminuere valeant, ad quod eorum elixationem præbemus, præterea ſeminis augendi vim habẽt. Eduntur cicera immatura ac ſunt aliis magis flatulenta, & excrementoſiora: toſta verò craſſum admodum ſuccum præſtant, & fœtidum ructum pariunt. Cum carnibus verò arietinis, & galinarum, cicera elixamus vt iura fiant gratiora & vim aliquam detergendi conſequantur. Elixantur etiã cicera cum ſpinachiis, additis melle, oleo, ſale & pipere, cibus quibuſdã gratus, cæterùm diſparis admodum naturæ: nam cicera tardius quàm ſpinachiæ coquuntur. Diſpar quoq; ſuccus eſt, quem ambo præſtant: minus autem diſpar cibus eſt, qui ex ciceribus & caſtaneis comparatur cum melle, pipere, ſale, & oleo, craſsi tamen ſucci, flatu- *Cicercula.* lenti & excrementoſi. Cicercula verò craſſam atq; terrenã habent naturam, & flatum generant, quibus in rebus ciceri perſimilis eſt: verùm deeſt ei vis detergendi, renes mundandi, & lapidem comminuendi: ſiquis enim eius naturam experiri voluerit, hæc inueniet. Lupinus diuerſam habet naturam, nam calore participat, quod docet amaritudo: hanc verò elixus & maceratus deponit, terrenúmque & craſſum præſtat alimentum: tardè ſuperatur atque deſcendit per ventrem, neque ventrem adſtringens, neque eundem laxans, veſcitur à pauciſsimis, ſed cum oleo aceto & ſale. Fœnogræco in hac noſtra regione nemo (quod ſciam) veſcitur, ſimile lupinis præſtat alimentum, ſed eius vſus in medicina frequens eſt, nam ex fœnogræci muſcilagine & melle ad mellis conſiſtentiam deductis, eligma fit educendis à pulmone & thorace accommodatum, & ex vino in quo fœnogræcum elixatur, cum melle, oleo anethino & ſale, clyſteria conficiuntur, quæ pituitam ventris detergunt, & in te- *Phaſeli.* ſtinorum, renum, & meatuum vrinæ dolores mitigant. Phaſeli propè accedũt ad lupinorum naturam & magis alunt quàm fœnogræcum. Eruo quoque bo-

mines

mines non vescuntur, quoniam insuaue, crassum, & prauum est alimentum, boum autem saginandorum est cibus. Sesamum calidæ naturæ est ordine primo, humidæ verò in secundo, Pinguis substantiæ, quapropter repositum citò oleosum fit, stomachum subuertere valens. Crassum præstat succum, & qui non facilè coquatur. Vt verò hoc promptiùs perficiatur, melle sesamum parant in placentis, eas appellabis sesamidas, quas ex crudo melle confici dixit Gal. Nostra tamẽ tempestate placentæ prædictæ deducto melle elixatione, ad solidam & duram consistentiã conficiũtur, & quæ in plateis venales hyberno tempore habentur. Lactantes mulieres eis vescuntur, quibus non parum proficiunt ad lactis augmentum. Semine lini nostra tempestate homines in medicamentis tantùm vtuntur, non in cibis, crassæ autem substantiæ cibus est, & coctu difficilis. Semine tamen cannabis vescuntur nonnulli in tragematis, placentarum modo ex melle confectis, ad spissitudinem ducto: quidam etiam tostum edunt semen cannabis adiecto sale, quidam lac ab ipso expressione ducunt, quod cum sacchato ebullire facientes, cibum potabilem amygdalato similem parant. Cæterùm vtcunq; plurimum calefacit, flatuosum est, & caput implet, ac grauat.

Sesamum.

Cannabis.

De Fructibus. Cap. VI.

ANTEQVAM Vires fructuum singulorum persequamur, in vniuersum de fructibus, quædã admonere placet. Omnes nanq; fructus parum succi corpori præstant, qui bonus non est, & citò corruptionem recipit, omnibúsque fructibus communis ratio est, succum inconstantem præstare, qui breui discutiatur. Præterea ex fructibus omnibus excrementa copiosa separantur, quæ aut abundè per ventrem descendunt, aut per vrinam segregantur, aut ad membra delata, in sordem & flatum mutata discutiuntur. Id quoque nemo ignorat, alimentum, quod fructus accommodant, bonum non esse: nam prẽter id quod ex ipso caro non accrescit firma, constans, & temperata: antequam in carnem & corporis substantiam mutetur, frequentissimè corruptionem patitur: quod in fructibus qui æstiuo tempore eduntur, & in fugacibus maximè experimur. Hi enim citissimè putrescunt, & quandoque febres efficiunt, quandoq; quarundam partium morbos, & quandoque in malam corruptionem, & veneficam transeunt naturam. Ab omnibus igitur fructibus abstinere consilium est perquàm vtile, à fugacibus tamen præceptum magnopere seruandum. Licet tamen quandoque atque rarò eisdem vti, eis qui æstatis tempore refrigerari exposcunt, & sitim arcere contendunt: quales sunt qui aut iter egerunt, aut vehementius exercitati sunt. Illi enim qui exercentur, excrementum omne citò & abundè discutient, atque eadem causa corruptio succorum minùs timenda erit. Qui verò literis incumbunt, & in quiete, & otio degunt, non sine magna noxa fructibus vtẽtur, & eò magis si ventrẽ habuerint languidiorem: id quod omnibus literis operam nauãtibus commune est. Peculiare verò his qui ante completam ventris coctionem operi animũ applicant, vt cruditates aceruent in ventre, vbi retineantur: ipsis tamen crassis succis delatis ad renes, obstructiones patiantur, & arenarum, ac lapidum generationem: quòd si in corporis ambitum digerantur, vasorum obstructiones, & deinde putridas febres. Quapropter admonendum duximus, vt prædicti quàm maximè à fructibus abstineãt æstiuis, autumnalibus, & à fugacibus maximè, qui ob facilem corruptionem asseruari non possunt. Quòd si magna vrgente siti, aut tempestatis calore, quis eisdem vti debet, vt prima mensa summantur oportet, nisi fuerint ex his qui ventrem adstringendo cõprimunt. Postea verò quàm quiescentes, aut sensim deambulãtes coctionem ventris perfecerint, commoda vtantur exercitatione, quæ excrementa discutiat. Qui enim ante completam coctionem literarum studiis, aut grauioribus negotiis literas legens, aut scribens, aut

Literis incũbere quotn hora à cibo licet.

dictans, aut cartis ludens animum accommodauerit: præter id quòd ventris coctionem imperficiet, ipsam tardius complen coget. Ego quidem, cùm per horam, aut duas irrepetibili negotio aliquando astrictus fuerim, post prandium, idem omnino tempus retardasse coctionem expertus sum, quoties accidit me talibus negotiis impendisse tempus. Qui itaque vndecima hora ante meridiem prandsus fuerit, tertia pomeridiana in negotiis versari, aut legere epistolas, aut easdem scribere sine noxa potest. Vehementibus autem cogitationibus implicari, aut altioribus literarum studijs immergere animum, ante quintam non licet, nisi quis quarta quoque hora pomeridiana (non enim est omnibus vna hora definita) eadem aggredi audeat, cuius venter calidior sit.

De Fructibus fugacibus herbarum.

QVEMADMODVM Galen. ita & nos in hoc loco de fructibus herbarum hinc fruticum primũ agemus, qui etiam fructus fugaces, quod reponi non possint, dicti fuere: quorum numero, est Melo: a Latinis & Hispanis, sic appellatus, pepone multo maior. Verùm is qui melon à nobis dicitur, à Galen. pepon appellatur: qui verò à nobis pepon, ab ipso melopepon. Quod probatur, ex Gale. verbis: cùm enim explicat peponis nomen, quare inquam, sic fuerint appellati, inquit: Nam vox hæc πέπων velut τὸ πέπαον, hoc est maturum significat. Id tamen nostris melonibus conuenit, qui edi nullatenus possunt, nisi maturi: peponibus autem nostris non conuenit nomnis ratio, qui semper ante maturitatem eduntur, & maturi minus grati sunt. Rursus cap. de Melopeponibus inquit: Huc accedit, quòd in peponibus homines à carne intima in qua semen habetur, abstinent, in melopeponibus autem mandunt: cóstat autem nos non abstinere à carnẽ quæ continet semen eorum qui à nobis pepones appellãtur, abstinemus tamen ab ea quæ continet semen melonum: melones igitur nostri pepones Galen. sunt, & pepones nostri, illi qui à Gale. dicuntur melopepones: præterid quod melopepones dicit non adeo facile corrumpi in ventre, vt pepones: constat autem nostros pepones esse qui nõ adeò facilè corrumpuntur, vt melones. Melones quoque nostros corruptos choleram morbum afferre. Verùm nos cum Plinio rotundos melones, aut melopepones dicemus, oblongos verò pepones, vti apud Hispanos. De melonibus itaque nostris, qui peponibus sunt maiores, dicemus, post maturitatem quosdam esse gratissimos gustui, odorem quendam aromatis referentes, quem dicunt cordialem odorem, quorum optimi Cæsaraugustæ prodeũt, quidam virides, quidam albi, quidam pallidi. Pallidiores autem ante maturitatem incunte, autumno colliguntur, & suspensi seruantur hyeme fere tota, & quidam vltra sex menses: appellant eos melones Romanos, apud alios sarraceni dicuntur. Ante reliquos cibos edi debent, ne ventrem subuertant, quamuis apud quosdam contraria sit consuetudo, absq; manifesta noxa: id verò non laudo. Nam melones succum malum præstant, & facilè subducuntur: quæ verò talia sunt alimenta, primo loco ingeri debent, docente id experimẽto, accedente ratione, quã post adducemus. Vomitum itaque melones prouocant, quoniã aquosam serosam, & humidam habent substantiam. Quòd si in ventre corrumpantur, choleram morbum efficient. Refrigerant, si frigidi edantur, sitim sedant, vrinã mouent, deterione quoque qua vigent, renes mundant à pituita & arenulis, cui negotio semen adhuc est accommodatius. In febribus declinante iam morbo, iis qui malè appetunt, ad excitandum appetitum, parum edendum concedimus. Pepones in frigidandi vim habent, melonibus maiorem, minúsque boni succi sunt, ac minus ventrem subducũt, aut vrinam cient. Editur totus pepo solo externo cortice sublato, nam & semen & tota caro esui est, nondum maturitatẽ integram assecutis. Editur quandoq; cum sale, aliquando verò in acetariis additis petroselino, quod appellamus peresil, mentha, sale, aceto, & oleo, ingeritur ante re-

Melo.

Pepones.

qua

liqua, & refrigerat, pituitam detergit, & renes mũdat. Elixos cũ iure carnium bilioſis & ſimilibus febribus laborantibus exhibemus, quos probè infrigidant. Cucumeres præterea magis melonibus infrigidãt, difficilius coquuntur, craſſiorem ſuccum generant, minus tamen detergunt, atq; vrinam mouent. Cum ſale quidẽ, oleo, & aceto parati peponũ modo dicto, minus mali ſunt, mentha addita, ſtomachis tantùm calidioribus concedendi, in reliquis nanq; incrudantur, quod docẽt ructus nunc acidi nunc autẽ fœtidi. *Cucumis.*

Melongia, ſiue Melongena herbę fructus rotũdus, colore viridi, parte inferiore, ſuperiore verò iridis. Fructus pediculo hæret, & veluti calice quodã continetur, ad roſę ſpeciẽ diuiſus. In his regionibus frequẽs eſt, æſtatis tẽpore. Editur multis modis parata melõgena à Toletanis maximè, à quibus verẽgena appellatur. Craſſum ſuccum & melancolicum præſtat, & difficilè coquitur, cadẽ oſtendit eius acerbus ſapor. Paratur elixa cum carnibus pinguibus, deinde editur cum iure earundem, caſeo adito. Melongenę ante quàm elixentur, ſaliuntur, & vehementer exprimuntur. Seruantur in aceto, atque tota hyeme cibus multorum modorum ex ipſis conficiunt, à quibuſdam ſeruantur melle conditæ, nonnunquam etiam coquuntur ſapa. *Melongia.*

Cucurbita ex fugacibus fructibus eſt, licet enim repoſita ſeruari poſſit, omnem tamen alendi vim amittit. Cruda à nemine citatur, quoniam aquoſam, frigidam, & valde tenuem præſtat alimoniam, omnique ſapore priuatam; habẽtque id commune aliis omnibus aporis, ſiue ſaporis expertibus, vt facilè in cuiuſvis adiuncti naturam tranſeat, ſiue in ventre ipſi miſceatur, ſiue extra, antequã ingeratur. Nam ſi ſolã quis edat, atq; in ventre ipſius præfuerit pituita, in pituitam tranſibit, ſi bilis, in bilem: ſemper tamen in tenuem humorem, quamuis qui præfuit in ventre craſſus foret: extra quoque ſi cum ſinapi miſceatur, deinde ingeſta in acrem tranſibit ſuccum. Paratur itaque elixa in carnis iure ad alendos febricitantes, refrigerat enim & parum alit, tenuem quoque ſuccum præſtat. Quidam, parant ipſam in ſartagine oleo frigentes, vbi plurimum aquoſæ ſubſtantiæ deponit: quidam etiam in lacte cucurbitam elixant, additis ſale, & ſaccharo, cibus me iudice, guſtui gratus, infrigidans & probè nutriens, hecticis, & à morbis bilioſis reualeſcentibus vtilis valde. *Cucurbitæ.*

Fraga fructus & moris paruis ſimilis, rubens, guſtu & odore valde gratus, inter fugaces fructus recẽſetur, cito namque corrumpitur. Fraga refrigerata ſitim ſedat, parum nutrit, & facilè per ventrem deſcendit: Cum lacte à quibuſdam editur, verùm caput tentat & facilè corrumpitur, vbi verò non corrumpatur, abundè nutriet. *Fraga.*

De Fructibus arborum & fruticum.

DE Autumnalibus fructibus deinde agendũ nobis eſt, è quorum numero primum locũ habere ficus & vuas Gale. placet, quamuis hi & reliqui fructus autumnales prauum ſuccum generent. Erunt autem & ipſis meliores, qui minus alunt, & qui alimentum præbent tenuius, & ſuccum qui facilè tranſpiret, & citius per ventrem deſcendat. Ficus quidem carnoſa pars facilè conficitur, ad deſcenſum autem facilem ſeminis acrimonia irritãs inteſtina non parum agit, quamuis ſemen ipſum inconfectum pertranſeat: Subſtantia verò, quæ veluti caro ficus eſt, lecur tardè permeat, & deinde improbum & excrementoſum generat ſanguinem. Veràm leue eſt alimentum quod ab ipſis præſtatur, & quod facile à calore diſſoluitur, ſicuti & caro quæ ex ipſis generatur. Rurſus flatum in ventre generant, eſſẽtq; is ventri moleſtus & dolorificus, vt Galen. inquit, niſi citò per ventrem deſcenderent. Caricæ quoque educendis à pectore proficuæ ſunt, in quem vſum aſſę ſumuntur poſt cœnam, pauca aqua calida ſuperbibita, prodéſtque is cibus diſtillationibus in fauces & thoracem maturandis. Flatuoſæ quoque ſunt, & excrementum, ad tertiam vſque coctionem, quæ in venis perficitur, aſſeruant, ex quo pediculi generantur: interim. *Ficus.*

verò iecur obſtruunt ac lienem, ad quod vitandum cum origano eduntur; & renes emundant deterſionis vi. Habent quoque id proprium, ſi per ventrem & renes cito deſcendant, bonũ præſtare ſuccum: malum verò ſi in eiſdem retardentur. *Vuæ.* Vuæ autem, quædam ſunt recentes, quædam pẽſiles, quædam paſſę. Recentes flatuoſæ ſunt, pauci alimenti, eius quæ tenuis, & quod facilè expiret. Caro quoque ex ipſis genita lenis eſt, & vt dixerim fungoſa, exemplo ſunt vinearum cuſtodes, qui ſolis vuis, & ficubus aluntur, potiſsimu mſi panem non addiderint: hi enim breui implentur, ac ſaginantur, atque rurſus breui extenuantur. Quod ſi vuæ prædictæ in ventre remorentur, improbè coquentur, & in venis prauum ſuccum generabunt, Capitis dolores afferunt, ventrem diſtendunt: Quapropter reſpirationem impediunt, & ſuſpiria adhuc magis. Ea de cauſa qui amore cõflictantur vuas edere nolunt, quoniam cordis compreſſionem patiuntur, ex vuarum eſu, diſtento ore ventriculi, compreſſo tamen corde, nec probè ventilantur, nec ſuſpirare vacat, ob loci anguſtiam. Eſt autem vuarum ſubſtantia variá admodum: nam ſemen durum & terrenum eſt, quod difficilè coquitur, vel omnino immutatũ ventrem percurrit: attritũ verò dentibus, adſtringet ipſum. Membrana ferè nunquam ſuperatur à ventris calore. Ea tamen pars, quæ veluti vuæ caro eſt, ſola nutrit, ac ſine reliquis celerius permeat, magisque nutrit, ſi minus ſucci habuerit: nam vuæ quæ ſuccoſiores ſunt, minus alunt. Vuæ tamen penſiles longè alias ſuperãt, nam hyberno tempore eduntur, quo calor validior eſt, quàm æſtate & membrana minus dura redditur, ab interna carne humefacta: neque interim ſolis vi areſcens: & pars quæ carni reſpondet, ſubſtantiam amittit, quæ flatus generationi materiam præbet, nec perinde vuę penſiles, vt recentes, capitis dolorẽ, aut inflationem ventris pariunt. Sunt autem vuarum multa genera: nam quædam ſunt muſcatelinæ, dulces, calidiores, ac magis flatuoſæ, præter id quòd duram habent membranam & ſemen ſiccius ac durius, & ſuccum generãt craſsiorem, quàm albæ probę naturæ, quæ albulæ, Hiſpanis dicuntur: hæ nanque ſuccum præſtant paucum, tenuẽ, aquoſum, & qui minimè obſtruat. Sunt autem vuæ quædam albæ magnę, & quę membranem habent valde craſſam, quę non niſi appenſę edi debent, quoniam valde flatuoſę ſunt, quarum quędam ab Hiſpanis appellantur Iacnes, quædam torronteſes. Ad harum naturam accedunt oblongæ teſtibus catorum ſimiles, & quæ vnum tantum ſeminis granum habent, quod gigartum appellant, ſed ſunt paulò meliores. Ex nigris verò quædam ſunt Aragonenſes, quæ ſucci ſunt valde craſsi, vinum nanque earum indelebilem maculam pannis impingit, grauiúſque eſt reliquis vinorum generibus. Quæ verò caſtellanæ appellantur, recentes, omnes bonitate ſuperant, habent enim tenuem membranam, & ſimilem internam ſubſtantiam, parum in ventre immorantur, & minus aliis flatum pariunt. Temperatura vuarum diuerſa admodum eſt, nam ante quàm ad maturationem perducantur, omnes frigidæ ſunt, poſt maturitatem verò non omnes calidæ: ſed quæ magis dulces, & quæ minus continent aquoſi humoris. Quapropter & penſiles, nullo participes acore, calidæ etiam ſunt: ante maturitatem verò prius acerbæ ſunt: deinde ex acerbis acidæ, deinde acidæ ſubdulces, & deinde quædam ſemper tales permanent, quędam omnino dulces redduntur. Acerbæ quidem frigidæ ſunt craſſarum partium, & quæ diutius refrigerant, & adſtringunt, ac minimè ventrem pertranſeunt. Acidæ acerbæ partium aliquam habent tenuitatem, magisque aliis infrigidant. Nam & ſi vi caloris acerba in acida tranſeant, ad infrigidationẽ magis agit partium tenuitas, quàm impediat caloris acceſsio. Iam verò calor ſolis acida, maturatione dulcia reddit, ac minus frigida, quo magis dulcia, quod vuæ docent. *Vuæ paſſæ.* Vuas paſſas duobus modis perficiunt, aut vi ſolis, quod faciunt ipſis in palmite relictis retorto pediculo racemi, donec marceſcãt racemus, & vuę. Aliter etiã in lixiuium ipſas ſæpe fundẽtes, deinde exponentes ſoli æſtuanti, priores ſalubriores ſunt. Sunt tamen ex eis quædam

Amore cor repis vuas non amant.

auſte

austeritatis, quædam acerbitatis participes, quædam dulcedine manifesta vigentes, quæ austeritate & acerbitate excedunt: frigidiores sunt, ventrem roborant & adstringunt: quę tamen dulcedine excedunt calidiores sunt, ventrémque medio modo roborant, & adstringunt: vt Gal. inquit, quamuis hunc locum improbè transtulerint omnes quos legerim interpretes, qui sic habent: Ad hoc austeræ stomachum roborant, & ventrem constipant, & his multò magis acerbæ: mediam autem quodam modo inter ipsas constitutionem, dulces obtinent, vt quæ nec stomachum dissoluant, nec aluum subducant. Quę litera falsò indicat voluisse Galen. passas dulces obtinere medium inter vuas passas austeras, & acerbas; quoniã dixit obtinere inter ipsas, ac referre videtur quas dixerat, nempe austeras & acerbas, quod est falsum. Inquit enim Galenus: Καὶ τὸν μὲν στόμαχον ῥώννυσι, καὶ τὴν γαστέρα στέγουσι αἱ ἀυστηραὶ, καὶ δριμύτητι μᾶλλον ἀυστηραὶ αἱ στυφναὶ μεσην δ' πως κρασιν ἡ αὐσταις αἱ γλυκεῖαι ἀποδιδοῦσιν, μετέχουσαι σαφῶς στρυφνότητος μὲν ὑπάγουσαι τὴν γαστέρα. Quòd est: Et stomachũ quidem firmãt, & vẽtrem astringunt, austerq; atq; his magis acerbæ: mediam tamen quodammodo constitutiam in his efficiunt dulces, neque manifestè exoluentes stomachum, neque ventrem subducentes. Facere tamen dixit mediam consistentiam dulces passas, non obtinere: refert autem pronomen αὐταῖς, id est, his, non passas austeras & acerbas, sed ῥώννυσι, & στέγουσι, id est, firmitudinem, & adstrictionem, quæ dico medio quodammodo passæ efficiunt, nec stomachum exoluentes, nec vẽtrem laxantes. Non enim faciunt medium austerarum & acerbarum passarum, neque adhuc medium faciunt inter firmitudinem & adstrictionem, sed in his duobus: nam medio modo vtrumque efficiunt, non igitur inter hæc, sed in his, neque obtinent, sed faciunt legendũ. Præterea vuæ passæ sine semine, aqua aut vino madefactæ conualescentibus in primis mensis offeruntur, ac proficiunt ventriculo, iecori, & intestinis attemperandis, & pituitosis humoribus paucis concoquendis, & detergendis maximè quæ fuerint pinguiores & dulces. Passas præterea pingues si vuis contuleris, passas validius alere inuenies, quales sunt Valentinæ, & à Valdericote, & quæ ab Almũnecar portantur: quædam enim vnum tantùm habent granum. Mora vbi matura edantur, parum nutriẽt, & facilè per ventrem descendent: sed vbi occasione aliqua retineantur, facilè corrumpũtur, & in prauam naturam transeunt. Refrigerant autem ventrem calentem, si frigida sumantur, præter id quod acore quodam participant: edendà tamen sunt aqua abluta & refrigerata. Si verò quis ea ante maturitatem ingesserit, omnino corrumpi necesse est: nam adstringunt ventrem immaturæ ac perinde tandiu in ventre remorantur donec corrumpantur: matura verò ventrem leuiter moliunt. Cerasa quidem, quædam accida, quædam dulcia sunt, sed disparis admodum facultatis. Nam accida vim habent refrigerandi, non obscuram, cùm nondum maturitate dulcescunt, ea aqua frigida abluimus ante esum, & facilè superantur, ac per ventrem descendunt, sitim sedant, & ventrem ac iecur calidum attemperant. Conduntur porrò cũ saccharo & asseruãtur, quandoq; in liquida, à nonnullis etiam insolida & dura forma, selectissimum alimentum medicamentosum, ad calidas ventriculi & iecoris intemperies. Ego quidem has moris non conferrem, cùm manifestò intelligam, longo interuallo acida cerasa superare mora, experimento attestante, cerasa acida febricitantibus, dũ conualescunt oblata, nihil mali afferre, & aliis nominibus prodesse, cum & appetitum quoq; excitent: mora tamen nunquam sine noxa offerri eisdem. Cerasa item acida quum ad integram maturitatem perducuntur, ex rubeis nigra fiunt, & ex acidis dulcia, quæ sanis oblata, & his quorum venter potius ad frigidam temperaturam inclinat, commoda sunt, appetitum commouentia: neq; tamen in ventre tardãtur aut corrumpũtur: neq; nota est eorũ succi malitia. Quinimo nos cerasa acida maximè quæ ab Hispanis Garrofales appellantur, multo succo ac carne plena, omnibus fructibus autumnalibus, ipsis quoque vuis ac ficubus

Mora.

Cerasa.

Cerasa cubus & vuis anteponuntur.

ante

anteponimus. Dulcia tamẽ antequam matureſcant, auſtera ſunt, & poſt maturitatem non nihil auſteritatis ſeruant. Hæc ſunt quæ moris rubi ſimilia dixit Galen.ac perinde poſtrema menſa edenda, terrenam præſtant ſubſtantiam,craſſam, & quæ tarde coquatur, & difficilè per ventrem deſcendat,flatuoſa quoque ſunt, & ructus ſtatim excitantia. Mora rubi quamuis ſuccum

Morarubi. præſtent,qui non adeò facilè vt aliorum corrumpatur, quoniam ventrem vehementius aſtringunt, ſæpe fit vt retenta corrumpantur, & minus grata ſunt guſtui,& vtcunq; deteriora. Aqua frigida irrigata eduntur à ruſticis, fœminis & pueris incontinentibus:quatuor autem,aut ſex edere nihil ſanis nocet, neque his plures,ſi cum pane edãtur. Deterior adhuc eſt fructus cani rubi, & qui à ſolis ruſticis edatur, vehementiùs nanque quàm mora rubi aſtringit, & ter-

Iuniperi fructus. renum admodum, ac paucum ſuccum prębet. Fructus iuniperi calidum præſtat ſuccum ſed paucum,& mordẽtem habet ſaporem cum dulcedine, flatum generat,ac perinde capitis grauitatem ac dolorem. Extenuat, detergitq; craſſos ac lentos humores,& vrinæ ciendæ nonnihil prodeſt.Galen.nec cohibere nec proritare ventrem teſtatur. At verò ruſtici & venatores, quoties ventris grauitatem patiuntur, ſex aut ſeptem Iuniperi baccas integras deglutiunt, ac ventris onus abundè deponunt, vbi eas ieiuno ventre ingeſſerint. Myrti

Myrti ſuctus. fructus adſtringendi vim ac refrigerandi habet,magis autem adſtringit quàm refrigeret:quoniam acrem quandam facultatem mixtam habet. Verùm de alimentis,quæ adeò parum in vſu hominum ſunt,& pauciſsimum præſtant ſuccum,pauca dicere ſufficit. Mala perſica,quæ etiam duracina dicuntur,multorum generum ſunt:nam quędam ſunt,quę nos duracina dicimus,quę externa ſuperficie lanuginoſa ſunt,quædam lanugine carent:ſunt etiam quædam,quę

Perſica. *Chryſomila.* Perſica appellãtur,quorum caro ab oſſe facilè ſeparatur, quædam ſunt Chryſomila, id eſt aurea mala, è quibus Armenica ſunt optima, quæ duarum ſunt ſpecierum: altera eſt eorum quæ à nobis Aluarcoques, à latinis præcoqua dicuntur, & præcocia, quoniam ante alia ſui generis mala maturantur. Altera

Aluerchigas. ſpecies chryſomilorum à Toletanis appellatur,Aluerchigas,hæc verò præcociis ſunt minora, & magis aromatica, & guſtui omnibus gratiora,ſunt etiam & quæ à nobis appellantur malocotonea. Ex his duracina lanuginem habentia eis quæ eadem carent nulla ferè in re differunt,ſed vtraque facilè coquuntur,& per ventrem deſcendũt,prauum ſuccum generantia,quapropter prima menſa ſumi debere docet Galen. Quæ perſicis, & armenis communia ſunt, quamuis perſica acida magis, & duracina magis dulcia ſint, armenica verò mala dulcia ſunt, & aromatis odorem referunt, ſuaue quid odore & ſapore præ ſe ferentia. At quę mala cotonea à nobis dicũtur,ſemper poſtrema menſa ſumuntur:nam &ſi prauum ſuccum,vt reliqua generant, nõ facilè ſubducuntur, quoniam ventrem adſtringunt, & ſtomachum roborant: auſtera enim quodammodo ſunt. Sic etiam ex chryſomilis, præcoquis, duracinis, & perſicis,quæcunque non integram aſſequuntur maturationem,adſtringendi vim habent,ac iure poſtrema menſa ſumuntur, ſicuti & eorum carnes ſole arefactę. Probè autem matura,vi adſtringendi carent,faciliùs ſubducuntur,& non niſi prima menſa ſumi debent,omnibus ineſt vis infrigidandi,& humectandi. Præterea ante integram maturitatem,duracina parant, oſſa eximentes,carnem deinde in vino albo madefacientes,& exponentes ſoli,vt contabeſcant, idque ſępius faciunt, donec humorem aqueum amittant, & arida ſeruentur in annum,bonum quendam odorem ſeruant, & guſtui gratum ſaporem, cum vino madefacta. Facilè coquitur is cibus ac ventrem roborat tum adſtrictione manifeſta, tum aromatis natura, qua participat. Has carnes nos appellamus Orejones, quas aridas ad poſtremas paro menſas, ob dictas cauſas, madefactas verò vino aut aqua ante alios offero cibos, ob deſcenſum facilem. Quæ verò ex malocotoneis fiunt, vtcunque poſtremo loco offerãtur. Condiunt pariter mulieres Hiſpanæ perſicorum carnes cum ſaccharo, prius eaſ-

dem

dem malaxantes, & per cribrum tenuem, ex ſetis equinis contextum colantes. Miſcent autem ab initio ſaccharo, ad eliquationem, roſaceam aquam inſtillatitiam. Habet verò id conditum vim roborandi ventrem, excitandi appetitum, ac efficiendi bonum oris odorem, quemadmodum & carnes ſole exſiccatæ quas prædiximus. Ad quod non minus valet ex ſucco eorũdem malorum ſyropus, quem pharmacopolæ venalem habẽt. Mala nomine generis ſic appellata, poma etiam dicũtur, à nobis maciana, multis generibus diſtinguuntur. Sunt enim quædam acida, quædam auſtera, quædam acerba, quædam inſipida, quædam ex his mixtam habentia naturam, quibus facultates inſunt pro ſaporum ratione. Nam acida frigidiora ſunt dulcibus, & minus flatuoſa, tenuioris quoque ſubſtantiæ, quàm auſtera, & minus eis immorantur in ventre, præter id quòd ſuccos lentos, ſiqui ſint in ventre & inteſtinis, detergunt: ſi verò ventrem mundum reperiant, ipſum ſiſtunt. Auſtera, & acerba, frigida ſunt craſſioris ſubſtantię, & tardiùs per ventrem deſcendunt, ita vt ventrem retineant. Ea verò vbi elixentur, aut in cineribus aſſentur, vim eam fere in totũ amittunt, & inſipidis ſimilia fiunt, quorũ eſt aquoſa ſubſtantia. Dulcia præterea aſſatione flatuoſa cũ ſint à natura minimè generant flatum: quoniã ignis vi diſſoluitur, ac coquitur humiditas parata generationi flatus. Sed nos febricitantibus acida poma aſſa quandoque præbemus, ea enim parũ nocuum præſtant alimentum, facilè ſuperatur & flatuoſa non ſunt. Cæterùm quod de eadem re Ducis Metimnenſis curam gerenti, eodem in oppido, mihi contigit, referam. Præperam cuidam febricitãti vt poma acida aſſa cœnaret: occurrente autem horis duabus à cœna, in ventrem bile coactus eſt bilem & poma vomere. At verò medicus alter, de ſecta Sarracenorum tenui mercede ab infima plebe conductus, cùm hęc audiſſet, victum & inſtitutorem accuſabat, flatuoſa eſſe poma dicẽs, ac ſublata voce, Moyſi cuiuſdam Aegyptij teſtimonium adducebat, qui aliquando dixit, poma generare flatum in neruis & muſculis, qui non citra laborem diſſoluatur. At ego, inquam, Iudæorum placita non tanti facio: verùm poma acida flatum non generant, quæ ſi dulcia forent, aſſa tamen, minimè ipſum generaſſent: nam ſi verum eſt, flatum à pomis genitum non niſi difficile ſolui, à calore noſtro intelligi debet: quod ſi à noſtro calore difficilè diſſoluitur, vbi aſſentur facilè ignis calor id faciet. Aſſa ergo quamuis dulcia, flatuoſa non ſunt. Ipſe verò hæc & multa quæ tam inter curandum, quàm inter prædicendum me pronunciantem audiebat, publicè accuſabat, ſed ſingula (adeò erat carnifex deprauato animo) albis ſcribebat, & vt ſibi aliquando profutura, memoriæ mandabat. Sed quid ego modò eius imperitiam commemorem, quo nunquam futurum ſpero vt Metimna, aut Guadalaiara aut Atienca deteriorem ſentiant peſtilentiam, neque ſenſit ipſe Cranon. Sunt præterea poma quædam dulcia cum pauca quadam auſteritate, quæ à nobis anethina dicuntur, quæ ventrem roborant ſua ſubſtantia, & cor odore. Quæ verò dulcia tantum ſunt boni odoris, omnibus ſuccis bonitate præferuntur, quas appellãt, camueſas, quæ poſtrema menſa offeruntur, cum aniſo ad flatus diſcutionem. Condiuntur hæc prædicta ſaccharo, proſúntque non parum triſtatis, & melãcholiam morbum patientibus, nec difficilè ſuperantur, nec tardantur in ventre. Pira ferè eaſdem habent, differẽtias quas poma, ac eaſdẽ ferè facultates: verùm poma quædam, maiorem piris omnibus habent acorem, & pira quędam magis pomis adſtringunt. Præterea poma aſſa nunquam piris auſteris aſsis ęquiparantur, è quibus quædam ſunt autumni tempore collecta, quæ cruda ob auſteritatem, & acerbitatem edi non poſſunt, aſſa verò, aut elixa grata guſtui fiunt, & ſalubria, ſi quis alter ex fructibus cibus, appellant hæc pira ſancti Michaelis. Quædam etiam pira ſunt dulcia & auſtera, quæ parum adſtringunt, quędam auſteriora, quæ adhuc plus comprimũt ventrẽ. Quapropter, ante reliquos cibos aſſumpta ventrem retinent, poſt cibos verò, præſertim ventrem emollientes, ventrem

Malus.

Hiſtoria.

Pira.

ad excretionem excitãt, reliquis cibis inferius depræssis, quod piris & pomis, & coronis, & in summa austeris & acerbis omnibus, est commune. Laudantur pira dulcia aromatica parua, quæ muscatelina vocantur, cor roborantia, atq; os ventriculi, gratissima sapore & odore. E quibus siquis decẽ postrema mensa esitauerit, nihil mali sentiet, dummodo matura edantur. Hortulani nanque vt maiori pretio vendant, ante maturitatem ea colligunt. His proxima bonitate sunt, dulcia multo succo plena, quæ vinosa dicuntur, eduntur refrigerata ad sitim sedãdam. Condiuntur veluti & de pomis diximus, quæ dulcia sunt, nonnihil austeritatis habẽtia. Cydonia, Græcis chrysomela, latinis coronea dicta sunt, & aurea mala, & ex eisdem dulciora, struthia mala. *Cidonia* Hæc ante maturitatem maxima acerbitate pollent, & paucum succum expressione concedunt. Deinde cùm matuescunt, quædam dulciora fiunt, quędam acida semper manent: adiungitur autem omnibus adstringendi vis, sed quibusdam vehementior quàm aliis. Paucum succum præstant, atque crassum, & terrenum, & qui tardè permeet. Difficilem itaque coctionem admittunt cotonea mala, fluxum ventris cohibent, & vomitum. Cui negotio conducit ius carnis in quo cotonea elixa fuerint, & syropus ex succo cotoneorum & saccharo. Cæterum ex carnis eorum, per cribrũ translatis, & saccharo fiunt milo placenta, appellata. Sed Lusitani, & Valentini, ex succo cotonorũ & saccharo conditum efficiunt, vẽtri suaue, quod eius vires placidè roborat, & appetitum excitat: in quos vsus quidam aromata miscẽt, sed hæc caput tentant: &, eò magis quòd à succo malorum in ventre detenta diutiùs effumant in caput: seruatur ex succo eorum & melle conditum, Gale. autore, in septimum annum. *Punica.* Punica verò mala quædam dulcia, quædam acida sunt, quædam vtraque qualitate participant. Dulcia flatuosa sunt, acida à ventre pituitam detergunt verùm non facilè fert gustus eorum acorem. Media tamen sitim sedant: granis prius in frigida refrigeratis, flatũ etiam generant, sed non adeò copiosum vt dulcia. Verùm quoniam omnium succus paucus est & tenuis ac minimè tenax, facilè flatus ab ipsis genitus discutitur. Mandunt autem grana rubea punicorum malorum: post maturitatem, succum sugentes, deinde partem ipsorum interaneam, quam vocãt Hispani cinera, spuunt. Nisi quis decreuerit ad ventrem retinendum, eam mandere ac deglutire. Ex succo punici mali & saccharo medicamentum fit, quod oxysaccharum appellant, optimum ad supprimendum sanguinis feruorem, & corrigendam leuem putredinem. Quo vtimur cùm sanguinem putre- *Pruna.* scentem ad benignum, quod aiunt reducere volumus. Pruna multorum generum habentur in Hispania, quædam dulcia, quædam acida, quædam mixtæ qualitatis: habent quoque nonnihil austeritatis quædam ex ipsis. Galenus Hispana magis ventrem soluere, & Damascena ipsum magis adstringere dixit. At verò nihil refert aut Hispana, aut Damascena disquirere, sed nosse austeriora magis adstringere, dulcia minùs austera, soluere magis ventrem: cáq; esse eligenda postea quàm exsiccata fuerint ad confectionem medicamenti, quod ex prunis pharmacopolæ parant. Sunt ergo pruna quædam nigra, sed oblonga, quæ apud nos Damascena dicuntur: hæc omnium primum bonitatis obtinent locum, dulcia cum pauca austeritate, quorum caro ab osse facile seiungitur. Secũdum locum tenent quæ parem habent longitudinem, sed sunt viridia ac minus suauia prædictis, hæc appellant pruna monachorum. Sunt alia quæ autumnalia à quibusdam appellantur nigra, rotunda & parua, magis acida prædictis: succi tamen bonitate primis æquiparatur, non suauitate, seruantur à quibusdam in hyemem, interim tamen ferè in totum amittunt acorem, & dulces fiunt. Quædam sunt pallida calore, oblonga, non magna, quæ pruna passa dicuntur, adhuc cùm recẽtia sunt, quoniam ea exsiccare permittunt, vt pruna passa faciant. quæ in annum ad vsum seruãtur. Ea enim in aqua madefacta ad arcendam sitim febricitantibus exhibent, & ad ventrem molliendum; cum saccharo, & deinde aqua calida, aut iure carni superbibito.

Con

Digitized by Google

Conficiunt etiam ex earundem carne medicamentum, quod ex prunis appellant, aut ex eisdem carnibus prunorum & saccharo, conditum, ad mollien-dam aluum. Pessima omnium sunt quæ porcina vocant, & quæ porcis tantùm præberi debeant. Mediæ bonitatis sunt, quæ viridales vocantur. Ego quidem pruna primo loco dicta vuis & ficubus anteponerem, quòd facilè coquantur, & per ventrem descendant, nec ventrem distendentia, nec caput grauantia. Et pruna autumnalia in hyemem seruata, vuis pensilibus pręponerem eisdem de causis. Mespila & Sorba ferè pares habent vires: verùm mespila vehementius adstringunt, sorba verò suauiora sunt: sed hæc duo fructuũ genera potius in medicamentorum, quàm alimentorum censu sunt. At verò quidam sorbas in hyemem seruant & mespila in aceruis tritici, vbi maturitate dulcedinem non ingratam assequuntur, & paucam seruant acerbitatem: verùm & hæc parcè sunt edenda. Qui verò largiùs eadem ingesserint, ventris adstrictionem patientur, & singultum. Palmæ fructus, Balanus etiam, & phœnicobalanus appellatur, ante maturitatem austeritatem ostendunt vehementem, flatúmque generant copiosum, & difficilè coquuntur palmulæ. Ex his verò quæ iam ad maturitatem peruenerunt, quædam sunt dulciores & pinguiores, veluti quæ à Hiericonte Palestinæ portantur in Italiam, sed ab Africæ maritimis locis phœnices, siue palmulæ vehuntur in Hispaniam pingues, dulces, & gustui gratæ, cum quibus eligunt aquam potius quàm vinum bibere, ob dulcedinem: siquidem post dulcium esum vinum minus gratum est, quinimo amarum bibentibus apparet. Præterea salubrius est aquam bibere, ne vinum phœnicas iecur penetrare celeriùs cogat, atque idem obstruere vehementius. Quæ namque ex eis austeriores sunt, magis ventrem adstringunt, & quæ dulciores, magis obstruunt iecur, & lienem, sed hæc pulmonis morbis, cum humore prosunt: vias namque sputo leniunt, caput tamen grauant, & calfaciunt, ac flatum generant. Quapropter etiam aqua eis commodiùs quam vinum adiungitur. Prauus item & valde noxius cibus paratur à mulieribus Hispaniæ ex dactilis, & nucibus, melle conditis, quam enixis exhibent, is enim obstruit, purgationes remoratur, capitis efficit dolores, calefacit ita vt febres concitet. Adstringendi verò causa ex ipsis emplastra componunt, non inutilia. Qui verò immodicè palmulas ingesserit, cùm cõtrarias habeant facultates, dulcem, inquam, & adstringentem & flatum generare valeant, tormina patietur. Nux quam regiam appellant, quædam est recens adhuc humida, paruo sapore pollens, quædam antiquior, quædã etiam quæ myria, antiquitate oleosa & rancida fit, esui inutilis & amara. Calida nux est: acredinis nonnihil habet, qua os & ventriculum frequentiùs sumpta exulcerat; & recens, quæ iam obdurescere incipit eò magis, quòd lactis parum contrahit à generatione, in quo vis est vehemens detergendi, ac perinde temporis processu repetito vlcerare, & has quas aphthas vocant, efficere. Eduntur optimè cum pane, obtundente ipso acredinem nucum, gratæ quoque sunt. Cum caricis & additis rutæ foliis à peste præseruant, si manè ante alios cibos edantur, pauco vino diluto superbibito: miscentur autem à quibusdam cum amygdalis caricæ detergendi ratione, sed omnia alia melius cum nucibus miscentur caricæ, ac meliorẽ succum generant. Habent omnes aliquam adstringendi vim, quam emendant caricæ: parant tamen coqui salsamentum, quod appellant nogada, ex nucibus mica panis in aqua madefacta, & allio pauco ac sale, omnia simul malaxantes & sensim aqua infusa calida, aut iure piscium, ad quorum esum paratur, deinde oleum addunt, hæc quidem piscium durioris carnis coctionem adiuuat, sed capitis efficit dolorem, & eius frequens vsus humores assat, atque ex piscibus, salsam efficit pituitam. Auellanæ omnibus notæ sunt, minores nucibus, quarum nucleus est, vt nucum asper, crassiorem succum quàm nuces præstant, & magis terrenum, qui difficiliùs superatur ac distribuitur, frigidæ quoque sunt. Cæterùm earum

Mespila.
Sorba.
Palmæ fructus.
Auellanæ.

damna corrigit assatio in cineribus: quæ enim assæ sunt, melius coquuntur, suauiores sunt, & pauca adstrictione in postremis mentis os ventris roborant, & fumos in caput ascendentes arcent: vbi tamen primum assentur, deinde contundantur ac comminuantur, ferculum conficiunt ex carnis iure, quod ieiuno ventre ingestum caput roborat, languentibus senibus, & vertiginosis vtilissimum cæterum terrenum excrementũ copiosius in ventres & intestinis aceruant. *Nux pini.* Nux pini, quam vocant strobilum, crassum præstat succum, ac multum, parum calidum, & non parum humidum, seminis generationi aptum cæterum capitis dolorem efficit, & ventriculum imbecillat. Recens suauior est: ante annum verò magna ex parte rancescit, & oleosa fit, ac perinde in aqua ipsam præmadefiunt. Prodest humoribus à thorace & pulmone spuendis, ad quem vsum condiuntur cum saccharo, & medicamentorum ad id valentium compositionem ingrediuntur. *Amygdale.* Amygdalæ dulces modicè nutriunt, tenuem succum præstant, & qui attenuandi facultatem habeat: quapropter prodest etiam spuendis humoribus à partibus thoracis & pulmonis, sicuti iecoris leuibus ostrictionibus. Temperati verò caloris sunt, quod dulcibus conuenit, sed & ipse pauca quadam amaritudine participant, quæ obscuratur dulcedine. At verò arbores dulces ferentes amygdalas, diutius inculti, amaras ferẽt, quibus maior est attenuandi vis, ita vt detergant, sed hæ ob amaritudinem esui non sunt. Ex dulcis tamen fit amygdalatum, amygdalis malaxatis aqua superaddita, ac per linteum colato succo, deinde saccharo addito, & igne lento feruefactis, quod parum nutrit, sed temperamento proximè accedit, somnúmque conciliat suaui vapore in caput transmisso. *Oliue.* Oliuæ quædam eduntur post maturationem nigræ, quas drupas, aut dryopas appellant, sale addito: quædam autem ante maturitatem leguntur, & condiuntur muria, additis anetho, thymo, & foliis lauri, quidam etiam limonum fragmenta superaddunt: quidam muria tantùm cõdientes oliuas eas origano inspersо edunt. Quæ itaque naturæ eduntur, nullam manifestam habent adstrictionem: verum humorem generant melancholicum, mœstitiam pariunt, & cordis dolorem. Ante maturitatem verò paratæ modo dicto, adstringendi vim habent, ac perinde post alios cibos eduntur, os ventriculi roborantes. Quod si à cœna sumptis, somnus paulo pòst sequatur, sequenti die sapor earum in ore sentietur, adeò validè hærent, os ventris comprimentes. Excitant quoque appetitum, sed crassum succum, ac melancholicum generant. *Pistacia.* Pistacia, quæ aliis listacia, & fistica, appellantur, à Syria primùm in Italiam transtulit Vitellius censor, Tiberij Cæsaris temporibus, deinde Flaccus Pompeius Eques in Hispaniam. Paucum succum præstant, sed qui semini augendo proficiat: vim habẽt deobstruendi iecur, nec tamen adstringunt, nec laxant ventrem. *Zizipha.* Zizipha à Gale. serica appellantur, vulgus medicorum cum pharmacopolis iuiubas dicunt, Hispani & Arabes, azufaifas. Temperatæ naturæ cibus est, in primis qualitatibus, sed earum substãtia crassa, parum nutrit, & difficilè permeat ob lentorem: ac perinde obstruunt iecur & alienẽ. Ziziphæ optimæ sunt, ædesinæ dictæ, & maiores. Post maturitatẽ valde dulcescunt, sed exima pellicula semper dura & mẽbranacea, manẽs, inconfecta descendit per ventrem inquit, Gal. à pueris & fœminis effrenatis tantũ expetuntur, quod nostro etiã seculo experimur. Earũ autem decoctũ thoracis & pulmonis morbis à tenui & calida fluxione excitatis proficuũ est. *Myxa.* Myxa, quæ sic basta, & sebestena appellãtur, non lõgè absunt à zizipharũ natura: paucũ enim præstãt alimentũ & lentũ, quapropter cohibẽt calidas in pulmonẽ & thoracẽ fluxiones. Temperatæ naturæ sunt, tussientibus & gutturi exasperato opitulãtur, ventrẽq; emolliunt, quarum decoctũ ad eum exhibetur vsum. *Siliqua.* Siliqua quæ cerationi dicitur, porcis frequẽtius quã hominibus prębetur: dulcis est, & ea ratione nutriẽs, sed parũ. Recens facilè per ventrẽ descendit, sed ficca lignosa est: & stomachũ roborat, sed tardiùs superatur, & vẽtrem retinet. Quamobrem quidam vrinam

mou

mouere dixerunt, id tamen omnibus ventrem retinentibus ex accidenti conuenit. Capparis abundat in Betica Hispaniæ parte. Eius vsus talis est omnino qualis Galen. temporibus: nam fructus in alias regiones, atq; in hanc nostram salitus defertur, ne corrumpatur, deinde in aqua maceratus depositio sale editur, aut melle & aceto, aut oleo & aceto additis, quidam etiam & saccharum miscent. Nos verò ipsum modicè elixare præcipimus, & miro modo in sanis & ægris experimur, quantum valeat ad appetitum excitandum & aperiendas iecoris & lienis obstructiones, ac detergendam ventris pituitam. Condiunt quoque plantæ teneriora germina sale, aqua, & aceto, ad eosdem quos fructus vsus, sed minus fructu proficiunt. Tenue alimentum præbet, & adeò paucum, vt medicamenti potius quàm alimenti ratione adhibeatur: sed recens magis quàm salitus alit, salita enim quæcunq; minus recẽtibus, alunt. *Capparis.*

Citrea mala, quæ mala medica appellantur, diuersis admodum partibus constant: nam externa calore pallida, aromatica est, & dura, neque coctu facilis, quamuis aliorum alimentorum coctionem coadiubet, aut cruda, aut elixa & saccharo condita: ea enim quæ sunt duræ substantiæ & calidæ naturæ, coctiones aliorum adiuuant, & difficilè coquuntur: pars verò quæ veluti caro est, colore alba, insipida ferè sentitur, dura, & tardæ coctionis, quæ etiam conditur saccharo: id appellant diacitrωv, à quibusdam verò melle conditur & seruatur: à quibusdam autem cum oleo, aceto & sale editur, insalatitium facientibus, & faciliùs coquitur, acida tamen pars edi non potest, sed quibusdam syropis conficiendis accommodatur. Sunt etiam citrea mala dulcia, quorum intima pars editur, sed parum alit, reliquis tamen partibus, acidis est similis, sed dulcium pars extima minus est aromatica. Semen digerendi & siccandi vires in secũdo ordine habet, acida pars tertio ordine infrigidat & siccat, corticem in secundo siccare voluit Galen. non infrigidare, sed temperatum esse aut parum infrà. Ego sanè in ipso manifestam calefaciendi vim reperio, ad secundum ordinem. *Citrea mala.* *Diacitrωv.*

Aranzium, citrangulum vocant, partem habet quam corticem appellant, quæ ante maturitatem virescit, postea verò flauum habet colorem, aut si vis peculiari nomine dices, vt quidam citrangularem. Hæc itaque extima pars calidior quàm in citreo malo est, aromatica & acredinis particeps, cum quadam amaritudine: conditur cum melle, ad roborandum ventriculum frigidum. Sine conditura quidam nullum quod mentione dignum sit, præstat alimentum: condita verò pauciſsimum, intima pars quæ semẽ continet, acida est, & in quibusdam dulcis: verùm acidæ succus carnibus, & piscibus inspergitur ad gustum mouendum, & appetitum excitandum. Quæ pars cum saccharo à quibusdam editur ieiuno ventre, cum pane ad supprimẽdam bilem ventris, & ardorem ac sitim sedandam. Per se nullum præstat alimentum: dulcia verò aquosum & paucum succum præbent, gustui tamen sunt grata, insunt quoque dulcibus & acidis aranziis membranosę quædam partes, quæ vim habent adstringendi, ac parum roborandi ventrem. Semina edendo non sunt. *Aranziũ.*

Sunt præterea limones magni, appellati ponciles, quorum pars extima pallida est, citreo malo similis colore, & facultate parum dissimilis: intima acida parte, persimiles citreis malis, carnea tamen parte carentes. Sed quæ appellantur zamboæ, non tantùm parte intima & extima citreis malis sunt similes, sed etiam carnea: verùm pars extima trumbosa est, leuis citrei mali, & carnea substantia spongiosior & minus dura quàm in citreo malo. Sunt quoque limones quidã parui virides, & quadamtenus pallescẽtes, quos dicunt ceptis, gustu aliis suauiores, & odoratiores. Sunt etiam limæ fœmineo genere, quarum quædam dulces sunt, parum alentes, similes dulcibus aranziis, acidæ verò vehemẽtiore quàm aranzia sunt acore, & minus grato, salsamentis tamen & obsoniis frequentissimè succum aranziorum, limonum, & limarũ miscemus, acidum expetentes saporem, sed neq; validum, neque ingratum. *Limones.*

Castanea agrestis fructus est, verùm Gal. cùm omnes ferè fructus arborũ mali succi esse dixisset, castaneas ex- *Castaneæ.*

cepit, quas si in ventriculo probè coquantur, boni succi esse dicit, efficaciter nutrientis, crassi sed non mali, adstringendi vim habent, & siquis copiosiùs vtatur eisdem, ægrè coquentur, ventrem adstringent, & flatum parient. Nos quidem hæc in ipsis experimento nouimus: etenim si crudæ edantur, crassum succum præstant, difficilè superantur, & tardè permeant: habent enim non paruam adstringendi vim, ita vt tussim exasperatis faucibus inferant, & spuitionem impedient, sed ex eis magis quæ substantiam habent multis membranulis inter septam, minus verò quæ eis carent, quas insertas vocant. Eduntur tamen arefactæ, ac difficiliùs coquuntur, & minùs sunt flatuosæ: sed elixæ omnibus sunt meliores, amittunt namque elixatione adstrictionem, potissimum inter edendum reiectis membranulis, & facilè coquuntur, ac descendunt per ventrem. Flatum etiam generant paucissimum, sed eo damno nunquam carent, quemadmodum neque in cineribus assæ, quæ à prædictis secundum locum habent. Glandes verò omni in re castaneis sunt deteriores: nam adeò vehementer adstringunt, vt acerbitate participent, & crassiorem succum præstant, ac malum. Porcorum quidem cibus est familiaris, à pueris, & deuoratoribus eduntur: amittunt autem non parum maliciæ, acerbitatis, & crassitudinis substantiæ, & coctionis difficultatis, elixatione, atque assatione, sed elixatione adhuc magis. Præterea quamuis castaneę & glandes elixæ meliores sint assis, quoniam elixatione adstringendi vim magis amittunt, & facilius superantur, assæ minus flatuosæ sunt elixis: calor enim siccus qui in cineribus, & igne adest, magis omnibus flatum dissipat. Quapropter quum assantur corticem diuidere oportet, aliàs flatus excutiendus, subitò, & cum strepitu ipsum rumpet. Post glandium esum vinum modicè bibunt homines & rectè quidem, vt coctionem adiuuent: sed mirum quàm grata & dulcis gustatur aqua post glandes bibita. Cùm enim glandes cum acerbitate dulcedinem habeant paucam, acerbitas siccitate linguam corrugat, quę deinde humor aquæ diluit, ac restituit linguam in suam naturam, quod verò sensum ad naturalem habitum reducit, id delectat, si non fiat subitò, sed modica quadam celeritate. Mixtus itaque sapor ex austero parum dulci & aquoso, dulcis abundè apparet. verùm id nihil minùs in admirationem nos ducit, quod hi qui acidam vomuerunt pituitam, quæ valde acida fit, & nonihil acerbitatis habeat, vbi postea aquam biberint, ipsam dulcem iudicant, quoniam eius potu lingua in naturalem habitum restituitur: quapropter hoc in loco mentione dignum videtur. Non enim in coloribus tantùm, veros & apparentes reperire licet, vt lib. de Vrinis docuimus, sed etiam in saporibus. Ex diuersorum nanque saporum mixtione, alij quidam linguę se ostendunt, qui verè sapores non sunt, sed tales apparent, cùm veri exactione primarum qualitatum elementorum generationem habeant: apparentes verò ex sola diuersorum saporum mixtura ac confusione. Post fructuum esum in sanitatis tutela quidam bibendum vinum concedunt: calefacit enim, atque attemperat fructuum multorum frigiditatem, & eorundem coctionem adiuuat. Seruat quoque vinum ne facilè in ventre corrumpantur fructus. Quidam verò vinum omnino denegant post ciborum esum, siquidem cibis assumptis bibendum non est, ne ante coctionis tempus distribuantur, sed iam perfecta coctione, vt deinceps digeratur alimentum in corporis ambitum. Ante id verò nullatenus expedire dicũt, ne crudus cibus deferatur ad venas, obstruat, & putredinem pariat: minimè verò post fructuum esum. Nos tamen cum distinctione dubium soluemus. Sunt enim quidam qui vinum nunquam degustarunt, quidam quibus cõsuetum est vinum bibere meracum & validum, quidam neutrum ferunt, sed meracum nunquam biberunt, & validum, nõ nisi valde dilutum. Sunt etiam ex fructibus quidam fugaces, quidam qui asseruari possunt, & quidam aquosam habentes substantiam, & humidi, quidam sicci, quidam qui autumno, quidam qui hyeme eduntur. Præterea quidam solos fructus edunt, quidam simul cum pane, quidam prima aut postrema

Glandes.

Aqua gustus dulcis quando apparet.

Sapores apparentes.

Super fructus quid sit bibendum.

mensa

mensa, sed cum cibis aliis eduntur. Itaque de his qui à vini potu abstinent, nihil attinet dicere impræsentiarum, consuetudinẽ enim seruare præceptum est. Verùm vini potores, qui meracum potare solent, hyeme consuetudinem seruant, & meracum bibant, siue hyemales fructus solos edant, siue simul cum aliis cibis. Aestate verò si soli edantur, aut cum panco pane: quoniam, vt diximus, fructus edendi sunt refrigerationis gratia, & ad sitim sedandam: aut minus validis vtentur vinis, aut ipsis parum dilutis, tum vt refrigerent validiùs, & sitim arceant, tum ne fructus æstiui qui tenuem & aquosam habent substantiam, vti & autumnalium plurimi, inconfecti deferantur per venas, ad quod non parum conducet, parum bibere. quòd si quis primo manè ientaculum ex moris, cerasis acidis, prunis, vuis, ficubus, melonibus, assumpserit, vinum bibere assuetus meracum, quartam aquæ partem illi superaddet. Quòd si fructu aliquo cui facultas adstringendi insit, solo, aut pauco pane vtatur, meracũ vt solet, bibet: quod multi facere solent æstate, quatuor horis à prandio verùm eam consuetudinem non laudo. Magnas enim infert venis cruditates, ante perfectam coctionem in ventre, rursus comedere. Eduntur autem fructus simul cum aliis cibis, aut prima, aut postrema mensa, qui prima mensa eduntur, præter id quòd praui succi sunt, facilè per ventrem descendunt, quibus dilutum superbibendum est, ab his etiam qui meracum bibere consueuerunt, ne celerrimè arripiantur à ventre, vini potentia accelerante ipsorum distributionem plus iusto: cum illis tamen qui postrema mensa sumuntur meracum bibent. At si is cuius sanitatem tueri est in animo, vinum dilutum bibere soleat, generalem tuendæ sanitatis legem seruabit, vt æstate dilutius, hyemè verò minùs dilutum vinum bibat. Aestate tamen, & incipiente autumno si pro ientaculo ficus, vuas, mora, pruna, aut similia, quæ facilè per ventrem descendunt assumpserit, vinum paulò magis diluat, nisi sibi valde frigidum intelligat fructum: si vespere pira, aut poma, esitauerit, vinum bibet vti solet dilutum. Si tamen fructum qui manifestè refrigeret, esitauerit, vt melonem, aut cucumerem, aut peponem, minùs vinum diluat: sed ea hora quidpiam assumere non laudo. In prandio tamen & cœna dum fructus eduntur simul cum aliis eduliis, cum his qui prima mensa eduntur, vinum vti solet diluendum, aut paulò magis. Postrema verò mensa minus solito, præterquam si caput, aut ventrem habuerit imbecillum, nam hi semper prima mensa vinum meracius bibent, postrema dilutius: primum ad ventrem roborandum, secundum ne caput vino tentetur. *Quando vinũ meracius bibendum.* Hæc de potu simul cum cibo, aut statim à cibo sumpto. De eo verò qui longè à cibo, dicendum nobis est: illi nanque qui aut inter edendum parum biberunt, aut è quorum ventribus cibi tardè descendunt, coguntur postea potu vti, quem dilatiuum appellant, quoniam cibum defert, circa quem, vt experimento & ratione inueni, bifariam errant homines, tum quia eo intempestiuè vtuntur, tum quia prius cibum aliquem edunt, aut conditum. Notum enim est coctionem ciborum assumptorum iuxta meridiem non esse perfectam hora tertia sequenti, nec quarta, quibus horis bibunt, quidam aquam, quidam dilutum vinum, æstate, celerimè cibos ante coctionem à ventre impellentes. Errant autem quàm maximè nonulli prius saccharum rosaceum assumentes, quidam, pirum, aut pomum, aut persicum, aut ex his plura. Nam si potus is dilationis, ac distributionis gratia, sumitur, quicunque cibus eo tempore assumatur crudus digeretur, bibenda igitur est, aut aqua sola nec valde frigida, aut vinum æqua mensura mixtum. Conuenit autem is potus eis qui parum biberunt prandentes, aut crassiores assumpserunt cibos, aut plures consuetis, aut qui valde grauantur cibis, aut in quorum ventribus plus æquo immorantur, aut dimiserunt assuetum post cibum corporis motum, aut cogitationibus & studiis occuparunt animum, id enim distributionem alimenti retardat atque coctionem, sed de his rursus ad finem capitis quædam dicemus.

De

De Plantis quæ esui sunt. Cap. VII.

DE Seminibus & fructibus plantarum diximus hactenus, deinceps verò de plantis quæ eduntur dicemus. Sunt enim ex ipsis quædam quæ integrè esui sunt, vti raphanus, cuius radix cum foliis editur. Quædam tamen non totæ eduntur, sed aut folia, vt spinachiæ, & blitum, aut radix, vt napi, & pastinacæ, aut germina, vt lupuli & asparagi, & quorundam arborum, vt viticis, palmæ cerebrum, & vitis palmites, quæ nobis frequentius sunt in cibis, quarum commoda, & incommoda quæ nouimus, referemus, ac primum de lactuca agemus, quoniam olerum est excellentior, & minus noxia, sicuti Galen. quoque fecit.

Lactuca. Lactuca satiua, quæ Græcis θριδακη. appellatur, apud omnes ferè homines habetur inciborum censu, agrestis enim amarior est & gustui ingrata, quàm quidam putant esse, quam endiuiam herbarij vocant, nam hæc tandem folia aculeata efficit. Satiua itaque, optimum olerum omnium habetur, nam cum reliqua praui succi sint, autore Galen. libro de Cibis bonis & mali succi, lactuca in medio eorum quæ bonum succum, & quæ malum præstant sita est. Quapropter omnium olerum optimum est, atque minimè omnium eius maliciæ particeps: ac perinde plurimum generat sanguinem, siue, vt rectiùs dixerim, sanguini generando multam præstat materiam, quod in lactuca quidam vituperabant. Sed vti Galen. ait, id non reprehendendum, sed laudandum potius venit: cùm tantùm ea sanguinis generationi accommoda sint, quæ bonum succum præstant. Nec tamen putandum lactucam multum sanguinem augere, sed plus aliis oleribus. Atque sanguis à lactuca genitus frigidior optimo sanguine est, quemadmodum & lactuca ipsa frigida, atque humida in secundo ordine: at verò succus expressus si duarum vnciarum quantitate bibatur, vti reliqua frigida venena interimit. Si tamen ex lactucis ipsis eam quantitatem ederet, à qua prædictus succus exprimi posset, nullam magnam afferret noxam, & quibusdam omnino nullam: quoniam succus celeriter peruadit præcipuas particulas, tota verò lactuca diutius in ventre retinetur, vbi alteratur. Lactucæ à quibusdam eduntur elixæ in cœna ad somnum conciliandum, potissimùm senes qui curis vexati somnum amittunt, & quoniam meliùs superantur ab ipsis, quàm crudæ & frigidæ, inuenes tamen crudas eas accipiunt, quorum calorem & bilem attemperant, & somno proficiunt. Ex natura sua nec ventrem soluunt, nec cohibent, non enim habent irritandi, aut adstringendi vim. Cæterùm vt faciliùs per ventrem descendant, magis infrigident, & penetrent iecoris meatus, sale, oleo, & aceto eas comedunt, quidam etiam saccharum addunt. Qui verò maiori penetratione & meatuũ apertione egent petroselinum adiungunt. Qui ventrem non habent robustum, aut non valde calidum, veris & æstatis tempore lactucas edentes insalatitium faciunt, ad sitim, & ardorem sedandum ex lactucis, petroselino, & mentha, additis sale, oleo, & aceto, ac saccharo. Quidam etiam per id tempus easdem cum carnibus pinguibus elixant, & in prima mensa eis vtuntur, qui cibus probè coquitur, bonum succum generat, & facilè per ventrem descendit. Ad finem autem æstatis caulem emittunt, & lac in foliis habent, cum quadam amaritudine, ac similes fiunt lactucis agrestibus, prauum succum generantes; à quibus abstinere consulimus. Sed tamen ex caulibus cum saccharo conditum efficiunt refrigerationi idoneum, idque febricitantibus præbemus, quibus ardor ac siccitas adsunt. Appellant id conditum, gorgoram angelorum. Si verò caules crudi edantur non facilè coquentur. Valent lactucæ ad veneris stimulos obtundendos. Est etiam lactuca quædam apud nos appellata romana crispa, albidior vulgari, & gustu suauior, Galen. tamen minus suauis, quam etiam ferim satiuam appellant, persimilis omni in re viribus & temperatura lactucę, quam multi solo aceto mandunt, aut insalatitium faciunt, vti ex aliis, quod primis mensis paratur, sic etiam & sarolas edunt, quæ lactucis minus infrigidant, &

parum

parum adstringunt, mediæ naturæ inter lactucam & brasicam, quod gustus docet. Antiqui tamen lactucis post alios cibos vtebantur, vt Martialis inquit.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum.
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes.

Ego quidem hanc puto fuisse causam, quòd antiqui vim quandam cohibendi ventrem & ipsum roborandi tribuebant lactucæ: quæ verò talis naturæ sunt, ante reliquos cibos edi non debent, ne eorumdem descensum inhibeant, Galen. tamen nouit lactucam, nec adstringere, nec laxare, ac facilè euinci à natura, ac perinde ad primas mensas ipsum ministrari præcepit: præter id quòd præparatio ex sale, oleo, & aceto ipsam per ventrem celeriùs demittit. Itaque seris, siue intibum (quod lactucam agrestem dicunt, siue communem endiuiam) non editur ob amaritudinem: verùm seris, siue intibum satiuum editur, lactucæ persimile, quam appellamus lactucam Romanam. Intibum tamen agreste, cicorium dicunt: estur cum oleo, aceto & sale, in primis mensis, vim habens refrigerandi & excitandi appetitum, prodestque non parum obstructionibus iecoris demendis. Elixum tamen editur ab omnibus, qui non habent adeò robustum, & validum ventriculum, oleo & sale additis, & pauco aceto & saccharo. Brasicæ verò, si quis probè animaduerterit, naturam fere similem lenti inueniet: nam ius eius aut prima elixationis aqua, cui oleum & sal additum sit, ventrem emollit: sicuti & cùm elixatur cum carnibus pinguibus. Quòd si bis cocta edatur, prima aqua reiecta ventrem sistit. Sed decet quæ bis coquuntur, dum prima aqua reiicitur, aerem frigidum non tangere: nam quod elixatur incrudabitur, ita vt amplius non contabescat, non tamen supprimit ventrem, ita vt lenticula, nec adeo melancholicum succum, aut constantem, vti ipsa præstat. At vbi cùm carnibus pinguibus elixatur, valde corrigitur eius malitia, cruda verò aut elixa iecur peruadens fœtidam reddit vrinam, & si lactans brasicam edat, infantis vrina mingitur, grauè olens: non tamen mouet, aut cohibet vrinam, licet Dioscorides dixerit Cymam ad vrinam mouendam esse validiorem: verùm quæ ventrem adstringunt ad renes conuertunt succos. Noscendum etiam est, quòd folia brasicæ iure admouentur vlceribus, quibus ardor adest: quoniam brasica frigida est ac sicca, & si minus lentè, ebrietatem compescere nouit Aristotel. causam verò non nouit: non enim quoniam succum dulcem habet, qui vapores vini discutiat ebrietatem vitat, aut quoniam ventrem emollit, sed quoniam frigida & sicca cùm sit, vapores supprimit, ne in caput ascendant, præsertim cruda cum aceto. Tantam quoque ferunt inter brasicam & vitem inimicitiam, vt si iuxta vitem brasica seratur, aut confestim emarcescat, aut sarmenta eiusdem contabescant. Visum, inquit Gale. sicut & lens siccando hebetat, nisi oculus humidior fuerit, verùm Dioscorides cęcutientibus prodesse dicit, & vterque de brasica in cibo sumpta loquitur: nam succum melle mixtum, neque Galen. negasset visum acuere. Quapropter credendum Dioscoridem de oculis humidioribus locutum, quibus humorem exsiccando proficiet adhuc ingesta. Habent ferè eamdem vim brasicæ communes crispis foliis, & planæ, quas appellant, llantas, & quæ in orbem conglobantur, quas Latini brasicas sessiles, Hispani verò appellant repollos, & alij grumos: sed sunt dulciores, & minus aliis siccæ. Eduntur quoque caules earum, quos appellant bretones cum foliis, hyberno tempore ad eosdem vsus: cùm autem succus brasicæ vim habeat ventrem proritandi, & corpus ipsum vim habeat sistendi ventrem, si ambo simul quis esitauerit, tormina patietur, inducit brasica animi mœrorem, cordis angustiam, ac nocet dentibus, & gingiuis. Succus brasicæ cum melle miro modo mundat vlcera sordida, & eius elixatio cum melle menses prouocat. Et cinis viridis brasicæ crematę cum caulibus & stirpe, addita axungia vetusta emollit laterum dolores: sed hæc medicamenti vires sunt, quas præter institutum aliquãdo tangimus. Beta siue alba siue nigra fuerit, diuersam habet naturam,

Intibum.

Brassica.

Beta.

totius ſubſtantiæ, & ſucci, nam ſuccus facultatem habet deterſoriam, qua proritat ventrem: quapropter ſtomacho noxia eſt, citò per ventrem deſcendit, paucúmque alimentum præſtat: corpus tamen ipſius ventrem comprimit. Editur cum ſale, oleo, & aceto elixa, ante alios cibos: in febribus quoque quotidianis, cum pane prædicto modo præparata miniſtratur, ſed quoniam prauí ſucci cibus eſt, non expedit frequentiùs beta vti. Succus eius naribus tractus pituitam è cerebro purgat, ſed validè irritat: temperatur tamen pari aquæ

Blitum. mulſæ menſura. Blitum, ſic quoque Hiſpanis appellatum, & atriplex ſimilem habent facultatem: parum enim nutriunt, cito per ventrem deſcendunt & ſuccum præbent qualitatis expertem, aquoſum & cucurbitæ ſimilem, non tamen adeo frigidum. Parantur oleo, aceto, & ſale, ad primas menſas, ſtomacho

Borago. tamen aduerſantur. Borago, hortenſis herba eſt, eiuſdem naturæ cum bugloſſo. Florem habet borago, folia, & radices, quæ edendo ſunt, ſicuti & bugloſſum. Verùm quoniam bugloſſum, ſiue borago agreſtis, aſperiora folia habet, non eduntur. Boraginis itaque flos aut ſola, aut cum ſaccharo condita edi poteſt, ad triſtitiam emendandam, ad quem vſum ſicuti ad cordis tremores bugloſsi quoque flos conditur. Folia verò boraginis quæ peponem redolent, cum reliquis herbis acetariis cruda manduntur, quoniam non conſtat an malus ſit eorum ſuccus: nam inter temperata recenſetur à dulia. Quandoque etiam cum carnibus borago elixatur, quandoque verò cum lacte amygdalarum, aut caprillo, aut ouillo, ipſam prius aqua feruenti macerantes & exprimentes, aquam eam reiiciunt, & boraginem cum lacte parant: quibus modis præparatam homines guſtui gratam eſſe dixerunt, nos verò bonum cibum & ſtomacho vtilem, melancholicis & triſtabundis proficuum. Condiunt bugloſsi radices vino ſæpe madefacientes, ac deinde ſiccantes, cum ſaccharo, quas poſtea melancholicis, triſtatis, & cordis affectibus ſine febre deprehen-

Portulaca. ſis, adhibent, non ſine magna fruge. Portulaca nemo ſola vtitur, editur tamen à quibuſdam ob inopiam cum pane: verùm æſtatis tempore aliis acetariis ad inſalatitia miſcetur, frigidum, humidum, ac lentum ſuccum præbens, atque id pauciſsimum. Verùm inter mandendum, lentore dentium ſanat ſtuporem,

Malua. aut id tota ſubſtantia facit. Maluam neminem noui hac ætate eſitantem, quoniam verò humida eſt, & lentum præſtat ſuccum, facilè ſubducitur, ventrémque emollit. Si quis enim, inquit Gale. lactucam, maluam, & betam conferat, betam inueniet in altero extremo ſiccare, & detergere ſucci tenuitate, maluam lentore humectare, ac mollire cum ſucci craſsitudine, lactucam verò medium vtriuſque ſeruare. Frequentiſsimus maluæ vſus eſt ad clyſteria conficienda, eius accepta elixatione cum ſale, melle, & oleo: quod ego appello commune clyſtere, eo quòd communem excquatur clyſteriorum finem, is eſt ventrem emollire. Moderatum quoque præſtat, cum humore calorem, ac

Lapathũ. proinde maturationi tumorum accommodatur. Lapatho & Oxylapatho nemo ferè in cibis vtitur: pauciſsimum nanque ac prauum miniſtrant ſuccum, & eum medicamentoſum: ea propter in medicamẽtorum cenſu potius quàm alimentorum eſt. Habet tamen lapathum, ſiue Rumex, magnam ſimilitudinem virium cum beta hortenſi: atque hortenſis rumex quandoque à ruſticis

Oxalis. cum pane editur. Oxalis verò ab aciditate, acidula dicta, in acetariis non eſt poſtremæ notæ herba. Paucum ſuccum præſtat, nec valde malum. Præſeruat autem æſtatis tempore cum aceto ab humorum putredine, ita vt peſte graſ-

Solanum. ſante non parum vtilis ſit, experimento cognita. Solano neminem audiui in cibo vſum fuiſſe, quòd inſuauis ſit, ac praui ſucci, non parum refrigerantis.

Verulla. Sion quæ latinis Verulla dicitur, vti aliis laber, & lauer, nobis berros, plurali numero: calidam habet naturam, adeò vt medicamentum potius quàm alimentum ſit, paucum ſuccum præſtans & calidum, ineſt berullæ facultas mundificandi renes ab arenulis & pituita, expellítque ab eiſdem lapillos: aperit quoq; meatus obſtructos, quos meniium expurgationi parat, quemadmodum,

& pitu

& pituitam, si quæ eorumdem mensium purgationi obest, attenuat. Ad quem vsum cum melle edenda est, quemadmodum ad renum expurgationem cum aceto. Vtilis quoque stomacho berulla est, sed pectori aduersa. Acrem habet saporem, verùm acria omnia atque amara elixa, aut omnino, aut magna ex parte eam qualitatem amittentia, magis quàm cruda nutriunt. Pars enim in qua acredo aut amaritudo consistit, quæ nutritioni obest, facile transit in aquam. Nasturcium calidæ naturæ est, ac valde medicamentosæ, acris quoque saporis: quamobrem non sine pane edi potest, præterquã ab incontinentibus, pueris, aut fœminis, difficile à stomacho superatur, quoniã longè superat ventris calorem, & nullum præstat alimentum, nisi elixetur cum pingui iure. Sursum effumans caput lentat, & nares inflammat. Sternutationem mouet, rarò tamen lachrymas, non vti cæpe, nam nasturcium adeò vehementis caloris est, vt aquam lacrymis fundendis paratam, in flatum discutiat, quod cæpe facere non valent. Sed tamen est quoddam aquaticum nasturcium, quod quidam Sion esse appellatum volunt: id tamen à prædicto communi nasturcio, quod in hortis seritur, parum differt, quãuis minus calidum, ac minus acre sit aquaticum, hortensi. Apium nullo editur, nisi medicamenti ratione: præcipitur enim eis qui iecoris obstructiones patiuntur, vt manè ante cibum apium edant, non paucis diebus continuis. Habet enim vim attenuandi & deobstruendi meatus, & renes emundandi. Quas vires nihilominus obtinet petroselinum, quod nos appellamus perexil: non enim instituimus modò de nominibus quæstiones habere, sed rerum quæ in alimẽtorum censu sunt, facultates referre. Vtimur autem nos petroselino in salaticiis, acetariisque ferè omnibus, & cum carnibus elixandis, & sæpe obsoniis, gustui placere cupientes, quemadmodum, aut coriãdrum, aut origanum miscentes. Vulgare quoq; salsamentum carnibus edendis paratur ex petroselino valde contuso in mortario, & mica panis, aceto, & aqua madefacta, quibus quidam piper addunt, quidam præterea allij parum, sal tamen vtcumque addendum. Sed aduertendum id aceti ratione, intestina ac ventrem offendere: quod sentiet qui frequentiùs eo vtatur, id tamen emendare volentes quidam addunt mel, alij saccharum. Mentha præterea, etsi nullum præster alimentum, acetariis misceatur, vt aceti reprimat vehementiam ac frigiditatem: est enim aromatica calida, ventrem roborans, & adstringens. Qua ratione multis etiam obsoniis miscetur, sed habet amaritudinem quandam adiunctam, ob quam non omnibus placet. Scandix gnigidio similis est facultate, amaritudinem quandam habentes siue crudæ, siue elixæ edantur, stomachum roborantes. Cum oleo, sale, & aceto, manduntur, medicamentorum potius quàm alimentorum vires habentes. Elixatio cum melle pituitam detergit, cum aceto verò lumbricos internecat. Eruca nemo vtitur, quod nouerim, in cibis, nisi aliis oleribus mixta: est enim valde calida, & gustui ingrata. Semine tamen frequenter vtimur salsamentum quoddam efficientes, quod mel recipit, ad edendos pisces accommodatum. Calefacit quidem & humectat in secundo ordine, venerem stimulat, & semen auget, ac proinde Martialis, ait,

Nasturcium. *Apium.* *Petroselinum.* *Mentha.* *Scandix.* *Eruca.*

Et venerem reuocans eruca morantem.

Columela verò sic,

Et quæ frugifero seretur vicina priapo,
Excitet vt veneri tardos eruca maritos.

Sic etiam synapi in alimentorum censu non est, sed cum alimẽtis editur: salsamentum enim parant coqui, ex synapi, pane, aceto madefacto, & melle, ad carnes bubulas edendas valde vtile, & gustui gratum. Iuuátq; non parũ carnium quibus iungitur coctionem: nam & carnibus arietinis à quibusdam miscetur. Sinapi & eruca caput tentant, fumis transmissis, sed synapis frequenti vsu humores vrit, & pituitam salsam aceruat, & quibusdam impetiginis, quibusdam alopeciæ causa fuit. Vrtica nemo in cibis vtitur, sed in medicamẽtis, veluti ad thoracis expurgationes, & sæpe eius elixatione cũ melle clysteria paramus.

Synapi. *Vrtica.*

Ocimum. Ocimum, quod basilicũ appellant, pariter nemo in cibis assumit, nam prauum succum generat, & difficilè coquitur, insaniam facit, & recoris calidos morbos. Quod itaq; apud nos in hortulis seritur, quo minora folia mittit, flagran-
Fœniculus. tius est, atque ariditate quandoq; in serpillum degenerat. Fœniculus & Ane-
Anethum. thum ferè similes calefaciẽdi vires habent. Nullum præstant alimentum, præterquam quòd fœniculi caulis interna pars, paucum succum præbet, calidę & aereæ naturæ. Prosunt hæc potius medicamentorum viribus, quàm alimentorum. Est tamen eorundem in cõdimentis & obsoniis vsus, sed neq; is frequens.
Carduus. Lusitani anethum viride cum carnibus elixandis miscent. Carduus qui nobis in vsu frequenti est, siue is scholymos Græcorum, siue cinara sit, cum barbari cardum garzum appellarunt, nobis notissimus est. Is quidem seritur vere, & hyeme editur, ætate floreſcit purpureo flore, & semen continet multis spinis vallatum, & acie bus ordine compositis seruatum. Cymam habet hyberno tempore scolymos, & caules spinosos, & folia spinosa. Eduntur caules & cyma, siue radix, sed caules multo molliores radice sunt, & quæ facilius coquuntur: radix tamen parte qua tenerior, gustui suauior est caulibus. Habent tamen caules fibrosam substantiam quæ difficiliùs coquitur, quàm eorumdem caro. Calidæ temperaturæ est, sed tamen cum hyberno tempore edatur frigidus, & aquosam contineat substantiam, vere refrigerat ventriculum, & intestina, nisi validum contineant caloré, qui fibras scolymi & aquosam eius substantiam superent, & à frigore quod actu possidet, non vincantur. Qui verò tales fuerint, nescio quos veneris stimulos sentient, eisdémq; ad vrinam mouendam proficiet: quod potius seroſæ substantiæ, quæ in carne continetur copia, facere creditur, quàm qualitatis & naturæ ratione, ac perinde ad id radix inualida est. Quidam carduo virenti statim à terra effosso vtuntur, quidam eum suspendunt: & postquam marcuerit, edunt: interim namq; aquosa humiditas minuitur. Sunt etiam qui ex eisdem obsonia parent, cum pingui carnium iure scolymũ elixantes, additis zingibero & charyophilis. Carduus præterea alter editur vere cum pinguibus carnibus elixus, dum virescit, & nõdum obduruit, foliis spinosis super terram stratis. Is quatenus ventrem roborat, & vrinam mouet, ac renes mũdat, à pituita & arenulis, cardellus à nobis appellatur, sed
Asparagi. cum obduruerit asper & esui inutilis fit. Asparagi in Hispania sponte proueniunt, neque vnquam seruntur, prodeunt autem in locis cultis, sed frequentiores in septis & incultis aruis. Leguntur antequam florem edant, deinde nanq; duriores redduntur: nam solam eam partem esitant, quæ ob teneritatẽ fibrosa non est, sed facilè perfringitur, quemadmodum ex raphanis optimi. Parantur asparagi ad primas mensas elixi, cum oleo, sale & aceto. Est is quidẽ cibus gustui gratus, sed prauũ succum ac paucũ præstat. Appetitum excitant asparagi, vim etiam habent calefaciendi, ac detergendi, & vrinã mouendi, & mundãdi renes, quod etiã eorum elixatio, aut radicum ipsorũ facere valet. Ferũt tamen asparagi breuissimã elixationem, nã si eum modum, vel paululũ excesserint, amarescunt, ac deinde viscosi, & glutinosi fiunt. Quamobrem meritò, Drusus Imperator finẽ operis breui futurum ostendens, dicere solebat, priusquã asparagi coquãtur. Quo adagio Athenæus salsamentorũ breuem coctionẽ significabat dicens: priusquã salsamenta coquantur: exigunt enim breuẽ admodum coctionẽ. Ferũt cornibus arietis cõtusis atq; effossis nasci asparagos, quod nõ credo, sicut neq; Dioscorides. Ferunt quoq; asparagorũ elixationem occidere canes. Ego quidẽ nullum vidi interẽptum, etsi quosdã eam bibentes viderim. Audiui tamẽ illustrẽ quendã virum dicentẽ, eos tantũmodo canes interimere asparagorũ elixationẽ, qui nihil præter ipsam esitauerint. Leguntur asparagi vere, suspensi seruantur in hyemẽ, in libero aëre siccati, quo tẽpore vti virides elixi eduntur ad eosdem vsus. Sed sunt asparagorum alia genera, quę ex fruticibus leguntur, vt & ramni, & lupulorum: sed ex eis postremi sunt præstantiores. Omnes tamen suæ plantæ naturam referunt, & vbi superentur, ac probe

coquan

coquantur, meliorem succum præstant, quàm asparagi prædicti, & firmius alunt: sed lignosi sunt qui ab arboribus decrepuntur, & gustui minus grati, & minus vrinas mouentes, quæuis in lupulorum aspargis adhuc cõstat. His proportione respondent arborum germine, quæ non nisi magna ingruente fame edi solent, parum enim nutriunt, difficilè superantur, & lignosam habent naturam. *Raphanus.* Raphanus Græcis dictus, Latinis radicula appellatur, tota hæc planta edi potest, nempe radix, caulis & folia. Caulis quidem parum acrem habet saporem, folia paulò maiorem habent acredinẽ. Calfaciunt, extenuant, vrinam mouent, & cum aceto mãsa arenas de renibus pulsant. Sunt hæc prima mensa assumenda. Radicula verò ipsa acriorem habet saporem, ac proinde non sine pane, aut aliis eduliis sumitur, calefacit supra secundum ordinem, extenuat pituitam, & coctionem adiuuat. Galen. vrbanos cum garo, aut etiam aceto, ante alios cibos radiculam crudam mandere: dicit, alui subducendi gratia; demiratur tamẽ medicos atq; idiotas, qui ipsam crudam post cœnam esitant, coctionis iuuandæ gratia, omnes qui eos imitãtur læsos fuisse, dicens: Hispani verò ferè omnes, quos noui, nõ aliter vtuntur radicula, quàm ad cœnæ finem: Itali tamen & Galli vti obsomnio vtuntur, ab initio in finem cœnæ, aut prandij, omnibus eduliis radiculam admiscentes. Hinc constat quàm varius fuerit radiculæ vsus, apud varios homines: siquidem Galeni ætate vrbani ante alios cibos: modò verò Hispani, post cœnam, Itali ab initio in finem omnibus cibis admiscentes, radicula vtũtur. Ego quidem nullos horum manifestè læsos existimo, siquidem experimentum eos aliquando docuisset, ab ea consuetudine discedendum esse: nam parua adhuc lęsio si quę ex radiculæ vsu intempestiuo sequeretur, repetita, foret manifesta. Cùm enim radicula calida sit, & obsonij vices potius quàm alimenti gerat, vtcunque sumpta vsum aliquem præstat. Nam cum oleo, sale, & aceto manditur ante alios cibos, ac proficit ad võtrem subducendum, & detergendum pituitam. Cum aliis cibis admixta adiuuat eorumdẽ coctionem, sicuti & post cœnam radicula ab Hispanis iure esitatur: caseum enim ei admiscent: nam suo calore coctionem adiuuat, & caseus ventriculi os comprimit, & roborat. Nullum itaque horum reprehensione dignum puto. Ructus quoque mouet radicula ac proinde quibusdam vomendi causa fuit, à quibus omnimodo vituperatur: nam ante alios cibos vomitum mouere dicunt, post alios tamen eos pessundare. Sed hoc postremum falsum est, primum tamen non nisi in languidis ventribus, pituitosioribus, & vomitui paratis euenire puto. Habet namq; radicula nonnihil excrementosum à quo flatus calore radiculæ inter coquendum in ventre excitatur. Dixit enim Menesitheus, vt refert Galen. radices plantarum, vti radiculæ, rapi, cepæ, & allij, coctu difficiles esse, & turbare. *Menesithei sententia non cõtemnenda.* Cui sententiæ rationem non contemnendam adiunxit. Fuit etenim Menesitheus Athenien sis vir, tum in aliis omnibus, quæ ad artem pertinent sufficienter doctus, tum verò qua via ac ratione medendi scientiam oporteat exercere, nemini peritia secundus, Autore Galen. ad initium libri de Arte curatiua ad Glau. Is sanè sequenti vtebatur ratione. Cùm enim radix toti plantæ cibum paret, quod aliis partibus conficiendum transmittit, nondum confectum continet, idque copiosum, vt aliis omnibus transmittat abundè, neque enim fieri potest (inquit) vt ipse totus sit cõcoctus, quando quod coctum est, perfectum esse videtur. Atqui humor qui radicibus inest, alibi in partes plantæ distributus, coctionem perfectam adquirat, necesse est, (partes enim omnes à radicibus alimentum accipiunt) necesse igitur est, ibidem humores crudos aceruari quo loco coctionem absolutam, quæ fit in partibus supernis, expectant. Non abs re igitur in radicibus plurimum humoris crudi continetur, meritò sanè & corporibus nostris alimentum ab his relinquitur humidum ac turbationis plenum, hæc Menesitheus. Quibus Gale. contradicit, probabilẽ esse verbis, asserens, eius sententiam, experimento tamen falsam. Nam radicula acriorem facultatem habet, quàm ipsius folia, idem de

cepis, beta, & porris, & alliis, & althea, notum esse dicit. Rursus idem de dracontio, aro, & scylla. Ex acredine verò probare vult Galen. radices prædictas minus abundare incoctis excremẽtis. Rursus inquit: quemadmodũ in plantis aliis natura maximam fecit partem caulem, ita in prædictis maximam fecit radicem, quam auxit validiùs, ac nutriuit: in his tamẽ, quod minus probè confectum est, id in caulem & folia transmittunt, eo modo quo animalia post integram membrorum nutritionem, excrementa in pilos, vngues & cornua traducunt, sicuti & in piscibus ad magnas spinas: sic itaque dicemus modo plantarum bene altas radices excrementa ad caules & folia procreanda mittere, Rectiùs autem fore docet si earumdem plantarum vires, & singularũ partium gustu, & olfactu prosequatur medicus, & inde temperaturas ipsarum diiudicet: deinde quoque plantæ consistentiam cõsiderare præcipit, & ex consistentia odore, & sapore cum aliis conditionibus iudicium ferre de tota planta & eius partibus. Nos quidem Mnesitheï sententiam non tantùm verbo tenus veram esse existimamus, sed naturæ rerum & experimento constantem, si quis plantarum partes in vicem cõtulerit, nam sæpe folia nobis inutilia sunt, magis tamen radicibus elaborata. liquidem radix alimẽtum rude & inconfectum continet, quod confectionẽ & perfectionẽ in caule & tota plãta assequetur: excrementosa igitur est radix. Præterea imperfecta ad perfectiora, à natura sunt instituta: radix autem ob totam ipsam plantam facta est, ergo minus est perfecta. Præterea si radix alimentum ministrat, id minus perfectum est in ministrante quàm in recipiente, veluti chylus minus perfectus est quàm sanguis, & ventriculi ac iecoris actiones minus perficiunt materiam, actionibus membrorum, cùm aluntur. Quòd si radices excrementum tradere reliquis partibus cum Galen. dixeris, notum euadet eam partem valde excremẽtosam esse, quæ adeò excrementis abundat, vt toti plantæ excrementa suppeditet: radix igitur excrementosior erit ipsa planta, præter id quòd radicẽ nunquam adeò affatim excrementa misisse dicemus, vt in ipsa non remaneant copiosa: siquidem radix nullam magnam inanitionem patitur, sed id in suo statu perseuerans facit: semper igitur excrementis abundat, quæ sensim mittit, ac sensim aceruat. Præterea plantæ quarum radices esui sunt, flores mittunt, & semen: id vero quamuis excrementum sit, vt tamen Aristote. voluit, quantitate abundat, non qualitate, nempe materia ex qua semen generatur, quod Gale. quoque affirmat. Ea igitur pars quæ ad seminis generationem traducitur, nihilo imperfectior erit totius plantæ alimento. Præterea quòd radices acredinem habeant maiorem quàm folia, vt in cepa, scylla, & radicula, non probat alimentum radicũ esse magis confectum, sed quod calidiorẽ partem & acriorem alimenti adiungant, reliqua nondum integre elaborata, transmissa simul cum parte acredinis participe. Neque enim sequitur, partem aliquam aliméti esse magis alia elaboratam: quoniam acrior est. Nam bilis quæ cum sanguine tendit ad alitionem membrorum, cùm in ipsis elaboratur, minùs acris redditur, iam prope in carnem transiens. Prẽterea quamuis radicula, & cepa, acrem habeant saporem, sicuti & porrum, id ad eorum substantiam attinet: verùm succus, qui in ipsis continetur, aquosus est, & multus, quod Mnesitheus voluit: nam & ea ratione excrementosum, humidum, & turbans reddẽt alimentum. Docent id cepa excrementa corporibus augens, & rapum flatum aceruans, maximè si quis eum crudum ederet, & radiculæ quæ flatus crassos ac ructus creant. Ex his quoque notum est, Galen. non probare contra Mnesitheum radiculam & similes alias radices, non esse excrementosas, ex acredine. Acris enim est earum substantia, plurimum tamen continent in poris & meatibus inconfectum alimentum. Exemplum præterea adductum à Galen. simile non est: nam cornua & pili, animata non sunt, neque in ipsis alimenta ampliorem recipiunt confectionem, & imperfectæ partes animalium sunt. Planta verò perfectior radice est, atq; in ipsa alimentum vlterius perficitur. Quòd verò gu-

stu

ſtu probandas eſſe vires alimentorum teſtatur, non ſine diſtinctione aſſerendum: nam vbi id cuius natura venit exploranda, diuerſas admodum partes habuerit, poterit partem habere acrem ac calidam, quæ guſtum vehementius immutet: partem verò aliam excrementitiam & aquoſam, quæ guſtum non mouet. Cuius rei exemplũ eſt cepa, & ſcylla, quæ præter acrem partem, aliam non confectam continent copioſam, quam vbi diutius appenſæ teneantur, in caulium & foliorum generationem, & alitionem expendunt, ampliori facta elaboratione. Radicula igitur ac cepa calidæ ſunt, & coctionem aliorum adiuuant, ſed excrementa augent, quæ in flatum verſa ventrem turbant. Quod Galen. ipſe aduertens cùm de Paſtinacis loquitur, difficilè eas confici dicit, ſicuti & alias radices. Sed iam ad inſtitutum redeamus. Gale. radiculam cum garo dixit edi. Erat autem Garum apud antiquos liquor ſociorũ appellatum, quod ex piſcibus, atque eorumdem inteſtinis, ſalitis veluti ſanies quædam emanabat. Quidam etiam vinum addebant, ac deinde percolabant. Nonnulli ex ſyluro, alij ex ſcombro piſce liquorem eum parabant, quidam etiam ex carnibus ſalitis. Apud nos verò neque viſum eſt Garum, ſed loco eius vtimur oleo, aceto, & ſale: ad eſum tamen ſalitorum piſcium, oleo & aceto. Rapum, napus etiam appellatur à nobis, Græcis βουνιὰς & γογγυλὶς quæ duo ſpecies diuerſas ſtatuit Dioſcorides. Parum alit, nec valde craſſum alimẽtum præbet, niſi improbè conficiatur, aut ob malam præparationem, aut quæ copioſiùs ingeritur, aut ob vẽtriculi imbecillitatem. Sic enim craſſum & crudum acerua ſuccum, & flatum auget: mouet parum vrinam, & vẽtrem ſtimulat, ſemen oculos illuſtrat. Nonnulli parant rapum elixantes cum carnibus pinguibus, (neque enim aut crudum aut aſſum edi poſſet) deinde cum carnibus porcinis pinguibus edunt, aſpergentes ſuccum aranzij, aut limonis: is enim præter id quòd guſtui placet impedit etiam craſsi humoris generationem, & ipſius lentorem diſſecat, quæ ex raporum & pinguium carnium eſu ſperãtur. Quidam verò ex rapis obſonium parãt, ipſum in aqua, oleo & melle elixantes, addunt ſal, piper, caryophillos, & crocum: quæ omnia ad celeriorem coctionem & ſucci extenuationem nõ parum conducunt, ſicuti ad flatus diſcuſsionem: vtcumque tamen fungoſam generant carnem, nec ventrem ſiſtunt, nec mouent. Siſer radix eſt, aliis quidem Paſtinacæ congener, nobis napis perſimilis. Galli ipſam cheruillem dicũt, nos chiriuiam. Hæc autem elixa, aut in cineribus aſſa editur, ſed cum oleo & ſale & aceto: amittit enim amaritudinem ferè in totum, & exuperantem oſtendit dulcedinem: craſſum & flatuoſum ſuccum præſtat, & carnem generat leuem, vti napi, & quæ facilè diſſoluatur, mouet vrinam, & ventrem ſtimulat. Paſtinaca paucum, calidum, & non lentum. nec craſſum præſtat ſuccum: vrinam ciet, & ſtomacho vtilis eſt, atque appetitum excitat, cùm ſit aromaticitatis particeps. Venerem quoque ſtimulat. Editur à quibuſdam cruda, vt pueris, fœminis, & ruſticis, quo modo difficilè conficitur in ventre: elixa verò ab aliis editur cum oleo, ſale, & aceto ante alios cibos, ab aliis aſſa in cineribus deinde vino immerſa: verùm purpurea guſtui gratior, & ad prædictos vſus efficatior experimento conſtat. In omnibus namque oleribus, cerealibus, fructibus, & animalium generibus, quæcunque flauiora, aut ruſiora, aut magis ad nigrum vergẽtia ſunt, albidioribus ſunt calidiora. Aron plãta eſt valde nota, cuius radicem qui iam mandunt elixam, cum aceto, oleo & ſale: in hac tamen regione validam habet facultatem & acrimoniam, qua extenuat craſſos humores, & ſputum craſſum ac viſcidum expulſioni parat. Quapropter medicamentoſa eſt potius quàm alimentoſa, paucum ſuccum, neq; bonum præſtat. Dracontij, & Aſphodeli radices, ob nimiam acredinem valde mendicamentoſæ ſunt, neque eas quis edere tentauerit, niſi magna graſſante alimentorum inopia, atque tunc vbi præelixentur ter, aut quater, deinde additis oleo, aceto, & ſale. Aſphodelus tamen, ſiue haſtula regia, editur contra ſerpẽtum morſus. Bulbi ſculenti, qui à nobis cebolletas appellantur, ſaporem hab

Garum.

Rapum.

Siſer.

Paſtinaca.

Aron.

Dracontiũ.

Aſphodelus.

Bulbuſculentus.

habent parum,austerum:commixtum cum pauca acredine,& manifesto amarore,ob amarorem & austeritatem appetitum excitant:ob acredinem vero & amarorem humores spuitioni parant, extenuatione, ac incisione. Hæc, vbi crudi edãtur.Si verò elixi minus amari redduntur,& bis elixi totam amittunt amaritudinem,ac perinde succos generant crassiores.Elixantur autem cum carnibus,& quandoque friguntur in oleo & melle,fitque cibus minùs malus, ac minùs crassi succi.Acetariis miscentur herbis,cum aceto, oleo, & sale ad appetitum excitandum. Rustici verò in agro sępe, & quandoque domi bulbos crudos edunt cum pane; aceto panem, aut bulbum intingentes, ac ferunt sibi gratissimum cibum. Acetum tamen crassitudinem substantiæ bulborum extenuat, & corporum exercitatio non parum eandem emendat. *Cepa.* Cepa à bulbo genere non differt:est autem cepa maior & rotundior, sed habent cepæ acredinem maiorem, ac vim,extenuandi. Crudæ quidem à quibusdam cum pane eduntur rusticis,& fœminis:præstant autem succum inconfectum multum, & pituitam tenuem augent,pauciss imum tamen prębent alimentum:extenuant validè humores crassos thoracis & pulmonis, & eos spuitioni parant.Elixantur cum carnibus & omnem amittunt acrimoniam,& copiosiùs alunt, neque adeò crudum tribuunt alimentum: sic etiam & vbi cum melle & oleo friguntur,aut cùm elixãtur in aqua & oleo additis melle,pipere,croco, & caryophylis.Hic cibus facilè coquitur,& per ventrem descendit,sed succus eius calidus est,& capitis infert dolorem. Assantur etiam cepę in cineribus,& deinde oleo, aceto,& sale manduntur, quo modo paratæ appetitum excitant, vrinam mouent,renes mundant ab arenulis,& pituita. *Porrum.* Porrum pariter acrem habet saporem,vires extenuandi ac calefaciendi:editur à rusticis crudum cum pane, reiectis folliis, quę esui nõ sunt,vti neque,in cepis,bulbis,aut alliis:sed vbi elixentur porri,ceparum modo acredinem amittẽt,& easdem ferè cum ipsis seruabunt vires. *Allia.* Allia vehementem habent acrimoniam,& ingentẽ caliditatem, ita vt exurere possit. Crudum allium nullum præstat alimentum, nec tamen interna exurit, quoniam dum digeritur, aliquatenus deuincitur, & aut pani, aut aliis cibis, aut humoribus miscetur, neque sitim efficit. Ferina quidem res est,& quam nec beluæ tentarent,allium crudum edere, nisi medicamenti ratione, veluti ad cholicum aliquem dolorem à frigore, aut flatu sedandum: discutit enim flatum:in quem vsum assum in cineribus accõmodatur, elixum autem acredinem amittit,sed pauxillum præbet alimentum & extenuantem. *Allium calidum & frig.* Rustici quidem hyeme & æstate allio vtuntur, experimento ducti, in his temporibus proficuum sibi fore ea,vt allium calidum & frigidum esse clament. Falluntur hercle hac in re. Cæterùm rectè dixerunt ipsum eisdem hyeme & æstate proficuum.Hyeme nanque calore obsistit ambientis frigiditati, æstate verò prohibet ne ab ambientis calore, internus ventris calor omnino dissoluatur.Obsonij ratione multis cibis miscetur, quibus omnibus saporem & calorem adiungit:infert tamen vtcumque edatur capitis dolorem, nisi validissimum sit edentis caput.*Tubera.* Tubera,terræ nascentia sunt, quæ sola ac cruda nullatenus edi debent,nullo enim sapore sunt prædita, sed veluti cucurbita, frigidam habent naturam,insipida sunt,aqueum præstant alimentum,sed crassius quàm cucurbita.Galen.boni succi esse dixit. Auicennas melancholici præ cęteris.Vt tamen minus noceant tubera prius abradenda, vt mundentur à terrena parte exteriori: deinde in aqua & sale breui elixanda, & abiecta aqua rursus in alteram aquam calidam transferenda,cui oleum, piper, & zingiberum addunt,& aceti parum. Quòd si maiora castaneis fuerint, ea in frusta secant,deinde ab esu vinum album bibunt, parum dilutum. Hac conditura malitiam tuberum emendamus,quammaximè:minùs verò si eadem assemus addito pipere. At verò cauendum, ne malo humore in ventre præexistente quis eis vtatur: facilè enim corrũpuntur:maximè verò si copiosiùs eisdem vescatur. *Fungi.* Fungi qui ad nigredinem tendunt, & qui nascuntur in putridis locis, &

fimo

simo refertis vitandi sunt: inferunt enim apoplexiam, paralysim, cholicum morbum, & inspirandi difficultatem, & venenorum symptomata. Sed qui albidiores sunt, quos boletos appellant, probè parati, edi possunt: raro tamen, augent enim pituitam, & crassum, frigidum, & humidum præstant alimentum: nam sunt in tertio ordine frigidi, & iuxta ipsum humidi. Parantur autem, vt diximus de tuberibus, elixi, & prima elixatione reiecta, secundò elixantur in aqua, oleo, pipere, zingibero, sale, & pauco aceto, aut sal prima ipsa elixatione affundimus. Post fungos verò vinũ vetus, validum, & meracum bibendum est, quod corruptioni fungorum medetur, si superaddas origanum, calamentum, piper, zingiberum, aut eorumdem elixationem. Hac tempestate sic parãtur, sale insperso tabescunt, deinde aqua & oleo elixantur, interim addito semine coriandri, allio, pipere, & caryophyllis, ad finem oua integra cochleari agitata miscentur.

De Alimentis quæ ab animalibus sumuntur. Cap. VIII.

ANIMALIVM Natura medico consideranda est ad sanitatis tutelam, cùm homines non tantùm seminibus, fructibus, & oleribus vescantur, sed animalium quoque carnes vorẽt: homo siquidem animal omniuorum est. Ex animalibus verò quædã terrestria sunt, vt quadrupeda, & reptilia, quædã volatilia, quædam aquatilia: quamuis multa sint volatilia & pedestria natãtia, quæ in aqua aluntur, & quædam aquatilia, quę extra aquam diu degunt, & alimentũ accipiunt. De facultatibus alimẽtitiis trium generum animalium ordine dicemus, quibusdam præfatis, quæ ad generalem doctrinam attinent, & his quæ dicentur, sunt necessaria præludia. In animalibus multæ ac variæ sunt differentiæ considerandæ, quæ omnes vires alimentitias variant. Nempe genus, ætas, sexus, habitus, victus, & præparatio, quæ communis est ferè omnibus alimentis. Ex genere quidẽ, quoniam genere meliores sunt carnes arietinæ caprinis, & gallinarum quàm anserum. Ex ætate, nam nouella sunt humidiora: vetusta, sicciora: masculus, fœmela, in omni specie est calidior. Ex habitu, nam pinguiora sunt humidiora, & macilenta sicciora. Ex victu, nam domestica sunt syluestribus humidiora, & in ocio degentia, pluribus excrementis abundant, quàm exercitata: præparatio tamen varia notum est quantum in ea re valeat. Decet tamen vt singula horum latiùs differentes pertractemus, à generis diuersitate auspicantes. Pedestria animalia aquatilibus & volatilibus magis terrenam habent naturam à toto genere: quod ostendit eorumdem natiua grauitas, & quoniam corpori constantissimum præstant alimentũ, & quod difficilimè dissoluitur, quemadmodum & terra difficiliùs quàm aqua in aerem trãsit. Aquatilia verò aqueam habẽt naturam & minus terrenam substantiam: aliâs neq; in aqua primã habuissent generationem, neque in ipsa degerẽt & alimentum caperent. Volatilia tamen aerea magis sunt, magis quoq; terrena aquatilibus, & minus pedestribus. Ex pedestribus quoque quædam magis ad humanum temperamentum accedunt & homini magis similia sunt, quædam minùs, & ex eisdem quædam calidiora homine, quædam ipso frigidiora, quædam humidiora, quædam sicciora: siquidem humana natura media est in vniuersa substantia, vt parte prima docuimus. Sed tamen in vniuersum magis similia sunt animalia pedestria homini, aquatilibus, & volatilibus, quamuis aquatilia & volatilia faciliùs in ventre superentur, & ex volatilibus plurima meliorem succum pedestribus præstent. Nisi dixeris in vniuersum, succum similimum humano corpori optimum esse. Ex pedestribus autem animalibus quædam sunt domestica, quædam agrestia: sed quæ agrestia sunt, sicciora sunt cicuribus & domesticis: quoniam vehementiùs exercẽtur, & quoniam à prima ipsa generatione agrestia sunt ferociora & bilioſiora, ac perinde indomita, vti leones pardali, pantheræ, lupi, vulpes: reliqua verò melancholica, sicca, ac

Animali. genera cœlo diuersa.

Animalia domestica & agrestia.

frigida,& timida valde sunt,vt lepores, cuniculi ,cerui, & damæ : eadem tamen animalia vbi cicurentur,humidiora redduntur , & in domesticorum naturam quadamtenus degenerant.Exemplo sunt cuniculi domestici,qui longè humidiores agrestibus sunt,& cerui domi alti,his qui in montibus degunt: & ex auibus columbæ,palumbis sunt humidiores.At verò in consequentibus seiunctim,de animalium quæ esui sunt natura,per genera dicemus.Aetates præterea animalium non parum mutãt vires alendi:omnia enim animalia , sicuti & plantæ omnes,a prima ipsa generatione humidiora sunt:talia enim esse decuit quæ augeri & extendi natura valent.Cùm verò ad maximum sibi debitum peruenerint incrementum , sicciora reddita sunt : nam eadem ratione natura ea amplius extendere non valet.Perseuerant in hac constitutione aliquandiu , non verè,sed quoad sensum : momentaneus enim est rerum quæ augentur,& natura postea decrescunt , status. Cæterùm canes venatorij , cùm quarto suæ ætatis anno summas venandi vires acceperint,aliquandiu easdem seruant, ita vt sentiri non possit , an declinent. Homo pariter vigesimoquinto anno consistens nihil amittit ante trigesimumquintum, quod agnosci possit,quamuis in re nunquam in eodem permaneat statu. Arescunt autem postea animalia & plantę,natiuo calore humidum absumente,ac perinde duriora redduntur : sicca enim dura sunt , & humida mollia , ratione tradita in prima operis parte,quæ verò exsiccantur ex animalibus aut ætate , aut morbi ratione fibrosa redduntur,& coctionem admittunt difficilem. Ex animalibus tamen & plantis singula eò longius declinant , quò tardius ad summum deuenerunt incrementum , atque eadem omnino causa. Nam ad summum incrementum deducuntur , quoniam humor natiuus summam suscepit extensionem,atque inaruit,ita vt amplius extendi non valuerit: iam igitur quæ humidum tenue,& aqueum habent,facilè arescunt , & summam extensionem suscipiunt:quæ verò humidum habent lentum, & tenax , tardè extenduntur,& ad ariditatem eam perducũtur, vt amplius non extendantur caloris actione. Sic etiam omnino fit,vt quæ breui ad summum incrementum perducta sint, breui deinde inclinantia pereant : quæ verò tardè extenduntur , postea longiorem habeant inclinationem , & tardius ad finem perducantur. Exemplo sunt ocimum , basilicum , & cupressus:ocimum namq; breui augetur & floreſcit,ac semen profert , deinde breui declinat & arescit : cupressus autem post centum annos augeri visus est : sed eius vita vltra quadringentos extenditur. Quamobrem ex animalibus quædam post annum consistunt , quædam nondum decimo:in quorum esu temperatura est consideranda,ac perinde perspicuè constabit medico qua ætate temperatius sit animal, & humanæ temperaturæ propius accedat.Animalia namque natura sicca,nouella edenda sunt, & natura humida adultiora. Sexus præterea animalium vires alimentitias non parum variant:masculus enim calidior est fœmela, non tamen in omni genere:nã inter aues rapaces ex falconibus, is qui prima appellatur,fœmina est,& validissima , ac molle maxima : qui verò appellatur Torzuelo masculus est, fœmina minor,& ad pugnam imbecillior. Ostendunt autem vires & corporis magnitudo caloris abundantiam , atque ea ratione in aliis generibus masculorum calor maior probatur,qualem debeat esse calorem eius qui filios alere, & eosdem à reliquorum animalium incursu tueri debeat. Fœminarum verò munus in quiete filios parere , procreare , & fouere . Mares quidem caloris vehementia absumpto humore fibrosas habent & sicciores carnes , & cùm coeunt nidorem quendam referunt,& difficilè coquuntur:sic & fœminæ cùm concipiunt , citò arescunt, & obdurantur, absumpto proprio alimento in fœtus alitione & procreatione , quemadmodum & aues dum ouis incubant. Quamuis itaque pedestria post partum & lactationem , & aues relictis pullis reficiantur,nunquam natiuum humorem, & carnis mollitionem priorem recuperant.Fœminas itaque in quadrupedum genere castrare oportet, ne con-

Animaliũ per ætates tẽperamenta.

Animalia quæ tardè consistunt , longam habẽt inclinationem.

Animaliũ ex sexu diuersitas.

cip

cipiant,& aues ne ouis incubent prohibere: nam eas interim edere perniciosum foret, postea verò duriores & sicciores factas esse, nosse oportet. Mares autem castrare, veluti gallos gallinaceos inter aues,& ex pedestribus arietes, tauros,& porcos est frequentissimum. Degenerant namque statim mares in fœminas,& mediam quandam naturam seruant, sed cùm à coitu abstineant bonum odorem, saporem & temperaturam nanciscuntur eorum carnes. Ad habitum corporis attinent pinguedo & macies, nos tamen loquimur impræsentiarum de duplici macie aut pinguedine: altera est ab specie, altera ab indiuiduo singulari: nam porci ex specie pinguiores sunt capris, at verò ex capris, quædã sunt aliis pinguiores. De pinguedine hoc vnũ in vniuersum ferre licet, pingue omne macilento facilius coqui,& in ventre supernatare: deinde verò succum minùs constantem præbere. Quoniam tamen de singulis generibus agendum, nos modo de his quę intra genus macilenta sunt, aut pinguia, dicemus. Ex his quæ toto genere pinguia sunt,& obesa, ea eligenda præcipimus, quæ minùs abundant pinguedine, citra morbum, veluti inter porcos salubrior est caro illius qui paulò macilentior moderato est. Ex his tamen quæ sunt à natura plus æquo macilenta,& pinguedine carent, vti lepores, & cuniculi, pinguiores sunt eligendi, dummodo saginati nõ fuerint,& in loco concluso alti. Quæ verò nullum extremum obtinent à natura, pinguiora sunt meliora: quoniam & saniora, vbi non saginentur,& gustui magis grata: præterea quoniam dulcia sunt quæ nutriũt,& pinguia dulcia sunt. Ex animalibus verò aut natura, aut victu pinguioribus iusto, partes alitioni optimę sunt macrę, sed iuxta pingues sitæ,& ex macilentis animalibus à natura, partes quę iuxta pinguedinem sunt, simul cum pinguedine edendæ. Et in summa ex humidioribus sicciores,& ex siccioribus humidiores. Quę verò intra speciem plus iusto macilenta sunt, edi non debẽt: id enim non fit nisi aut morbi ratione, aut alimẽti defectu: sicuti & in his quæ turgent coitum appetentia: aut enim alimentum non capiunt, aut inaniuntur nimio coitu. Animalia tamen domi saginata excrementosum præbent alimentum, humidum & pituitosum, quæ verò plurimis laboribus fatigantur & extenuãtur, sicciora sunt & duriora. Victus quoq; varius quantum mutet animalium naturas & alendi vires, ex his quæ diximus notum est. Parum enim exerceri, aut multum, crassiora, aut tenuiora reddit animalia,& molliora aut sicciora,& duriora. Neque enim victum cõsiderare præcipimus qua victus est, sed qua corpus animalis variè mutat. Potissima verò victus pars in alimentis animalium consistit. Idem namque animal diuersis alimentis assuetum temperaturam mutat, quod plãta persica docuit, in Aegyptum translata, quæ ex venefica salubris reddita est. Sanguis namque ac perinde caro alimentorum vires contrahunt, dicente Hippo. Fœmina vel capra elaterium, aut agrestem cucumerem deuorantes, pueris purgatio. Neque hoc tantùm, sed si gallina cepam deglutierit, caro odore,& sapore, cepam refert,& quod his maius videtur, nos non semel, sed sæpius ex oui sapore agnouimus gallinam deglutisse cepam. Regio quoque diuersa vires variat, veluti reliquus victus, tum ob aeris temperiem, tum ob alimẽtorum varietatem. Animalia namque in locis maritimis alta, humidum & aquosum præstant succum, & minimè constãtem, sicuti & herbæ, quæ valde humidæ sunt. Nam & in tempestatibus pluuiosis herbæ humidissimæ sunt,& animalia quæ eisdem aluntur tenuia,& insipida, aquosæ naturæ: quæ verò solis actione consistere incipiunt, & maturitatem assequi, constantius alimẽtum præbent, & animalia solidam carnem sibi apponunt, persimilem quoque hominibus retribuẽtia. In summa, quemadmodum diuersa victus ratio nobis adhibita, nostram mutat temperaturam,& sanitatem, ita & animalium & plantarum. Præterea animalia eiusdem generis diuersam admodum naturam assequuntur, vbi domi, aut in agro alantur: humidiora enim sunt domi alta, sicciora quę in agris, ob exercitationem exsiccantem,& aerem,& solis calorem quæ omnia excrementa quoque

Animaliũ habitus.

Pinguc omne.

Animaliũ victus vires variat.

Animaliũ ex regione diuersitas.

discutient,à quibus domestica priuantur.Domi quoque saginantur nonnulla, vti porci,& à quibusdã agni,& arietes, & plus æquo pingues fiunt, & excrementis abundant.Saginata itaque animalia sibi non admodum sana sunt,esui verò longè minus.Quod si natura valde sicca fuerint,vbi domi alantur,& pinguia fiant,& ita saginentur,vt congruas exercitationes non omittant,ne aut multis excrementis abundent,aut ęgrotent,salubriora reddentur,& humanę temperaturæ similiora. Sunt tamen ex animalibus quædam adeò sicca, vt nulla victus ratione fieri possit,vt corrigantur,& excessum amittãt, vt canes, lupi,leones.Ex volatilibus miluus nunquam cicuratur,nisus,falco,pica, papagallus, etsi cicurantur, nulla victus ratione humescent: prius enim ob excrementorum, copiam ægrotabunt, & morientur. Turtures domi altæ & pingues bonum præstant succum, & temperamento proximum. Gallinæ vero & anseres,& anates,sicuti ex pedestribus sues meliores sunt, qui præter id quòd domi aluntur,interdiu in agro diuagantur & redeunt:sic enim fiet,vt paucum congerant excrementum. Præparatio deinde carnium ac piscium valde variat eorumdem vires alimentitias, atque eadem omnino caro quæ difficilè in ventre superatur,vbi commodam susceperit præparationem, facilimè vincitur,& quę aliâs facilè vinci solebat,ex pręparatione superari nequit.Fit etiam vt ex diuersa præparatione siccæ,aut humidę reddãtur carnes,sicuti & pisces, & aut intus, aut extra. Præparationum autem prima ac simplicissima differentia est,quæ ex alteratione sumitur,quæ per primas qualitates fit. Nam carnes aut pisces, elixantur, aut assantur, aut torrentur, aut sussocantur, aut friguntur: quibus adde macerationem, quæ fit carnibus aeri appensis, quæ est veluti fermentatio ipsarum.Elixantur autem quædam in aqua, quædam in vino,quædam in lacte.Assantur quædam in cineribus, quædam in furno, quædam in veru circumactæ.Torrẽtur quædam super prunas,quædam iuxta ipsas. Suffocantur quædam in patinis, aut ola, quædam in pastillis. Friguntur quædam in oleo,quædam in butyro:quæ elixantur exteriùs reddũtur humidiora, interius sicciora. Natiua quidem rei humiditas minuitur, aduentitia tamen augetur.Quæ assantur,siccescunt exterius, interius humescũt. Natiua nempe humiditas seruatur, externa & ignea accedit siccitas.In vniuersum tamen elixa faciliùs superantur, & minùs alunt, & celeriùs per ventrem descendunt.Assa tamen difficiliùs coquuntur, digeruntur & descendunt: verùm valde nutriunt, & constantius præbent alimentum, sed ex carnibus, quæ in veru assantur, sunt meliores, circumactæ enim probè admodum omni ex parte parantur: non sit tamen ignis admodum validus, ne partes extimæ, plus æquo torreantur, aut vrantur, intimis crudis manentibus. Tosta omnimodo sicciora redduntur, & difficilem admittunt coctionem, & ventrem sistunt, & ignis quandam contrahunt acrimoniam. Suffocatæ carnes omnes prauum succum præstant,& difficilè superãtur: obdurescunt enim,& omnem alimentitiam partem exprimunt. Quapropter, ex patinis & pastillis ius tantùm edendum foret,id enim facile,& multum præbet alimentum: carnem tamen sic paratam non laudo, minimè verò eam quæ post assationem aut elixationem suffocatur, cuius euaporatio impeditur: prauum enim succũ præstat, & ori ventris,& cordi nocet. Pisces tamẽ sic suffocati,venenosi sunt,& praua inferunt Symptomata, & quandoque mortem. Quæ friguntur, duræ quoque redduntur,& siccæ:minùs malæ tamen sunt,si in butyro frigantur, vtcumque tamen difficilè coquuntur, & nidorem referunt, & nauseam concitant. Macerantur carnes viuæ agitatæ, & aues ab acipitribus captæ, & inter assandum, ab igne semotæ, ac reductæ, & diu mortuæ seruatæ. Secunda differentia præparationis ex mistione sumitur. Cùm enim obsonia parantur, quibusdam addunt coqui aromata, quibusdam mel, aut saccharum, quibusdam acetum,aut succum alium acidum:quandoque plura ex his miscent,in quibus omnibus condituris gustui & gulæ tantùm placere conantur, omni sanitatis

Carnium generalis præparatio

Suffocata carnes.

Maceratio carnium.

cura

cura posthabita. Miscere quidem carnibus & aliis alimentis, mel, saccharum, aceti parum, aut succi aranzij, aut ante obsonij confectionem, aut post, tolerabile videtur, quamuis culpa non omnino vacent mixtiones carnis & mellis, aut carnis & aceti: minùs tamen malum videtur eadem piscibus miscere, & eisdem pisces parare. Verùm detestanda omnino est mixtio medicaminum tertio, & quarto ordine calidorum, vti piperis, gingiberis caryophyllorum, sinapis, & aliorum, quæ omnimodo sanitatis aduersa sunt, si piscibus misceantur: pernicioſa verò, si carnibus. Præterquam si pisces mali, crassi, ac difficilis coctionis fuerint, à quibus abstinendum potius esset. Hæc enim ventrem plus æquo calefaciunt, & deinde iecur, caput validè implent, cibos nidorosos efficiunt, eosdem ante coctionem à ventre præcipitant, bilem augent, renes excalfaciunt, ardorem vrinæ generant, & in renibus lapides, crudis delatis succis, & deinde nimio calore vltis, homines efficiunt furibundos, inconstantes, imprudentes, salaces, & bibulos. Excitant enim hæc validam sitim, ob quam nonnulli summè refrigeratum vinum bibunt, quidam niuem addunt, quidam siti perpetua vexantur, ob quam ieiuno ventre bibere coguntur. Sed sunt qui per huiusce modi obsoniorum præparationes ex instituto velint sibi sitim excitari, vt numquam non sitiant, neque vllo potu satientur: verùm his vt detestandæ turpitudinis autoribus, non scribitur liber hic, sed illis tantùm, qui malunt viuere, quàm bibere. Præcipimus itaque vt carnibus, si fieri possit, recentibus vtatur is qui suæ consulit sanitati, & his elixis in aqua & sale, quibus si vellis addes petroselinum paucum, aut cicera: aut easdem assas edat, pauco sale addito. Atque id in omnibus quo ad fieri possit, seruandum, vt carnes macilentæ elixentur, pingues verò assentur, sed licet quidem pingues elixare: macilentes verò, si assaueris, siccissimas reddes, & alitioni ineptas: piscibus autem vtatur aut elixis, aut assis, si credit se posse eosdem facilè superare: si secus, ea adiunget salsamenta, quæ vulgus hominum, apud quos prædicti pisces sunt in vsu frequenti, eisdem aptare solet, sed cum omni moderamine. Miscent etiam coqui nonnumquam carnibus præparandis oua, quandoque lac, quandoque varias herbarum species, sed dispares admodum cibos conficiunt, quorum partes quædam facilè, quædam difficilè in ventre coquuntur: id verò valde sanitati obest. Ex præparationibus est salire carnes, & diutius occisas seruare. Hoc quidem vtile est, vbi moderatè fiat, nec tempus congruum excedat: veluti cùm hyeme seruantur ad tertium diem, vere ad secundum, & autumno: æstate à matutina in vespertinam horam, aut rursus à vespertina in matutinam. Est enim hæc maceratio carnium, veluti fermentatio: sed non omnibus par tempus congruit: pisces enim citissimè fœtent, carnes non ita, & carnium exta breui fœtent: ex carnibus verò perdices longam ferunt fermentationem. Pręterea pingues carnes & carnium partes ob substantiæ pingnis tenuitatem faciliùs corrumpuntur, macilentę tardiùs. Hæc maceratio putrefactio quædam est, quamuis ab initio nondum manifestè putrent carnes, nec fœtore participent, eò tamen tendunt: laxantur autem priùs, & mollescunt: quoniam non satis regitur humor à calore innato rei, deinde humore nimium redundante & exhalante natiuo calido, succedit externus, substantiam occupans & putrefaciens, quò tempore fœtor accedit, & tandem vermes generantur. Propterea carnes sicciores tardiùs macerantur, & putrescunt, & carnes sale condiunt, vt sicciores redditæ, & minùs abundante humiditate, minimè à putredine occupentur. Ad quod prodest etiam carnes frustatim exponere soli æstiuo diutius, vt inarescant vi solis, vti salitæ vi salis. Sale nanque condiunt carnes & pisces, sed sine delectu: non enim omnes sunt salituræ aptæ. Nam quæ nimium siccæ sunt aut natura, aut ætate, vbi saliantur, siccæ admodum redduntur, ac perinde paucum, crassum, & malum succum præstant. Quæ verò immodicè humidæ sunt ex ætate, salitæ ineptæ fiunt alitioni: sal enim omnem ferè humiditatem exprimit, quam carnes nouellæ

Medicaminum & ciborum mixtiones detestandæ.

Carnium fermẽtatio.

Carnes salitæ.

tenuem habent. Itaque tota caro nouella, humida & mollis à sale liquatur, solis fibris, neruis, & membranis relictis. In vniuersum verò præcipimus, neminem carnibus vti salitis: habent enim vim exsiccandi, qua homines ad senectutem celeriùs deducunt, prauum etiam præbent succum, & paucum, quòd siquis eas salire decreuerit, vt diutius seruentur ad vsum, salituræ aptiores sciat esse, quæ adultorum & consistentium animalium sunt, neque omnium, sed eorum quæ à natura iusto sunt humidiora. Quamobrem porcorum saginatorum caro salita minus est excrementosa, etsi praui succi. Verùm crassi admodum ac praui succi sunt carnes bubulæ, hircinæ, & ceruinæ salitæ, deteriores cuniculorum, & leporum ob siccitatem, sicuti hœdinæ & agninæ ob ætatem, & auium quarundam ob siccitatem: quarundam verò ob substantiæ tenuitatem. Piscium tamen multa genera salire tutius est, quàm pedestrium. Seruant etiam coqui carnes sale, aliis, origano & aceto mixtis, copiosa aqua, quas postea assas ministrant. Præstant quidem prauum succum, & caput grauat fumus inter coquendum: sed faciliùs coquuntur, & appetitum ventriculi excitant. His præhabitis ad singulorum animalium carnes accedamus, id præmonentes, à carnibus constantissimum accipi alimentum, præ omnibus eduliis.

De Carnibus pedestrium animalium. *Cap. IX.*

Agnus.

DE Agnina carne primo loco dicamus. Agnus ante vnius anni complementum, humidam admodum habet carnem, viscidam & mucoribus plenam: excrementosa itaque est crassi succi, & difficilè venas peruadit. Assa quidem melior est quàm elixa, sed vtroque modo ob excrementorum copiã abiicienda. Cùm autem iecur & venas non permeet, in ventre retentus succus intestinorum læuorem efficit: præterquam si calidior venter sit. Transito verò vnius anni spacio, caro agnina optima omnium carniũ, quæ à pedestribus desumuntur animalibus, est. Bonum succum præstat, copiosum, modicè constãs, quod à sano ventre facilè superatur: est enim humanæ carni simillima, & saluberrima, omnibus sanis hominibus post tertium suæ vitæ annum, vsque in naturalem mortem accommodata. Neminem enim sanum conquestum audiui de carnis arietinæ modico esu. Galen. quidem suum carnem humanæ similem esse dicit, quoniam nonnulli humanas carnes pro suilis vendebant: verùm suillæ carnes longè plus pinguedine abundant, ita vt in quibusdam ventris partibus tota caro pinguedo sit, & ferè tota caro suis, præterquàm spatularum & fœmorum pinguedo est: quod satis diuersum est in homine. Quòd si ob substantiæ similitudinem facilior commutatio fit, & quod homini similius est, pauciora auget excrementa, & abundè alit: caro agni vnius, duorum, aut trium, aut etiam quatuor annorum homini simillima est: suis nanq; caro excrementa plura auget, & difficiliùs in nostram trãsit naturam carne veruecis. Quòd tamen magis constans alimentum præbeat suilla caro, veruecina, id ad succi lentorem potius quàm ad similitudinem referri debet. Præterea id confirmat nostram sententiam, quòd ea quæ constans valde præbent alimentum, aut viscidum præstant succum, aut crassum, quorum vtrunque ea ratione tale dicitur, qua nostram naturam ea in re superat. Porrò quantò caro suilla validissimè exercitatis, vti agricolis, ob succi cõstantiam, veruecina accõmodatior est, tantò temperatis hominibus, modicè exercitatis veruecina vtilior est suilla, ob succi bonitatem, & coctionis facilitatem. At verò quoniam agni ouibus miscentur, eosdem castrare decet: non castrati enim coeuntes, praui succi carnes habent, redolentes hircos, & sapore nidorem quendam referentes, qui breui obdurantur. Castratorum verò agnorum carnes ad quartum vsque ætatis annum seruantur optimæ, & boni succi, & saluberrimæ, eis qui aut in ocio degunt, aut modicè exercentur, sicuti & non castratorum, segregator

Caro suilla arcta magis nobis similis, arietina.

gatorum tamen. Ouilla caro excrementosa admodum est, & praui succi, gustui ingrata valde. Caprarum caro praui succi est & crassi, acrimoniam quandam gustu referens: hircorum vero non castratorum adhuc nidorosior, castratorum autem aliquatenus emendatur. Hircorum tamen montanorum, atque caprarum caro siccior est, quàm domesticorum, sed minus nidorosa. Verùm quemadmodum agnorum caro ante annum humidior iusto, & excrementosior, post annum temporis processu exsiccata, temperamento magis accedit, ita caprina priori ætate dum humiditas in animalibus omnibus abundantior est, meliorem habet temperaturam. Quapropter hœdus melior est hirco, & capra, vti veruex agno nondum annuali. Hœdus igitur lactens bonum auget succum, & facilè coquitur, ita vt carni agni vnius aut duorum annorum, castrati, conferri possit: nam facilius coquitur: verùm vbi agni annualis caro probè coquatur, meliorem succum præstabit, magisque humanę naturę familiarem. Cùm autem ablactantur, iam hircorum naturam sapiunt & redolent, & difficile superantur, ac fibrosi sunt. Bubula caro crassæ substantiæ est, difficilè in ventre superatur, ac tardè permeat, non tamen lentore participat: natura frigidior est, carne hircina, & veruecis. At quemadmodum hœdina caro cum nondum sui generis siccitatem consequitur, temperamento accedit valde, ita vitulina bubulam superat: non enim per eam ætatem temperamenti siccitatem assequitur, sed quantum naturæ suæ siccitas ex genere superat temperamentum, tanto ætatis ratione humiditas natiua attemperat carnem vitulorum, atque perinde temperamento accedunt magis: sed remanet quædam substantiæ crassitudo qua ab humana natura secedit, crassum succum adhibens, non valde, crassiorem tamen hœdis, & castratis agnis, nondum tertium annum excedentibus. Rursus quod de hœdis dicimus, eos lactentes esse eligendos, id ad vitulos transferre oportet. Nec ignorandum, apud italos, & in quibusdam Septentrionalibus ac frigidis admodum plagis, vitulorum lactentium carnes, veruecum carnibus esse præferendas: idem quoque fieri videmus in regionibus admodum calidis, & extrema Beticæ Hispaniæ parte. In ea quoque regione suillę carnes agninis eiusdem conferuntur, non nostris. Apud nos enim agni pascuntur hyberno tempore in extrema castellæ parte, iuxta Lusitaniam, & Beticæ Hispaniæ terminos: æstiuo verò in locis frigidioribus, montuosis, vti Numanciæ, Scobiæ, Molinæ, & Concæ, ac perinde pecus numquam extremum frigus, aut calorem experitur. Optimæ igitur agninæ carnes sunt, & omnium pedestrium animalium carnibus præferendæ, ferè in toto regno Castellæ, quemadmodũ & tota ferè Anglia. Taurorum verò caro peior omnibus his habetur, crassa, fibrosa, dura, sicca, nidorosa, & praui saporis, ac succi, quam neminem edere permitterem, nisi in magna carnium & aliorum alimentorum inopia. Assueuerunt quoque agricolæ boues ab aratro in gregem reducere iam senio confectos, & ad labores inualidos, quos deinde impinguatos edunt: verùm horum caro & si melior sit quàm eorumdem macilentorum, paulò quidem humidior ob pinguedinem adiunctam: siccitatem tamen quam carnium, & musculorum fibræ ex ætate & laboribus contraxerunt, attemperare, aut humorem reficere impossibile est. Generat autem bubula caro atque in corpore aceruat crassum succum, siccum ac melancholicum & qui melancholicos morbos, vti varices, quartanas, lienis morbos, & hæmorrhoides afferat. Quidam malitiæ corrigendæ gratia bubulas carnes cum sinapi edunt, ac prodest ad celeriorem in ventriculo confectionem, & transitum ac distributionem: ad finem tamen, caliditas ac siccitas sinapis siciorem reddit succum, & eum adustum, & carnem genitam ex eodem. Ego quidem cum pingui iure minutim incisam carnem eam edi consulo, id enim valde attemperat eiusdem crassitudinem, duritiem & siccitatem: sed elixa edatur non alio modo parata. Boues præterea nonulli agitãt ante occisionem vt præponderent, & maiori precio vendantur, cæterùm deterioris adhuc succi fiunt

Ouilla caro.
Caprina caro.
Hircorum caro.
Hœdus.
Bubula caro.
Taurorum caro.

ci fiunt:quoniam caro liccior redditur,& in eadem sangnis immergitur,cuius tenuis pars discutitur à calore, reliqua crassiore manente. Cùm autem sanguis ipse natura crassus & melancholicus esset, tenui dissoluto, crassior redditur, & totus ipse cibus ex carne & sanguine immerso, ac densato, teterrimus erit,ac crassi admodum succi.Suilla caro à Galeno humanę similior aliis statuitur: nos vero diximus agninam esse magis similem:nempe agnorum qui annum ætate excesserunt,& quintum nondum attigerunt,castratorum.Suilla tamen caro veluti & reliquæ ex ætate manifestam habet differentiam. Porcelli nanque humidissimi sunt, & esui ineptissimi:succum enim augent pituitosum, vel, vt rectiùs dixerim, mucosum & lentum, pariter & excrementa multa. Eduntur tamen à quibusdã lactentes assi cutem torrefacientes, quam solam edunt: sed quidem carnem iterum sublata cute torrent atque edunt. Verùm cutis dura, sicca & difficilis coctionis est: caro verò torrefacta adhuc humida, sed non parum emendatur eius malitia torrefactione. Sanis itaque hominibus modicè huiusce modi carnes degustatæ parum nocent: maximè cum salsamento, ex eiusdem porcelli hepate, aut sanguine cum mica panis, aceto madefacta, & croco, ac pipere & sale. Sus deinde vnius anni, propè accedit ad temperatam carnem sed excrementosus est,lentum præbens succum & valde constans alimentum, vehementius exercendis accommodatum. In hac nostra regione suilla caro à paucis editur recens, salita verò ab omnibus: verùm hæc vt lentoris minùs participat, ita siccitatem alienam adiunctam habet,qua difficiliùs coquitur & permeat,atque sitim excitat,& melancholiæ generandæ materiam præstat. Caro præterea suilla siue recens siue salita, morbis renum nocet,& sanos quandoq; in eosdem deducit. Optima omnium est castratorum, sed duorum annorum, & non vltra quatuor. Quæ verò saliendæ sunt, intra id tempus saliri debent: ante id nanque valde eliquantur, & citò deinde rancescunt, post quartum tamen annum plus iusto arescunt.

Suilla caro.

Aprorum caro.

Aprorum carnes meliores sunt reliquorum suum carnibus,siquidem ob exercitationem minus excrementosæ sunt, modicè lentum ac constantissimum alimentum præstantes. Ego quidem apri annalis sani carnem optimæ carni agni castrati vnius aut duorum annorum confero, & paulominus salubrem esse iudico. Aprum autem atque agnum optimum in sua specie esse volo. Eis quoque qui validè exercerì debent, apri adhuc magis accommodatum succum præstant. Quòd verò Galen.carnem apri melancholicam dixerit, senis intelligi debet. Ex suibus tamen illi sunt meliores, qui præter id quòd domi aluntur, in agrum quotidie deducuntur: verum tamen neque hi bonitatem carnis siluestrium attingunt. Ceruina caro sicca est, sicuti & capreolorum, & damarum,& hœdorum: quod itaque de hœdis diximus ac vitulis,id ad nouellos ceruos,damas,& montanos capros traducere licet: omnes enim ob humiditatem ætatis naturæ siccitatem attemperant. Pariter & siquis ceruum aut damam domi aleret, ipsum redderet temperatiorem, dum tamen non prohiberet à mediocri quadam exercitatione.Præterea si masculos horũ generum, quos magnates in septis cõcludunt,castrarent,eosdem minùs siccos facerent, essétque eorum caro,nouellorum quidem, aut intra octauum annum, parum sicca,non excrementosa,nec insalubris,qua vti liceret aliquando.Ceruorum tamen qui in montibus diuagantur,maximè ætate prouectorum (quod multifida cornua docent) nos sæpe degustauimus,cùm eorumdem venationi interessemus.Sed siccas ipsas intelleximus,difficilis coctionis & melancholicæ naturæ, prauíque succi. Pinguiores tamen earum optimæ sunt, quales meose Augusto cum fruges semina protulerunt. Laudabilior tamen carnis ceruinæ pars ea est,quæ iuxta lumbos,quam venatores appellant tallo: hæc enim pinguedine abundat,qua siccitas attemperatur, & pauciora continet excrementa:quoniam bilem inde trudit natura in caudam, vbi in ceruis fel continetur pituitosum verò excrementum nullum ferè in ceruis congeritur. Damarum

Ceruina caro.

deinde

deinde caro media est inter ceruinam & veruecinam, tanto humidior, mollior, & facilioris coctionis ceruina, quanto siccior, durior, & difficilioris coctionis veruecina: ac perinde caro ceruina elixa edenda est, assa tamen edi non debet, ob siccitatem. Damina tamen elixa optima est, assa quoque non mala, verùm si cum pingui parte porcinæ carnis, multis in locis veluti spiculis infixis, assetur, veruecine carni assę equiparabitur, gustu & salubritate: minùs tamen alit. Damæ præterea lactentis caro, lactentis hœdi persimilis est, præterquam quòd ei non accrescit abundè pinguedo, vt electioribus hœdulis, quod à bonitate carnis nonnihil detrahit. Adultarum verò damarum leuior est, & pauciorum excrementorum & melioris succi, quàm caprarum, & hircorum: ceruina tamen caro siccior est quàm damarum, magisque terrena ac frigida, in quibus superat bubulam carnem: nam ob immodicas & celeres ceruorum exercitationes, validius exsiccantur: quin ad easdem natura iure ceruorum carnes siccas & excrementis vacuas effecit. Súntque bubulis carnibus & damarum, ceruinæ frigidiores, & succi deterioris. Asini sylvestris iuuenis, ac pinguis carnem ceruinæ proximam Galen. dixit. Leporina caro siccum & melancholicum sanguinem generat, ac paucum, non facilè coquitur, & tristitiam affert. Cùm autem magna ex parte ante venationem lepores agitentur, sanguis carni immergitur, quapropter succi deterioris fit. Editur tamen elixa caro leporis cum porcina pingui carne, vt siccitas eius moderetur: nunquam tamen boni succi reddetur: quidam verò ipsam edendam cumino inspergunt. Prodest autem ad celeriorem coctionem, verùm siccius alimentum præstat: probè autem à quibusdam assatur eo modo quo de damarum carne diximus. Cuniculorum præterea caro sicca est, sed minùs leporina, ac minus mali succi: verumtamen siccum præstat & malum alimentum, & paucum, vti & leporum. Súntque nonnulli ex cuniculis pingues, ita vt valde attemperent natiuam siccitatem, tales ocio & alimenti copia redditi, quos abundè alit Hispania. Complutum verò adeò est cuniculorum ferax, vt finiente vere, & tota æstate singulis diebus supra trecentos irretire in septis liceat, nec perinde copia diminuta, quod sentiri possit. Est itaque apud nos cuniculorum caro minus quàm aliubi sicca, aut praui succi: editur autem probè assa, vti herbæ acetariæ, oleo, aceto, & sale. Nouelli tamen cuniculi, quos nos Gacapos nuncupamus, magis temperamento accedunt, & eorum caro paucum alimentum præstat, parum siccum, nec manifestè malum. Itaque facilè coquitur, familiarem sanguinem generat, temperamento proximum, sed paucum. Domesticorũ cuniculorum caro minùs sicca est quàm sylvestrium, sed excrementosa admodum & gustui minùs grata, etsi dulcior sit: hanc verò vitare præcipimus in sanitatis tutela. Deferuntur quoque ad nos ex India Hispaniæ cuniculi, qui iam apud nos copiosè habentur, natura medij inter mures & cuniculos, quorum caro facilè coquitur, gustui valde dulcis est: alimentum præstat humidum, inconstans, & excrementis abundans. Vulpium carnes nemo ferè degustat ob fœtorem & acrimoniam, quam gustu referunt: prauum quoque auget succum & biliosum. Galen. tamen refert venatores autumno vesci carnibus vulpium pinguium, quæ tales redduntur vuarum esu. Carnes tamen leonum, & vrsorum & panterarum omnino esui non sunt, nec si bis elixentur, eo modo quo quidpiam bis elixare docuerat Galen. cap. de brassica, ob succi prauitatem, caliditatem, & difficilem coctionem. Insuauis quoque est & praui succi caro asinina & valde excrementosa, ventrem subuertens. Prauum quoque succum præstat ac melancholicum, camelina caro. Equina eidem proxima est, & vtraque difficile coquitur, & insuauis est. Catorum pinguium caro à quibusdam editur, assa, sed excrementosa est, fœtida, & gustui ingrata, & si dulcis valde. Erinacei caro calida est, & manifestè exsiccans, & vrinam mouens, paucum & malum succum præstans, & difficilè superabilem: verùm ob siccitatem confert apud Galen. libro 11. de Simpli. me. fac.

Damarum caro.

Asini caro sylvestris.

Lepus.

Cuniculus.

Vulpium caro.

Cati caro.

Erinacei caro.

elephantiasi, anasarca laborantibus, & conuulsis. Ad quæ omnia vtilior est in furno arefacta, in puluerem versa ac bibita. De cochleis placuit Galeno pauca quædam dicere, postquam de carnibus pedestrium animalium egit.

Cochleæ. Cochlearum caro dura est, & difficilè superatur, ac melancholicum succum præstat, Bifariam apud nos parantur, priùs elixæ, deinde sublata testa frigunguntur in oleo, & addito pipere, deinde & aceto eduntur. Ab aliis tamen bis elixantur, prima abiecta aqua, cui vis inest ventrem subducendi: deinde in secunda elixatione miscentes eis piper, crocum, & caryophyllos: hanc carnem bis elixam non contemnendum alimentum præbere Gale. testatur: sed vtrobique aqua & sale macerantes ipsas, muscilaginosum quod habẽt expurgant & abiiciunt, ante aliam præparationem.

De his quæ ab animalibus pedestribus desumuntur ad alitionem.

DIXIMVS Hactenus de facultatibus carnium pedestrium animalium, vnum tamen prætermisimus: nempe singularum partium eiusdem animalis vires distinguere, atque conferre, cùm inter se apertè differant. Nam caro quæ in cruribus est, non adeò facilè coquitur, vti ea quæ in ceruice aut iuxta spatulas. Id vero animaduertendum, partes quæ cordi proximæ sunt, calidiores esse, & faciliùs in ventre coqui, vbi eiusdem naturæ fuerint: ac perinde carnem eam, quæ intra spatulas costis superiacet optimam esse, melioris succi & facilioris coctionis. Laudantur quoque ex animalium partibus dextræ magis quàm sinistræ, & anteriores posterioribus præferuntur. Partes tamen neruosæ, veluti pedes, cum elixantur lentum præbent succum, & qui facilè superatur, & humectat solidas corporis partes, ita vt aridis corporibus optimæ sint. Rostra verò difficiliùs coquuntur, & deteriorem succum præstant: aures tamen quàm pauciſsimum, quòd cartilagineæ sint, præter id quòd difficilè

Cauda. admodum superantur. Cauda verò lentum succum præstat & frigidum, sed in quibusdam animalibus pinguibus, nihilo peiorem carnibus, & facilè caro ipsius vincitur, lentam habens substantiam ob lentum humorem in ipsam à natura missum, ad exercitationes & motus necessarium, ne partes assiduè

Cerebrum. motæ inarescant, quod pedibus quoque euenit. Cerebrum pituitosum est, crassi succi, tardi meatus, laborioſæ coctionis, stomacho aduersum, ita vt nauseam concitet, nec liceat ipso vti postrema mensa, nisi velis vomitum concitare. Putant autem nonnulli, cerebrum facilem admittere coctionem, quoniam mollem habet substantiam: sed falluntur, frigiditas enim ac nimius lentor substantiæ eidem obsunt: quapropter prima mensa edendum datur, ne noceat ori ventris. At verò cùm cerebrum crassi succi sit, & excrementosum, vbi cum dissecantibus & calefacientibus paretur, omnino melius reddetur. Hæc sententia in Græcis Galen. codicibus sic habetur, ἄτε γὰρ παχύχυμος ἂν καὶ περιττωματικὸς ἀμείνων γίνοιτο, τὰ πάντα, μετὰ τῶν τιμιοτέρων καὶ διαπνοητέων σκευασθείς. Quod est, Quippe cùm crassi succi sit & excrementosum, vomitioni redditur accommodatius, dissecantibus & calefacientibus paratum. Sed hæc quidem sententia falsa est, tum quia nemo vnquam cerebrum in cibo parauit ad vomendum, cùm tamen omnes ferè sic ipsum edendum parent, nempe calefacientibus: tum quòd falsum sit, talia ad vomitionem parare, cùm potius flatum discutiant, & cerebri crassitudinem attenuent, & coctioni celeriori parent. Ita ergo legendum est Galen. litera, ἄτε γὰρ παχύχυμος ἂν καὶ περιττωματικὸς ἀμείνων γίνοιτο, τὰ πάντα, μετὰ τῶν τιμιοτέρων καὶ διαπνοητέων σκευασθείς. Quod est, Quippe cùm crassi succi sit & excrementosum, melius vtique redditur cum dissecantibus & calefacientibus paratum. Quem sensum secutus est Aëtius, eidémque adstipulatur rei veritas. Sic itaq; paratũ cerebrũ faciliùs coquitur, & bonum succum præstat. A nobis sale & cumino paratur in sartagine, ita frigitur cum butyro vaccino, & sale atque cumino: deinde verò miscent oua in

vnam

vnam ſubſtantiam cogentes, quod nõ damno: nam eo modo paratum faciliùs coquitur, probè tamẽ coctum bonum præſtat ſuccum, ſicuti & medulla dorſi, quæ durior eſt cerebro, & eo durior quo magis ſecedit ab ipſo. Medullæ verò reliquæ molliores ſunt, dulciores, & guſtui magis gratę, ſubuertunt etiam aliquatenus ventrem, ac perinde prima eduntur menſa ante alios cibos elixæ. atq; addito ſale: à quibuſdam additur ſaccharum. Nos verò bubulas medullas elixas addito ſaccharo & ſale infantibus ablactandis exhibemus, non ſemper ſed ſæpe, atque optimè lactis loco ſubrogantur. Adeps verò atque pinguedo quamuis à frigido habeant in corpore concretionem, calidæ ſunt naturæ: ſed pinguedo humida eſt, adeps verò ſiccus, quod docet facilis poſt eliquationem concretio. Hæc quidem nauſeam concitant & parum admodum nutriunt, & oleoſæ naturæ ſunt. *Medulla.*

Lingua muſculoſæ ſubſtãtiæ eſt, ſed valde fungoſæ: continet quidem linguæ caro venas, & neruos plurimos, ſed omnes molles: quapropter facilè caro hæc coquitur & leue præſtat alimẽtum, vbi reliquæ carni animalis conferatur. Ego quidem à conualeſcentibus, & his qui longis morbis laborant, dum non valde plenum corpus eſt, aut excrementis abundat, ſed vbi copioſiùs ali poſtulat, experimento noui, linguæ carnem elixam facilé coqui, & probè reficere, & guſtui gratum cibum eſſe, ferè omnibus. *Lingua.*

Glãdulæ faciliùs coquuntur carnibus cuius ſunt animalis, modicè quoque alunt: omnes tamen humidæ ſunt & excrementoſæ. Nam ad excrementorum repoſitionem ſunt natura inſtitutę, glandulæ quæ in ceruice, & gutture, & faucibus, ſicuti quę infertas habent venas latas: in his enim non cõfectum alimentũ continẽt intra vaſa, cuius partem quoq; in trãſitu ſibi reponunt. Minùs excrementoſæ ſunt quæ aliis vaſis adnectendis & firmandis inſeruiunt. In glandularum genere Mamillę ſunt, quæ non ſemper conſimilem habent naturam: nam animalium quæ conceperunt, humidiores ſunt & molliores, & magis excrementoſæ, atq; interim dum lactis nonnihil habent, dulciores ſunt, & quamuis magis excrementoſæ, ob dulcedinem à quibuſdã eliguntur, vti caprarũ, porcorum, & vaccarum: quæ verò lac non habent, ſiccioris naturæ ſunt, & durioris, & tardiùs à natura ſuperantur: verùm quoniam fibris carent carnes glandularũ, mamillæ verò ſolas venularũ tenerrimas cõtinet fibras, faciliùs reliqua animalis carne ſuperari dicemus. Quòd ſi mamillarum caro non integrè ſuperetur, ſuccum crudum ac pituitoſum generat: humida quidem pituitoſum, dura & contracta qualis lacte vacua, crudum: probè verò confecta ſuccũ præſtat propè ſimilem carni ipſius animalis. *Glandulæ.* *Mamillæ.*

Teſtes præterea de natura glandularum ſunt, è quibus gallorum iuuenum ſunt præſtantiſsimi, plurimi alimenti & ſelecti ſucci, ac facilis coctionis: pedeſtrium tamen animalium paruorum nondum coeuntium meliores ſunt. Non præſtant laudabilem ſuccum, neque vt mamillarum carni conferri poſsint: nidorem nanque referunt, aut, virorem cùm iam coeunt, & ſemen abundè generant: ante id verò adhuc meliores multo ſunt, vti iuuenũ porcorum: ſed hi citiſsimè coeunt, & octauo ætatis menſe deprauantur. Agnorum verò teſtes non niſi integro iam peracto anno: taurorum verò eo ſunt deteriores, quò caro ipſorum deterior eſt carne arietũ & porcorum. *Teſtes.*

Oculi à nemine ferè manduntur: diuerſam enim continent ſubſtantiam ex membranis & humoribus, his quidem aquoſis, illis verò duris & ſiccis: omnibus verò frigidis: quapropter totus oculus difficilis coctionis, pauci, & praui ſucci eſt. Renes prauum ſuccum præſtant, & vrinam ſapore, odore, & natura referentem, nec difficilè coquuntur in ventre. Iecur pedeſtrium animalium, naturam habet concreti ſanguinis, difficilè coquitur, & tardè permeat. Laudantur præ aliis porcorũ iecora, maximè eorum qui fuerint caricis ſaginati: nam dulcia ſunt, mollia, & guſtui magis grata, & quæ à natura faciliùs vincũtur, & victa promptiùs permeãt. Eligibilius iecur eſt animalium lactantium, & eorum quæ lacte aluntur, & iuuenũ: faciliùs enim coquitur & diſtribuitur, & in vniuerſim poſteaquam ſuperatum fuerit validè nutrit. Nec tamen pedeſtrium iecora ieco- *Oculi.*

Lien. ribus volatilium conferuntur, de quibus inferiùs agemus. Lien paucũ ſuccum præſtat, ſed melancholicum & prauum, difficile quoq; ſuperatur, & ob melancholiæ quæ in ipſo congeritur, acerbitatem, tardè permeat, & vias obſtruit. Corrigitur eius malitia aliquatenus vbi cum butyro vaccino, aut porcina axungia liquata, frigatur, aut ſimul addita aqua elixetur. Porcinũ reliquis melius habetur, maximè ſaginati porci, humidam enim habet hoc animal natu-

Cor. ram, iecur autem & lien ſiccam. Cor fibroſam, duram, ac ſiccam habet naturam, ac perinde difficilè ſuperatur: verùm vbi probè vincatur, bonum ſuccũ præſtat nec paucum, parum etiam ad ſiccitatem inclinantem. Paratur vti de

Pulmo. liene diximus. Pulmonis caro leuis eſt, minùs nutrit quàm iecoris aut cordis, Galen. ſuccum pituitoſum præſtare dicit, cuius cauſam Aëtius ſcripſit, eſſe cartilaginem aſperæ arteriæ corpus adiunctum: nos verò valde diſſidentem naturam habere dicemus, ex venis, arteriis aſperis, & leuibus, & carne conſiſtentem. Caro fungoſa, leuis, & facilis coctionis eſt, atque aëreæ naturæ: cætera difficilè coquũtur, & frigida ac ſicca ſunt, ac perinde nihil ineſſe videtur pulmonis carni, quod pituitæ materiam præbeat. Pulmo agni ſex menſium, aut hœdi quatuor, aut ætatis minoris, cùm nondum aſperæ arteriæ canales obduruerunt, vbi cum porci axungia, aut ipſius pinguedine & ſale, & aceti guttis paretur, facilè coquitur, nec malum præſtat ſuccum. Reliqua interiora, nempe ventriculus, inteſtina, & vterus membranoſa ſunt, & difficilè coctionem admittunt: cocta verò ſanguinem paucum præſtant, atque eum frigidæ naturæ. Ex inteſtinis verò ea meliora ſunt, quæ craſſiora, & quæ pinguedinis plus habent, tum quoniam guſtui magis grata ſunt, tum quoniam pinguedine moderatur arida ac membranacea natura ipſorũ. Ab animalibus pedeſtribus

Sanguis. lac deſumitur atque ſanguis. De ſanguine primùm agamus. Iſquidem natura fibras habet, apud Ariſto. præterquã ſanguis ceruorum & damarũ, id docente experimento. Fibratum verò ratione è vena ductus concreſcit, quapropter nullatenus à vena fugendus eſt, ſed cùm prius in vaſe collectus, atque concretus, manibus fibræ rumpantur: non enim concreſcet amplius. Melãcholicum ſuccum præſtat, & difficile ſuperatur, ac tardè permeat. Hyrcinus ſanguis à nemine deguſtatur ob ſaporis prauitatem, & alimenti malitiã. Taurinus verò & Bubulus à pauciſsimis, terrenus enim eſt valde. Agnorum tamẽ & arietum ſumitur, ſicuti & porcinus: omnes tamen paucum & melancholicum ſuccum tribuunt: ſanguis tamen leporinus reliquis præſtantior eſt. Editur apud nos non aliter quàm cum ipſa leporis carne: cùm enim canes lepores inſectantur, & in curſibus confringunt, ſanguis ferè totus carni immergitur, quem poſtea cum ipſa elixant, atque edunt. Accedit ad idem quòd non iugulant ipſos, ſed caput conterunt: ſanguinem itaque intus relinquunt, quem cum carnibus elixum edunt. Corrigunt autem carnium leporum & ſanguinis ipſorum ſiccitatem, pinguem carnem porci ſimul elixãtes. Sanguinem teſtudinis quidam cum iure carnis bibendum prębent, ſine concretione & attritione, quam diximus: id tamen non laudo.

De Lacte.

Lac. LACTIS Natura temperamento valde propinqua eſt in menſura caloris & frigiditatis. Galen. etenim libro quinto, de ſimpli. me. fa. cap. 20. mediam dicit habere temperaturam inter ſanguinem, & pituitam, magísque accedere ad ſanguinem, quàm ad pituitam. Cùm autem ſanguis temperatus ſit, ſiue mediocris caloris, vt ibidem dixerat, & in comment. lib. primi de natura humana, reli-

Lactis temperies. quum eſt lac frigidæ naturæ eſſe, ſed non longè à temperamento, humidæ tamen temperaturæ. Nugas autem puta eorũ ſententias, qui lac frigidiſsimum eſſe

esse asseruerunt. Præstat autem lac succum optimum præ ceteris alimentis, vbi selectum fuerit tum ex animalis specie, tũ ex singulari ipso animalis, tum etiam ex tempore & victu. Differt enim nõ parum lac ouillum, à lacte camelino, & sanæ à non sana oue, & prope partum, ab eo quod longè à partu accipitur, & vernum ab æstiuo lacte, ob alimentorum diuersitatem, accedente quoque aëris temperie diuersa. Diuersitas quæ ex animalium specie sumitur hæc est. Habet enim lac ex tribus substantiis constitutionem, butyro, serea parte & caseali. Butyrum aëreæ substantiæ est & calidæ, serea pars, qualis singulis humoribus est amixta, aquosa est & frigida, acre tamen nonnihil habet, & mordẽs, quale etiam in vrinis est: casealis verò pars frigida & sicca est & aëreæ naturæ. Bubulum itaque lac pinguissimum est, & butyri plus aliis continens, camelinum seri plus, ouillum plus casei, medium in his omnibus caprillum cõtinet. Rursus tenuissimum lac camelinum est, deinde equinum, deinde asininum, deinde caprillũ, deinde ouillum, deinde bubulum, sed ouillum magis terrenum, & minùs pingue bubulo est: bubulum verò magis pingue, & minùs terrenum, continet enim bubulum pingue multum, quod butyrum appellamus, atque ea ratione butyrum dictũ est, ouillum tamen, caseale multum. Perpetuum autem est, lac tenuioris & magis aquosæ, siue serosæ substantiæ, faciliùs coqui, celeriùs per ventrem descendere, minùs alere, nullatenus obstruere, minimè verò in vẽtre coagulari, sicuti neque vẽtrem in tumorem eleuare, aut flatibus ipsum implere: contraria verò contrariis inesse, & mediis media. Itaque lac camelinum, & asininũ facilè coquuntur, & digeruntur, sed minus alunt, ouillum verò tardiùs coquitur, & digeritur, sed validiùs alit: caprillum medium est facilitate & difficultate coctionis, & digestionis, atque alẽdi viribus. Lac tamen bubulũ, & si pinguius sit ouillo, facilius tamen superatur & digeritur ipso, ac minus constans præbet alimentũ: est enim ouillum crassioris, & magis terrenę naturæ. Lactis quoque natura in diuersis animalibus eiusdem speciei diuersa est, nam sanorũ melior est, ægrorũ deterior. Nemo autem ignorat, in quot morborũ discrimina ducãtur infantes sola nutricis mutatione, nedum si à sana in ægram mutatio fiat, à quibusquoque morbis fuerint liberati: vbi sanioribus & meliùs habitis traditi fuerunt: quantum etiam differant cùm animalia abundantem habuerint herbam, aut secus, notum est. Herbæ quoque virides & recentes aquosius generant lac, & aridiores ac duriores crassius. Vt tamen summatim dicamus, quãtum possit animalium diuersus cibus lac variare, docuit Hippo. libro sexto, de mor. po. par. ç. dicens, Mulier, aut capra, si elaterium, aut cucumerem agrestem edant, pueris purgatio. Sic etiam prope partum lac aquosius est, crassius longè à partu, longissimè verò, crassissimum. Quibus igitur partus est incunte vere, duplici ratione interim lac tenuissimum est, ob partus propinquitatẽ, quoniã tũc copiosius est & minùs in mammis conficitur, & ob herbarum humiditatem. Aestate verò crassissimum, duplici quoque ratione reddetur, tum quòd parciùs affluat, & exactiùs conficiatur, tum quòd herbæ ficciores sunt, & alimẽtum constantius adhibent. Eligetur itaque lac bonis odoris, saporis dulcis, mediæ consistentiæ, quod non habeat partium inęqualitatem. Colore verò candidum laudat Gal. libro primo, de San. tu. sed iure Aristo. libro tertio, de Histo. ani. cap. 21. Mulierum lac cõmodius esse, quod liuorem trahit, quàm quod candidum est, inquit, Lac præterea quod minùs alit, magis ventrem subducit: quod verò magis alit, minùs subducit. Sed elixatur apud nos ad coagulationẽ vsque, ita vt ab igne semotum coaguletur, idque validius ventrem retinet, quod nonnulli candentibus lapillis faciunt, dysentericis vtilissimum, cohibet enim fluxum ventris, acredinem humorum obtundit, & vlceribus solidandis à siccitate terrenæ partis, prodest, & velãtur, ne nuda ab humore erodente tangantur. Appellant Græci hos lapillos σιδηρίτας, sũntque lapilli tersi, quos aquæ fluuiorum agitant: nonnulli verò horum loco, candenti ferro vtuntur, vt vehementius adstrin-

Lactis diff. ex animalibus eiusdem speciei.

Lactis electio.

gant. Quidam verò ſal & mel addunt, vt vẽter faciliùs ſubducatur: mel tamen omnino eiuſdem in ventre coagulationem impedit. Nonnulli in elixatione addunt farinam triticeam: alij præter id oua, aut ſolum ipſum vitellum, & ſaccharũ mellis loco, idq; diutiùs in vẽtre immoratur: ſed validiùs alit, & magis conſtans alimentum præbet, ſolétque lapides in renibus generare, ſiue farinam triticeam, ſiue amylum miſceas. Lac itaq; ſanis hominibus adhibitum, ſuccum præſtat optimum, & modicè conſtantem, adeóque facilè in ventre ſuperatur, vt iure Galen. dictum ſit, libro ſexto, de Placitis Hippoc. & Plat. poſſe quidem alere, etiam ſi nullam in vẽtriculo ſuſciperet mutationem, ſed ſtatim iecori traderetur: ſed nocet capiti, non valido, & frigido ventri, & intento, & renibus calculoſis, & podagricis, & articularibus morbis, & iecoris obſtructionibus, & gingiuas putrefacit, & erodit, cui noxæ optimè præuidet, poſt lactis eſum, oris colluțio ex albo vino, meraco quidem, illis qui caput validum habent, aliis verò dilutum: mundat enim quidquid caſeoſum dentium interſtitiis inſeritur: tuetur itaque gingiuas à putredine & eroſione. Nocet quoque lac, ſi incidat in frigidum ventrem: quoniam ſtatim aceſcit, in calidum verò vertitur in fuliginem. Primum oſtendunt ructus acidi, ſecundum nidoroſi, ob partium verò deformitatem faciliùs aliis cibis lac corruptionẽ patitur, eodem omnino modo in ventre, quo in ambiente aere: nam in frigido aceſcit, & in calido nidoroſum fit. Acidum tamen lac non omnibus nocuum eſt, nam his quibus venter iuſto calidior eſt, non incommodat, ſed vtile eſt non parum, neque etiam cùm ſemel acorem contraxit rurſus in fumoſam aut nidoroſam tranſibit naturam. Seroſa præterea lactis pars refrigerationis & vẽtris ſubducendi ratione ſæpe præbetur, & à Galen. cum melle & ſale. Separatur autem aut coagulo adhibito incaleſcẽte lacte, aut cardui flore, ſed horum vi coagulatur lac, ſuſcipit autem vim calefaciendi & exſiccandi ab eiſdem. Scinditur tamen vbi interim dum lac igni admotum efferueſcit, aceti guttas inſperſeris, aut aceti mulſi, aut mulſi, éſtque ſerum inde ſecretũ ad prędicta optimum.

Lac ſine mutatione in ventriculo alere.

Butyrum. Butyrum paulum calefacit, coquit, & diſcutit humores, qui in tumoribus calidioribus continentur, vbi caro non fuerit dura, ſed aut mollis, aut moderata, parum tamen alit, & ſuccum præſtat, qui facilè diſcutitur. Caſeus omnis difficilè coquitur, craſſum ſuccum præſtat. Sed vetus præter craſsitiem ſuccum præbet malum. Recentem caſeum ſucci prauitate carere dixit Galen. Nos verò nõ abſolutè, ſed minùs vetuſto prauum præſtare ſuccum dicemus. Habet præterea caſeus ex coagulo acrimoniam, ex ſale ſiccandi vim, & terrenam naturam. Ineſt caſeo omni vis ſiſtendi ventrem, generandi lapidem in renibus & veſica, augendi melancholicum humorem, & morbum, & obſtruendi meatus. Præterea hi qui poſtrema menſa (nam eo loco edendus eſt) ipſum guſtauerint, ac deinde ſe ad ſomnum receperint, terribilia & triſtia inſomnia infert, & quibuſdam languidioribus cordis dolorem: vetus itaque deterior eſt recenti. Bubulus butyrum habet abundans, caprillus valde terrenam & aridam naturam: Ouillus modicæ eſt conſiſtentiæ, atque eligibilior, ſicuti & qui in omnibus caſeorum differentiis eſt medius, nempe friabilitate, & lentore, raritate & coactione, molitie & duritie, ſalis inopia & abundantia, ſapore tamen dulcis parum eſſe debet: qui verò pinguedinem habet abũdantem aſſus editur, vti bubulus, & qui ex ouilibus talis eſt, lenta tamen oſtenditur horum ſubſtantia, ſed mellis mixtione valde corrigitur. Seligitur apud nos caſeus qui portatur à Pennafiel, & qui à Palma, & Pinto, quidam etiam caſeus non minùs laudandus, à Sardinia inſula in Hiſpaniam defertur. Ex ſero rurſus feruefacto recoctam efficiunt, butyri & caſei partem habentem, atque perinde mediam naturam eorum, vbi parem ab vtriſque partem accipiat: nam ſæpe plus continet caſei, qui terrenæ ſubſtantiæ eſt, nonumquam butyri plus: hæc autem coquitur facilè, bonum ſuccum præſtat, & niſi parcè edatur, nauſeam efficit. Quæ multum caſeum continet, cum melle edenda eſt.

Caſeus.

De

De Alimento ex volatilibus. Cap. X.

VOLATILIVM Differentiæ multæ ſunt, quæ non parum cuariãt coctionis facilitatem, ſucci bonitatem, & eiuſdem conſtantiam: quarum quædam ſumuntur ex ſpecie, quędã ex ætate, quædam ex ſexu, quædam ex victu, quædam ex præparatione, quæ ferè percurrimus ab initio de carnibus agẽtes: id verò omnibus generale eſt. Nam grus nec facilitate coctionis, nec ſucci bonitate perdici confertur: & turtures domi altæ longè montanas ſuperant, & gallinæ gallos, & nouellæ aues humidiores ſunt vetuſtis, ita vt nuper natæ ob humiditatem redundantem mucoſæ, & vetuſtæ nimis ob ſiccitatem fibroſæ redditæ, edendo non ſint. Ex omnibus præterea elixæ aſsis ſunt molliores & humidiores. Præterea nuper occiſæ aues ferè omnes duræ ſunt, & fibroſæ, deinde verò maceratæ aeri appenſæ molleſcunt. Sunt etenim occidendæ aues calido tempore per diem, aut fere, ante quàm edãtur, frigido verò duobus aut tribus antè diebus, ſemper ſeruata natura temporis, an calidius, frigidiúsve ſit, & carnis, duriórve ſit an mollior, ſiquidem calidiori tempore, minori ſunt ſeruandæ, & frigidiori, longiori, & molliores carnes minus, duriores plus ſeruandę. Sed iam ſingularum auium quæ frequentiùs in vſu ſunt, vires & naturam referamus: hoc vno prẽhabito, aues ferè omnes tenuioris ſucci eſſe pedeſtribus omnibus, faciliùs coqui, & minus in ventre morari. Gallinarum caro præter id quòd omnibus aliis frequentius ad menſas ducitur (quoniam cùm domeſtica auis ſit gallina, licet volentibus ea vti) nemini ſecunda in carniũ volatilium cenſu habetur. Pullus verò gallinaceus cùm primum canere cœpit, bonum ſuccum præſtat, facilè coquitur, & digeritur, & tenuis ſubſtantiæ eſt, ad mediocritatem prope accedentis, in primis quoque qualitatibus. Editur æſtatis tempore aſſus, aut elixus cum ſucco agreſtæ, ne ob ſubſtantiæ tenuitatẽ facilè aut corrumpatur, aut diſſoluatur, & attemperandi gratia, Gallinæ tamen vnius anni, nondum duorum caro, ſi pinguis fuerit primum bonitatis locum habet, inter omnes quæ ſanis hominibus adhibentur carnes: nos de Hiſpaniæ gallinis loquimur. Huic proximè accedit caro capi vnius anni, ac pinguis: quamuis hæc guſtui paulò gratior ſit carne gallinæ. Gallorum caro nõdum coẽuntium, aut qui annum nondum compleuerunt, ſed à gallinis ſegregati, capis conferri poſſunt in omnibus, præterquam in ſaporis ſuauitate. Galli præterea vetuſti caro parum alit, prauũm ſuccum præſtat, cui nõ parum acredinis ineſt, & vis ventrem proritandi, maximè iuris eius: quod ſic parari debet, Gallus primùm agitandus eſt, & viuus nudandus à plumis: deinde elixandus cum anetho, ſale, polypodio, quod cholicis optimum eſt clyſtere. Quemadmodum verò gallorum ius, ventris ſubducendi vim habet, ita gallinarum ſiſtendi vim habere videtur, dicente Galen. lib. vndecimo. de Simpli. med. fac. At gallinarum ius ſimplex, retinendi vim poſsidet, vti gallorum ſubducendi: coquendi autem ſunt cum ſale prolixiſsimè. Sed horum ipſi fecimus periculum. De iure galli nemo dubitat, conſentiente quoque Dioſcoride ventrem ſubducere: de iure tamen gallinæ non ſatis conſtat: dixit enim Galen. ἰσχναστικὸς ἐστὶ δυνάμεως, quod Theodoricus tranſtulit, retinendi vim poſsidet, licuiſſet dicere, Attemperãtis eſt facultatis, quod iuri pulli cõuenire, ex Dioſcoridis quadam lectione, Marcellus Vergilius teſtatur, & ex barbaris Auicennas. Quod ſi vocem, ἰσχναστικὸς, à verbo ἰσχνάω, ducere velis, vt par eſt, dices: ius gallinarum ἰσχναστικὸς ἐστὶ δυνάμεως, hoc eſt, firmãtis, aut roborãtis eſt facultatis: roborare enim vim vẽtris, ius gallinæ, experimento nouimus, non ipſum retinere, aut detinere. Anſeres & Anates ex domeſticis auibus ſunt. Anatis quidẽ domeſticę caro humida eſt & calida, alimentũ prẽſtat multũ, ſed excremẽtoſum: neq; facilè coctionem admittit. Anatis verò fluuiatilis caro, frigidior eſt ac difficiliùs coquitur: non tamẽ adeò excrementis abũdat, quoniã validiùs exercentur fluuiatiles, ac volãt. Anſeres meliores ſunt qui annũ nõ ſunt prætergreſsi,

Volatilium differentia.

Gallina.

Galli ius.

Anſer.

aut

aut parum,& si omnium caro dura ac sicca sit, minùs tamen excrementosa, quàm anatum domesticarum, plus autem fibrosa,è quibus ventriculus,& alæ eliguntur. Edenda præterea est caro anatis & anseris cum sallamentis, quæ acetum recipiant,& ea quæ vim habeant attenuatoriam, ob substantiæ crassitudinem,& tardam distributionem. *Columbæ.* Columbarum caro non parum differt, vbi domi alantur columbæ, aut montanæ sint: nam domi altæ, omnibus sunt deteriores,paulominus quæ victum quæritant, sed domi nidificant: omnium meliores montanæ sunt, qui palumbi torquati appellantur, quoniam siccantur nimia exercitatione, & excrementis minus abundant: è quibus ego seligerem pullos cùm primùm volare incipiunt. Ex domesticis verò & domi nidificantibus pullos,qui quindecim dies volauerint:ante id enim omnino sunt abiiciendi ob nimiam redundantiam excrementorum: qui verò medium annum ætate sunt prętergressi, difficilè coquũtur,& nimis fibrosi sunt.Colũbarum itaque omnium caro vaporosum,crassum,melancholicum, excrementosúmque succum præstat,& difficilè superatur:febres affert putridas,& capitis dolores, maximè si caput aut collum edatur. Palumbi verò magni quos torquatos appellant,crassiorem adhuc succum præstant,sed minùs excrementosum.Nonnulli,columbas,atq; earum pullos assandos volunt, vt assatione excrementũ absumant: verùm falluntur:nam si eas tãdiu assaueris vt excrementum dissoluatur,arescunt,& coctioni difficiles reddũtur,& paucum & siccum alimentum, atque malum præstabunt:si verò commodè assentur, excrementosæ admodum manent:elixæ tamen magnam excrementi partem iuri transfundunt. Quapropter columbarum & pullorum columbinorum elixorum carnes,minùs excrementosæ, facilioris coctionis & salubriores sunt.Exhibetur à quibusdam caro pullorum columbarum dysentericis,quæ quamuis crassitudine substantiæ remoretur in ventre & intestinis, *Perdix.* putredinem & corruptionem auget, succi prauitate. Perdix natura sicca est, atque perinde pulli ipsius meliores & temperamento magis accedentes,rales bimestres, & trimestres sunt,ratione tradita de carne caprina & hœdina: cùm verò ætate procedunt,manifestam assequuntur siccitatem, qua ventrem parum retinent perdicum carnes:facilè tamen coquuntur, bonum succum & multum præstant, & modicè constantem: Venerem excitãt, probum ac multum sanguinem augentes,ita vt à quibusdam gallinarum carnibus anteponantur, maximè pectora ipsarum, quæ copiosam habent,& præstantem carnem: femora verò & crura gustu & succi bonitate non parum à pectoribus superantur. A' quibusdam elixæ eduntur,quoniam siccæ sunt:verũ falluntur maximè, nam pectora perdicum elixa arida sunt valde, & paucum succum habent: assarum verò succus asseruatur copiosus,magísque gustui gratus.Sed decet perdices parum assare, ita vt semi assæ edantur: sic enim minùs siccæ sunt, succi amplioris & leuioris coctionis,contrariæ his quæ ad integritatem assantur. Laudabiliores perdicum carnes diutiùs macerãtur occisę,mollescit tamen earum caro citò, quas accipiter interfecit. *Starna.* Starna perdici specie similis est, non tamen præstat *Pauones.* adeò multũ ac laudabilẽ succũ. Pauones alij sunt quos Hispanos apellamus, quos tota ferè Europa alit,alij sunt,qui à noua Hispania deferuntur, quorum nõ paruus numerus est apud nos. Appellãt eos quidã Pauones Indos, quidam Gallinas Indas.Hispani itaq; Pauones antequam edantur, diutius quàm Gallinæ sunt macerandi:deinde verò eorum carnes difficilius coquuntur, carnibus Gallinarum,siquidem fibrosæ sunt,& succum præstant crassum,siccum & constantem:quidam etiam melancholicis obesse morbis aiunt. Ferũt quidam Pauonis carnem assam integro anno sine corruptione seruari. Differt quoque maris caro à fœminæ carne, sed non adeò vt caro Galli à carne Gallinæ. In hoc autem genere pulli eligendi vnius fere anni. Nec valde differunt marium & fœminarum carnes eorum pauonum, qui ab India Hispaniæ ad nos traducuntur,etiamsi fœminarum, quæ pullos non procreant, sint meliores, &

pullorum

Pullorũ adhuc meliores, inter pullos aũt in hac ſpecie, aut comuniũ Gallinarũ, aut pauonũ, nulla ferè eſt bonitatis & facilitatis coctionis differẽtia maris & fœminæ. Pauones itaque Indi ſæpe eius ſunt magnitudinis, vt triginta libras Romanas appendant, quos calidiori tempore triduum antè occidunt: frigidiori vero ſex integri diebus, deinde aſſos edunt, aut elixos, ſalſamentum conficientes ex iecore, aut ſanguine ipſorum, croco, gingibero, aceto, & ſaccharo. Eſt quidem eorum caro guſtui gratiſsima, multi & boni ſucci, probè coquitur, nec difficile, conſtans tamen præbet alimentum. Præſtantius eſt alimentum ipſorum, eo quod à pauonibus præſtatur Hiſpanis, craſsius parum alimento carnium gallinarum communium. Ducuntur quoque ad nos gallinæ quædam Indæ anatibus noſtris ferè ſimiles, ſed duriorem habent carnem: minùs tamen malum ſuccum ac minùs excrementoſum ipſis præſtant: neque tamen gallinis noſtris æquiparantur, aut facilitate coctionis, aut ſucci bonitate. Sunt quoque gallinæ quędam agreſtes quas appellant cęcas, quæ vbi pingues fuerint, aſſæ eduntur, præſtántque ſuccum copioſum, laudabilem, modicè conſtantem, nec difficilem admittunt coctionem: paulò tamen ſunt inferiores in omni re gallinis domeſticis. Phaſiani caro, plurimum alimẽtum prębet, modicè conſtans, coctionis facilitate & ſubſtantia carnibus gallinarum eſt ſimilis, éſtque præſtantiſsimus cibus extenuatis, conualeſcentibus, & qui languidam habent facultate m coctricem: ſiquidem facilè coquitur & probè admodum reficit vires: magis grata guſtui eſt quàm gallinarum. Attagenes Hiſpanis Francolin à regno Neapolis in regnum Valentinorum, Imperio Ferdinandi regis Hiſpaniarum delati ſunt, & in regia horta adhuc ſeruantur & pullos procreant, qui diffunduntur ad Carthaginem vſque. Sunt & Barcellonię non pauci. Habentur magno precio: quapropter non niſi ad menſas magnatum deferuntur: probè quidem alunt, atque coquuntur: ſuaue guſtui alimentum eſt eorum caro, & ſelecti ſucci. Turtur ſiccum alimentum præſtat, non adeò, vt aut malus ſit, aut difficilè ſuperetur: etenim vbi aut pingues ſint, aut domi aliquandiu alantur, & ibidem impingu entur, facilè coquuntur, atq; bonum, & multum ſuccum præſtant, parum ad caliditatem inclinantem: guſtui verò nihil ominus gratus cibus eſt quàm gallinarum aut perdicum. Eduntur aſſæ, proſunt autem humidioribus natura corporibus, & his qui egent memoriæ reparatione, ad ingenium quoque acuendum conferre quidam dixerũt. Paulò maiores his ſunt, quas nos appellamus Gangas, nomine ab ipſarum voce ſumpto. Quarum caro excrementoſa eſt, praui ſucci, ac melancholici, & qui non facilè ſuperetur. Ortigo verò calore turturi ſimilis eſt, ſed difficiliùs coquitur, prauum ſuccum, & melancholicum præſtat, præter id quòd excrementis abundat. Coturnicis caro nouellæ eligenda eſt, quæ enim annum exc edit, vitari debet: omnis tamen calidum ſuccum præbet, & excrementoſum. Auget earum vſus ſemen, & venerem ſtimulat. Quòd ſi quis earum carnibus frequentiùs vtatur, in febres putredinis incidet: rarius itaque ſit earum vſus. Turdus ab Hiſpanis zorzal appellatur. Hunc martialis cum lepore, plus iuſto laudauit, dicens,

Phaſianus.

Attagen.

Turtur.

Ganga.

Ortigo.

Coturnix.

Turdus.

Inter aues turdus, ſi quis me iudice certet.
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Verùm ſuum expoſuit iudicium. Bonum tamen ſuccum præſtant. Turdi facilè coquuntur, & modicè conſtans præbent alimentum: maximè vbi æſtatis tempore edantur, cum ipſi vuis abundè aluntur & pingues fiunt. Moderatur namque pinguedine ſiccitas quædam parua, quam habent natiuam. Ficedulæ à nobis vulgari lingua appellantur Tardi, ſed hi nigras habent plumas, atque carnem, quæ tamen prauum ſuccum præſtat & difficilis coctionis. Eam verò per inopiam carnium & non aliàs, edere permitterem, ſicuti & merularum, quæ cali læ ſunt & prauum ſuccum præbent. Paruarum auium multa ſunt genera, è quibus alauda difficilè coquitur, & prauum ſuccum præſtat;

Ficedula.

Aues paruæ.

ſicuti & Calandriæ duorum generum. Minores his ſunt carduelli, pardelli, & alij virides, quos appellant verderones, minores his ſunt lucani, & minores his alij paſſerculi virides, quorum cantus cicadarum ſimilis eſt, omnes praui ſucci. Paſſerculi quoque qui in parietibus nidificant, & turribus, quos appellant turricolas, & turriones, Hiſpani gorriones, calidum ſuccum & prauum præbent, & difficilè coquuntur. Hirundinum caro praui ſucci eſt, & guſtui ingrata. Eidem ferè ſimilis caro Caudæ tremulæ, quæ vſta calculoſis cum vino bibita, aut aqua mulſa, prodeſt. Meliorem his ſuccum præſtant auiculæ quas auiones nominant, ſed excrementoſa eſt eorum caro, atque humida. Temperatior eſt earum auicularum caro, quæ nigræ ſunt, & alas habent pro crurum longitudine adeò longas, vt è terra volatu leuari non poſſunt: apodes appellant, Hiſpani verò, vencejos, boni quidem ſucci & facilis coctionis, vbi primùm volare cœperint, deinde dura & fibroſa. Auis deinde regia quam vocant Auripendulam, & cuculus ob ſucci prauitatem, & inſuauitatem edendo non ſunt. Auiculæ tamen paruæ quas appellant deoncejeras, capiuntur paruis, quibuſdam baliſtis, & ſetis ſuſpenduntur collo, æſtatis tempore pingues ſunt, bonum quidem ſuccum præſtantes, facilis coctionis, & guſtui ſunt valde gratæ, & minutarum auium ſunt optimæ, quáſque conualeſcentibus ſæpe præbui atq; vtiliſsimas inueni. Grus carnẽ habet durã & fibroſam, quam oportet ante eſum diutius ſuſpenſam macerare, vtcunque tamen melancholicum eſt eius alimentum, craſſum & difficilis coctionis. In ſumma deteriores carnibus anſerum ſunt, medium verò locum inter vtraque habent coctionis facilitate, & ſucci bonitate. Auiſtardæ, ſic etiam Hiſpanis dictæ græcis, ὠτίδες. Strutionis caro praua eſt guſtui & alitioni, difficilis quoque coctionis, craſsi admodum, & mali ſucci, quapropter à ciborum cenſu tollenda, niſi fortè quis alas tantùm edere decreuerit, quòd hæ molliores ſint ac minùs malæ. Auium præterea non pauca genera ſunt quæ in lacubus, & fluminibus, & maris litoribus vitam degunt, & aluntur, vti ex anatibus agreſtibus, lauanci, gallarones, & ciconiæ, & quos appellant chortilos, alcarauanes, & olores, & aues frigidas: omnes difficilè coquuntur, quoniam fibroſæ ſunt, frigidum, craſſum ſuccum præſtantes, & valde excrementoſum. Habent enim innatam membrorum duritiem ob frigiditatem, & aſcititiam excrementitiam humiditatem. Propterea Ariſtot. libro tertio, de Generatione ani. capitulo primo dixit, Paluſtres aues natura frigidiores & humidiores terrenis eſſe. Præterea edendo non ſunt coruus, gracus, papagallus, & pica, non miluus, accipiter, falco, niſus, & reliquæ rapaces aues. Sicuti neque nicticorax & reliquę nocturnæ. Siquidem omnes ingratæ guſtui ſunt, pauci ſucci, difficilis coctionis, quibuſdam etiam amaritudo quædam ineſt. Aquila tamen fibroſa eſt, dura & difficilis admodum coctionis, ac praui & craſsi ſucci, itaque non eſt edendo.

Turricolæ.
Hirundo, Cauda tremula.
Grus.
Auiſtardæ.

De partibus quæ ex volatilibus ſumuntur.

VOLATILIVM Partes quædam eduntur, è quorum numero ventriculus eſt, cuius caro obiecta membrana edi debet: membrana enim dura admodum eſt, & nullius ferè alimenti: anſeris tamen ventriculus facilè coquitur & bonum ſuccum adhibet, cui venter gruis confertur in omni re: proximum locum habet ventriculus gallinæ. Inteſtina apud nos aſſa eduntur cum reliquis interaneis auium, interim dum aſſantur linientibus oui vitello: aliter quoque eadem in ſartagine frigentibus butyro, aut porcino adipe, paucum quidem ſuccum præſtant, ac difficilè coquuntur. Iecur anſeris pinguis cuius alimentum lacte fuerit imbutum, bonum ſuccum præſtat facilè coquitur, & abundè alit. Quidam generoſas gallinas domi alunt, alimenta lacte imbuentes, in quibus primas habent quas ad menſam Comitis à chinchon deferunt: quarum iecora ad tantam peruenisſe magnitudinem vidi, vt putares hœdulorum eſſe nuper

Ventriculus.
Iecur.

nato

natorum. Cùm autem periculum feciſſem, intellexi cibum guſtui valde gratum, facilis coctionis & boni ſucci, ita vt noſtro iudicio præſtantiora hæc ſint anſerum iecoribus. Iecur gallinacei ſuper prunas aſſatur, ídque labentes vires breui reparat, ſuperbibito pauco albo vino. Cor fibroſam acduram naturam habet, nec facilè coquitur, nec bonum ſuccum præſtat. Ferunt coqui, aues maiores nunquam probè aſſari, niſi detracto corde, cuius rei aliquando periculum fecimus: problematis verò cauſam aliis inquirendam prætermittimus. Gallorum galliceorum teſtes, vbi ſeroſo lacte imbutis cibis alantur, ſelectiſsimum præſtant ſuccum, & facilè in ventre ſuperantur, & optimè vires lapſas reparant. Vterus gallinæ peculiarem quendam habet carnem, carni glandularum ferè ſimilem, vbi vtraque aſſetur: ſed faciliùs multò coquitur, & probè alit, eiúſque alimentum optimis conferri poterit. Alæ anſerum probè alunt, & facilè coquuntur elixæ: gallinarum verò adhuc faciliùs, ſed hæ aſſæ etiam eduntur: vtræque bonum præſtant ſuccum, parum lentoris habentem, & ea ratione arefactis accommodatum. Pedes quoque earumdem auium elixi eduntur, paucum admodum ſuccum adhibentes, non malum. Linguæ auium duræ ſunt, & nullius ferè momenti in cibis: roſtra verò abiicienda. Cerebra auium meliora ſunt, quàm pedeſtrium, facilè coquuntur, bonum ſuccum præſtant. Eum tamen qui abundè ipſis vteretur, nauſeabundum redderent, ſed id rarò futurum eſt. Gallorum criſtæ, & pallearia à quibuſdam edũtur aſſæ, ſuper prunas, & deinde addito pipere, & ſucco aranzij, difficile quidem coquuntur, & paucum ſuccum præbent, ac ſicæ naturæ.

Cor.

Vterus gallinæ.

Alæ anſerum.

De Ouis.

ANIMALIA Quæ prolem formatam edunt, alia in parte generant animal ipſum, vt in vtero: alia verò alimentum eidem animali nato conficiunt, vti in mãmis. Quæ verò animal non edunt, oua pariunt, in quibus pars eſt ex qua animal conficitur, & pars ex qua alimentum capiat, Hippocra. ſcribit lib. de Natura pueri, dicens: Naſcitur quidem ex luteo oui, volucris, alimentum verò & augmentum habet ex albo, quod in ouo eſt: atque hoc iam omnibus manifeſtum factum eſt, qui animum aduerterunt. Contrarium aſſeruit Plinius naturalis Hiſto. libro decimo, capit. 53. dicens: Ipſum animal ex albo liquore oui comparatur: cibus eius in luteo eſt. Aſſerit hoc idem Ariſtot. libro tertio, de Generatione animalium, capitulo primo, dicens: Initium enim animali in candido, cibum à luteo capit. Et rurſus lib. eodem, capitulo ſecundo, aduerſus Alcmeonem Crotoniatem inquit: At auibus hoc idem in ouo natura conſtituit, ſed contra quã homines putant, & Alcmeon Crotoniates ait: non enim albumen qui lac eſt, ſed vitellum, hoc enim pullis pro cibo eſt, illi albumen per cibo eſſe exiſtimant, pro coloris affinitate, Ariſtot. opinio ex veris dogmatis ſuadetur, etiam ſi ſuis ſententiis, quæ dicenda ſunt, non omnino conſentiant. Membra etenim ſolida eo alba ſunt, quo ex alba ſubſtantia generationem habent: ex albo igitur oui, membra omnia ſolida materiam accipiunt: caro autem ex vitello, deinde vniuerſa ex eodem vitello augmentum. Exemplo eſt generatio hominis, cuius ſolida membra ex ſemine materiam & primum generationem ſuſcipiunt, caro autem ex ſanguine menſtruo, deinde omnia ex eodem augmentum: confertur autem album oui ſemini, vitellus verò ſanguini. Adſtipulatur Ariſt. experimentum. Si quis enim tribus aut quatuor diebus, ante quàm pullus fracto ouo in lucem prodeat, ouum frangat, conſpiciet albi nihil reliquum eſſe, toto in ſolidorum generationem abſumpto: vitelli tamen partem ſupereſſe, eámque inteſtinis adhærere, qua parte membra omnia conformata capiunt alimentum. Eſt igitur album ſolidorum membrorum materies, vitellus carnis materies, omnium verò alimentum. Oui itaque vitellus moderati caloris eſt, & parum ad humiditatem inclinans, ac perinde in numero medi-

Animal ex qua oui parte conficiatur.

camentorum ſuppurantium eſt, album verò frigidæ eſt & humidæ naturę, humore tamen reſoluto frigidum & ſiccum manet, qualis naturæ ſunt ſolidæ animalium partes, ex ipſo genitæ actione caloris exiccantis. Ouorum præterea ratio varia eſt ex animalis ſpecie, ex tempore, ex præparatione. Ex ſpecie quidem, nam gallinarum, & Phaſianarum oua primum bonitatis locum habent, anſerum & ſtrutocamelorum poſtremum. Cæterum ſola gallinarum oua nobis cibo præſtantur, quia domeſticæ aues ſunt, & quæ toto ferè anno oua pariunt. Ex tempore vero nemo ambigit recētia oua & ſtatim edita optima eſſe, deinde verò duobus elapſis diebus, ſubſtantiam eius minui, & corrumpi, & facilè deinde putrefieri, & prauo eſſe odore. Ex præparatione verò optima ſunt, quæ ſuffocata dicuntur & à nobis in eſcutela. Quæ ſic parari debent, oua franguntur in eſcutela, quibus additur vini parum, aceti pauciſſimum, butyri quarta ouorum pars, ſucchari tantumdem, ſalis quod ſatis eſt, deinde omnia miſcentur abunde, & in duplici vaſe, donec probe conſiſtant, incaleſcunt aquæ feruentis calore, Galen. garum adiungit loco aceti, quidam modò aquam inſtilatitiam roſarum, ſed hæc ob adſtringendi vim abiicienda eſt. Secundum locum habent tremula, quæ coaleſcunt tantùm, non tamen obdurantur. Verum ex his, quæ integra in feruētem aquam immerſa eam aſſequuntur conſiſtentiam, meliora ſunt, quàm ſi eandem aſſequantur in cineribus calidis. Quæ verò incaleſcunt tantùm, non tamen coaleſcunt, non adeò nutriūt, quamuis gutturis aſperitatibus ſint accommodata. Præterea oua quæ in cineribus aſſantur donec obdurentur, praua ſunt, & difficilis admodum coctionis: paulò minùs mala ſunt, quæ in aqua elixa eandem contrahunt duritiem. Peſſima omnium ſunt in ſartagine fricta: ex his verò deteriora, quæ in oleo, quàm quæ in butyro friguntur, & guſtui minùs grata. Sunt autem hæc duorum modorum: nam quædam fracta ſtatim in ſartagine feruenti oleo immerguntur, quædam prius agitando miſcent album vitello, deinde amplas tortellas frictas parant. Hæc quidem omnino mala ſunt, priora non omnino: vitellus namque integer edi poteſt, qui quamuis nidorem quendam contrahat, paruam tamen, maximè ſi probè inter frigēdum vitellus albo tegatur, ne oleum ipſum tangat, aut parum: album autem horum omnino abiici debet: nam ſi interim torreatur, nunquam ſatis coquetur, & prauum præſtabit alimentum. Tortellæ verò difficilè coquuntur, & prauum ac nidorulentum ſuccum præbent, & magna ex parte in ventriculo corrumpuntur, potiſsimùm ſi quis ab eorum eſu ſe ad ſomnum conuertat. Quidam oua fracta aquæ feruenti infundunt, permittentes album obdurari, interim dum vitellus modicè conſiſtit, à quibus vitelli tantùm ſunt edendi. Quòd ſi edens ventrem habuerit iuſto calidiorē, ſucco aranzij vitellos inſpergat, ne corrūpātur. Sunt autem ex hominibus quidam, quorū vētribus oua aduerſantur tota ſubſtātia in quibus quauis adhibita præparatione corrūpuntur. Sanguis volatiliū qualiſcunque is ſit, & vtcunque paretur difficilè coquitur, & excrementitius eſt.

Ouorū differentiæ.

De Alimento ex aquatilibus. *Cap. XI.*

Piſcium natura.

PISCIVM Vniuerſa natura frigidior & humidior eſt, quā terreſtrium & volatiliū animalium. Oſtendit autem eorū naturam ipſorum victus, qui frigidus eſt & humidus, talia enim ſunt quæcunq; in aqua primā generationē accipiunt, & deinde augmentum: neque etiam viuere poſſent animalia in aqua degentia, niſi naturam haberent aquæ ſimilem, aut ſi contrariam habuiſſent, eam prorſus mutarent: differunt tamen, genere & ſpecie, victus, & ætate. Prima tamen differentia & potiſsima eſt. Quidem enim ſunt marini, quidam fluuiales, quidam in lacubus, aut ſtagnis viuunt, & his aut ſuccipientibus aquas fluuiorum, aut non, & aut inde aquæ defluunt, aut quietæ ſemper manent, ſunt etiam lacus marinam ſuſcipientes aquam: quidam etiam ſunt, qui in dulcibus aquis nati,

mare

mare ingrediuntur, quidam marini deinde fluuia petentes. Marinos pisces meliores fluuialibus esse, omnes vno ore affirmãt, minus pituitosam naturam habere dicentes sale quadamtenus exsiccati, lentorem ac pinguedinem minuente. Ex his verò meliores sunt pelagij, qui mare profundum habitant, & ventis agitãtur, potissimùm borealibus: hi enim sunt qui validiùs exercentur, ac perinde minus excrementosi, minusque lentam naturam habentes. Litorales verò minùs boni sunt, quamuis in his & aliis omnibus alimenta, nempe radices & herbæ, quibus pascuntur, non parum ipsorum naturam varient: hos sequuntur marini qui ad fluuiorum ostia deueniunt, & in dulcibus aquis capiuntur, & degunt: ipsis ferè æquales sunt fluuiales mare ingredientes, post hos fluuiales ibidem degentes. Dignoscees autem fluuiales à marinis: quoniam fluuiales numerosis spinis scatent, carni insertis, non tamen marini, præter paucos quosdam. Sed inter hos cauerẽ oportet eos qui aquas fluuiorum innatant, qui excrementa & immundicias, latrinas, vestium & pannorum sordes suscipiunt, nam hi excrementosi sunt, & breui fœtent, atque putridos generãt humores: quamuis non paucæ sint differentiæ ipsorum ex victu, & aquarum, & soli natura: nam pisces qui in terra lutosa, aut cœnosa pascuntur deteriores sunt, qui tamen in arenosa & petrosa meliores, magisque gustui grati. Postremis sunt atque pessimi omnium, qui in lacubus degunt, & quietis aquis, maximè si neque fluunt inde, neque aliunde fluuios, aut fontanas suscipiunt aquas: meliores (aut dixerim) minùs mali, qui in aquis lacuum, & stagnorum degũt, qui aquas aliunde suscipiunt, atque transfundunt, & vbi eædem aquæ ventis assiduè concutiantur, & agitentur. Piscium itaque fluuialium illi sunt meliores, qui in fluuiis degunt magnis, quorum aquæ celerrimè decurrunt, & per loca petrosa, & quis ventis, borealibus potissimum, abundè perflantur, limpidissimam aquam deferentes. Siquidem huiusmodi pisces nimia exercitatione & concussione, minùs viscosam, ac lentam habent naturam, & minimùm excrementosam, faciliùs quoque coquuntur aliis. Pisces tamen fluuiales qui in paruis fluuiis, degunt, quorum terra est cœnosa, aut prope magnas ciuitates recrementa ipsarum suscipientes, mali sunt, & excrementosi valde ac fœtidi, & qui ab aqua educti cito fœtent: victus itaque piscium naturam sicuti & animalium omnium quàm maximè variat. Aetas verò perpetuò ficciorem & duriorem reddit carnem piscium. Hanc autem cognoscere est impossibile, nisi in his qui in stagnis concluli tenentur. Cæterùm quantum potest ætas exsiccando humorem minuere qui in piscibus omnibus abundat, facta ad humanum corpus collatione, tantum ob siccitatem accedẽte duritie coctioni reddunturrebelles: quapropter medij sunt eligendi, inter pisces bonæ carnis, quales sunt scamosi: nam hi excrementum cuti demandant, & minùs humidam videntur habere naturam, cùm possint siccitate scamas conficere. Quòd si duritie potius quàm humiditate damnantur, minores erunt eligendi: si verò humiditas eis potius quàm durities obest, maiores nondum semo confecti præstantiores erunt. Et vt vniuersaliùs dixerim. Pisces meliores sunt, modicæ magnitudinis, albæ carnis, friabiles, scamosi, boni odoris, modicæ pinguedinis, exercitati, marini, qui in aquis limpidissimis viuunt, ventis perflatis borealibus, in terra petrosa & arenosa, sine immundiciis, quæ bonis herbis & radicibus abundent, degentes. Hos tamen diuersimodè præparant in diuersis regionibus, & maris litoribus, vbi optimè experimento nouerunt incolæ eorum naturam, vsum, præparationem, & condituram, à quibus id accipi volumus cum Galen. At verò quidem assantur, quidam friguntur, quidam elixantur, quidam in panatelis suffocantur in furno: seruantur autem nonnulli conditi, prius elixati aut fricti, quidam saliti, quidam in panatelis. Ex omnibus his elixi sunt meliores: nam elixatione excrementa omnia deponunt: secundum locum habent assi, tertium in panatelis suffocati, postremum frixi. Id tamen magna ex parte verum est, nam anguillæ omnino aut assari debent, aut in pa-

Pisces pelagij meliores.

Pisces fluuiales.

Piscium electio.

ſtillis ſuffocari. Addimus tamen in omnibus præparationibus & ſalſamentis ſiue liquaminibus, ea quæ facultatem habent calefaciendi & extenuandi, vt ſanguis ex piſcibus genitus minus pituitoſus ſit, & deinde alitioni ſit accommodatior. Neque id prætermittendum duximus, aquatilium carnes faciliùs coqui, quàm terreſtrium, aut volatilium. Cui ſententiæ obſtare videtur, quòd quæ frigidiorem habent naturam difficiliùs coquuntur reliquis: ſed, vti diximus, piſces terreſtribus, & volatilibus ſunt frigidiores, difficiliùs ergo coquuntur. Præterea experimentum docuit nos, piſces egere condimentis & ſalſamentis calidis. Sed hæc non exiguntur niſi ad perficiendas coctiones: piſces igitur difficiliùs coquuntur. Hæc tamen facile diluet qui probè nouerit, quæ parte prima diximus: quo in loco docuimus, tres fieri in nobis coctiones: primam in ventriculo, ſecundam in iecore & venis, tertiam in ſingulis partibus. Rurſus docuimus in prima coctione quæ in ventriculo exercetur, pituitam generari, deinde chylum trahi ad iecur multa pituita mixtum ad deſtinatos vſus. Porrò ex piſcibus, vti alimentis pituitoſis, chylus generatur, plurimam continens pituitam, atque in chylum & pituitam faciliùs carne pedeſtrium, & volatilium animalium tranſeunt piſces, quoniam molliorem habent ſubſtantiam, & chylo atque pituitæ magis ſimilem: notum autem eſt, inter ſymbola celeriorem eſſe tranſitum. Celeritatem quoque coctionis piſcium docet exterior elixatio: nam & elixationem eſſe ventriculi coctionẽ, ſuo loco ſtatuimus: piſces enim breuiſsimo tempore elixantur, ſi quis id cum tempore elixationis carnium conferat. Quamuis tamen id verum ſit, cum chylus prædictus pituitoſus ad iecur deducitur, non adeò facilè in ſanguinem tranſit, vti ſi non adeò pituita abundaret: ſanguis verò pituita refertus non adeò facilè à membris commutatur in ſubſtantiam propriam: quoniam pituitoſus ſanguis, haud facilè ſuſcipit qualitatem corpori familiarem, neque alimentum quod ex piſcibus deſumitur, nobis adeò familiare eſt, vti quod ex pedeſtribus & volatilibus: faciliùs itaque in chylum, difficiliùs verò in ſanguinem & membrorum ſubſtantiam piſcium caro mutatur. Meritò igitur adiectis calidis & diſſecantibus eduntur piſces, tum vt minùs pituitoſus ſit chylus ex ipſis genitus, tum vt deinde in noſtram naturam faciliùs commutentur. Quamuis tamen piſces celeriùs coctionem admittant quàm carnes, in ventriculo, interim dum in ipſo continentur, ventrem inflant, & validè diſtendunt. Completa quoque coctione breui per ventrem deſcendunt, qui ex eis lentore participant manifeſto, aut mordendi vi, non tamen celeriter digeruntur, eadem ratione. Quapropter carnes & piſces ſimul edere perniciоſum eſt, ob diuerſam admodum naturam: niſi pari nanque tempore coquuntur, & deinde digeruntur. Piſces quoque & lac eadem menſa coniungere, peſsimum eſt: præter id enim quòd ventrem flatibus validè diſtendunt, lac breui corrumpitur, inde verò nauſea ac vomitus ſequuntur. Non vomentibus tamen vlcera cutis, impetiginem & ſcabiem inferre ſolent, nobis ad quotidiano experimento probantibus. Poſt elixationem verò piſcium, aut earumdem aſſationem ſtatim edi debent: refrigerati nanque ſtomacho nocent, & difficilè coquuntur. Quod ſi interim dum refrigerantur, cooperti teneantur, vel vt dixerim ſuffocati, ita vt non tranſpiret liberè vapor, pernicioſiſsimi fiunt, & venefici, quorum eſus nonnullos in morbos magnos deduxit, & non ſine vitæ diſcrimine. Poſt generalem hanc de piſcibus tractationem, de quibuſdam piſcium generibus, pauca quædam dicere placet: ſingulorum enim vires alendi proſequi foret impoſsibile, quoniam multorum ſpecies ac vires incognitæ ſunt: quamplurium tamen naturam ſcribere, librum ſibi expoſceret peculiarẽ: præter id quod ex generalibus prædictis ſententiis, & quibuſdam dicendis, reliqua ſine magno negocio lector aſſequetur. Aurata piſcis marinus eſt in alto mari, & oſtiis fluminum degens, ſtagma quoque marina ſubit, ab Hiſpanis dorada dicitur: & iure, quoniam loca ad ſupercilia attinentia ſplendentia, auri referunt colorem: palmi magni-

Piſces reliquis coctionis facultate confirmantur.

Carnes & piſces ſimul edere perniciоſum.

Aurata.

tudin

tudine capitur, & ad cubiti longitudinem augetur. Lato est corpore & compresso, squamis intecto, colore vario, dorsum cæruleum subnigrum, & vẽtrem lacteum habet. Cibus boni succi est & multi: an tamen facilè coquatur in ventre, quoniam diuersi varia senserunt, dicemus, minores auratas facilè coqui: maiores tamen & seniores minùs facilè, ob carnis duritiem. Eduntur elixæ in aqua & vino, aut aqua & aceto, aut assantur in craticulis oleo inspersæ, deinde cum aceto & pipere eduntur, aut reponuntur in panatelis cum pipere, sale, & anetho, aut fœniculo, & macere, aut friguntur in oleo, & cum succo aranzij eduntur. Labrax deinde se offert, ob ipsius præstantiam. Piscem hunc latini lupum appellant, Hispani sollo. Pelagius est in profundo mari natus, sed dulcibus gaudet aquis, fluuios ascendens & stagna in quibus capitur. Siquidem Romæ Tiberim nobilitat, & in magno pretio habetur, capitur quoque ab Hispanis in Beti fluuio, longè etiã à marinis litoribus: à Lusitanis verò, ab ostio Tagi, nonnunquam & longè ab ipsis. Elixatur aqua, oleo, sale, & aceto: à quibusdam tamen in oleo frigitur, & deinde cum succo aranzij editur, ac præstat succum multum, & tenuiorem quàm pedestria animalia, qui facilè coquitur, neque tamen valde constans est: cæterùm palato gratissimus cibus, & ea ratione pretiosus, etsi non hac tantum laudandus veniat. Trigla, mullus latinis dicitur, pelagius piscis est, in magno pretio habitus, ita vt nonnunquam argenti pari pondere emeretur: ex eis barbati sunt meliores non barbatis. Eorum historiam & effigiem accipies à Guil. Rondeletio lib. 9. vterque rubedinem sub squamis ostendit, ita vt ea ratione mullus imberbis, dictus sit, imbriago, ruber nanq; ebriorum facies, his addit tertiam speciem, mullum asperum. Triglæ vero dicti sunt, quòd ter in anno pariant, Gale. tempore maiores mullos quidam magno emebat pretio, quam Galen. rogauerat, cur tanti emeret magnos, cum illi minoribus minus grati essent, & duriores, difficilioris quoq; coctionis, qui ob iecur & caput eos eligere dixit. Carnem habet mullus duram atq; friabilem, quapropter frequentiùs edi potest, cùm non concitet nauseam pinguedine. Est præterea gustui grata, coctione non difficilis, humanæ verò naturæ familiaris. Coquitur in craticula, additis petroselino, sale, & succo aranzij. Ferunt vinum in quo trigla suffocatur sterilitatem facere bibitum. Vmbra Romanis notus piscis est, scamis latioribus intectus, & denticulatus, lapidem in capite fert Aristo. & Plinio autoribus, saxa frequentat, nec tamen de saxatilium numero est: coracino similis est, sed ad maiorem quàm ipse crescit magnitudinem, & verrucam habet in mento, qua à coracino distinguitur. Agilis piscis est, atque vorax. Capitur iuxta ostia fluuiorum & in alto mari: primum siluris contingit, non autem secundum. Caput vmbræ in summa gratia habetur elixum in vino, aqua & aceto, in pastilis seruatur, cum cariophyllis, cinnamomo, & sale. Vmbra præsertim eius caput, sicuti & mulli, & siluri bonum succum præstat, sed difficilè coquitur, & ventriculis languentibus incommodat. Cephalus latinis mugilis dictus est, quia in specie eorum est in qua est cetrus & micon, & mugil alatus, quibusdam ob capitis amplitudinem. Capiton: à quibusdam ob labri inferioris prominentiam, Labeon. Piscis hic scamosus est, cubiti magnitudine, aut paulo maiore: os sine dentibus, & labra tenuia, quaternis branchiis, dorsum latum, nigricans, venter candidus: in mari stagnis, & fluminibus gignitur. Agilis admodum est ac mira quadam celeritate mouetur, ita vt volare videatur, potius quàm natare, & retia sæpe saltu transuolet. Nutritur ex alga, herbis, radicibus, & sordibus, quæ in litoribus sunt, & fluminibus expurgantibus latrinas & sterquilinia ciuitatum, qui etsi gustui gratus sit, non facilè superatur, & tardè è ventre descendit, ac perinde origano & anetho additis edi debet. Quod verò ad succi bonitatem attinet, qui in mari degunt, bonum succum præstant, quòd bonis alantur cibis, & validius exercitentur: qui verò in fluminibus sordibus nutriuntur. Phragolinus, ab aliis Pagrus, sed est potius pagel, & quem Erythrinum nominat Rondeletius,

Sturio — *Labrum quidam.*

Trigla.

Rondeletius.

Vmbrina siue vmbra.

Cephalus.

Phragolinus.

tius, vir in hiſtoria & natura piſcium inueſtiganda diligentiſsimus, ſed eſt verus Erythrinus qui à nobis ſalmo dicitur, Pagel autem a Venetis Albor, à nobis Albur dicitur. Capitur magnitudine ſeſquipalmi, quandoque minoris, aut maioris. Aſſeruatur ſale aut in ligneis lacubus aqua, ſale, pauco aceto, & gingibero: recens verò, aut elixus editur, aut frixus in oleo, & addito ſucco arāzij. Succum præſtat non omni ex parte laudabilem, ſeroſos enim generat humo-

Saualus. res, nec diu in ventre moratur. Saualus Hiſpanis dicitur, qui latinis Laccia, Gallis Aloſa, Venetis Chupea appellatur, & vt Rondeletius vult, immeritò à quibuſdam Clupea dicitur. Fallitur autem putans Aloſam eſſe quam Hiſpani appellant, ſabogam: quoniam Aloſa cubiti magnitudinem quandoque excedit, vt verum eſt, & ipſe fatetur: Saboga verò noſtra minor eſt multo, quam ipſe Boopem nominat. Marinus piſcis eſt, capitur autem in fluminibus: ex Oceano nanque mari magnus numerus Betim aſcendit. Squamis tegitur tenuiſsimis, & numeroſæ ſpinæ carnem eius interſepiunt. Cibus eſt guſtui gratiſsimus, delicatiſsimæ carnis: ſunt tamen eſui admodum moleſtæ eius ſpinæ pluſquam belſucci, & barbi. Abundè nutrit laccia, ſed viſcidum præſtat ſuccum, non malum, moratur in ventre plus iuſto, atque interim ſomnolentiam

Salmo. efficit, humoris glutinoſi vapore caput grauante. Salmo carnem habet rubeam, vti arinchi, & quædam troctæ, ſed adhuc ipſis rubidiorem. Piſcem hunc verum Erythrinum puta, palato gratiſsimum: quapropter in optimorum piſcium cenſu habetur, vel ob id maximè quòd facilè in ventre ſuperatur, & friabilem carnem habet. Bonum quoque præſtat ſuccum, nec craſſum, nec tenacem, ac perinde vbi ſaliatur omnem bonitatem & ſuauitatem amittit: quamobrem minimè omnium ſalituram fert, quod carnibus & piſcibus quibus parum adeſt pituitoſæ ac viſcidæ naturæ, conuenit. Plurimi ſalmones atq; optimi in Minio Galliciano fluuio capiuntur, & vſque ad noſtra tempora in

Scombrus. Cātabrico mari. Scombrus Latinis lacertus dicitur, Hiſpanis cauallo: Oblongus piſcis eſt, & teres, & ſulphureo colore, quem in aqua potiſsimùm refert, mortuo tamen cæruleus eſt. Verno tempore pingueſcit, minores maioribus præſtant. Apud Romanos, aridus cibus eſt, apud Venetos tamen in optimorum cenſu, ob alimentorum diuerſitatem, ſuccum præſtat excrementoſum. Ex eo ſalito garum antiqui parabant: erat enim garus apud ipſos, ſaliti ſcom-

Merula. bri liquamen. Merula, aui eiuſdem nominis colore ſimilis eſt, difficilè coqui-

Turdus. tur, nec bonum ſuccum præſtat. Turdus ſubuiridis coloris, inſulſus, ac minimè laudabilis ſucci eſt, ſunt turdorum ſpecies plures apud Rondeletium. Ha-

Mero. betur inter nobiliſsimos piſces, qui à nobis Mero appellatur, cui nullum anteponendum iure exiſtimo. Tegitur tenuibus ſcamulis, cuti craſsiore ſubnigra, cui ſubiecta eſt pinguedo, magnitudine ſeſqui pedali, albiſsima carne, friabili guſtui admodum grata, ob idque magno habetur pretio, bonum ſuccum, mul-

Melica. tum, & conſtantem præſtat. Melica verò nobis dicta Mielga, quæ vngulam habet dentibus exertis mandandis aptum: bonum ſuccum præſtat, & facilè coquitur, ſi probè paretur, flatuoſa enim eſt, & ventrem inter coquendum inflat. Probè tamen paratur elixa aqua, ſale, & oleo, additis gingibero, caryophylis, croco, & pipere, deinde cum aceto, aut ſucco aranzij. Aut frigitur in ſartagine deinde iuſculum prædictum ſuperfundunt, & acetum, aut ſuccum aranzij. Is verò quem nos Tollo appellamus, membranaceus piſcis eſt, difficili

Boca. coctionis, duræ carnis, & mali ſucci, Boca marinus piſcis, à nobis Saboga dicta eſt, quoniam verò oculos magnos habet, placuit quibuſdam ipſam Boopem appellare Græcis βόωψ. dicitur immeritò: ab aliis Menæ, & Menides appellantur, in quo genere ſunt, quæ Aleculæ dicuntur. Piſcis gregalis eſt atque gregatim capitur, éſtque fœcundiſsimus, & ea ratione inter fluuiales piſces, è quibus matrem appellant Barbum, fœminam appellant Bocam, ſiue Bogam, quod fœcunditate marinæ ſimilis ſit: ſeruatur ſalita, nonnunquam verò ſemicocta additis foliis myrti, in caniſtris defertur à maritimis locis & flumi-

nibus

nibus,in quibuscapitur,in mediterranea loca. Elixa recens addito aceto,aut succo aranzij,& sale,bonum succũ prętstat. Arinchem autẽ appellant,& arengum piscem,saboca minorem, rubra carne,salmonis ferè simili,sed multò inferiore succi præstantia,& adhuc ipsa saboca,continet oua magna copia, pro corporis magnitudine, quæ quibusdam sunt palato valde grata, ipsum deferunt ad nos sale,& fumo in cratibus arefactum, quem elixum edimus addito succo arãzij, quidam cum salsamento ex eruca facto. Quoniam verò sardas, siue sardenas, nonnulli sic etiam sale & fumo arefaciunt, Hispani appellant ipsas Sardenas arenchatas, quas magnopere vituperandas censeo:parum enim alunt,prauum succum præstant,ventrem subuertũt,& cordi noxiæ sunt. In quorundam quoq; ventribus adeò prauè corrumpuntur, vt venenis æquiparentur.Sed sardenæ recentes tenuem succum, nec malum præstant, elixæ, assæ, aut frixæ, copia tamen spinarũ molestæ sunt. Thynnus porco similis est, crassa quadam ac pingui cute intectus,notissimus quidem omnibus.Gregalis piscis est, cuius magnus numerus iuxta Gades verno tempore occurrit. Capiuntur quoque iuxta Zephyrium Italiæ extremum: nomen tamẽ cum ætate mutat, nam ab ipso ouo primùm Cordilla vocatur, deinde paulò maior Limaria dicitur,& paulò maior,Pelamis,à luto:quoniam in ipso degit & alitur, Postremo Thynnus. Quidam verò probè Thynnũ sic loquentem introduxit,

Arinche.

Sardena.

Thynnus.

Quum fuerã fœtus, primò Cordilla vocabar, Pòst ego Pelamis, pòst ego Thynnus erã.

Transire quoq; ipsum nonnulli ferunt, in Orcynum, & pompylium, nauium comitem. Partes habet valdè diuersas, nam ventris & illiorum partes pinguiores sunt,& gustui magis gratæ, quamuis nauseam concitẽt:partes tamen ad caput, dorsum,& caudam sicciores, & ingratæ. Recens thynnus elixatur aqua,vino,& cepis minutatim incisis:deinde editur cum succo arãzij. Salitus seruatur, qui deinde elixatur, atque editur cum aceto, aut succo aranzij, aut liquamine ex eruca, melle,& aceto: verùm & si gustui valde sit gratus, iecur calefacit,sanguinem vrit,os ventriculi & cor opprimit.Caro thynni,quæ pinguedine vacat,succum præstat paucum, crassum & melancholicum: pars autem pinguis stomacho aduersa est, & bilem auget. Pelamides tardè coquuntur,valde nutriunt,& lentum succum generant. Piscis præterea frequentissimus in cetariis venditur apud nos, in cuius nomenclatura non omnes conueniunt,à quibusdam tamen Merluzus appellatur,estq; hic verus Asellus,Hanc autem varietatem vitare volentes Hispana voce ipsum insignire placuit.Appellatur autem Pescado.Nomen siquidem generi iure debetur ei,qui piscium omnium loco sugeritur: diebus enim quibus lege vetitum est carnibus vesci, carnium & aliorum piscium loco succedit. Magna ex parte ad nos defertur ex Galliciano portu,& ab Anglia,& Saphi,& Zamor maritimis Africę populis.Salitus, quem appellant Pescado cecial, & à maritimis Hispaniæ locis aliquando recens, longitudine bipedali, aut paulò minori,ore denticulato, magnis quaternis brãchiis, tenuibus squamis, cinericiis & splendẽtibus tegitur, crassa spina dorsi,pinnulis natat. Editur in panatelis,aut frixus in oleo,& addito melle,aut elixus:deinde cum aceto & oleo, nonnũquam verò cum liquamine ex nucibus,quod appellant, Nucatam.Hanc autem sic conficiunt: Micam panis in elixatione eiusdem piscis madefaciunt:deinde ipsam multis nucibus mixtam in mortario malaxant,interim prædicta elixatione & oleo additis,ad eliquationem vsque,& allij paululum:quidam post salsamenti confectionem,oleum addunt:idquidem piscis coctionem adiuuat,sed capitis efficit dolorem. Vtcumque tamen edatur, non facilè coquitur, & crassam auget pituitam:lenta enim est eius substantia,ac perinde saliturę est accommodatissimus. Salitur autem & appensus arescit: aliàs corrumpitur vbi accumuletur. Plurimũ alit si probè superetur in ventre & venis,eiúsq; alimentum constans est.Non valde recens aut etiã salitus,putrilaginem redolet. Gal.lib.8. de Metho. med.cap.2.molli carne esse dicit,vbi probo vtatur alimẽto, cum saxatilibus esse conferendum,carnis bonitate:excrementitium autem esse, si prauo

Asellus.

Nucatum.

cibo vtatur. Coruus, qui etiam Coracinus dictus est, Hispanis Cornina, latus
Coracinus. piscis est, nigricãs, squamis intectus, capitur iuxta fretũ Herculeũ, vbi omniũ sunt selectiores: continent in capite lapillum album, quem puerorum collis suspendunt, & falsò ferũt comitialibus prodesse morbis. Salitur cõmodè, & nõ-unquã semifrixus, oleo, aceto, & myrti foliis subtratis seruatur. Editur frixus, commodius autem elixus: vtcumque tamen difficilè coquitur, nec boni succi
Belsuccus. est. Belsuccus, à nobis Besugo à Græcis φάγρος, siue, πάγρος, phragolino similis, sed paulò longior & manifestè latior. Piscis squamosus est, alba carne, multis spinis, longitudinis sexquipalmi: frequentissimus capitur, & ad nos portatur Decembri & Ianuario mense à mari Cantabrico: Editur elixus, deinde sale, pipere, & succo aranzij, ab aliis assus: optimè tamẽ assatur in planis lapidibus prope ignitis, & oleo respersis. Facilè coquitur, nisi vẽtrem inflet, quod in quibusdam facit: succum multum præbet, & bonũ, ac perinde Besuccus, aut Belsuccus dictus est. Huius piscis cerebellum sapidissimum est: ipsum verò fugentibus, ossiculus se offert altera parte serratus. Gobius diuersarum specierum
Gobius. est, sed melior, qui litoralis, in arenosis & saxatilibus locis habitat, palmi longitudine, tereti corpore, colore vario, squamis rotundis: caro eius friabilis est: paucum, tenuem, & bonũ succum præstat, & facilè coquitur in ventre, gustui quoq; gratus cibus est. Aëtius in victu laborãtium colli dolore dixit. Scari autem & turdi, ac gobij, tenerrimi quidem sunt, & facillimè secedunt, alimẽtum
Scorpena. autem paucum, robúrque corpori addunt. Scorpena eiusdem generis est cum scorpio: sed scorpio gustui suauior, quã scorpena est. Cute integitur scorpio, quę serpẽtis similis potiùs quàm squamea est, & multis armatur aculeis. Pelagij rubidiores sunt, & meliores, palustres & in luto degentes, nigriores & deteriores. Minores semipedali lõgitudine reliquis meliores sunt, facilè coquũ-
Rhombus. tur, ventrem molliunt, & non malum præstant succum. Rhombus, Hispanis Rodaballo, plan⁹ piscis est, sine squamis, ferè rotũdus, vel ouatis figuræ, natat inuersus latitudine sua innixus, potiusquam pinnulis: sed est aculeatus, in quo multi sunt aculei alter verò leuis, quibus addunt, quẽ Romboidem appellant. Vorax piscis est, & ob id in magnorum fluuiorum & stagnorũ ostiis capitur, quibus in locis alios pisces subeũtes persequitur. Rhombus leuis, latior, & tenuior est, rhõbo aculeato. Aculeatus tamen, præter id quòd præstãtior est leui, omni tẽpore capitur: caro eius candida, suauis, boni succi est, si probè superetur: ita vt excremẽtitia pars per ventrẽ secernatur. Elixatur aqua, sale, porro, anetho, & aceto: aut frigitur, & aceto, aut succo aranzij editur. Inter salubres
Passer. pisces recẽsetur. Passer multarũ est specierũ: nam quidã est planus, atq; is etiã in duab⁹ speciebus. Passeres quoq; squamosi quidã sunt, & quidã in mari, quidã in fluuiis & ostiis ipsorũ, quidam in stagnis capiũtur, qui reliquis sunt deteriores: mari capti, electiores, molli carne & alba, facilè coquũtur, neq; omnino contẽnendum succũ præstant: sed his omnibus buglosus est longè prę-
Solea. stantior, quẽ soleã appellant. Polypus omnibus ex numero piscium mollium, pedũ
Polypus. multitudine cognitus, pluribus brachiis, ac cirris, & in singulis numerosis acetabulis, singula aprehẽdit, & obuoluit, atq; flagellat. Amat quàm maximè oliuã, ipsámq; auidissimè amplexatur. Breui vitã finit nec vltra bienniũ, vt testãtur plures. Sunt minores pelagici, maiores litorales, ac min⁹ salubres: caro dura est, & difficilè coquitur, sed vbi semel superetur, nõ parũ nutrit, & cõstans præbet alimentũ, nec malum: venerẽ excitat, flatu copioso genito: quidã falsò cardiacis prodesse ferunt. Editur elixus, sed cõmodiùs assus oleo, & allio inter
Sepia, & loligo. assandum illitus. Sepia & loligo eiusdem naturæ sunt, ac molles appellantur: quoniam nec squamis, nec testa, nec crusta, sed cute teguntur. Sepia quidem breuior & latior, loligo longior: habet tamen sepia quãdam substantiam fungosam & friabilem, quæ à nobis etiam Xiuia appellatur: caro ipsius elixa confert ventri: sanguinem autem generat tenuiorem polypo, & loligine, iis qui à corporeis exercitationibus abstinet, mala, quoniam succos crudos aceruat. Omnium mollium piscium caro dura est, & coctione valde difficilis, sed con-

stans

ſtans præbet alimentum. Conger piſcis oblongus & teres eſt, magnam quandam anguillam ſpecie referēs: eius caro fungoſa eſt: quapropter facilè coquitur, & parum alit, nec bonum præſtat alimentum: ſalitus tamen arefactus omnino alitioni inutilis redditur: pauciſsimum ſuccum, malum & fœtidum præbens: recens editur in panatelis, aut elixus, addito ſale, oleo, & pipere. *Conger.* Acus longus piſcis eſt, à figura nominatus, Græcis bellona, Hiſpanis Aguja paladar: tardè coquitur, parum conſtans præbet alimentum, humidum ac bonum, ſunt qui ſiccum alimentum præbere teſtentur. *Acus.* Anguillæ in fluminibus, mari, & ſtagnis reperiuntur: omnium optimæ ſunt marinæ, & guſtui magis gratæ. Portantur per Hiſpanię ciuitates ex Galliciano portu in lacubus ligneis, probè paratæ, quæ in magnatum menſis pretioſæ habentur. *Anguillæ.* Has ego anguillas marinas & veras murenas imitari nō dubito, quibus nulla pinnulla adeſt, oris ſciſſura magna, ſuperiori maxilla aquilina, in cuius extremo duæ ſunt verrucæ, veluti congro. Secundo loco ſunt fluuiales, quas quidam aſſas ex allio & oleo edunt, quidam in panatelis eas oleo, ſale, allio, croco, pipere, & caryophyllis, parant, cibus palato, ſiquis alter, gratiſsimus, & meo quidem iudicio omnibus anteponendus. Paluſtres verò ad magnam aliquando magnitudinem augentur, ita vt congris perſimiles fiant, vti in lacunis dictis, deparedes, quas poſsidet ad modum illuſtris Comes, à Corumnia: ſed hæc quidem inſalubres ſunt, & ventri, ac cordi valde noxias eſſe agnoui experimento. Non adeò malæ ſunt, quæ in fluminibus capiuntur, lentum tamen ſuccum omnes præſtant, atq; malum, qui tardè permeat, & pinguedine ſtomachum ſubuertunt, podagricis & calculoſis valde nocent: fœminarum menſes tardant. Lampetra à lambendis petris dicta eſt, Hiſpanis, Lamprea, marinus piſcis, ac fluuialis, rarò in mari, frequenter in fluminibus capitur: gaudet enim dulcibus aquis, longus ac teres piſcis eſt, dorſum maculis cæruleis & albicantibus inſpergitur. *Lampetra.* In ſupremo capite fiſtulam habet, ad palatum vſque, qua aquam haurit, & proiicit, loco ſpirationis, maculas habet inſignes, in collo ſeptem ſtellis ſeptentrionibus ſimiles numero, & ferè poſitu. Longitudinem ipſius interius perreptat oblonga quadam & rotunda ſubſtantia neruo ſimilis: ſpinæ loco, ventre lactei coloris. Capiuntur frequentes in Ibero longè adhuc ab oſtio, & in Minio Galliciano fluuio. Parantur in panatelis ſale, croco, pipere, caryophyllis, & nuce ordorata ori incluſa, pauco addito vino, in quo etiam à quibuſdam necantur. Cibus gratus guſtui eſt: facilè coquitur, ſed melancholiam auget. *Reus.* Reus quoque marinus piſcis, in Minio fluuio Galliciano capitur, nemini eorum quos deguſtauimus piſcium ſecūdus. Troctis ſimilem carnem habet, facilis coctionis, multi ac boni ſucci. *Solea.* Solea Hiſpanis lenguado, quòd bouinæ linguæ ſimilis ſit, & à quibuſdam lingulaca dicitur, & bugloſſus. In oceano mari non rarò capitur, ſed frequens Iarife habetur, & magno pretio venditur, quòd omnibus numeris præſtantiſsimus piſcis habeatur, pedalis prope longitudinis, & latus. Habuimus ipſam frequentiùs in menſa ducis Metimnenſis, & in menſa illuſtriſſimi præſulis ac præclariſsimi theologi epiſcopi Concenſis. In lacubus ligneis nobis non paucas ſeruatas ſæpe miſit amicus noſter Chriſtophorus à Quadra, in arte medica doctiſsimus, & in chirurgica prętantiſsimus vir. Recentes frixæ eduntur, aut elixæ: ſeruatæ tamen ac conditæ, in oleo immerguntur, valde calenti, & deinde pauco vino odorato & ſucco aranzij additis, eduntur. Cibus is ſelectiſsimus, & facilè coquitur, & bonum præſtat ſuccum: itaq; inter primæ notæ cibos reponendus. Plaicia Hiſpanis Azedia propè accedit ſoleæ, tum coctionis facilitate, tum etiam ſucci bonitate. *Plaicia.* Ex cruſtatorum genere *Cruſtata.* ſunt locuſta, Hiſpanis langoſta, Aſtacus, camaron de mar, cancer, cangrejo, ſquillas quaſdam non agnoſcimus, aliâs lagoſtines nominamus. Omnes carnem habent duram & quæ difficilè coquitur, ſed conſtans eſt eorum alimentum: ſalſum prętерea generant ſuccum, verùm ſi in dulci aqua præcoquantur, ſalſedinem deponunt, & ventrem retinent, quod indicat diuerſam ipſis ineſſe

Digitized by Google

ſubſtãtiæ naturam: cancri quoq; eiuſdem ſunt naturæ. Teſtati piſces multipli-
Teſtacea. ces ſunt, vti purpuræ, hiatulæ, buccinæ, à figura dictæ, cochleæ, & pectines ſiue
Oſtreæ. pectunculi, quos conchulas appellant, & Oſtreæ, quæ præcioſiſsimæ magnóq; in honore ſemper habitæ ſunt, tum recentes, tum etiam conditæ, vti in ligneis lacubus ab oceano deferuntur. Omnibus ineſt ſalſus ſuccus, & ventrem ad deiectionem proritans: quò verò fuerint durioris carnis, eò valentiùs nutriunt, vbi ſuperentur, & minus ſalſum ac proritantem gignunt ſuccum. Oſtreæ itaq; nobiliſsimam carnem inter teſtacea continent, faciliùs coquuntur, & à vẽtre deſcendunt, & minùs alunt. Aquibuſdam aſſa in propria teſta eduntur, pipere, ac ſucco aranzij additis: aquibuſdã verò in butyro frixæ, deinde additis vino,
Cartilaginei piſces. pipere, & ſucco aranzij. Cartilagineorum piſcium ſunt torpedo, & paſtinaca, quæ faciliùs coquũtur, & modicè nutriũt: raia verò & ſquatina, Hiſpanis lixa, & rhinobates ſiue ſquatraia quæ media inter raiam & ſquatinã eſt, duriorem
Cetacei. habent carnem, difficiliùs ſuperantur, & validè nutriunt. Cetacei verò è quorum nnmero ſunt balenę, delphini, phocę, libelę, & orcyni, ſiue magni thynni, difficilè coquuntur, & multum ſuccum præſtant ac craſſum. In fluminibus gi-
Piſces fluuiatiles. gnuntur & degũt, barbi, troctæ, rubeculæ, ranæ, camari, & anguillæ: ſed de his
Barbi. ſuprà diximus: modò verò de reliquis. Barbi ſcamoſi ſunt, & ſpinoſi valde, qui omnibus Hiſpaniæ fluminibus capiuntur: nonnunquam adeò magni, vt 20. libras Romanas appendant, ſic appellati quòd verò barbati ſint, fœminas verò Bocas appellant. Barbi itaq; valde magni difficilè coquuntur, minores facilè, bonum tamen præſtant ſuccum, etſi optimorum marinorum piſcium alimẽto conferri non debeat. Horũ optimi in Fenario noſtro, & Tago capiuntur. Bocę ſimilem ſuccum præſtant, ſed ipſarum oua Maio menſe eſui non ſunt: turbant enim validè ventrem & choleram morbum efficiunt, nec ſine vitę diſcrimine
Troctæ. Troctæ inter ſelectiſsimos piſces recenſeri debent, vti ſalmo, ſolea, plaicia, & oſtrea, qui conualeſcentibus è calidis morbis meritò adhiberi poſſunt, & ipſis ægrotis. Piſcis hic elixus in aqua pauco addito ſale, petroſelino, & cepis guſtui valde gratus eſt, facilis coctionis, tenuis ſucci, multi ac boni. Eliguntur optimę troctæ, quæ rubidiorem carnem habent, & maculis frequẽtioribus inſperſam cutem. Has appellant ſalmonatas, quales capiuntur in fluuiis Ibero, & Alone, & quem nominant corpus hominis. Guſtui optimæ ſunt ex fluuialibus, quæ Burgis capiuntur inter vtrumq; pontem fluui Arlançon. Fluuiales tamen volunt Trutas appellare, Troctas verò marinas magnas, & alias his minores
Ranæ. ſcariones. Ranæ abiectis interaneis & ſummis pediculis friguntur in butyro, aut aqua elixantur, ſale, & aceto additis. Facilè coquuntur & bonum ſuccum præſtant, frigidum parum, ſed humidum, paulò minùs lentum carne teſtudi-
Camari. num: vtraque tamen hecticis vtiliſsima eſt. Camari fluuiales elixi ſtatim rubent, inutiles ſunt eſui, quòd tota ferè eorum ſubſtantia cartilaginea ſit: difficilè coquatur & pauciſsimum præſtet ſuccum. De reo verò Galliciano piſce,
Rubeculæ. troctæ ſimili, diximus. Rubeculæ Hiſpanis Bermejuelas, quæ ſubrubentes habent partes iuxta caput, paruis barbellis ſimiles: quatuor tamen digitorum longitudinem rarò tranſcendunt: faciliùs coquuntur ipſis barbellis, & meliorem ſuccum præſtant: nec tamen ſunt eædem cum Erythrinis, quos Latinè vocant Rubeculas.

De Melle.

DE Melle præterea hoc in loco iure mihi dicẽdum videtur, quoniam præter id quòd alimentum eſt, innumeris alimentorum condituris miſcetur: ſumitur autem tum ab animalibus, tum etiam à plantis. Mel enim trium generum eſt, ſiquidem mel conficiunt apes, & mel eſt quod aërium vocant, ſiue mel roris, & eſt mel cannæ, quod ſaccharum appellatur. Mel apum omnibus notum eſt, à medicis calidum & ſiccum in 2. ordine ſtatuitur, verùm ineptè quidem

quidem: nam quoddam est & pallidum, quoddam flauum, quoddam album. Notum autem est in eodem genere, quæcumque rufa, aut flaua, aut rubra sunt, calidiora esse albis, apud Galen. libro quarto, de Simpli. med. fac. Quod & rei veritas & experimentum docet, sicuti & bilis in humano corpore, quæ eò minus calida est, quò ad albedinem propius accedit. Dicemus igitur, mel flauum calidum esse ac siccum in secundo ordine, ad finem, rufum ad medium eiusdem, pallidum, ad initium: album verò ad finem primi ordinis, quod etiam non longè abest à natura sacchari, temperatura ac consistentia, præterea & sapore, quamuis mel bonum sit. At Gale libro septimo, de metho. me. mel. optimum eligere docuit, colore flauum, odore suaui, purũ siue omni ex parte pellucidum, gustanti acutum, & iucundissimum, sibi cohærens, continuum non intercisum, aut partium diuersarum, cuius portionem vbi suspendere velis, continua manet longo tractu, nec disrupta, nec diuersas ostendens partes, ita vt quædam sint crassiores, quædam aquosiores: id enim immixtam habet ceram, aquam, & fæcem, aut omnino crassius, aut tenuius iusto est. Crassius itaq; cerosius est, & tenuius, guttas humoris habet innatantes: quod verò excrementosius est, difficiliùs coquitur, inter coquendum tamen multam euomet spumam. Decet quoque nullum aut herbarum, aut florum odorem referre: quod enim tale est, improbè confectum existimabis, non igitur aut thymum, aut stœcadem redolere debet. Deterius autem est, si præterea malum referat saporem, vt cisti. Conficiunt autem mel optimum apes in ea Hispaniæ parte, quæ appellatur Alcarria nobis finitima, quoniam apes abundantes habent in eis locis flores thymi, stœcados, & lauendulæ, Laudat itaque Gal. mel flauum, vti optimum, est quidem id efficaciùs & calidius, & medicamentosius: sanis tamen ego potiùs mel album, aut pallidum, ministrarem, quoniam temperamento magis accedit, & minùs acrem saporem habet, magis gratam dulcedinem, & minùs aptum est in bilem verti. ad medicamentorum verò compositionem quibus saccharum non est accommodatum, mel flauum cum Gal. eligerem. In summa verò intellectis viribus, facile erit hoc illi anteponere. Est quidem mel alimentum medicamentosum, siquidẽ in senibus vertitur in sanguinem bonum, sicuti & in frigidis ac pituitosis naturis, in iuuenum autẽ corporibus facilè in bilem transit. in calidis siquidem naturis plus æquo coquitur, & modum excedit: dulcia verò immodicè cocta in amara trãseunt. Exemplo sunt sanguis in humano corpore, qui si asseruetur, transit in bilem pinguis, tenuis, ac dulcior eius pars, & mel si elixaueris diutius, amarescet. Accipitur quoque in cõdimentis innumeris, saporis gratia, in quibus etiam alit, sed medicamẽti ratione detergit, maximè intestina & ventriculum, & eadẽ à pituita mundat, cum aqua, aut aqua & aceto, quæ aquam mulsam, & acetũ mulsum appellant, meatus iecoris, venarum & renum ab obstructione liberat. Innumeris quoq; medicamentis compositis miscetur, ad eorum conseruationem & compositionem, cum bono sapore, & ad aliorum malum saporem emendandum. Mel cannæ credunt esse Sal Indum: nos verò apud Dioscoridem inuenimus concreti mellis genus, quod Saccharum appellat, quódque in India & fœlici Arabia inueniri dicit, salis modo coactum, & dentibus vti sal friabile: éstq; omni in re quod nos saccharum appellamus, omnibus iam cognitum, quod copiosum conficiunt Valentini, copiosissimũ verò deferturab insulis fortunatis, & noua Hispania. Huius temperatura calida est, sed vbi rubrum fuerit magis, ad mellis naturam accedit, & calidius est, & siccius: calidum quidem ac siccum ad finem primi ordinis: quod verò albissimum & depuratissimum, calidum est ad initium primi ordinis. Habet id detergendi vires, sed rubro minores: prodest quoque non parum detergendis ventre & intestinis, sed autore Gal. nec sitim efficit, neque stomacho noxium est. Magis melle alit, sed minùs medicamentosum est ipso, minùs etiam in bilem vertitur: eius dulcedo ducedine mellis suauior multo est, & sine acrimonia: proficit multis thoracis & pulmonis morbis:

Mellis temperies.

Mel optimum.

Mel in sanguinẽ, & in alios in bilẽ vertitur.

Mel detergit.

Mel cãne.

Saccharũ.

conficiuntur cum eo innumera medicamenta atque obsonia. Mel roscidum
Manna. siue aërium, Manna appellatur, vires habens alendi, atque medicamentosas: siquidem alit, sed minus saccharo, quo est medicamentosior manna, maiorem habens vim detergẽdi. Emollit quoque ventrem, qua in re mel atque saccharum superat, quamuis in detergẽdi & abluendi facultate superet saccharum, & superetur à melle. Inuenitur in arboribus, fruticibus, herbis, & lapidibus, maximè in regionibus temperatis, & diebus vernis serenis temperatoribus, vt æstiuis, pro ratione temporis, frigidioribus. Calabricum manna omnibus antefertur, à medicis, quo nos vtimur ad purgandos ventres infantium, & vtero gerentium, quantitate vnius aut duarum vnciarum dissoluti in iure pulli, aut aqua instilatitia, aut elixatione buglossi. Id ros cæli, siue aëris esse putat Gale. aut de eius genere. Nos tamen referemus quod vidimus, atque experimento agnouimus. Anno salutis nostræ. 1532. & duobus sequentibus, iuxta Fænarium flauium nostrum in amæniorib locis æstatis tempore manna in salicibus reperta est, copiosa, atque optima, albissima, sacchari dulcedine, quam licebat colligere ex arboribus, & lapidibus cuiuis volenti. Eram ego per id tempus huius disciplinæ auditor: intellexeram tamen à præceptoribus meis mannam esse, quod diligenter perquirens an verum esset quod ab ipsis & reliquis cum Gal. ferebatur. locum in quo manna copiosior habebatur consideraui, summo mane, Iulio mense, ad id profectus adductis nonnullis ex amicis, quibuscum ego solebam de similibus differere. Inueni tamen paruarum quarũdam apum numerosam congeriem: non erant quidem apes, sed culices crassi, quos ob officiũ apes paruas dicerẽ, quibus inerãt tria aut quatuor foramina in partibus corporis, quæ in eisdem prominebant, ad paruarum verrucarum speciem. Per hæc itaq; foramina guttæ quædam paruæ albissimæ, sudoris modo eliciebantur, quæ ros esse dixisses, si copiam guttarum cadentium ex loco salicis in quo congestæ apes erant, considerares. Erat autem non vnus tantùm earum grex, sed plures quàm quinquaginta, in singulis autẽ gregibus, innumerabiles apes, quæ locum vnũ non vltra diem ac noctem tenebant, deinde in aliud transuolabant: semper tamen arboribus insidebant, cum quodam bomboso sonitu apum, à quibus sudor guttatim defluens, aut folia arborum, aut subiectos lapides tegebat: quod verò in arenam, aut sordida loca decidebat, peribat, reliquum colligebatur ad vsus: miro nanque modo soluebat ventrem. Erat autem hæc purissima manna, albedine, dulcedine, consistentia, & efficacia probata. Hæc referre meritò placuit, vt intelligãt naturalium causarum indagatores, mannæ generationem, & eiusdem causas effectrices, antiquos etiam in eius generatione tradenda deceptos. Quòd si quis nostro huic testimonio & experimento consentire noluerit, nõ damnet veritatem, nisi prius quod testamur, aut contrarium assequatur, locum generationis mannæ adiens, & singula probè perpendens, quæ nos vidisse affirmamus, sæpe in prædictis annis. Horum alimentorum, quorum facultates retulimus, vsus in minoribus natus est nutritio & auctio: in adultis verò sola nutritio, nisi quãdo è morbis extenuati conualescant, aut fuerint natura tenues: tunc enim humorem, spiritum, & carnem augere oportet. Erit autem opportunitas sumendi alimenta omnibus
Famis essentia. communis, cùm adfuerit inopia: hanc autem in bene valẽtibus fames nos docet. Famen autem Aristo. libro secundo, de Anima. capitulo tertio. dixit esse appetitum quendam calidi & sicci: sitim autem, appetitum frigidi & humidi. Galen. verò primo lib. de Causis sympto. famem tristem sensum appellat, nec tamen ibidem appetitum coniungi negat. Considerat quoque Galen. in omni fame, quæ natura fit, quinq; motus, quorum primus est, membrorum inanitio, quæ secundum naturam sensim fit, naturali calore agente, ac dissoluente humidum membrorum: hæc verò naturali facultate secundo loco appetunt, deinde tractice trahunt, tertio loco à venis & iecore & ventriculo: quarto loco sequitur sensus tristis, quo venter sentit suctionem: quinto sequitur appetitus

anim

animalis. Quartum horum, nempe sensum suctionis famé appellat: huius sensus immediatum obiectum omnes ferè consentiunt, esse motum factum in ore ventris à membris trahentibus, fugentibus, & veluti diserucientibus ipsum. Sed ex his nonnulli cum motu qualitatem aliquam primã accedere necessarium putãt, existimãtes sensibilia communia sine propriis mutare sensum non valere: itaque aut caloris, aut frigoris simulachrum accedere dicũt ad sensum mutãdum. Verùm parte prima docuimus cõmunia sensilia per se sensus mutare & sæpe sine propriis sentiri. Ad quod comprobandum accedit, quod si cum motu & suctione dixeris accedere calorem, vbi quis cautam refrigerantem vẽtri admouerit extrà, fames cessabit, & vbi frigus motũ comitetur, pipere assumpto, atq; incalescẽte ventriculo amplius nõ maneret fames, quorũ vtrũq; falsum est. Solus igitur nobis, obiectũ immediatũ & per se prædicti tristis sensus siue famis est: quoniam verò consumptio quędam in ventriculo adiungitur, dubium est, cuius consumptio immediatius accedat, humidi chylosi, an substantialis ipsius ventriculi. Nihil refert in præsentiarũ longo sermone referre diuersas iuniorũ opiniones, quibus sdã dicẽtibus famẽ excitari absumpto chylo: nam & si absumptus sit innatus ventriculi humor, interim dum chylus adest, homo non cruciatur fame: non igitur sequitur fames substãtialis humidi cõsumptionem. Pręterea ipso absumpto, statim ingesto cibo, vel primo bolo, fames cessat, nõ dum tamen refectum est humidum substantiale, non ergo sequitur fames ipsius consumptionem. Contra quorum opinionem insitat, quod animalia longo tempore in latibulis degentia, non vexantur fame, diu tamen sine chylo seruata, èquorum numero vrsi & glires. Pręterea qui noctu cœnant hora prima, aut secunda noctis, hyemis tempore, nec fame tentantur vsque in meridiem sequentis diei, non continent vsque in illã horam chylum in ventre: non ergo sequitur fames immediatè chyli consumptionem. Breui tamen quæ nobis vera vidẽtur & rationis cõsona referemus. Impossibile quidem reputamus, famẽ excitari secundum naturam, nisi chylus absumatur, & substantialis humor ventriculi: altero enim horum præsente fames non excitatur, quibus membrorum dissolutio accedere debet, quam reparare postremò intẽdit natura. Finis namque assumptionis alimentorum cogit veluti obiectum postremò mouens, sed præcipuè intentum: nam finem quem præcipuè intendimus, eum postremò assequimur. Finis postremus sed pręcipuus est corporis refectio, hic autem non vrget nisi præcedente defectu: is igitur antecedere debet, nempe membrorum inanitio, alterum quoque vt medium necessarium, siue vt finis minimè præcipuus, est sensus tristis, qui adesse debet, vt naturam moueat ad alimentorum disquisitionem, per quæ deinde finem postremum assequitur. Cæterùm dum chylus in ventre adest, sensus tristis non excitatur, nec appetitus disquirendi alimẽtum: tum quoniam impedit tristem sensum, tractione ac suctione excitatur: quia reficit dissolutionem ventris dũ adest pręsens. Excitabitur itaque fames membrorum substantia dissoluta, atque absumpto chylo, cum substantiali ventriculi humore. Chylus autem pręsens, quod fit paulò postquam cibus assumptus est, vtrumque prohibet: nam sensus tristis qui sequitur ventriculi corrugationem & suctionem, ac motum, cessat, & ventris natiuus humor, & defectus reparatur: quoniam ex ipso ventriculus partem capit, dicente Gal. lib. 3. de naturalibus facultatibus: Itaque quod in cibis optimum est, id halitus specie & paulatim sibi atrahit atque in tunicis suis reponit iisdémque adiungit: vbi abundè saturatus est, quidquid reliquum nutrimenti est veluti onerosum aliquid reiicit. Quòd siquis quęsierit cuius horũ humorum consumptionem immediatius sequatur fames, dicemus immediatiùs sequi ad eam quæ postremò fit: postremum locũ tenet consumptio substãtialis humidi ventriculi, quę fit absumpto prius chylo: non tamen statim, sed cum quodam temporis interuallo. Namque id considerare pręcipimus hoc in loco, membrorũ omnium præter ventriculum, consumptionem, siue substantiarum

Famis obiectum.

Cõsumptio quam sequitur fames.

Venter an ex chylo alimentum capit.

Fames an sequatur chyli consumptionem.

tiarum ipsorum absumptionem antecedere tractionem:& tractionẽ chyli ventriculi tamen humorem non nisi prius chylo digesto,ac demisso absumi,si quidem interim dum adest,ipsum reparat chylus:post famem vero quæ tristis sensus est,sequitur altera quæ est apud Aristo.appetitus. Putant autem qui Aristo.sequuntur,aut Arist.quoque ipse, famem esse appetitum,quo animal desiderat cibum capere ab extrà. Falluntur autem id extimãtes:nam appetitus aut voluptas, quæ coniunctæ sunt cum potentia cognoscente, non mouent animal nisi ad obiectum cognitum:natura enim cõstat,sensum primum deprehendere id quod sibi obicitur, sub quadam boni ratione, deinde, appetitum idem cupere:sed ventriculi appetitus cum famescit non cõcipit aliquid immediatè, subratione boni, non erit igitur appetitus ad id prosequẽdum. Præterea antequã animal appetat, siue famescat, immediatè præcedit tristis sensus: sed præcedẽte tristi sensu,immediatè insurgit appetitus auersionis, quem appellant appetitum ad fugam,quo animal deliderat fugere causam nocentem, non appetitus prosequutionis. Præterea cognita causa delectante appetitus mouet ad prosequendum: cognita verò causa nocente, appetitus mouet ad fugiẽdum:sed in fame adest sensus rei cõtristantis,& nocentis, nempe suctionis:ergo statim insurget appetitus auersionis & fugę.Cęterum præter hũc appetitum fugæ,qui immediatè tristẽ sensum sequitur,secundo loco & quadantenus ex accidente succedit alter appetitus prosequutionis, qui habet obiectum alimentum extra corpus animalis,aut in ipsius ore. Sed is duplex est,alter in ventriculo, alter in sensibus internis, nempe cogitandi, siue æstimandi vi:vterque tamen finitur in obiectum cognitum in ratione boni. Qui enim in æstimatione excitatur,sequitur cognitionem alimẽti præsentis, aut etiam absentis,cuius similitudo præest in memoria: qui enim cibum delectantem & proficientem aliquando agnouit,rursus præsente tristitia in ventriculo & appetitu auersionis à praua & contristante causa appetit, & desiderat cibum, vt bonum,quod beluis quoque commune est,quas videmus ad præsepe accedere alimenti disquirendi gratia, cum contristantur & sentiunt suctionem in ventre.Est & alter appetitus prosequutionis in vẽtriculo excitatus, cognito obiecto conueniẽti,delectante,& boni speciem referente:verùm cùm ventriculus res absentes non agnoscat, tunc tantum is mouetur ad cibum appetendum, cùm ipsum habet præsentem,ore ipsum degustante,communi illa membrana quæ à ventriculo in os sternitur: quod enim delectãs agnoscit,id prosequi cupit. Ac perinde id maximè decet considerare, infantes nuper natos vnicum tantum habere appetitum auersionis,qui sequitur tristem sensum: ex duobus autem prosequutionis dictis nullũ.Quoniam qui in potentia interius sentiẽte consistit, præ cognitione obiecti,aut præsentis, aut absentis: neutrum autem illis: adest antequam cibos ore degustent. Qua propter obstetrices infantibus nuper natis mel ori lingendũ offerunt,vt præsente obiecto,appetitus trahendi ac prosequendi ipsum excitetur in ventriculo.Cùm itaque solum appetitum fugæ habeant, alterum prosequutionis adiungunt. In his verò, qui magis rationis compotes sunt, duo appetitus accedent prosequutionis: alter in vẽtre ortus inter degustandũ alter in æstimatione, ex vtilis ratiocinio natus: absentis cibi appetitus dicetur carentiæ, & præsentis complacentiæ. At verò siue fames tristis sensus sit, siue appetitus auersionis, an naturalis sit animali, vel præter naturã non omnes vnanimes inuenio medicos. Qua in re quidam dixerunt famem esse naturalem quẽdam sensum, sine appetitum: quoniam nobis omnino secũdum naturam habentibus aduenit. Naturale præterea est animalibus impleri intra terminosquosdã,& intra statutos terminos inaniri: cùm igitur intra eos permanserint, secundum naturã eosdem se habere dicemus:talis dispositio est,per quã fames animali aduenit. Contrarium sentiunt alij, dispositionem eam per quam fame vexantur animalia, præter naturam appellantes, ea potissimum ratione,quòd quæ indicant sui ablationẽ,ea sunt

Fames non est appetitus prosecutionis.

Fames an naturalis sit.

præt

præter naturam:sed fames indicat sui ablationem, est ergo præter naturam. At nos cum Galeno dicemus eam dispositionem esse non ex toto secundum naturam,neque omnino præter naturam:quadantenus enim præter naturam est,quatenus abiicienda:secundum naturam vero,quod sanis eueniat, neque eos à sanitatis limitibus deducat.Gal.namque lib.4.de simpli. me.fa. cap.9.inquit:Quando nimirum neque ad cibos accedimus planè secundum naturam affecti,& subiungit,Quoniam eorum qui cibum desiderant, corpus inanitum esse oportet.Id vero corpus quod inanitum est, repleri, siue reficiexpostulat, non omnino secundum naturā se habet. Non est etiam præter naturam quod sanis & secundum naturam se habētibus,aduenit. Nec etiam in præsenti prætermittendum duximus,an venter bene valēs ac temperatus appetat similia, distemperatus verò contraria,quod Gale.lib. artis medicinalis dixit. Id enim non parum conducet ad notitiam eorum alimentorum, quæ temperatis, aut aliis sunt offerenda. Non tamen videtur tuta Gal.sententia: nam omnes ventres appetunt capos,& gallinas, & perdices, interim dum valent: sed tamen non omnes sunt vnius temperaturę,Præterea ventriculus adhuc ægrotans cibos appetit sibi familiares,& assuetos in sanitate: non igitur contrarios. Præterea lactu cæ frigid[illegible] sunt,& ab omnibus ferè appetuntur valentibus,sed non sunt omnibus similes. Præterea ventriculus famescens nō omnino secundum naturam se habet,ea ergo ratione exposcet contraria: quoniam verò naturalem temperaturam non amisit, appetet similia, simul igitur appetet similia & contraria,aut dicat Gal.qui appetitus vincet. Præterea si ventriculus calidus calida intemperie laboret,ob eam appetet frigida,ob naturalem verò calida: difficilè tamen videtur, aut omnino fieri non potest, vt contraria quis simul appetat.Primum itaque aduertendum Galen.lib.artis me.capi. 63.non dixisse ventriculum omnem à naturali statu discedentem appetere contraria, sed eum tantùm qui morbi ratione discedit. Nam qui intra sanitatis limites adhuc manet,naturalem sequitur appetitum,quo sibi similia exposcit,similia inquam naturali suæ temperaturæ, non lapsæ dispositioni, etiam si labatur. Veluti si venter temperatus parum discedat à sua naturali temperie, aut famis ratione, aut aduentu cuiusuis nouæ quantitatis intra sanitatis limites, nullum horum appetitum auertet:ab his quæ sibi secundum naturam sunt & pristino statui similia:tum quoniam partem dissolutæ parti similem reponere cupit,tum quoniam quæ talia sunt,aliquam habent cum lapsu contrarietatem, ac perinde quodammodo ipsam propellent, qua ratione contraria dicentur, & si morbosus affectus non sit, veluti, si venter natura cali. ad frigid. intra sanitatis limites labatur: calida nanque appetet. Vbi tamen ventriculus præter naturam afficiatur morbi ratione,contraria appetet, quibus ab ea releuetur affectione.Hæc autem omnia de naturali ventriculi appetitu sunt intelligenda:nam apperitu animali, singula appetuntur, quæ delectant & gustui grata sunt,atque ea ratione,sani, & ægrotantes eos appetimus cibos, qui dulces sunt & grati & quibus insueuimus: Naturali verò, refectionem tantùm,& attemperamentum appetimus. Quandiu quidem bene valemus refectionem, quæ præter id quòd corpus restituit ad pristinum habitum à famis & inopiæ noxa releuat. Attemperamentum tamen desiderant qui ægrotant ex distemperie, siquidem natura omnia appetunt se conseruare & aliena & præter naturam propellere, id verò in morbis fit contrariorum adhibitione. Interim nanque dum ægrotant homines, morbosa dispositio vrget ac cogit ad curationem. Qui itaq; famescunt aut inaniti tantum sunt, aut præterea alterati, inaniti impleri tantùm desiderant,quod similibus fit. Qui verò præter id alterati quoque sunt,non tantùm impleri,sed alterari etiam desiderāt,quod per cibos contrarios fiet,vbi distemperies fuerit morbosa:vbi verò nō,satisfacient, quæ per naturalem temperiem fuerint ventri similia quæ paruos lapsus abundè alterabunt. Id voluit Gal.lib.4.de simpli.me.facul.capit.9.dicens: Solum enim

Venter bene valens simil.a egrotans cōtraria appetit.

corpus eorum qui cibum desiderant, inanitum sit oportet, si exactè futuri sint familiaris ipsorũ qualitatis cognitores. Nam si præter id calidiores quàm conueniat, aut frigidiores euaserint, seu toto corpore, seu attinẽtibus ad linguam ac ventrem locis: non solùm quæ nutriant, verùm etiam, quæ refrigerent aut calefaciunt expostulabunt. Hęc & similia eodem cap. habentur, quibus docet ventrem inanitum, replere & alteratum mutare. Mutuatio verò omnis contrariis fit, hæc igitur erunt, quæ ab eis expetentur, interim dum aliena & morbosa affectione molestantur. Sed obstreperet aliquis: nam Gal. in præhabita sententia, inanita corpora præterea etiam calefacta, quæ refrigerant expostulare dicit, calidus igitur natura ventriculus, superincalescens, nondũ tamen ægrotans, frigidũ exposcit. Ad hoc dicemus, quod si calidus ille lapsus factus fuerit, naturalis erit, & ei similia appetentur: si verò adhuc fuerit fiens, calida expetentur, quæ naturali dispositioni similia sint, & lapsu remissiora, per hæc autem, natiua dispositio seruabitur, & aduentitia attemperabitur. Sic etiam vbi lapsus ad contrarium intra sanitatis limites fuerit, non tamen factus, venter similia naturali factæ temperaturæ appetet, nam & per hæc attemperabitur venter abũdè. Neque ea quæ suprà adduximus præfatam sententiam subuertere valent. Quòd enim capos, gallinas, lactucas & similia quibus assueuimus appetimus, adhuc ægrotantes, nihil refert, is enim animalis est appetitus, non naturalis, de quo loquimur. Præter id quod siue sani simus, siue ægri, cùm famescimus, refectione egemus: verùm nihil aliud quàm dulce alere potest, id igitur ab omnibus expetetur. Quòd rursus ventriculus famescens non omnino secundum naturam se habeat, nihil refert: ea enim non est morbosa dispositio, sed naturalis, & sana, per quam similia appeti diximus. Facilè quoque soluitur quod retulimus, vbi calidus calida intemperie laboret. Is enim contraria appetet morbo, quod verò contraria sint naturali temperaturæ, nihil refert. dum enim venter ægrotat, morbi sequitur exigentiam, tanquam vrgentis, naturali temperatura posthabita. Erunt autem frigida quæ expetuntur à prædicto ventre, minùs frigida quàm si frigidus ventriculus calido laboraret morbo. Sed id latius disputandum ad alium locum relinquimus, vbi calido & frigido pariter febricitantibus, cui conducant frigidiora, dicemus.

Cibi oportunitas.

Cùm itaque hominem fame tentari necessum sit, ea erit ciborum adhibendorum oportunitas, ante id enim bene valentibus indicium est, in ventre cibum contineri, aut in venis atque perinde à membris tractionem non fieri, neque membrorum factam fuisse absumptionem: coctis itaque cibis atque digestis,

Ciborum quantitas.

& congrua exercitatione præcedente fames excitatur, & cibi adest oportunitas. Succedit autem fames alimento in ventre & venis digesto ac dissoluto: accedente tamen homine ad cibum assumendum, quantum ingerere cibum expediat, non satis cognitum est: quidam enim putant ad mensuram famis cibi copiam respondere debere, quidam à mensa discedendum cum reliquiis famis, vt natura semper superior euadat. Verùm diuersa admodum est ventriculorum temperatura, & hominum viuendi modus. Ex ventriculi temperatura vt Gal. quoq; docuit lib. artis medici, calidior minùs appetit, quẽ superare possit, frigidior magis appetit, quàm superet: temperatus in vtraque re commensuratus est. Præterea alimenti iam in ventre superata à quibusdam non superantur in venis & iecore, aut ob defectum naturalis facultatis, aut ob viuendi modum. Qui enim in ocio degunt, minùs digerunt & dissoluunt: qui exercentur magis. Iam igitur si quis aut temperatus sit, aut temperamento proximus, & omnia membra proportionem eam seruauerint, & in vitæ instituto modum seruet, cibum antè quàm in famem incidat, non accipiet: deinde tantum cibi ingeret, quantum appetit: id enim in ventre & venis probè superabit, & excrementa secernet. Qui verò vẽtriculum habuerit frigidiorem, paulò minus accipiet, quoniam magis appetit quàm pro ratione caloris. Si verò fuerit calidior venter, cibum accipiet quantum appetet, interim dum bene

valet,

Digitized by Google

valet,nec valde ad calorem labitur: commodius enim est paulùm excedere calorem cibi mensuram, quàm in periculum incidere cruditatis, ob caloris defectum. Præterea in his qui studio literarum incumbunt, & omnino qui aut non exercentur abundè, aut id quidem intempestiuè, citra debitam ventriculo ciborum quantitatem accipere commodius est. Eis tamen qui validius exercentur,cibum appetitui adæquare, vel in frigidis ipsis ventris temperaturis,non est à ratione alienum, nedum in calidis,in quibus minor est appetitus,coquendi facultate:minuit namque appetitum calor,libro primo,de Causis Sympto.capitulo septimo, apud Galenum. Quòd si quis in ciborum quantitate modum excesserit in non paucas incidet noxas:nempe cruditates,ventriculi dolores,ructus,nauseas,vomitus, iecoris obstructiones,febres putredinis,ingenij hebetudinem, memoriæ labem, virium omnium langorem, ad finem,renum lapides atque veticæ, & articulorum dolores. Hæc est ciborum quantitas quam impartiri decet,in diuersis ætatibus, temperaturis,habitibus & anni temporibus diuersimode,dicente Hippocra. prima sectio. Aphorismo. Et quibus semel aut bis, aut amplius, aut minùs, aut secundum partem: condonandum verò est aliquid tempori, horæ, regioni, ætati, & consuetudini, Pueri namque sæpius comedere debent,quoniam eorum ventres non possunt multum semel superare, quo tamen ad nutritionem & augmentum opus habent. Postremi verò senes pariter, quoniam vires habent languidas, quæ copiosum non superant cibum,partitione ipsius egent,mediæ ætates medio modo se habent. Senes tamen medij, propriè sic appellati, maximè omnium famen,& inediam ferunt,ex Hippocr. Ex temperaturis præterea calidæ, facilè famis tolerantia delinquunt animo & exoluuntur:sæpe igitur alendi,maximè in quibus bilis in ventrem cursus timetur. Frigidæ verò temperaturæ diutius famem tolerat,tum quòd calor minùs celeriter humidum dissoluit, tum quòd pituitosi & crassi humores se offerunt mutandi per famem. Quapropter pituitosis famen adhibere conuenit,quoniam exsiccat,inquit Hippocrat.Apho. 59.sectione septima. Quantum verò ad habitum corporis attinet, graciles & latorum pororum frequentiùs sunt alendi, pingues tamen & augustorum pororum rariùs:ex anni tamen temporibus.Hippocrat.inquit,secunda Aphoris. sectio. Aestate & autumno cibos grauissimè ferunt, hyeme verò facilè, ver secundum locum habet,quod lib.de Victus ratione priuatorum autor seruauit. Hyeme itaque cibus abundè offerendus, sed ratò, ita vt semel multum adhibeatur,erítque cibus siccior & calidior & veluti caro assa: potus verò vinum, idque meratius:vere autem, impartiendus magis est cibus, & vinum dilutum bibendum,& maiori quantitate quàm hyeme. Aestate frequentiùs quàm aliis anni temporibus cibus est adhibendus, & potus dilutior sit, & maiori quantitate, carnes verò elixæ erunt: autumno paulò maiorem, quàm æstate cibi quantitatem offerre licet, & vinum adhuc meracius, & quantitate minus. In omnibus tamen ætatibus, temporibus & reliquis, consuetudo magnopere seruanda,apud Hippocra.libro secundo,de Ratione vict.acutorum.Qui enim bis comedere assueuit, si prandere dimiserit, inflammabitur, & bilis in eius ventre augebitur, & excrementa omnia mordentia fient, & vrina flauescet. Notum etiam est quàm ægrè ferant sani homines, qui ientaculum accipere solent, ieiunium,aut eiusdem ablationem. Præterea autore Hippocrat.lib.secundo,de Rat.vict.acu.Qui prandere assueuerunt, si prãsi non fuerint, deinde cœnauerunt, ventris prauitatem patientur,& malè cubabunt. Qui verò cœnare assueuerunt,vbi non cœnauerint,sequenti nocte non dormient, & manè sequentis diei languidi à lecto resurgunt, & inualidi, & suspensis visceribus. Assueuerunt autem Arabes bis tantum comedere in tribus diebus, Græci bis in singulis diebus:Hispani ferè omnes adultę ętatis,bis in die comedunt,iuxta meridiem, & rursus septem, aut octo horis transactis. Celsus quoque Latinorum retulit vsum dicens libro primo, capit. primo. Bis die potiùs quàm semel

Cibus modum excedẽs quæ mala affert.

Cibus quoties in die exhibẽdus.

cibum capere,& ſemper quam plurimum,dummodo hunc coquāt.Sed qui aut laboribus corpora fatigant, aut pueri, aut ſenes, aut ex fœminis quàm plures, ientaculum accipiunt ſummo mane, & quidam ex eis quinta à meridie hora paruam refectionem ex fructibus, aut oleribus: ſunt etiam nonnulli qui hyemis tempore ventriculi calefaciendi gratia, aut ne à frigore & aëre ambientis occupetur,ſummo mane,parum panis toſti ex vino meraco accipiant, quidam oui vitellum, quidam conditum aliquod:ſed hæc iam præſeruationis potius ſunt,& hominibus aut non admodum valentibus, aut ægrotaturis debentur.Sanis verò ſimpliciter, quibus etiam ſanitatis cuſtodia propriè debetur, interim dum valent,conſuetudo eſt ſeruanda,in numero refectionum: ab initio verò probè inſtituendi ſunt,natura tamen ciborum & quantitas pro ætate, & omni tempore varianda, vti diximus. Licebit quoque ſenſim pro ætatum mutatione refectionum numerum mutare, & pro mutatione temporum, ſed id minùs.Cùm verò prandere atque cœnare aſſueuerint omnes ferè homines in ſanitatis conſeruatione,an cœna prandio plenior eſſe debeat, dubium fuit apud Iuniores medicos,quidam dixerunt,prandium maius eſſe debere, ſiquidem interdiu calor natiuus à calore ſolis iuuatur ad ciborum coctionem: rurſus exercitandi cibo egent,vt ad labores valeant: ſed interdiu vigilātes exercentur, tunc igitur cibo egent copioſiore. Præterea exercitatione alimenta facilè digeruntur: ergo interdiu copioſior competit cibus. Contrarium alij ſenſernnt,maiorem debere eſſe cœnam comprobantes, quoniam in ſomno coctiones meliores fiunt in ventre ac corpore toto id dicente Galen. libro primo,de Cauſis ſymp.Tum etiam quòd per ſomnum cibus optimè concoquitur,non ſolùm in ventriculo, verùm etiam per vniuerſi corporis habitum, & libro tertio,de Cauſis pul.eiuſdem rei cauſam adhibet, dicens: Facultas concoctrix ſe intrò recipit magis & in altum,& lib.6.de Mor. pop.parte 4. inquit Hippoc. Planè vigilans exteriùs calidior, frigidior circa interiora. Rurſus 6. de Mor.popu.parte quinta.inquit, Sanguis in ſomno ad interiora magis refugit,in ſomno ergo coctiones meliores fient, cùm coctio calore perficiatur, & ſanguis calidus ſit,natiuo calore.Præterea libro ſexto,de Mor.po.par.quinta. inquit, Labor articulis & carnibus, cibus & ſomnus viſceribus prodeſt. Cùm igitur coctiones ciborum in viſceribus perficientur primò, ſomnus coctionibus proficiet.Nos verò in huius dubij ſolutione primum excludamus corporis non naturales atque morboſos affectus, ſiquidem conſtat eorum ratione non parum variari debere ſanitatis tuendæ methodum, præter id quòd qui tales ſunt præſeruatione potius,aut curatione, quam conſeruatione egent: Qui itaque catarro,aut quouis capitis morbo ex plenitudine laborat,à cœnis plenioribus abſtinere debet, in ſomno enim vapor alimenti caput implet, valde verò,poſt copioſas cœnas. Præterea ſi à ventriculo non facilè cibus deſcendat,aut propter obſtructionem,aut propter natiuā meatuum anguſtiam, Prandium cœna maius eſſe decet: nam in vigilia moto corpore facilius cibus deſcendet & in ſomno difficilius,inde verò vētrem grauauit. Dubium tamen eſt in ſanis hominibus nulla parte manifeſtè læſis,quos tales ſeruare propoſuit medicus, vbi totum alimentum ſit cœnæ & prandio impertiendum, an expediat augere cœnam diminuto prandio vel diminuere cœnam, aucto prandio. Nam diuerſa quæſtio eſſet,vbi quis modū excedere deberet: expediret enim id hora prandij facere:nam poſtea exercitatione & abſtinentia à cœna,abundantiam emendare poſſet,& minùs grauaretur. Dubiū ergo erit decēti quantitate ſeruata,an deceat cœnam eſſe maiorem. Qua in re vt in aliis omnibus cum Hip.admonemus conſuetudinē ſeruandā eſſe, niſi quis ſenſim in meliorē ipſam mutare voluerit,aut ab initio puerū inſtituendū ſuſceperit, à tempore quo primū nuces reliquit. Quòd ſi is,cuius ſanitatem cuſtodire eſt in animo, in omnibus medicinæ præcepta ſeruauerit,ita vt opportunè exercitetur,& ſe ad ſomnum recipiat, cœna pleniore vtatur oportet: prandio verò minore:

Cœna an eſſe debeat maior prandio.

nam

nam cibum copiosum breui tempore non superabit, ac digeret natura ventriculi, Breue autem est tempus inter prandium & cœnam, nempe in hominum consuetudine septem, aut octo horarum: à cœna verò in prandium diei sequentis decem & sex intersunt horæ. Rursus completa coctione alimenti in ventre & iecore exerceri conuenit: magna verò cibi copia assumpta, non intererit tempus coctioni, distributioni, & exercitationi opportunum, à prãdio in cœnam: non igitur expedit plus prandere, quàm cœnare: spacium enim à cœna in prandium sequentis diei omnibus dictis perficiendis satisfacit. Præterea quoniam cùm coctiones melius perficiantur in somno, tunc quoque copiosior cibus superabitur. Comprobat hanc sententiam Gale. lib. 7. de Metho. med. cibum leuiorem in prandio assumere monens, vt concoquatur celerrimè, excrementum descendat, & purus venter sequentem cibum excipiat, comprobat id, quoniam somnus, quies & longius tempus cœnam sequuntur, coctiones iuuantia & perficiẽtia. Confirmat idem athletarum experimento, quos dicit id aliqua ratione & longo experimento inuenisse. Quamobrem in sanis, nonobstãte consuetudine, cœnam pleniorem esse debere monemus. Id quoque sententiæ citatæ ex Hippocrat. & Galen. manifestè comprobant. Verùm hac nostra tempestate cùm homines nullam viuendi rationẽ seruent, sed solo appetitui, seruire velint, plenius prandent quàm cœnent. Hora namq; meridiana cum ad prandendum accedunt, longè à cœna præcedentis noctis, omnino perfecta coctione, & vacuo ventre, maiori fame premuntur, quàm cùm ad cœnam se conuertunt: volentes itaque fami satisfacere maiori, prandent pleniùs, parciùs verò ob minorem famem cœnant, cui faciliùs satisfaciunt: non enim concitatur magna ante cœnam, cùm paucum sit à prandio interuallum. Atque hæc est causa, ob quam homines nostri æui ordinem pertentes pleniùs prandent, & parciùs cœnant. Neque obstant quæ in contrarium aduximus: nam calor solis non adiuuat coctionem ventriculi, sed distrahit eius calorem. Præterea exercitati cibo egent, non tamen dum exercentur, sed pòst, quod maximè in cœna fit. Rursus ex exercitatione alimenta distribuuntur, sed aliquando intempestiuè & ante coctionem. Quantitas igitur in cœna opportuniùs augetur, nam & quę coquuntur quiete egent. In vnica præterea mensa pluribus vti cibis in hominum est consuetudine non sine magno salutis dispendio. Licet quidem panem reliquis alimentis miscere, quoniam, vt suprà diximus, panis est materia alimentosa, vt cera aut oleum materia medicamentosa: & quemadmodum ceram omnibus ferè sine noxa miscemus vnguentis, ita & panem omnibus alimentis, vti carnibus, piscibus, leguminibus, fructibus & oleribus: at miscere legumina carnibus, aut has piscibus, aut omnia hæc eadem mensa malum est. Ex alimentis enim quædam sunt pituitosæ, quædam biliosæ aut alterius naturæ: quædam etiam ex eis citò & quædam tardè coquuntur, ita vt coctum crudo misceatur. Quòd si retineantur ampliùs, id quod coctum est corrumpetur, & putrefiet non gubernatum à natura: quòd si venter expellere eadem tentet, crudum cocto mixtum expelletur, ac per intestina deducetur, aut ad iecur etiã ipsum: inde verò neque annumerari quidem possent, qui oriuntur morbi. Corriget autem hęc ordo qui à nobis tradetur, licet non omnino. Hac de causa pariter peccant, qui plurimum immorantur prandentes, aut cœnantes: quoniam interim dum postrema alimenta mensæ apponuntur, priora sunt propè cocta. Verùm cùm hęc vitare quæ ad ciborum diuersitatem attinent, hac ætate sit difficile, ac penè impossibile, decet ordinem perscribere, quo vti expediat in diuersorum alimentorum vsu, in eadem mensa. Quidam enim voluernut, anteponenda esse alimenta quæ difficilè coquuntur, eis quæ facile: quoniam venter magis calidus est in fundo, ea parte qua carnosior, & iecori propior: tali igitur ordine alimenta erunt ingerenda, vt æquo tempore omnia coquantur, ne crudum cocto misceatur, id verò fiet, vbi quod difficiliùs coquitur antecedat, & imam

Quare plenius quidã prandent.

Ciborum diuersitas.

Alimentorum diuersorum ordo assumptionis.

ventris partẽ, quæ calidior eſt præoccupet: quod verò faciliùs coquitur, ſuperiorem, & minus calidã. Quidam contrarium aſſerunt, oportere dicentes, alimenta ea primo loco aſſumere, quæ faciliùs coquuntur, vt cocta deſcendant, & reliqua deinde coquantur: nam ſi ea antecedant quæ difficiliùs coquuntur, ea quæ facilius coquuntur interim ſuperata & cocta non deſcendent, inferioribus nondum coctis, lucque inde ſequentur noxæ: prima quòd coctum crudo miſcebitur, ſecunda quoniam retentum quod iam coctum eſt, corrumpitur, non gubernatum à natura. Alij verò medio quodam modo reſpondent, diſtinguentes: nam ſi parum intereſt, inter alimenta, ita vt facilitate coctionis non longè ſuperentur, & ſuperent, eaquæ difficilius coquuntur antecedere debẽt, reliqua ſubſequi, vt pari temporis interuallo à partibus ventris differentibus ſuperentur. Quòd ſi magna interſit, expediet ea præcedere quæ facilius coquuntur, vt cocta citius, ſtatim deſcendant, neque abaliis impediantur, aut eiſdem miſceantur, & confundantur. Nos verò ad euidentem veritatis aſſequutionem & perſpicuam doctrinam, hac vtemur diſtinctione, Alimenta quędam liquidam habent ſubſtantiam, quædam ſolidam, & ex ſolidis quædam citiùs, quædam tardiùs ſuperantur à calore ventriculi: ventriculus autem non habet in partibus ſuprema, & infima parem calorem: ſiquidem infima craſsior eſt & carnoſior & iecori propius ſita. Vbi alimenta eam habent differentiam vt quædam liquida ſint, tenuis ſubſtantiæ, quædam ſolida, ſi ingerantur ſimul, nihil omnino refert, ſiue præcedant liquida, ſiue ſequantur. Exemplum eſt ius carnis & caro, ſiquis hæc duo eadem menſa accipere debeat, nihil refert ius antecedere aut ſubſequi: nam ſi antecedat, aduenientе carne facilè inuicem miſcentur, & in vnam deducũtur ſubſtantiam, maſticata ac comminuta prius carne: quod in externis rebus conſpicimus. Si namq; in vas fundas ius aut aquam, deinde comminutam carnem, ſtatim caro, ius imbibet, nedum in ventre, vbi calor comminuens hæc eadem commiſcere ſolet. Si verò caro præcedat, ſequatur tamen ius, totam carnis ſubſtantiam ius peruadet, cui adamuſim commiſcebitur: ea eſt ratio ob quam ſine manifeſta noxa, quidam ante, quidam poſt ius ingerunt, & potum (quamuis liquida ſubſtantia ſit) cum cibis, & poſt cibos accipimus. Quòd ſi alimenta ſolida fuerint, ſed diſparis naturæ, aut liquida, ſed craſſæ ſubſtantiæ, vti fercula quæ facilius coquuntur præire debent, ſubſequi verò reliqua, quod Galen. docuit lib. 2. de Alimen. facultatibus. cap. de perſicis, dicens: quia & huius communis edicti meminiſſe oportet, videlicet, omnia cibaria prauum ſuccum cum humiditate obtinentia, ex facili deſcendere, eóque prima menſa eſſe aſſumenda. Rurſus lib. 3. de Ratione vict. acu. commen. 22. inquit. Nam perpetuò priùs ingerenda ſunt, quæ & faciliùs corrumpuntur, & quæ ſubducuntur magis: ſed & ratio valida hanc comprobat ſententiam. Cùm enim alimentum quod facilè coquitur, præaſſumitur, priùs coquitur ac deſcendit, deinde aliud ſequitur, quod eò diutius immoratur, quò longiori tempore eget ad coctionem. Non enim coctum alimentũ in ventre momento temporis deſcendit, ſed quod ſuperiori parte continetur, tardiùs: decet igitur id tardiùs coqui, vti tardiùs deſcendit, vt diu retentum perficiatur, & tam id quod facilè, quàm id quod difficilè coquitur, parum à completa coctione deſcendat. Vbi verò vnum tantùm alimentum aſſumatur, quemadmodum pars ſuperior tardiùs coquetur, ita magis immorabitur, donec perficiatur. Ex his excluditur opinio dicentium, quòd ſi pari interuallo diſtent ciborum naturæ, cum caloribus partium ventris, is qui magis reluctatur coctioni antecedere debet, vt vno tempore omnino coquantur, nam inde fieret vt totum alimentum in breuiſsimo tempore deſcenderet, aut ſuperior pars corrumperetur. Primum autem non fit, quoniam quiuis facilè agnoſcet, plus quàm duarum horarum tempore, ventrem onus in inteſtina deponere, quo tempore leuior ſenſim redditur venter. Secundum igitur, id eſt alimentum in ventre corrumpi, accidet, ſi duarum horarum ſpacio co-

ctum

ctum retineatur in ventre. Excluditur quoque aliorum placitum, qui dixerũt, alimenta tardioris coctionis antecedere debere, eadem, ac validiori ratione. Quoniam autem ex alimentis quædam liquida sunt, quædam solida: scire oportet assumptis liquidis alimentis non conuenire potum, nisi vbi ipsa essent valde calida, aut acria & medicamentosa: tunc enim aquam desuper bibere conueniret ad attemperandum alimenti calorem, aut vinum ad attemperandum frigiditatem, si frigida essent. Quòd si alimenta solida fuerint, assueuerũt homines bibere aquam aut vinum, inter comedendum: quidam verò post cibum totum ingestum, nonnulli quoque ante cibum siue ieiunio ventre, quidam etiam post cibum, & quidam pauco, quidam multo transacto tempore, de quibus omnibus quæ sanitatis magis conducunt breui referamus. Potus quidam exhibetur veluti medicamentum, quandoque verò in sanitatis conseruatione, & hic duplex, aut commixtiuus, aut delatiuus ciborum. Quando potus medicamentosus est, licet eo vti adhuc ieiuno ventre: si enim quis calidam ventris intemperiem patiatur & ea ratione siti vexetur valida, aquæ frigidæ potus ei foret ex vsu, veluti si frigida intemperie laboraret, vini potus adhuc meracioris prodesset. Aliàs tamen ieiuni bibere non debent: nam aquæ potus immodicè refrigerabit, nudum ventrem, & calorem pauxillum membranosæ partis extinguet, & humectatione laxabitur. Vini tamen potus validè calefaciet, & exsiccabit, sanguinem vret, & caput ac neruos feriet validè. Commixtiuus tamen potus à quibusdam sumitur toto iam ingesto cibo, quod non laudo, sicuti neque bis tantùm bibere in splendida mensa: potus namque qui ad ciborum commixtionem bibitur, prodest quoque ad eorundem cliquationem: meliùs tamen miscentur & cliquantur, vbi sæpius bibatur, quàm vbi semel, aut rarò. Præterea si potus quantitas (vt par est) quantitati alimentorum respondere debet, qui copiosum assumit alimentum, copioso egebit potu: sed potus calidus aut tepidus, nulli sano homini conuenit: erit igitur frigidus ac copiosus, is tamen omnino refrigerabit plus quàm deceat, & cibos ipsos obdurabit, & eorum coctionem impediet, aut remorabitur. Faciet quoque eorundem cibos in ventre natare, & eidem minimè hærere, quod ad coctionem est necessarium, eosdem quoque nonnunquam ex ventre præcipitat. Vt igitur frigidus vini, aut aquæ potus non noceat, ipsum impartiri opus erit, & sæpius pro ratione quantitatis ciborum ipsum repetere, quantitate tamen iusta non variata. Ego quidem sic bibendum elegi, si duo tantum diuersa alimenta in vna mensa accipio, bis tantummodo bibo, si tria, ter, & semper numero alimentorum respondet potus, nunquam tamen variata quantitate, sed ea quæ ingestorum copia respondet omnibus impartita. Nam hic bibendi modus præter id quòd exactè comminuit & miscet alimenta, os, palatum, & linguam abluit à præcedentis alimenti qualitate, vt sequens melius degustent. Hæc verò rarò mihi se offerunt, nõ enim amo aut opiparas cœnas, aut ciborum diuersitatem: quamuis nonnunquam id facere coactus sim precibus amicorum victus. Est quoque alter vsus, vel maximus, eius potus qui cum cibis sumitur, nempe eorum elixatio: ventriculus namque cibos elixat, quod facere nequit, nisi abundante liquore, vt deinde totus cibus liquatus & elixus digeratur per ventrem imum, & venas, quas lactes appellant. Potum alium delatiuum nominant, quoniam ad deferendum alimentum bibitur. Hoc tamen non egent omnes, sed hi tantùm in quorum ventribus non facilè permeat, descendit, & digeritur cibus. Alij nanque eo non egent, aut quoniam abundè liquatus est cibus, & ea ratione liquore non indiget, aut quoniam cibus ipse aliàs liquidæ erat naturæ, aut quoniam corpori adsunt satis ampli meatus, aut ob facultatis expultricis ventriculi robur, atque attractionis iecoris, aut ob hæc omnia. Quibus verò contrariæ adsunt causæ: potu delatiuo erit opus, quo veluti fluenta quadam deducatur cibus: Neque tamen licet quauis hora eo vti, sed post integram atq; perfectam coctionem, ne crudus cibus deferatur in iecur. Perfecta autem

Potus quo tempore sumendus.

Potus delatiuus.

autẽ coctio intelligitur sexta a cibo hora, aut septima, & in summa vbi, ructu quopiam superueniente, is nullam ciborum qualitatem refert: quo tempore si grauitatem quampiam senserit, aut siti moleste tur, opportunè bibet. Damnamus verò medicorum consilium & vulgi vsum, qui quoties delatiuo potu opus habere credunt, conditum aliquod præsumunt, veluti rosaceum saccharum æstiuo tempore, aut pirum, aut pomum, aut recens, aut melle, aut saccharo conditum: manifestè enim errant. Si nanque potus hic delatiuus est, cibi deferendi gratia sumitur, defert igitur is secum & conditum, aut pirum, nec superatum in ventre, nec integrè calefactum: quòd si ipsum non deferat, neq; cibum defert, quod facere conabantur. Deferri autem conditum, aut pirum, aut pomum celerrimè & ante coctionem, ac misceri cum reliquo cibo cocto, valde nocuum est. Ab hac ergo consuetudine, quæ apud medicos & reliquos homines inualuit, recedendum præcipimus. Præterea an expediat mentas claudere potu, an cibo, scire oportet eum, cuius os ventris laxum est, aut cuius caput ex vini potu compatitur, egere cibo quopiam adstringente postremo loco, quem non sequetur potus. Quorum autem venter siccus est, aut siti molestantur, non longè à cibo, bibere debent, sed parum ad finem mensæ: sic etiam eis quibus nulla praua adest ventriculi affectio, conuenit finito prandio aut cœna, parum vini, si ita assueuerint, sumere, vt postremus ille cibus è gula descendat, liquetur, & commiscetur aliis cibi partibus: alius verò eque similis potus cõueniet: deinde os & dentes vino colluere omnibus erit ex vsu: diluatur, si capitis malis tentantur, aliàs non.

Medicorum consilium damnatur.

An potus dapsi claudere debeat.

DE SOMNO ET VIGILIA, SECTIO IIII.

AB Exercitatione cibum accipere præcipimus, post cibum verò ad somnum conuerti salutare est, dicente Hipp. Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia moderata. Cæterùm, quemadmodum diximus, nõ statim ab exercitatione cibum esse sumendum, sed prius turbatione sedata, ita modò dormiendum non est statim à cibo, sed pauco quodam interiecto tempore, per quod leui motu deambulationéve vti decet, vt cibus ad inferiorem ventriculi partem descendat. Aliàs fiet vt cibus supernatet, tardiùs descendat & coquatur, vapor autem tum multus tum crassus ascendat, deinde verò ingenij sequatur iactura, & memoriæ labes. Somno tamen opportunè accepto, animal à laboribus requiescit & coctiones alimentorum melius perficiuntur, dicente Hippo. 6. de Mor. pop. par. 5. Labor articulis & carnibus, cibus & somnus visceribus. Viscera si quidem roborantur: è quorum numero ventriculus est, qui calidior redditur per somnum, per vigiliam frigidior, teste Hippo. lib. 6. de Mor. pop. par. 4. dicentè: Planè vigilans exterius calidior, interius frigidior, dormiens contra. Quòd si venter dormientibus calidior est, coctiones per somnum meliores fient, nec in ventre tantùm, sed in corpore toto: ita fieri verum dixit Galen. lib. 3. de Caulis symp. animalis nanque facul. per somnum ociatur, naturalis tamen validius agit. Colligitur secundum naturam calor per somnum ad coquendos cibos, à quibus vapor ascendit in caput, qui animalis facultatis transitum impedit. Est autem somnus, naturalis impotentia animalis facultatis ad actiones, ob vaporem suauem alimẽti cerebrum irrigantem, vt interim animi vires reparentur, & corpus recreetur: vapor autem is est qui ab alimento eleuatur siue id in ventriculo, siue in iecore & venis contineatur. Nam & posteaquam alimentum ventriculum pertransiuit, somnus naturalis fit: qualis euenit his qui parum noctu dormierunt, dormiant autem summo mane ad tertiam diei partem, siue in morbis, vt apud Hippo. lib. 2. Prog. siue in sanitate, vt experimur, per id autem tempus non adest alimẽtum in ventriculo: sed sanguis qui in venis & iecore continetur vaporem mittit ad cerebrum. Obsteuit quidem is cerebri meatus, quoniam cerebri natiua frigi-

Somnus an per ventriculi calorem.

Somnus.

ditas

ditas eundem incrassat: sequitur autem inde impotentia sentiendi per ea sensibilia quæ modicam vim habent immutandi. Neque interim reliquę internæ facultates sentientes quidpiam agunt, sed omnino ociantur, nisi quando aliqua earum oppressa de visis, aut auditis, aut excogitatis inter vigilandum ratiocinetur, aut componat, ac seiungat eadem, sæpe quidem sine delectu, nonnunquam tamen adeò scitè, vt paulò minùs bene differentem sepræster dormiens, quàm vigilans. De his tamen quæ dormientibus per insomnia accidunt quædam consideranda tradidimus in prima operis parte, interim verò dum animal dormit, animi vires reparantur, cùm tamen iam non sibi tantùm sed & membris omnibus, atque externis sensibus sufficit, calor cum sanguine è viscеribus in membra transfertur, partim transmissus, partim etiam à membris tractus & animalis facultas per neruos demandatur singulis sensibus, per id quoque tempus cerebrum ab obstructione & multitudine vaporum & sanguinis, exoneratur, liberum autem manens vigilat. Per vigiliam autem rursus animalis facultas laborans, in cerebro & sensibus externis dissoluitur, maximè ob spiritus animalis dissolutionē. Quamobrem defatigati vehementioribus exercitationibus & corporis motibus, coguntur dormire, potiùs inopiam animalis spiritus sequentes, quàm alimenti coctionem. Quid igitur dormiunt ne illi sine alimenti vapore, aut sine cerebri occlusione? Non equidem: sed sanguinis vapor, vt diximus, somnum facere valet, cerebro occluso: succurrit autem is agitato corpore, per exercitationes, spiritu pariter validiùs dissoluto: vitalis qui animali materiam præstat: simul cum animali dissoluitur & cerebrum refrigeratur, refrigeratum constringitur, constrictum obstruitur, & inde actiones cessant, quod dormire dicimus. Porrò somnus omnium naturalissimus nocturnus est, post horam à cœna, aut paulò plus, quāuis summo mane dormire sit naturale ad tertiam diei partem. Noctu siquidem frigiditas ad interna impellit calorem, diei verò caliditas & solis lumen, calorem distrahunt & animalem spiritum ad sensuum organa agit. Refrigeratur quoque noctu cerebrum, quod ad sanguinis & vaporum incrassationem est necessarium. Dormire tamen à prandio non expedit: impletur enim vaporibus caput: vnde non rarò fiunt catarrhi, capitis dolores, & anginæ, adhuc his qui à prandio dormire assueuerunt, nedum aliis. Præter id, quòd cùm somnus diuruus non compleat tempus coctionis, cibus fluctuat in ventre eorum cùm à somno excitātur, veluti & aliis quibusq; à somno intēpestiuè expergefactis. Dormiant itaque interdiu à prandio qui assueuerunt, quamuis non laudem eam consuetudinem, reliqui abstineant ab ipsa. intelligo quoque paucissimos esse qui ab eodē abstinere possint ætatis tempore: sed hi neque à somno abstinere valent, nec noxam facilè ferunt. Nocturni verò somni ac naturalis tempus est, spacium quo in ventriculo & iecore coctio alimentorum perficitur, quod distinguere ex vrina docuimus, sectio. secunda huius partis. Verùm cùm actiones non in omnibus pari tempore perficiantur, non erit dormiendi tempus omnibus vnum. Magna autem ex parte in bene valentibus & modicè viuentibus à sexta in octauam horam perficitur, ita vt septem horarum spacium, medius dormiendi terminus sit. Quod verò ab hoc diuersum fuerit, malum est: dicente Hipp. somnus & vigilia vtraq; modo magis facta, malum. Dormiet autem sanus homo toto corpore, brachiis, ac cruribus modicè contractis, magis quidem hyeme ad calorem ventris augendum, minus vere & æstate, capite parum eleuato, ita vt super latus dormiens, caput parem humero superiori seruet altitudinem. Dormiet primùm super dextrum latus, vt coctio ventriculi à calore iecoris adiuuetur, & faciliùs descendat cibus, ad imum ventriculum, & in iecur deducatur: quamuis non satis constet, an iecur ventri suppositum, an suprapositum, ipsum validiùs calefaciat: ignis enim suppositus valentiùs calefacit, & gallina superposita, magis calefacit oua, nisi dixeris, iecur suppositum, quoniam incalescit amplius, calefacere magis.

Fatigati dormire coguntur.

Somnus naturalissimus.

Somnus diurnus.

Somnispacium.

Cubandi modus.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FAC. DE MEDICINA

Ad finem verò somni si se in latus sinistrum conuerterit, non erit malum: leuare enim onus dextri lateris expediet, quibus etiam ventris imbecillitas adest. Non erit à ratione alienum, super ventrem aliquandiu cubare, ad finem coctionis, vt pituita quæ ibidem relinqui solet, tunc superetur, super dorsum autem dormire nullatenus expedit, ab initio enim fluctuabit alimentum in ventre, & ad œsophagum sæpe ascendet, & tardius multo coquetur. Quanta autem mala capiti afferat, quid opus est dicere, vidimus enim apoplexiam hominem ea de causa apprehendisse: quibusdam induxit paralysim, & plures alios neruorum morbos. Cum capitis excrementa quæ secundum naturam per os & nares purgari deberent, ad postremam cerebri partem transferantur, qua parte via nulla purgationis excrementorum adest. Insomnia quoque considerare tam in sanis quàm in ægris philosophi omnes pariter ac medici præcipiunt, non parua accepta ex insomniis coniectura de corporis dispositionibus & Hippocrat. ipse libro sexto de Mor. pop. part. 8. Quæ per somnum accidunt, atque ipsa insomnia perpendenda esse vult. Qui enim sanguinem habent redundantem, res rubeas se videre somniant, & quæ eosdem delectant & sibi grata sunt. Qui melancholiam, lugubria, tristia, & colore nigra. Qui verò bilem flauam aceruarunt, cædes, & bella, ac flauos colores. Sed qui pituitam, fluuios, fontes & aquarum decursus, præsentes habere putant. Qui calidiorem habent ventriculum se bibere somniant: qui seminis reduntiam, fœminarum amplexus, qui inopia premuntur, aut auari sunt, thesaurum inuenisse imaginantur, & quandoque aureos montes. Qui somniat se volare spiritum animalem habet tenuem, & purum: qui verò oppressionem & angustiam somniat, crassos humores habet abundantes, & fumorum copiam, maximè in partibus cerebri, aut thoracis. In summa magna ex parte somnia sunt, de his quæ corpori expediunt, quandoque de his quæ animæ grata sunt, aut de quibus interdiu habuimus mentionem, aut ipsos corporis affectus sequuntur, à quibus excitantur. Nonnulli quoque diuino numine afflati per insomnia multa futura prædixerunt. Quamobrem insomnium dei nuncium finxerunt Pœtæ, dicente Homero, Iliados β. voce insomnij: Διός δ' ἐκ Ζηνὸς ἄγγελος ἐσσί, id est, Iouis namque nuncius sum. Et rursus, καὶ γὰρ Ζηνὸς ὄναρ ἐκ Διός ἐστι. quod est, Et enim insomnium à Ioue est. Sequuntur autem somnum non pauca commoda: siquidem animales facultates reparat, coctiones alimentorum, atque crudorum humorum perficit, curas obliuioni tradit, iracundiam mitigat, dolores omnes sedat, humectat omnia corporis membra (veluti vigilia exsiccat) si post cibos sequatur: post inediam nanque & ciborum inopiam, exsiccat potius. Nocet autem, si longior debito sit, aut intempestiuè adhibeatur: caput enim grauat, mētis hebetudinem, affert, & memoriæ iacturam, incipientibus accessionibus si adhibeatur, longissimas efficit ipsas, & incipientibus inflammationibus viscerum auget cursum humorum: vigilia verò vita animalis est, vt somnus frater mortis. Quod Ouidius sic cecinit.

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Viuunt enim animalia cùm suis funguntur muneribus, & vigilantes in diuinarum rerum contemplatione sumus. Quod fœlicem ab infœlici ita distinguit, vt Aristo. Ethicor. 1. existimarit dormientem omnem infœlicem, & medio totius vitæ curriculo fœlicem, ab infœlici non distingui. Quandoquidem & fœlices ipsi dormientes, ab animi actione virtuti consentanea vacant, in qua fœlicitatem esse sitam asserui: vbi tamen vigilia modum excesserit, vires dissoluit, & deliria affert, & sæpe mortem. Huic malo subuenire decet, per morbos quidem, morbi causa, atque ipso morbo ablato, in sanitate tamen cantilenis, & musicis modulamentis, vbi animus mœrore, aut ira, aut solicitudine capiatur, sicuti & consolatoria verba animum placant. Aquarum quoque murmurium & fontes arte machinatæ, crurum frictio, aut balneum, fomentum capitis ex rosaceo, vapor decocti papaueris capitū, aut mandragore,

lactuc

lactucarum esu, atque piscium, vini dilutioris potus, non validi neque vetusti, coitus moderatus ad idem valet, & pedum refrigeratio æstiuo tempore, mihi ipsi non rarò profuit ad somnum cõciliandum, sicuti & corporeus labor sæpe somnum adducit. Quòd si somnus fuerit iusto maior, caput calefacere decet, in cibis adhibentibus aromatica calefacientia, & condita ex melle & caput per nares atque palatum purgantes, aut aceto mulso gargarizantes, aut aqua mulsa per nares attracta. *Somni remedia.*

DE HIS QVAE EXCERNVNTVR, ET RETINENTVR, SECTIO V.

De vniuersali vacuandi ratione. Cap. I.

QVAE In corpore retineri natura debent, si excernantur, aut si quæ excerni debent, retineantur, non tantùm sanitatem subuertere poterunt, sed multorum generum morbos parere. Quapropter rectè Hippocrat. lib. de Flatibus dixit. Medicina est adpositio, & ablatio: adpositio eorum quæ deficiunt, ablatio eorum quæ excedunt. Adponimus autem per sanitatem & morbos ac demimus, si enim calor intra sanitatis limites iusto maior est, demi debet, si iusto minor, adponi. In his quoque quæ ad compositionem attinent, si aut totum corpus, aut pars aliqua molem debitam excedat minuenda est: si minor debito fuerit, augenda: eadem de excessibus & defectibus morbosis, nota sunt. Porrò quæ de affectibus sanis, aut morbosis diximus, de causis & Symptomatis intelligenda sunt: vbi enim appetitus ventriculi modum excedit, obtundendus venit: vbi verò hebes fuerit, excitandus. In causis præterea, si sanguis iustam quãtitatem excedat, ita vt corpus à sanitate sua in alteram deducat nõ adeò bonã, aut omnino extra sanitatis limites, demendus venit, veluti si ob paucitatem in eosdem lapsus deducat, addendus. Hanc legem seruant quæ excernuntur ac retinentur: vbi enim quod retineri debet, excernetur, aut quod excerni debet, retinetur, corpus à sua sanitate delabetur, aut in alteram, aut funditus extra omnem sanitatem, quibus statim accedunt retentio eorum, quæ excernũtur, & ablatio eorum quæ retinentur, quorum conueniret excretio. Per sanitatem itaque tria sunt excrementorum genera, quæ vbi modum excesserint sanitatem variant, aut valde excedentia morborum causæ fiunt. Eritque communis methodus, qua in sanitate & morbis, genera excrementorum à corpore educentur, aut vbi immodicè educantur, retinenda sunt, cui adiuncta erit refectio, quæ additione eius quod deest, complebitur. Communes præterea viæ sunt euacuandi excrementorum redundantias in sanitate & morbis. Communis quoq; intentio, quæ prophylactice appellatur: in sanitate nanque excrementa euacuantes, præcauemus à futuris morbis: in morbis quoque vitamus quod futurũ est, verùm in sanitate præcautio immixtam habet sanitatis tutelam, in morbis, immixtam habet curationem. Ordiamur autem ab excrementorum generibus, quæ tria sunt, in vna trium regionum corporis. Primum quod in gula, ventriculo, intestinis, mesaraicis venis, & sima iecoris parte continetur, cui annumeratur, quod ex iecore in fellis vesicam reponitur, & quod in lienem. Secundum in gibba iecoris parte contineri solet, & venis caua, & reliquis magnis, & corde atque arteriis. Tertium in ambitu corporis angustioribus venis, quæ musculis & carni inseruntur, & solidis partibus, capite, thorace, pulmone, renibus & vesica, atque eorundem meatibus, vti palato, faucibus, auribus, naribus, gutture, aspera arteria, emulgentibus, & vasis vrinaris. Præterea testibus & vasis seminariis & peritonæo & articulis. Omne autem excrementum quantitate, aut qualitate, aut vtroque peccat: maximè quidem vbi retinetur, quandoque *Medicina.* *Excrementorum genera.* *Excrementorum vitia.*

verò si plus æquo dimanet. Pituita nanque in ventriculo quandoque abundat, quandoque frigidior debito est, quandoque vtraque ratione peccat: sed fit nonnunquam vt desit, ea quæ natura adesse debet. Sic etiam bilis quæ in vesica fellis continetur, quandoque abundantior, quandoq; parcior est, quandoque malam adiungit qualitatem. Pari modo melancholia lienis superabundare, aut deficere potest, aut vitiari. Nullo tamen horum excedente modum, non erunt quidem hæc à corpore excernenda, & si excrementa ab Aristot. dicta sint, lib. 3. de Histo. ani. cap. 2. credit enim omnes humores alios à sanguine excrementa esse, & solum sanguinem contineri in venis, & tantùm sanguinẽ alere: reliquos verò humores non alere, & ea ratione alimenti esse excrementa. Erit igitur pituita ventriculi excrementum, sed vtile, & sine quo sanitas stare non potest, sic & bilis in vesica fellis contenta, & melancholia lienis. Idem de chylo in ventriculo, & meseraicis venis, & de fæcibus intestinorum intelligenda sunt. Horum præterea excrementorum vnumquodque, vbi quãtitate peccet, paulò pòst habet adiunctum vitium, quoniam à natura deseritur & corrumpitur. In gibba iecoris parte & venis maioribus, corde, & arteriis continetur sanguis, alter simplex, atque vnicus humor, cuius naturam parte prima docuimus, quamuis & hic seream partem habeat commixtam. Alter sanguis est ex quatuor humoribus conflatus, nempe puro sanguine, pituita, & vtraque bile, quibus accedunt singula sera, secundum naturam. In his omnibus excessus, atque defectus contingunt: exuberat enim quandoq; sanguis purus, & vnicus humor, quandoque omnes simul & ad portionem: non quidem æqua mensura, sed pari portione, vel aliquo eorum paulò magis excedente reliquis, & hi aut sola quantitate à modo recedunt, aut simul adiungunt excedentem aliquam qualitatem, aut deprauationem, singulas autem ipsorum qualitates simul augeri, foret impossibile, siquidem interim dum in venis coniuncti continentur non poterunt non deprimere suas ipsorum qualitates: non erunt igitur simul bilis calidior, & pituita frigidior, in compositione sanguinis. Nonnunquam verò vnus aut duo, aut tres alij à sanguine augentur, & hi aut sine corruptione & mala qualitate, aut ipsa adiuncta, adiungunt autem ipsam paulò pòst: quoniam cùm modum excedunt, paulò pòst deserũtur à natura à qua minimè gubernantur. Corrumpuntur autem putrescentes, aut supra modum assati, nam & putredo magna, & perseuerans ad finem vrit, quod sanguini ipsi euenit, aut puro, aut ex quatuor humoribus constituto, inter assandum verò sanguis transit in bilem flauam & atram, ab initio putredinis tenuior & pinguis pars transit in flauam bilem, deinde eadem flaua in atram, sicuti & crassa sanguinis pars, quæ in sanguine præfuerat præ assatione transit in atram bilem. Fit quoque eodem corruptionis modo, atque assationis ex pallida bili, flaua, deinde porracea, & æruginea, & nigra in venis minoribus & minutissimis, & carne, & musculis, secundæ humiditates & excrementa, quæ ex alitione partium relinquuntur, continentur. Hęc verò ex sanguine maiorum venarum & arteriarum habuerunt generationem, sicuti & serum quod à renibus tractum in ipsis & vasis vrinariis & vesica continetur. Ab eisdem resudatione intermediis minoribus transfunditur excrementum in caput, ab ipso pariter in nares, aures, palatum, fauces, guttur, asperam arteriam, & pulmonem, sicuti ex iecore in peritonæum: quædametiam continentur in vtero & in articulis. Cùm igitur in tribus prædictis regionibus humores & excrementa modum in quãtitate & qualitate, seruauerint, sanum euadet animal, aliâs minimè. Fit autem in eisdem peccatum qualitatis, quod sine aliqua euacuatione emendari posset, sola alteratione. Quòd si quantitate peccauerint, id fiet, aut omnibus simul auctis ad portionem: his videlicet qui in venis continentur, aut vno tantùm, & aut sanguine, aut flaua, aut atra bile, aut pituita. Quòd si omnes ad portionem augeantur, hæc dispositio Plethora, appellatur, sicuti & si solus sanguis, aut si omnibus

auctis

auctis,vnus paulò reliquos excedat.Quando omnes simul augentur,aut solus sanguis,simpliciter Plethora dicitur,quando aliquis humor superat reliquos, omnibus auctis,appellatur Plethora sanguinea, Plethora bilioſa, melancholica,aut pituitoſa.Vno tantùm aucto erit cacochymia, cum corruptione,aut etiam sine ipsa,quæ paulò pòst accedet. Harum vocum significationes accipies à Gal.lib.de Plenitudine.2.de Comp.med.per locos,& 13.de method.med. Plethora tamen siue omnibus simul auctis fiat: siue solo sanguine, aut omnibus,sed aliquo alio à sang.magis,duplex est,aut quo ad vasorum capacitatem, aut quo ad vires.Prima cognoscitur ex vasorum tensione, totius coporis tumore,prẽterea rubore,& pulsus firmitate & magnitudine,atque æqualitate,si ipsa sola fuerit.Altera Plethora est quę viribus confertur: licet enim per hanc vasa non tendantur, vires premuntur, hæc ex præcedenti victu deprehenditur,qui potuit bonum sanguinem augere, vires tamen alia ratione languent, sed parum,aut laboribus validis dissolutæ,aut inedia, quæ victum laudabilem præcessisset,quibus omnibus per Plethoram quo ad vires, pulsus accedit inæqualis, sensus grauitatis, & naturalium facultatum alterantium, in actionibus,imperfectio.Quandoque etiam fit vt vasa distendantur, & facultas à copia prematur,atque vtraque coniungetur Plethora, quæ viribus,& quæ vasorum capacitati confertur.At plethoræ quæ viribus confertur, non multo pòst accedit humorum vitium: cùm enim facultas non satis valeat humorum copiam gubernare,reliquuntur à natura, & putrescunt,adiungitúrque cacochymia Plethoræ.Fit nonnunquam vt vnus tantùm succus atq; alius à sanguine abundet,aut sola quantitate, eo quo dicemus modo, aut cum vitio qualitatis aut vbi quantitate moderatus sit, aut moderato minor vitietur.omnes has cacochymias, hoc est succi prauitates appellamus.Cacochymia siquidẽ est,cùm humor alius à sanguine solus, quantitate superat modum.Quo tempore fit vt sensus grauitas adsit,cum cacochymia & in pulsu inęqualitas, & minus bene prædictus humor gubernetur à naturali facultate trahente, coquente, & expellente:quamobrem rectè dices, per cacochymiam,quandoque vires corporis, grauari non minùs quã per Plethorã quo ad vires. Quòd si agnoscere velis intellige febrem quotidianã aut quartanam, præsertim incipiẽtem.Est etiam cacochymia cùm vitiatur,quantitate seruata conuenienti. Quòd si ambo ei accidant, nempe quantitatis augmentum, atque vitium, adhuc magis: fiet quoque cacochymia diminuta quantitate, sed vitiata, quod ab initio morborum quandoque fit.Sæpe verò in morbi processu,humoris peccantis ac vitiati magna parte vacuata:reliquum enim quantitatem moderatam non attingit, sed vitiosum est.In quibus autem cacochimia ex quantitatis solius vitio,alterius humoris à sanguine ortum habet,facilè adiungitur vitium qualitatis,nisi præuideatur:maximè si humor auctus calidus fuerit:in frigidis nanq; accedet, sed non adeò citò,quoniam frigidi humores tardiùs vitiantur. In tertia corporis regione excrementa generantur & vitiantur, veluti cùm in minutioribus venis alimentum membro proximum corrumpitur,transpiratione prohibita,vnde febres nonnullæ intermittentes oriuntur, in consensum ductis humoribus venarum,qui hora accessionis in partem cui inest humor, qui primò putruit,deducantur. Talis est dispositio humorum præter naturam: maximè eorum qui congestione generantur: similis delapsus pituitæ, è venis in cerebri cauitatibus & eiusdem substantia,meatibus,& neruis,in apoplexia,comitiali morbo,concussione,& paralysi:consimilis est delapsus eiusdem in nares, aures,palatum fauces,guttur,& pulmonem,atque eius asperam arteriam. Delabitur aqua ex iecore in peritoneũ, & ex omnibus vasis in renes & vesicam, in quibus lapides generantur,& vrina retinetur. Dubitant medici an fieri possit vt in humore alio à sanguine peccatum adsit in quantitate, sine peccato qualitatis, & econuerso:fieri enim posse quidam putãt, vt bilis quantitas augeatur non mutata natiua bilis temperatura, sic & bilis modicæ quantitatis,

Cacochymia.

Dubium de peccato humorum in quantitate & qualitate.

iusto calidior fieri potest: vnumquodque igitur sine altero, quandoque adest. Nos verò ad dubium breui respondemus. Ad primum enim vbi quæritur, An peccatum quãtitatis humoris alterius à sanguine, sine peccato qualitatis existere valeat. Dicemus, Vitium qualitatis bifariam dici, aut quoniam qualitas, qua humor præditus est, sanitati aduersatur, aut quoniam humor suæ temperaturæ limites excedit, aut putret, aut corruptus est. Vitium qnantitatis sine vitio qualitatis primo modo dicto, reperiri non valet: nam si bilis iusto maior est, quamuis sui caloris modum seruet, totus tamen bilis abundantis calor, calore debito corpori est maior. Dices fortè, fiat ita, vt pari portione, qua qualitas bilis augetur, qualitas ipsius minuatur, eritque totus calor corpori conueniens. Nihil vtiq; refert: erit enim adhuc duplex in bile vitium, alterum quantitatis, alterum qualitatis, quatenus bilis iusto frigidior, singulis partibus occurrens, minùs apta erit actionibus, quibus debetur, quàm si natiuam seruasset temperiem. Id est quod li. 2. progno. in expo. diximus, Purgationem deberi qualitati, & omni vitio quantitatis, aliorum humorum à sanguine, adiungi prauitatem: deprauati enim sunt, qui qualitatibus, aut substantia variant à natura. Secundum tamen non est necessarium, vt humor alius à sanguine quantitate excedẽs, qualitate vitietur, hoc est natiuam amittat temperiem, quamuis talem diutius seruare sit impossibile. Ad secundum, vbi quæritur, An vitium qualitatis, statim comitetur vitium quantitatis? Dicemus, bifariam dici aliquem humorem quantitate peccare: altero modo, quoniam iustam, ac sibi natura debitam quantitatem excedit: altero, quoniam eius quantitatis pars est abiicienda. Primo modo non opus est semper, qualitatis peccato adiungi peccatum quantitatis, quinimo vitium qualitatis; vt diximus, cùm diminuta quantitate coniungi potest. Secundo modo, si vitium quantitatis adest, & non consistat in simplicibus, ac primis qualitatibus, sed putredo adsit, aut manifesta corruptio, aut in aliam naturã mutatio, omnino accedet peccatum quantitatis, hoc est, aliqua eius quantitatis pars erit abiicienda. Quod diximus de vitio simplicium & primarum qualitatum, eapropter excepimus, quoniam quæ solis ipsis vitiantur, simplici alteratione nulla dempta quantitate emendari valent. His præcognitis loca per quæ prædicta excrementa excerni debent, disquirenda sunt, vt singulis excrementorum generibus proprias aptemus euacuationum vias. Excrementa secundum naturam excernuntur, deiectione, vomitu, vrina, sudore, menstrua, purgatione, hæmorrhoidibus, fluxu sanguinis narium, & tussi, & sternutatione, & insensili vacuatione: ex horum numero est inedia, quæ ex accidenti euacuat, & somnus à fame. Ars quoq; additur sanguinis missionem, cucurbitas, scarificationem, & hirudines. Hæc verò molitur ars ad diminutas euacuationes implendas, aut omnino supplendas naturæ vices, quemadmodum & eadem euacuationes genere, quas natura efficere solet, remediis consequitur ars, vti exercitatione, fomentis, vnguentis, balneis, & medicamentis purgantibus, & his quæ vrinam mouent, aut sudorem, aut sputum facilem credunt, aut excrementa per nares purgant. Diximus autem excrementa & redundantias omnes in vna trium regionum contineri. Ea quidem quæ in prima regione redundant, faciliùs euacuantur, quàm quæ in secunda, quoniam prope loca euacuationis situm tenent. Quapropter si pituita in ventre aut intestinis augeatur, vel sola detersione, vel medicamentis epotis, quæ ventrem emolliunt, educetur, veluti & clysteribus ea quæ intestina obsederit: idem etiam fiet, vbi chylus corrũpatur, aut cibus non coctus in eisdem sedibus cõtineatur. Ea quoque quæ in meseraicis & simis iecoris abundant, paulò validioribus egent medicamentis, quæ detergant, & ventrem proritent. Ad hæc omnia, proficiunt medicamenta Eccoprotica, id est, stercus educentia: veluti aloê, & casia fistula nostra. Si verò in vesica fellis bilis, aut in liene melancholica redundauerit, optimum euacuationis genus est, deiectione eadem agere, cui rei accommodantur quæ vim habent peculiares

liares humores euacuandi,& ad iecur & ventrem deducendi, non adeò valida,vtique à toto corpore purgant, aut quantitate minore adhibita. Sunt hæc rhabarbarum,ſene,polypodium,& agaricus, aut ex compoſitis diaphœnicon, diaſene paucæ quantitatis. Licet quoque bilem in veſica fellis redundantem, aut melancholiam in liene vomitione ducere, vbi natura eò vergat. Has cacochymias rectè quis appellabit. In ſecunda regione continentur humores gibbæ partis iecoris, & vaſorum, quos Plethoram aut cacochymiam facere poſſe, diximus, vbi ſanguis ſolus aut omnes ſimul ad portionem augeantur, Plethora fit:atque hæc duplex: quibus accommodatiſsimum remedium eſt ſanguinis miſsio. Cacochimia verò multifariã accidit: aut enim humor alius à ſanguine quantitate augetur in venis, cui adiungitur malitia aut depraua-tio,modo dicto,éſtque prima cacochimię ſpecies, aut putreſcit & corrumpit aliquis eorum:éſtque ſecunda:tertia eſt, vbi ex vno in alterum humorem fit corruptione mutatio,vti cùm ex flaua bile fit porracea,aut æruginea. Quarta erit vbi ex prima regione ſucci praui in ſecundam transferantur, vti bilis ex veſica fellis,aut melancholia ex liene, aut ex tertia in eandem;ſecundum recurrant excrementa. His omnibus competit purgatio, quã per medicamenta medicus molitur. Solet ſanè natura plethoras demere fluxu ſang.narium, aut menſtruo, aut hæmorrhoidali, quorum vices optimè implent ſang.miſsio,& ſcarificatio,nonnihil etiam demunt hirundines. Cacochymiam aſſueuit natura deiectione,aut vomitu depellere, quas euacuationes ſpontaneas nominant:ſed ars naturę opera imitatur,purgatione ventris,aut vomitione,quæ fit adhibitis medicamentis,quæ vim habeant educendi humores eadem via. Hęc vbi aut Plethora, aut cacochymia exiguę non fuerint,ita vt inedia,balneis,& leuibus remediis adimi poſsint:tunc etenim maiora expoſcent remedia. Sunt autem hęc ſanguinis miſsio,& purgatio. In tertia regione corrumpi ac vitiari contingit ſecundas,quas appellant humiditates: hæc verò aliquando recurrunt in venas & efficiunt cacochymiam in 4. ſpecie, quæ purgatione demitur. Aliquando tamen retenta in eiſdem locis excrementa ſudore ducuntur, aut in ſenſili euacuatione,balneis,frictionibus,& exercitationibus. Quæ verò in capite continentur,ſternutatione, & his quæ naribus infunduntur, & gargariſmatis,ſicuti & quæ in palato: & faucibus,quæ in pulmone thorace, aſpera ac tertia,tuſsi,& medicamentis ſputum lenientibus, & ipſum craſsitudine, ac tenuitate,moderantibus. Quæ attinent ad pertitonæum, peculiaribus medicamentis euacuantur,aut per ventrem,aut per vrinę vias,aut vſto,aut ſecto ventre,ſic & quæ in renibus ſunt, vriticis mouentur medicamentis, & quæ in veſica roborata expultrice, & meatu veſicæ adaperto,& impedimẽto ſemoto. In vtero quoque retenta educuntur medicamentis menſes mouentibus, & his quæ detergunt,abluunt,aut irritant vterum,peſſulis impoſitis, aut per merenchitas infuſis. Quæ verò cõtinentur in muſculis, ſi pauca fuerint, in ſenſili diſcutientur effluxu, aut plura his maioribus etiam indigebunt remediis, ſicuti & quæ cutem ipſam inficient,quæ demi non poſſunt, niſi magna remedia præceſſerint. Sunt autem magna remedia, ſanguinis miſsio, & purgatio, de quibus primùm agere decreuimus, deinde de aliis quæ vniuerſam corporis molem euacuant. Sunt autem hæc, vrina, fluxus ſang.narium, menſtrua, hæmorrhoides,ſudor,inſenſibilis euacuatio,quibus accedet coitus.

Redundantia in ſecunda regione.

Excrementa in tertia regione.

Caput agẽdorum.

De Sanguinis miſsione. Cap. II.

DE Sanguinis miſsione conſideratio medico vtiliſsima eſt. Non tantùm enim à magnis morbis ſæpe liberat,& breuius quàm ab alio quopiã auxilio ſperari poſſet, ſed futuris morbis tutiſsimè præcauet, ſanis ipſis adhibita opportunè: atque eſt, vt inquit Galen. ſexta ſect. Aphor.commen.47. hæc doctrina, pars ſanitatis tuendæ. At verò remediis magnis hoc vnum commune eſt, vt tempeſtiuè

ſtiuè adhibita magnam & breui tempore afferant vtilitatem, intempeſtiuè verò, ſi adhibeantur, magnorum malorum cauſę fiant. Conſiderabit itaq; medicus, in quibus corporis affectibus ſanguinem mittere opus ſit, & quibus temporibus, quantitatem quoque mittendi ſanguinis, & numerum, prętęrea quas venas ſecare opus ſit, aut quandoque arterias. Quantum ad corporis affectus attinet, tres ſcopos mittendi ſanguinis. Hippocr. ſcripſit lib. 4. de Ratio. victus acu. quos confirmauit fuſius Galen. lib. de Sangui. miſsio. Morbi magnitudo, virium robur, ætas florens. Morbi quidem magnitudo vt quæ auxilium expoſcat, conſideratur, virium robur, atque ætas, vt conſentientes. Morbus autem magnus intelligitur, aut præſens, aut qui futurus ſperatur: competit enim auxilium curationis, atque præuiſionis gratia, dicente Hippo. 47. Apho. ſectio. 6. Quibus ſanguinis miſsio, aut medicamentum expurgans confert, his verno tempore ſanguinem mittere, aut medicamentum expurgans adhibere opus eſt. Conuenit igitur ſang. miſsio, non tantùm morbis qui ex plenitudine naſcuntur, ſed ipſi plenitudini, cùm ab ea morbus magnus ſperatur. Plenitudo autem hæc, ſeu plethora, vt diximus, duplex eſt, aut ad amplam vaſorum capacitatem, aut ad vires facta collatione: ab his autem morbi magni ſperantur. A prima namque, vbi non præuideatur, vaſa rumpuntur, aut ſanguis præ copia in partem aliquam nobilem erumpit, quandoque aplopexiam, quandoq; vaſorum interceptiones perficiens, ſiue ſolus ſanguis ſit, ſiue humorum omnium ad portionem incrementum. Periculoſum namque eſſe dixit Hippocr. habitum exercitatorum, cùm ad ſummum bonitatis peruenerit, atque ſoluere præcipit. Simili modo in laſsitudine tenſiua, quæ vaſorum plenitudinem docet, aut in ea quæ plegmonis ſpeciem refert, ſanguinẽ mittere præcepit: ſpontaneæ namque laſsitudines morbos pręnunciant. Prętęrea quoniam vbi ea vaſorum plenitudo adeſt, facilè ſequetur obſtructio, & difficilis humorum tranſpiratus, ac deinde putredo: interim quoque validiſsimæ febres continentes citra putredinem fiunt, quædam etiam cum putredine, quibus omnibus ſanguinis miſsio præuidet: commune itaque auxilium eſt plenitudini per quam laſsitudo tenſiua adeſt, & ei per quam ſentitur laſsitudo plegmonidis, quæ immixtum habet vlceris ſenſum, adhuc magis: interim tamẽ aduertere oportet virium robur, & ætatem: nam ſi vires non valeant, abſtinebimus à ſang. miſsione: ætatis autem quanta cura habenda ſit, dicemus: ſimiliter aduertenda plenitudinis quantitas. Si verò ſenſus grauitatis adfuerit, ſiue plethora quo ad vires, quæ eò maior eſt, quo homo ſe grauiorem ſenſerit, ſanguis mitti debet, virium robore perſpecto, ætate, anni tempore, & regione. Prætęrea an crudus humor per corpus collectus ſit, quantúmque frigiditate, nocere poſsit: ingens enim malum atque inſignis refrigeratio ſperatur, ſi quis in ea corporis diſpoſitione ſang. miſerit: maximè hyberno tempore & regione & hominis temperatura frigida accedente, æſtate verò ſi id fiat, aut præſente febre, aut corporis habitu molli, & humido facilè animo linquent, reſolutis viribus. Eligendo potius in talibus eſt frictio, & vſus eorum quæ calefaciunt, ſed non valde & quæ vim habent extenuandi. In his prætęrea: in quibus congeſto ſanguine non multo venæ ruptura ſperatur in pulmone, aut angina, aut pulmonia, aut phthiſis, aut hæmorrhoides retentæ ſunt, aut menſes, aut in plethoram quotannis incidere ſolent, ſanguinem mittere ineunte vere, operæ pretium eſt. Idem de his quibus ophthalmia, pleuritis, comitialis morbus, aut vertigo vere affligere ſolet. Sicuti ante arthritidem & podagram, prælabita diſtinctione, de virium robore & cruditatibus, & an ſanguinem mittere pro cauſæ natura expediat, an ventrem purgare. Quibus probè cognitis, vbi morbus aliquis magnus ſit, aut talis futurus ſperetur, ſanguinis miſsio conuenit, ſperatur autem ex plethora, quo ad vaſorum capacitatem, pariter & in ea quæ ad vires confertur, in qua facilè humores putreſcunt, cùm non probè regantur à natura grauatis viribus, dum tamen deinde probè regantur: aliàs, ſang. miſsio

morb

morbum futurum non prohibebit. Sed tamen vbi nulla harum plenitudinum nota adfuerit, vbi phlegmone timeatur, corpore aut modicè pleno, aut citra mediocritatem constituto sanguis mitti debet, veluti ob ictum, dolorem, aut partis cuiuspiam imbecillitatem, antequam phlegmone fiat: quamuis ictusnō alia quàm doloris concitati ratione phlegmonem adducere possit. Doctor tamen an trahat, vel quam vim habeat concitandi fluxionem, in nostris commentariis in secundum librum de diffe. febr. patefecimus. Porrò partis imbecillitas, non parum potest: nam in malo corporis habitu, & quauis malorum succorum redundantia, aut etiam sanguine copioso partes grauante, aut qualitate excrementi irritante, partes validiores, id ad imbecillas protrudēt: imbecillæ verò id recipere cogentur, vti & in rheumaticis affectibus fit, & phlegmonis generatione. Quòd si morbus aliquis horum aut adfuerit, aut speretur non magnus, non ideo sanguis mittendus est. Plurimi namque morbi sunt in acutorum genere, præterquam quòd periculo vacant, paruitate ferè contemnandi, quos vel sola materia recta victus ratione adhibita curat sine medici ope. Verùm si magnus morbus adsit, aut talis speretur, cum virium robore, præsenti & perseueranti, ita vt non dissoluatur, aut corporis mollitie, aut dolore, aut cruditatibus, & frigore opprimatur, ętatis quoque habita consideratione, cum plethora quauis, aut etiam sine ipsa, adhibita distinctione, an sanguinis missio, an purgatio sit morbo conueniens, sanguinem mittere oportet. Cùm autem potissimi scopi mittendi sang. sint, morbi magnitudo & virium robur, de morbi tamen magnitudine dictum sit, deceret iam ad virium robur transire, nisi dubium esset, quem morbum magnum appellet Galen. aut quis morbus magnus sit apud Hipp. qui primus magnitudinem morbi ad sanguinis missionem exigi dixit. Galen. etenim varius quodammodo videtur in vsu huius vocis, Morbus magnus. Nam libro de totius morbi temporibus, bifariam dixit accipi morbum magnum, aut collatiuè ad vires, ita vt morbus magnus sit, qui vires opprimit, aut ex propria substantia, vti homo magnus dicitur, aut equus, quoniam in specie magni sunt: tamen neque in eo loco docet cognoscere morbum in specie magnum. Verùm libro tertio, de Crisibus. capitulo quarto. morbum magnum à maligno distinxit, vt morbi magnitudinē, quam eandem cum vehementia esse dixit, à more morbi separaret. Atque inquit, Et species ex propriis accidentibus cognita, magnitudo verò ex eorundem quantitate. Itaque ardens febris hac ratione, eò maior erit, quò fuerint maiores sitis, & ardor. At libro primo, de Crisibus, capitulo tertio. cū dixisset eandem esse in morbis magnitudinem & vehementiam & morbi speciem ex propriis accidentibus ostendisset, in laterali morbo addit, si ex his, quæ diximus adsint peiora, morbus augetur manifestè: si verò meliora, declinat. Hoc in loco non ex magnitudine, sed ex malitia accidentium morbum docet maiorem. Præterea libro quarto, de Metho. me. trifariam morbum magnum dici docuit, aut propter partis afflictæ præstantiam, aut propter affectus magnitudinem, aut propter cacoethiam: atq; in omnibus his sang. missionem competere dixit. Ex Hippocra. doctrina. Sed præter id quod hoc in loco morbum magnum cum cacoethe confundit, quos alibi vt diximus, separauit, non videtur eius sententia satis tuta, morbis videlicet magnis, aut ob partis præstantiam, aut ob cacoethiam sang. missionem conuenire. Nam in ossis erosione, quæ cacoethes ab ipso dicitur, sanguinis missio inutilis omnino est. Præterea neq; in scirrho iecoris, aut œdemate, aut intemperie eiusdem, aut frigida cordis, nemo sanguinis missionem adhiberet. Preterea in magno œdemate pedis, aut eiusdem scirrho non conuenit sang. mittere, quamuis hi morbi magni sint ex affectus magnitudine. Sunt qui ad hęc respōdeant, dicentes, omnibus competere sang. missionem vbi facultas constet, verùm non constare per dictos affectus. Quibus manifestè obstat, quòd non omnis scirrhus iecoris vel paruissimus, neque œdema eiusdem magnitudinis imbecillam reddet facultatem:

Magnus morbus apud autores quis.

ſt tamen morbus magnus ex partis præſtantia. Rurſus febris omnis magnus morbus eſt, cùm per ipſam cor afficiatur, nõ tamen in omni febre expedit ſanguin. mittere. Exemplo ſit febris diaria ex vigilia. Magnum quoque œdema pedis, aut ſimilis ſcirrhus, non neceſſariò imbecillam reddit facultatem: nec tamen licet eorum cauſa ſang. mit. Argenterius morbum magnum eſſe vult, apud Gal. cùm morbis magnis competere dicit ſang. miſsionem: eundem cum acuto & vehementi, & maximum morbum & extremum, eundem cum acutiſsimo: validos enim morbos & qui celeriter mouentur, valido auxilio & celeriter ſubuenienti egere inquit, talis eſt venæ ſectio. Huiuſmodi morbi ſunt pleuritis, angina, peripneumonia, phrenitis, apoplexia: hydrops verò, hectica febris, & cordis licca intemperies, aut vim validam non habent, aut certè non citam, ac propterea ſang. miſsione non egent. Vera itaq; inquit Argenterius, præcepit Gal. vbi per morbum magnum nos intelligamus vehemẽtem. Quam dubij ſolutionem ſi quis penitus conſideret, inueniet nec dubio ſatis facere, nec eſſe ad Gal. mentem. Primum quidem cum morbis magnis ſang. miſ. conuenire dicit, ſi magnus acutus intelligatur, fallitur. Nam congellatio ob ambientis frigiditatem, morbus acutus eſt, ſed tamen in ea non licet mittere ſanguinem: pariter & ſi à craſſa pituita fiat conuulſio, ſiue tenſio. Præterea Gal. non voluit morbum magnum conuertere cum acuto, quando morbis magnis dixit competere ſang. miſsionem. Nam lib. de ſang. miſ. docẽs ipſam non tantùm præſentibus morbis deberi, ſed etiam futuris, annumerat pleuritidem, anginam, & apoplexiam, quibus addit, vertiginem, podagram, & morbum articularem, qui etſi magni cenſeantur, à Gal. quoniam morbi magnitudo exigitur ad miſ. ſang. acuti tamen non ſunt, nec celeris motus: non igitur vult Gal. ſang. miſsi. conuenire magnis morbis, ita vt magnos acutos tantùm intelligat. Præterea manifeſtè decipitur, putans Galen. intellexiſſe per magnos morbos, quibus ſang. miſ. præcepit, morbos acutos, ſi quidem lib. 4. de ratione vict. acu. com. 20. cũ dixiſſet Hip. In acutis morbis ſang. detrahes, inquit: Quod porrò in frõte dictionis dictum eſt, In acutis morbis ſang. detrahes, vt conſideretur, eſt dignũ. Sed quomodo longorum morborũ non meminit? Quoniã ſanè de acutis nunc docet: atque ob id ſolos eos memorauit. Nempe & ex longis multi ſunt, qui ſanguinis egẽt detractione, cum & hi dictis tribus ſubiaceant ſcopis. Quo in loco manifeſtè docet, lõgos morbos quoſdã eſſe in magnorũ cẽſu, atq; ea ratione eiſdem ſang. miſ. conuenire. Non igitur per morbos magnos acutos intellexit Gal. Nos tamen quantum veritatis habeat Gal. ſententia toties repetita lib. nono & vndecimo, de Meth. me. & libro, de Sang. miſ. referamus. Id ſanè in primis aduertendum eſt, vbi quis morbi magnitudine perſpecta ſangui. mittere decreuerit, an ſangui. miſsio, an purgatio conueniat: non enim id citra diſtinctiouem tentandum. Multis namque morbis magnis Hipp. atque Galen. purgationem adhibent. non ſangui. miſsionem: eſt enim pleuritis de numero magnorum morborum: ſed libro ſecundo, de Ratione vict. acu. vbi is ad partes infra ſeptum tranſuerſum deſcendat, purgari debet ex Hippocra. & libro, de Vlceribus inquit, purgatio ventris deorſum plurimis vlceribus confert, & in vulneribus, quæ ſunt in capite, & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculum eſt. In hoc loco magnis vulneribus, qualia ſunt capitis & ventris, purgationem adhiberi præcepit. Cùm igitur libro quarto, de Ratione vict. acu. acutis ſang. detrahere prȩcepiſſet: hic verò purgationem: notum eſt, diſtinctionem eſſe neceſſariam. Præterea Galen. libro quarto, Metho. med. docet ex Hippocra. documentis, in magnis vulneribus, quouis trium modorum magnis, conuenire ſang. miſ. & in eiſdem ex eiuſdem Hip. doctrina conuenire purgationem. Diſtinguere igitur priùs oportet, quibus magnis conuenit ſangui. miſsio, & quibus purgatio. Galen. quoque lib. de Sang. miſsi. cùm dixiſſet ſang. miſsi. conuenire morbis magnis præſentibus, aut qui ſperantur, annumerat nonnullos quibus incunte vere ſang. miſsi. prævenire decet,

cet,de quibus sunt podagra articulares, vertigo: atque inquit: sed illud prius videndum,quid sit, quod in illis aceruetur: siquidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur,quibusdam bilis atræ,aut pituitæ, aliis ex æquo omnes,in quibus sanguis abundare dicitur. Hos ergo omnes vacuabis sicuti etiam podagricos,& arthreticos veris principio,exhibito videlicet aut medicamento purgante, aut sang. diminutione. Galen. itaque non vult omnibus magnis morbis sang.missi.conuenire,sed vbi morbus fuerit de natura eorum, qui sanguin.mis.exposcunt: œdema namque & si magnum sit, non exposcit sang.mis. nec scirrhus, siue in specie magni sint, siue in parte præcipua facti. Vbi verò morbus ipse de genere eorum fuerit,qui sang.missione curantur, ob magnitudinem sanguis mittetur, sunt autem hi morbi, qui à sanguine fiunt, siue solo,siue ex omnibus constituto, siue ab alio humore,valde tamen mixto sanguini non pauco:morbi enim magni,magnum exposcũt auxilium, nempe aut sangui.missi,aut purg.Quod tamen,cum distinctione perquirendum.Qui itaque huius generis fuerint,magnitudinem exigunt, vt sangui. missio. exposcant, sine magnitudine namque curari probè poterunt, absque sang.missione.Hæc rursus sic,ostendemus.Morbi magnitudo scopus est necessarius ad sanguinem mittendum,siue præsens fuerit,siue speretur:non tamen si morbus magnus est, statim sang.mis.conuenit,sed quoniam morbus magnus est, magnum exposcit auxilium.Duo autem sunt auxilia magna.Sang.missio,& purgatio:alterum itaque horum ei debetur,quod tamen ex natura morbi& causę cognoscetur. Quòd si morbus à sang. ortum habet, & sang. missionem exposcit,non purgationem,omnino magnus erit vno trium modorum, aut ex affectus magnitudine, vt magna febris continens, aut continua, aut magna phlegmone,præsens, aut quæ speratur. Nam parua phlegmone quãuis à sanguine habeat ortum, sanguinismissione non eget:posset enim aut tenui victu, aut refrigeratione,aut omnino naturæ actione curari.Quãdo autem fuerit parua phlegmone,in membro tamen præcipuo, vt iecore,aut cerebro. sang. missio conueniet:quoniam morbus magnus est, non ex magnitudine affectus,sed ex præstantia partis:sed tamen morbus ipse de natura est eorum qui sang.missione curantur:sic etiam vulnus,nõ magnum,iuxta articulos,quoniam cacoethe est.sang.mis.eget,quamuis neque magnum fuerit, neque in principe parte.In omnibus tamen distinctio habenda est, an sang. mittendus sit, an venter purgandus.In summa verò, id priùs distinguendum est: deinde cognita ratione curandi,quo in similibus conuenit morbis, nempe sang. mis. adhiberi ea non debet,nisi præcognita magnitudine aliquo modorum dictorum à Galen. ipsa verò pręsente,aut quæ speretur,sang.mittendus erit.Atque ea ratione magnitudo morbi in tribus modis dictis à Galen. scopus est necessarius ad mittendum sanguinem:non tamen qui cogat, nisi præhabita distinctione dicta. Ex his nota euadunt quæ in contrarium adduximus: non enim vult Galen. magnitudinem morbi esse scopum mittendi sangui. ita vt ipso præsente sanguis mittendus sit:contrarium enim in diaria,œdemate &scirrho,magnis,abundè probauimus:sed quoniam in morbis quibus ex genere sanguinis missio conuenit,magnitudo vno trium modorum dicta, vt necessarius scopus exigitur. Illud vero non parum dubium videtur, quod Galen.libro vndecimo, de Metho.med.in omnibus putridis febribus sangui. mittere præcepit: cùm tamen non omnes à sanguine fiant,aut solo, aut aliis simul auctis,aut prauis aliis succis mixto:sæpe enim fiunt febres à sola bile, aut sola pituita, aut sola melancholia.Inquit enim, Saluberrimum autem est (vt prædiximus) in febribus venam incidere,non continuis modò, verumetiam in omnibus quas humor putrescens concitat:vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibent. At verò si quis rectè perpenderit, quæ ab ipso dicta sunt, verùm agnoscet eius sententiam. Proposuerat enim doctrina quadam resolutiua febres putridas curare, ac prędixerat, febrem, qua febris est, curari potu aquæ frigidæ, non tamen semper,

Putridis febr. quibus sangui. mis. conuenit.

quantum ad alia attinet: veluti si adiuncta sit obstructio à crassis & glutinosis humoribus. Ac subiungit, Ponatur verò & cum hoc redundantiam in toto esse corpore, tum virtutem non imbecillam. De hac febre toto ortionis processu loquitur Galen. constat autem in febribus omnibus putridis siue continuis, siue intermittentibus, quæ cum redundantia in toto corpore fiunt, siue illa sit plethora quo ad vires, siue quo ad vasa, sang. missio. conuenire; viribus constantibus. Et in citata sententia inquit. Saluberrimum autem (vt prædiximus) est, in febribus venam incidere, non continuis modò, verùm etiam omnibus quas putrescens humor concitat: vbi præsertim ne ætas, nec vires prohibent. Leuata namque quæ corpus nostrum regit natura, exoneratáque eo quo vélut sarcina premitur, haud ægrè quod reliquum est vincet. Loquitur itaque de febribus putridis, quæ cum multitudine grauante vires excitantur. Damnauerat quoque eodem loco medicorum peccatum in curãdis diuitibus, quibus calida cataplasmata visceribus adhibent, non præcedente sanguinis missione. Ac inter initia quidem (inquit) sanguî. missionem maior pars eorum propter mollitiem non admittit: tametsi magis quàm pauperes redundantiæ sanguinis affectibus sint obiecti. De his itaque febribus putridis continuata serie sermonis loquitur Galen. cum sangui. missi. omnibus putridis instituit. in his enim intelligi debet, in quibus putredo à copia grauante vires ortum habet, in quibus cataplasmata relaxantia visceribus adhiberi vetat, ante sang. miss. ne in ipsis plegmone concitetur: maior enim copia ad ipsa trahetur ex vniuerso corpore, in quo redundantia adest, quàm ab ipsis medicaminum vi discuti possit. Non igitur putare oportet Galen. omnibus putridis febribus adhibere sanguinis miss. sed his quæ cum redundantia fiunt, atque ab ipsa putredinis initium habuerunt.

Virium robur ad sangui. miss.

SECVNDVS Scopus mittendi sangui. est virium robur: id quidem non vt expoſcens auxilium, sed vt consentiens. Vbi namque vires non constauerint, mittentes sangui. morbum cum ægrotante simul adimemus. Sunt autem nostri corporis vires præcipuæ animalis, vitalis, & naturalis. Galen. tamen facultatis vitalis robur seruare præcipit cum Hippocra. sine quo hominem viuere non est. Siquidem in sang. miss. pulsum tangere docet, & considerare an his constet, vel deficiat: naturalem verò aduertere non oportet. A principio enim crudo adhuc morbo, quando nondum constat de robore naturalis facultatis, sanguinem abundè mittimus pro morbi & redundantiæ magnitudine, & vitalis facultatis robore: verùm cùm sæpe morbus longus futurus speretur, & aut homo, habitus facilè resolubilis, & valde biliosus est, aut ex anni temporibus æstas: quãuis præsenti tẽpore vitalis facultas constet, non mittemus sanguinẽ, nisi etiam ipsam constantẽ in futurũ speremus. Animalis quoq; facultatis robur nõ valde expectatur, dũ vitalis constat: nã in quibusdã affectibus dicẽdis sang. mittimus ad animi deliquium, & defectũ facultatis animalis, vbi tangẽtibus nobis pulsus adhuc constare videatur: ad sang. itaq; mittẽdum vitalis facultatis robur potissimũ exigitur. Robur equidẽ facultatis naturalis ex deiectionibus, vrinis & sputis agnoscitur: quorũ nullum coctum apparet in morborum initiis, nihilominus in eisdem sanguinem mittimus. Animalis facultatis robur ex sensu, motu, somno, vigiliis, constantia mentis, aut delirio. Vitalis ex pulsu firmo, & magno, in calidis morbis, imbecillus verò, ac semper talis languidam significat facultatem in essentia, idem quoque paruus, vti inæqualis aggrauationem. Hæc quidem largam permittit vacuationem, vt imbecilla in essentia, ipsam vetat manifesta ratione: nam sanguinis missione non tantùm abundantem sangu. euacuamus, sed spiritum ipsum, atque omnino aliquis langor ad omnem sanguinis missionem sequitur, quę ea quantitate fiat, vt morbis, aut præsentibus, aut futuris prodesse valeat: minor nanque, vti nullo modo facultati noceret, neque etiam aut morbum præsentem leuaret, aut futurum præcaueret. Redditur autem vitalis facul. languida, aut mutato

tem

temperamento, aut læso, siue corrupto instrumento. Et quamuis robur virium in qualitate temperamẽti consistat, facultas tamen nõ agit sine instrumento.

Facultatis. langor vnde.

Dicemus igitur, facultatem lædi & languere, mutato temperamento, in magnis febribus, ob caloris vehementiam, in malignis ob colliquationem, in omnibus longitudine temporis alterato, ac mutato corporis temperamento, atque in hecticam deducto. In frigidis morbis pariter refrigeratis partibus præcipuis, & in malum habitum deducto corpore, & solidis partibus: spiritus verò dissoluitur, ob corporis raritatem, bilis abundantiam, aëris immodicum calorem, balneum, exercitationem, vigilias, dolores, vehementes, immodicas euacuationes aut sang. aut aliorum humorum: quin & malorum humorum subitæ euacuationes spiritum dissoluunt, quem aër pestilens corrumpit, singula autem horum prohibent sang. missi. vbi manifestè facultatem lædant. Quòd si in naturali facultate euidens constauerit imbecillitas tanta, vt ad vitalem facultatem pertingat, sanguis quoque missio prohibere poterit. Si verò ipsa per se languida esset, nondum perueniente ad vitalem manifesta noxa, nihil prohibet sanguinis fieri missio. Animalem verò facultatem ad defectum vsque, vitali constante, ducere quandoque licet.

Sang. missi. prouirum ratione.

Cùm igitur sanguis mitti debeat, pro ratione inuadentis morbi, & virium constantiam, vbi morbus ex genere eorum fuerit, quibus sangui. missio. est ex vsu, & accesserit magnitudo, sanguis pro ratione mitti debet, donec tota auferatur causa. Sed sunt quandoque vires non adeò constantes, mediocres tamen, morbus quoque mediocris, ita vt non sit valde vehemens, mittendus tunc quoque sanguis est, atque pro morbi ratione. Quòd si cum viribus mediocribus morbus admodum vehemens & magnus est, mittetur sanguis, non pro morbi vehementia, sed tantus vt morbum leuare possit, quamuis ipsum non integrè curet: si verò cum deiectis viribus morbus magnus ocurrat omnino sanguinis missio est prætermittenda: sed interim facultas roboranda, deinde sensim euacuanda morbi causa, per epicrasim, quam Galen. 8. de Metho. med. docuit, interdum vacuantes, atque rursus facultatem reficientes. Hoc etiam euacuandi genere vtimur, vbi purgatione est opus, cum virium languore: sed tamen maioribus viribus opus est ad miss. sang. quàm ad purgationem, quatenus sang. missione sanguinem, humorem vtilem alioqui, atque vitæ fundamentum, spiritum, &, vt dixerim, animam ipsam euacuamus. Purgatione verò humores alios à sanguine educimus, atque eos noxios: & quamuis sanguis quoque, qui secta vena ducitur, quantitate, aut qualitate noxius sit, tamen cum malo aut abundanti, bonum & vtilem, atque spiritum ducimus. Purgatione verò malum extrahimus, non mixtum bono, & vtili. Obiicies fortè, purgationem valde corpus turbare, quare viribus validioribus opus erit, ad ipsam ferendam, quàm sanguinis missionem, quæ adeò facilè perficitur & sine corporis commotione. Præterea sanguinem fluentem compescere possumus cùm volumus, vel sola digiti appositione: purgationem tamen cohibere, vbi modum excedat, non valemus. Hæc sanè non obstant his quæ diximus: nam maior noxa sequitur manifestè ex spiritus euacuatione, & quandoque boni ac vtilis sanguinis, qui malo miscetur, quàm ex conturbatione corporis, quæ fit medicamento purgante adhibito. Aliud verò de immodicis euacuationibus dictum est, sang. miss. excedente modum, facilius coerceri, verùm nos vtrisque modum seruantibus, asserimus sanguinis missionem valentiores vires exigere, quàm expurgans medicamentum, quamuis in vtrisque virium robur sit necessarium, si futuræ sint ea quantitate, vt morbis præsentibus, aut futuris manifestum auxilium afferre debeant, sed rursus de his quædam cap. sequenti dicemus.

Robur virium ad sanguin. missi. maius, quã ad purgat.

Scopus tertius mittendi sanguinem est ætas florens, veluti consentiens. Posset autem quis ætatem à numero scoporum separare, quoniam ætas non ex annorum numero quidpiam indicat, sed ex virium tãtummodo cõstantia: vbi enim sexagenarius præ imbecillitate sang. miss. non ferat, alter septuage-

Scopus ab ætate.

narius eandem ferre poterit. Quamobrem Galen. ſcopum ab ætate deſumptum, negando ſtatuit, dicens: dummodo æger puer non fuerit: vel ſic, præter ætatem pueritiæ: ſi enim ſenibus ſanguinem mittere non decet, quoniam languent, in virium robore excluduntur, neque eorum ratione ætatem addere opus eſt. Pueris tamen (ſunt autem tales vſque in 13. aut 14. annum) quamuis vires validæ ſint, ſanguinem mittere non decet. Scopi itaque ſunt mittendi ſangui. Morbi magnitudo, robur virium præter ætatem pueritiæ: decet ſiquidem vires validas ſeruare, non tantùm præſenti tempore, ſed etiam ad futurum, quòd ſi ſanguis mittatur pueris qui innatam habent ſibi peculiarem euacuationem, ſenſum effugiente euaporatione, cùm ea futura ſit iam corpore euacuato, vires omnino diſſoluentur: ſatis itaque faciet innata dicta euacuatio ad morborum curationem ſine ſang. miſ. Poſſes obiicere quotidianum experimentum, quo videmus pueris ſang. miſsionem eſſe vtiliſsimam, atque eoſdem ab innumeris morbis liberare. Vti in continentibus febribus adhibita, phrenitide, angina, & laterali morbo. Præterea præuiſionis gratia ad eoſdem morbos verno tempore ſecta vena valet, ſicuti in doloribus & ictibus. Hac autem, neglecta, non paucos ſuffocari, quoſdam mortuos febrium magnitudine fuiſſe. Cui obiectioni reſpondent qui Galen. ſententiam firmam ſtatuunt, ipſum de magnis ſanguinis miſsionibus loquutum fuiſſe, quales ipſe fieri præcipiebat, vt libræ ſanguinis, & duarum, & quandoque quinque, quas pueris denegauit. Nobis verò id non videtur Galen. vindicare, ſicuti nec Hippocr. nam nullus vnquam in morbis euacuationem expoſceret maiorem quàm pro ratione morbi & cauſæ. Quapropter cùm pueri ſang. miſſ. ferant tantam, vt morbo æquiparetur, & hominem à morbo integrè liberet, aut præſenti, aut futuro, non aliàs ipſam conuenire in adulta ætate, quàm in pueritia aſſerere oportet, ſiquidem adhibita, ſimili modo, aut liberat, aut in meliorem diſpoſitionem deducit puerum, quæ ſibi commodè adhibetur, vti adoleſcentem quæ ſibi propria eſt, & accommodata. Pari igitur ratione pueris & ætate florentibus ſangui. miſsio. conueniret, ambobus pro morbi pro vehementia & cauſæ magnitudine adhibita. At verò de ſcopo ab ætate deſumpto aliter ſentiẽdum videtur: ex ætatibus ſiquidem ſenectus ſi non habet adiunctam imbecillitatem, ſang. miſſ. patietur: ſi verò coniunctam ipſam habuerit, excluditur in ſecundo ſcopo dicto, nempe virium robore. Quòd ſi quis ſenectutem frigidam & ſiccam temperaturam ex annorum numero appellauerit, nulli ſeni vires conſtare cum Galen. lib. de Sang. miſſ. dicet. Pueritia tamen non aliter conſideratur, quàm aut habitus corporis, aut anni tempus calidum. At verò anni tempus calidum conſideratur tanquam diſſoluens vires, ſicuti & corporis habitus latorum pororum. Cæterùm hæc non omnino indicant ſanguinem non eſſe mittendum, nec vt præcipui ſcopi habentur, ſed indicant minorem ſanguinis quantitatem eſſe detrahendam: quoniam deinde facultas à caliditate ambientis diſſoluitur, aut ob pororum raritatem: quod vitare volentes parciùs ipſum mittimus, cùm autem vires nunquam indicent ſangui. eſſe mittendum, ſed conſentiunt aut repugnant, ita ætas conſentit, aut conrepugnat. Porrò quemadmodum aut aer calidus, aut regio, aut habitus corporis rarus, quoniam facultatem diſſoluunt, ſimul etiam nonnihil de cauſa morbi, ſanguis partibus mittendum docent: præcipuum autem repugnans facul. eſt, quoniam imbecillitas fac. præ ſe indicat, ſang. non eſſe mittendum, ita ætas pueritiæ quoniam per eam innata quædam euacuationis ſpecies adeſt, qua pars cauſæ digeritur in ambientem aërem, facultas quoque interim diſſoluitur, minorem ſanguinis quantitatem detrahendam eſſe docet, vti conrepugnans, & ex accidenti repugnans. Præcipuus autem ſcopus facultas eſt. Hoc quidem manifeſtè docuit Celſus libro 2. cap. 10. vbi de ſang. miſsione dixit. Siquidem antiqui primam vltimámque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus iudicabãt: perſuaſerántque ſibi mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe

Sang. miſſ. pueris.

facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliásque potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat: interest enim non quæ ætas sit, neque quid intus in corpore geratur, sed quæ vires sint. Et Auerrois dixit, Zoarum puero suo annor. trium mississe sanguinem. Præterea quemadmodum, vbi multi scopi coniungantur, non præcipui, quandoque sanguinis miss. prohibebunt, & non tantùm copiam minuent: quoniam facultatem reddent imbecillam, aut ad præsens, aut ad futurum tempus, vti cùm habitus rarus, humores corporis tenues, aër ambiens valde calidus coniunguntur, ita vbi ex ætate indicatio aliis coniungatur, aut raritati pororum & caliditati ambientis, atque morbus fuerit non valde magnus, sanguinis missionem continuò prohibebunt: non quidem quoniam ætas præcipuus scopus est, sed vnus ex correpugnantibus: facultas autem ipsa est, quæ propriè & præcipuè repugnat, ostendens posse euacuationem per id tempus eum habitum, eámque ætatem ferre, aut secus. Aetatem itaque vt scopum correpugnantem statuimus: magis autem aliis correpugnantibus, quoniam calor dissoluens in ipsis validus est, & humores facilè dissoluuntur. Sunt autem ex correpugnantibus, cõsuetudo, habitus valde rarus, tempus æstatis, regio valdè calida, quoniam dissoluit vires, & valde frigida, quoniam calorem natiuum extinguit: vitæ quoque institutum ad idem non parum correpugnat. & eorum quæ in cibis & potibus præcesserunt, quantitas & qualitas. Hæc verò à quantitate detrahendi sang. nonnihil minuunt, sicuti & ætas, quandoque ipsam omnino prohibent. Neque longè ab hac sententia sunt quæ Galen. lib. nono de Metho. med. ad finem tradidit. Crudorum præterea humorum redundantiam sanguinem mitti prohibet præsente morbo, ne immodicè incrudentur: sed in his non constat vitalis facultas, quæ ex pulsus constantia & magnitudine deprehendetur, sed potiùs in contrarium accedunt imbecillitas & oppressio, & plumbeus aut albicans color corporis. Antè verò quàm morbus inuadat, licebit quidem, sed cautè, ne aut facultas succumbat, aut incrudentur humores amplius, aut in futurum coctionis spes frustretur. Mittomus itaq; sanguinem in magnis morbis præsentibus, aut futuris, vti pleuritide, angina, phrenitide, lethargo, pulmonia, causo non exquisito: in exquisito enim non constant vires, & podagra, articulari, vertigine, ophtalmia, morbo comitiali, apoplexia, iecoris, renum, vteri, testium, pudendorum inflammationibus, & in aliis magnis, quæ in partibus externis fiunt. Sic etiam vbi similes morbi sperentur, vt in plethora, menstruorum retentione, aut hæmorrhoidarum: his enim quamuis nunquam morbus magnus acciderit, fortè euenisset quidem, nisi prædictæ præcessissent euacuationes. Sic etiam in ictu partis dolore concitato: adesse autem opportet in his virium constantiam. Quod autem ad ætatem attinet, sæpissimè sexagenariis mittimus sanguinem, & septuagenariis non rarò in prædictis morbis. In pueritia quoque aute 13. annum, & post septimum, venas frequentissimè secamus, præsertim in his qui latiores venas habent, & sanguinei sunt. Secundum autem, tertio, & quarto ætatis anno, vbi continens aliqua febris adfuerit, quæ sæpe infantes inuadit, & potissimùm cùm variolæ pululant, & morbili, sangu. mittimus, cruribus scarificatis, & quandoq; etiam brachiis, idem in magno alio morbo de prædictis facere præcipientes. Educimus autem quibusdam 4. aut 5. sang. vncias, quibusdam etiam supra sex. Scarificatione tamen tenuem sanguinem, qualis infantium est educimus, calore & spiritu intus seruatis. Post quartum verò annum pauci sunt quibus non pateant venæ adeò, vt probè secari possint, & cum magno ægroti commodo, supra quinque vnciarum quantitatem detracto sanguine, & aliquando repetita sangu. miss. ad duodecim vnciarum quantitatem eduximus. Vidimus tamen magnum puerorum & infantium numerum, qui à magnis morbis, hoc auxilio fuerunt liberati. Quamobrem in prædictis affectibus, reliquis quoque seruatis, id auxilium vt tutissimum commendamus. His autem

Ætas scopus correpugnans.

Affectus in quibus sangu. mut.

quæ

Sang. miss. vtero geren tibus.

quæ diximus obstare videtur apho. Hippoc. 31. Sectio 5. mulier (inquit) vtero gerens sanguine misso ex vena abortit, & præcipuè si fœtus est grandior. Potest autem fieri vt mulier vtero gerens magno morbo corripiatur, & vires ipsius constent, & ex ætate, regione, & anni tempore, atque corporis habitu nihil obstet: is igitur scopus reliquis addendus erit, ad doctrinæ integritatem, nempe, gestatio in vtero. Id quidem differendum modò, quam habuerit mentem Hippoc. prohibens vtero gerentibus sangui. missi. & an his inter reliquos scopos, repugnantes, aut correpugnantes recenseri debeat. Auerrois libro 7. collectionum cap. 4. Hippoc. reprehendit, vbi enim (inquit) in muliere vtero gerente, ita abundet sanguis, vt fœtus eo non indigeat, nunquam vidi sectionem venæ ad malum peruenire finem. Attestatur huic rei quotidianum experimentum. Sæpissimè enim fœminis vtero gerentibus sanguinem abundè misimus, per acutos & graues morbos, vt anginam, & pleuritidem, & mater ac fœtus probe admodum eam tulerunt euacuationem, & superstites euaserunt sine aborsu. Quidã dixerunt Hipp. in eo apho. non prohibuisse sang. missi. sed admonere voluisse, ne venam in eisdem temere secemus, ob periculũ aborsus. Horum verò opinionem Fuchsius reprehẽdit: quoniã Hipp. simpliciter damnat venæ sectionem, in vtero gerentibus, atq; aborsum ea de causa futurum docet. Quapropter aliter sibi dicendum videtur, diuersámque fuisse Hippo. sententiam affirmat sanguinem vtique non esse mittendum vtero gerentibus, vbi sang. missi. talis fiat, qualis antiquorum temporibus fieri solebat, copiosa, & magna non qualis hac nostra tempestate, quam tutò facere licet: quoniam paruissima est, & quæ potius scarificatio, quàm sang. missio appellanda foret. Gal. namque sang. missiones magnę erat, quásq; nemo exerceret tutò in vtero gerentibus. exemplum est apud ipsum lib. de Sang. missione. cap. 14. dicentem. Memini quibusdam ad sex vsque libras sanguinem detractum fuisse: & eodem lib. atque 9. de Metho. med. sangui. miss. præcepit ad animi deliquium. Exiguæ igitur missiones sang. quales nostræ sunt, non denegantur ab Hippoc. sed magnæ ille quales apud antiquos & Galen. potissimum, habentur. At verò neque Fuchsius dubium soluit. Quamuis enim aliquando vt retulit, magnas illas sang. missiones exercuerit Gal. aliis minoribus nomen sang. miss. non denegauerit, sed maiorum meminit, vt earum exempla memoriæ traderet. Quòd tamen his minores sang. miss. appellauerit, constat. libro namq; de Sang. missio. postquam pueris venam secare ante 14. annum prohibuit, post id tempus vbi multus sanguis in eorum corporibus congeratur, & ipsorum fuerit sanguinea natura, maximè si verno tempore inciderent in anginam, pleuritidem, aut pulmoniam, sanguinis missionem concedit, atque inquit, Detrahes autem primùm, vt summum, ad cotylam vsque. Est autem cotyla, vnciæ 7. sangui. itaque sang. missio. appellauit eam quæ septem vnciarum quantitatem non excedit. Præterea cùm libro eodem sex libras detraxisse aliquando refert, vti rem memoria dignam, addit: quapropter vtiliter quibusdam vnam quoque detraxit aliquando, imò verò nonnunquam hac quoque minus, paruas igitur & quales nostro tempore, videlicet citra libram, adhuc sangui. missiones. Galen. appellat. Dicemus igitur veram esse Hippoc. sententiam eo modo quo aliæ quæ ad præsagia attinent: nam eodem libro Apho. 30. dixerat. Mulierem vtero gerentem cap. ab aliquo morbo acuto, letale: nec tamen ob id putare oportet, omnes morituras, sed magna ex parte id euenire, sic neq; sanguine misso omnes aborsum passuras, sed magna ex parte. Propterea ferè eundem scopum esse, atque ferè pares vires indicandi habere putato, eum qui sumitur ab ætate, & eum qui à conceptione. Ab ætate namque diximus scopum correpugnare, non tamen esse de præcipuis, decet quoque ætatis ratione quantitatem minuere detrahendi sangui. Cùm autem mulier vtero gerens fœtum in vtero habeat, indicatio ab ipso similis est ei, quæ ab ætate desumitur: ab ætate verò pueritiæ, & in vtero lati, aliena admodum est inædia & alimenti defectus,

Fuchsius dubium soluit.

Vtero gerentibus mutt. sang.

demitur

demitur tamen sublato sanguine, magis, si fœtus est auctior, atque perinde à larga sangui. missione abstinendum, non tamen omnino ab ipsa: quemadmodum neque ætas, neque aër calidus ipsam omnino prohibent, confirmat hanc sententiam locus Celsi suprà citatus, cum de pueris agebamus. Quantum igitur ad fœminam ipsam vtero gerentem attinet, licet quidem sanguinem mittere abundè, & pro causæ morbum facientis magnitudine & facultatis constantia: quantum verò ad fœtum attinet, minorem decet sangui. miss. fieri: quam si quis pro morbi ratione & viribus matris efficere velit, aborsum afferet: potissimùm in postremis mensibus, non semper, sed interest: nam fœtus quo fuerit maior, facilius corrumpitur, ob alimenti defectum, ex pueris tamen minores, minus ferunt sanguin. missio. quoniam facilius dissoluuntur. Accedit in confirmationem, multis enim earum in postremis mensibus sanguin. missimus cum euidenti vtilitate, quod natura ipsa facere solet sæpe per vterum aut per mariscas salubriter, nos verò ipsam probè operantem imitari, iustum est. Quantum autem attinet ad horam mittendi sangui. non est eadem omnibus seruanda regula. sanguinem nanque mittimus in sanitate, præuisionis gratia, quandoque iam præsentibus morbis, & his aut cum accessionibus, aut sine ipsis. Cum itaque præuisionis gratia sangui. mittimus, id verno tempore siue ineunte ipso agendum est, vbi morbi vere aut æstate sperentur, præuidemus quoque his qui futuri sunt hyeme, autumno secta vena, per hæc enim duo anni tempora nec calor, nec frigus vehemens adest. Quòd si morbus iam præsens fuerit, atque is accessiones habuerit, hora remissionis febris est eligenda, si verò accessionibus vacat, veluti continens febris, aut magnus dolor, aut similis inflãmatio, nihil vereri oportet magnitudinem, aut doloris, aut caloris, aut inflammationis, sed statim quacunque hora diei instauerit vehementer morbus, sanguis mittendus est, dummodo cum morbo magno virium robur adsit, & cibus è ventre descenderit. Cùm enim is in ventre continetur, nondum tempus adest opportunum mittendo sanguini. Quod verò de ventriculi satietatibus ferunt, per ea sanguinem non esse mittendum, sic intelligi debet, ne si cruditas quæpiam in ventriculo contineatur, deducatur, sangui. missione adhibita, in ambitum corporis. Quòd si morbus non adeò vrgeat, optimum tempus mittendus sanguis est manè, ventris & vesicæ excrementis depositis, non statim à somno excitatis, sed prope iam horam vnam: quod in sanguinis missionibus, quæ præuisionis gratia adhibentur, pari modo seruandum est, vt manè fiant, & post horam à somno, vt interim sanguis & vapores ipsius ab intimis partibus effundantur. Præcepimus id quidem innumeris ægrotis. Multis quoque postquam lectionibus matutinis interfuerunt in schola literaria, quorum quidam iam scabiem patiebantur, aut pustulas toto corpore erumpentes, aut parotidas, aut tonsilarum inflammationes, aut nondum ægrotantes, lassitudinem tensiuam, aut phlegmonodem pati referebant, aut se singulis annis ægrotare prædictis morbis & similibus, quos mirificè adiutos noui. In morbis itaque hora prædicta eligenda est: dies tamen quiuis ipse fuerit, in quo mittendi sanguinis scopi apparuerint, etiam si is vel quartus, vel septimus morbi fuerit. Quòd si aut medicus ad visendum ægrotum quarto ipso die, aut etiam decimoquarto accersitus fuerit, aut post ipsum, si prædicti apparuerint scopi, tunc quoque sanguis mittendus est: non enim aliam vim habent dies vitandi sangui. missionem, ab ea indicatione, quæ à morbi magnitudine & viribus sumitur, quibus nondum labefactatis occasio mittendi sangui. adhuc manet. Huius sententiæ exemplum euidens tradidit Hippocrat. libro tertio de mor. pop. part. tertia in histor. Anaxionis patientis morbum lateralem in Abderis. Huic enim sanguinem misit octauo die, meminit autem huius, non vt ostenderet huic mississe sanguinem. Sed quoniam in octauo ei sangui. misit, aduersus eos qui terminum mittendi sangui. quartum diem præscripserunt: cùm tamen diem aduertere nihil referat, sed

Hora mittend. sanguinem.

Sang. mitt. non est cum satietate.

Sang. mittẽdi dies.

Digitized by Google

ſcoporum dictorum perſeuerantiam. Cùm igitur iam intellexeris, conſideratis ſcopis indicantibus & coindicantibus, ſanguinem mittendum eſſe, decet quantitatem metiri, quam detrahere oportet, atque quoties id faciendum, noſſe. Quantitatem ſanè eorum quæ à corpore educi debent, aſſequi ad vnguem omnino foret impoſsibile: eam autem aſſequi medicus conatur coniectura, quæ notitia quædam eſt, media inter exactam ſcientiam, & omnimodam ignorantiam. Qualis eſt omnis rerum cognitio, quæ neque ſcientia, neque ex euidentibus, demonſtratione habetur, neque error cognitus eſt, ſed diſcurſu & ſyllogiſmo conſtat, & quantum humana mens capere poteſt, aut veritas ipſa eſt, aut non longè abeſt à veritate. At ſi quid aliud medicinam coniecturalem efficere valet, ideſt quantitas adhibendorum, aut educendorum: in ſanguinis tamen miſsionibus educendi ſanguinis quantitas ex copia cauſæ morbum facientis, aut ad ipſum parantis deſumitur, & virium tolerantia: veluti in laſsitudine tenſiua, vaſorum tenſio, & corporis tumor, & totius corporis moles conſideranda, in grauatiua verò corporis quanta ſit grauitas, ſiue grauitatis ſenſus, quámque ineptus homo ſit ad functiones obeundas, ex pulſu quoque quàm ſit inæqualis, & vbi magni pulſus & parui coniuncti ſunt, qui excedant reliquos, in magnis namque aggrauationibus plures ſunt parui quàm magni, & in paruis plures ſunt magni. Moles quoque corporis conſideranda, quæ ſimul cum præcedenti victu, & temperatura hominis, quantitatem euacuandorum docent, in his qui ad morbos ſunt parati. Cæterùm quamuis hæc ſint quæ docent per ſe euacuandorum quantitatem, ipſam tamen euacuationem exercere non licet, niſi facultas eandem ferre poſsit, quod etiam coniectura aſſequemur, ex naturali temperatura, ætate, regione, anni tempore, & victu. A poſteriori verò ex conferentia & bona tolerantia, vt in aphoriſsim. 2. ſectio. prima. de qualitate euacuandorum docuit Hippocrat. & 23. de quantita. vbi facultate tolerante ad animi deliquium euacuationes fieri præcepit: dicens, Deiectiones non multitudine ſunt conſiderandæ, ſed ſi talia deiiciantur qualia conuenit, & ægri facilè tolerent. Atque ſi ad animi defectionem ducere conuenit, id facere, ſi æger poſsit tolerare. Morbi itaque magni, & virium robur, præcipui ſcopi ſunt, & qui ſanguinem mittendum aut non mittendum docent, verùm iidemmet ſcopi, docent quantitatem, accedunt autem reliqui coindicantes, vt ætas, quæ ob calidam & humidam temperiem facilè diſſoluitur, & habitus, & conſuetudo, nimius ſenſus, & ambiens calidus, qui corpora diſſoluit, atque partem cauſæ morbum facientis, & frigus ambientis, dicente Galen. libro de ſangui. miſsione. Alia verò ratione, & vt antè propoſitum eſt, in contrariis, hoc eſt in frigidis, tum temporibus, tum locis, largam euacuationem fugimus, propter inſequentem nimirum refrigerationem. Libro quoque primo de arte cur. ad Glauc. inquit: ob hæc igitur neque in locis ſupramodũ calidis, aut frigidis, ſanguinem mittere audemus. At libro nono de Method. med. cùm ex indicationibus quaſdam ad ſanguinem mittendum hortari, quaſdam verò dehortari ferat, inquit, Atque hæc quidem indicationes ſunt, quæ ſanguinem detrahendum dehortantur, contrà poſtulant vnà cum affectu, cuius cauſa primùm requirebatur, habitus durus, denſúſque, & vno verbo, qui haud facilè digeritur, tum ambiens humidus frigiduſque. Frigidus igitur ambiens videtur poſtulare ſanguinis miſsionem, & meritò quidem, quoniam impedit reſolutionem, & vires ſeruat, cuius contrarium locis ſuprà citatis dixerat verumtamen ſingulis rectè perpenſis, nullo modo Galen. ſibi diſsidere inuenies. Nam libro nono de Method. med. frigiditatem ambientis, ſanguinis miſsionem poſtulare dixit: non tamen omnem putare oportet, ſed eam, quæ diſſolutionem impedire poſsit, non autem peruadere corpus, hæc tamen magna non eſt. Quæ verò ſanguinis miſsionẽ dehortatur, & quæ ipſam minorem fieri admonet, ea eſt valde magna frigiditas, quæ ægri calorem vincere, & ſuperare poſsit. Atque proinde libro de Arte curan.

Sang. mittend. quantitas.

Scopi coindicantes ad quãtitatem attinent.

Temperies conſideratio ad ſang. mittend.

curam.ad Glauc.dixit. In locis ſupra modum calidis, aut frigidis, & lib:o de Sanguin.miſsion.addit cauſam, ne ſequatur deinde refrigeratio: itaque magnam intellexit frigiditatem, vbi igitur morbi magnitudo valde hortatur, vires verò conſentiunt,& coindicantes ſcopi,non valde dehortantur,ſanguinem mittere ad animi deliquium licet. Docente id Galen. libro de ſanguinis miſsione,& nono libro de Metho.med. & comm.aphor.23.ſectio prima. Quo in loco ob affectuum magnitudinem conſtantibus viribus, ad animi deliquium ducere ægros docet Galen.in ardentiſsimis febribus,maximis inflammationibus, & ingentiſsimis doloribus. Nec decet id animi deliquium eſſe, quod hoc remedium expauescentibus, accidere ſolet, aut ſecta ſtatim vena, aut paulò pòſt, neque quod ſequitur bilem mordentem ob ventriculi, quæ in ipſo exiſtat, aut ad ipſum tempore remedij confluxerit: non enim eſt hæc quantitatis ſanguinis educendi menſura, ſed animi deliquium, quod largam ſequitur euacuationem. In febribus ardentiſsimis experimentum docuit Galen.teſte, quoſdam ſtatim liberatos adhibita ſanguinis miſsi.ad deliquium animi, toto corpore refrigerato, ſequente fluxu ventris, aut copioſo ſudore, quoſdam ſtatim ſanitati reſtitutos, quoſdam verò adiutos, poſtea morbos ſuperaſſe. Interim tamen dum ſanguis adeo copioſè ducitur, pulſum tangere præcipit, ne pro animi deliquio vitam adimamus, quod quibuſdam incautè auxilio vtentibus contigit, ægris in medicorum manibus defunctis. Cùm autem in pulſu magnitudinis, aut contentionis diminutio accidit, aut magna quædam inæqualitas, aut ordinis perturbatio, interim dum ſanguis fluit admota manu, ſtatim claudere venam oportebit. Hinc notum euadet id animi deliquium, non ſyncopem eſſe: ſiquidem ſyncope paſsio cordis eſt. Animi quoque deliquium ad animalem attinere facultatem, non ad vitalem, quam adhuc conſtare, vult Galen. qui non niſi magno vrgente vſu eam facere conſulit,ob periculi magnitudinem:ſed vti nos ſæpe fecimus,libram ſanguinis,& aliquando ſexquilibram educentes, ſine intermiſsione, aliquando intra duodecim horarum ſpacium repetita euacuatione, atque vidimus multos euaſiſſe ſubitò à magnis febribus continentibus, nulla alia manifeſta ſequuta euacuatione, ſæpe etiam copioſo ſuperueniente ſudore: rarò verò ventris fluxu. Notum quoque hinc euadet,manifeſtè decipi eos,qui putant Galenum non præcipere ſanguinis miſsionem ad animi verum deliquium. Sed citra ipſum, quoniam ex animi deliquio quoſdam refrigeratos fuiſſe inquit, quod non foret citra ipſum. Notum præterea euadet, quare ad animi deliquium aliquando ducere Hippocrat. & Galen. præcipiant, addentes, ſi facultas id ferre poſsit. Nam ſi id ferre poteſt,dicet aliquis, non delinquet. At verò diximus, animalis facultatis lapſum ſequi ex prædicta euacuatione, non vitalis, quandoquidem pulſum interim tangere Galen. præcipit, vt conſtante adhuc vitali facultate, & non amplius fiat. Præterea dubium videtur, ſi quidem. Galen.comm. illo 23. prima ſectione.aphor. ſanguinis miſsionem præcipit ad animi deliquium, in febribus ardentiſsimis. Sunt autem febres ardentiſsimæ bilioſiſsimæ:ſed tamen in febribus bilioſiſsimis ſanguinẽ mittere non decet, nedum ad animi deliquium. Dicemus duo eſſe genera febrium ardentium: quædam enim ſunt exquiſitæ tales, quæ à flaua bile fiunt, nec ex cauſæ natura ſanguinis miſsionem expoſcunt, neque in eiſdem facultas conſtare poterit. Aliæ febres ſunt de genere febrium ardentium, copia potius quàm qualitate ardentiſsimæ, quibus ſanguinis miſsio conuenit, & ad animi deliquium vſque. De his autem intellexiſſe Hippocrat.ſuam ſententiam in apho. & Galen. in comm. conſtat quoniam, vt diximus, in aliis facul. non valet ob calidam & ſiccam temperiem eorum qui in eam incidunt febrem. Rurſus quoniam cùm in eodem comment. Galenus in maximis doloribus ad animi deliquium præcipiat mittere ſangui.addit, adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare oporteat: id igitur in ſanguinis miſsione, quæ arden-

Sang.miſſi. ad animi deliquium quibus morbis.

Sang.mittend. in ardẽtiſſ. febri. ad animi deliquium, & in quibus.

Digitized by Google

tissimis febribus adhibentur meritò considerandum erit, & sententia à doloribus in febres transferenda. Præterea libro de sanguinis missione, magis adhuc mentem explicuit, dicens: nam in quibus tibi sanguinis feruentis copia apparet, quam citissimè eos vacuare conator, priusquam in principem aliquam partem ingruat. De his itaque febribus ardentissimis quæ copia feruentis sanguinis fiunt, intelligi debet, quod de sanguinis missione ad animi deliquium dictum est. Præterea quibus sanguinis missio non conuenit, minimè ad animi deliquium conueniet: sed biliosis morbis non conuenire notum est: nam bilis promptè purgatione ducitur, non ita sanguinis missione. Sanguinem quoque vacuare in morbis biliosis nulla ratione conducet: nam si hominem refrigerare vis in febre ardentissima simul & biliosissima, id ad amussim assequêris, purgata bile, cuius purgatio manifestè refrigerat, nulla alia accedente vacuatione. Loquimur autem modò de continente à bile, non de continente à sanguine: quoniam & hanc biliosam dicit esse Galen. cùm ex sanguinis putredine oritur, liquidem sanguinis pars tenuior per putredinem, in bilem transit, libro secundo de Differen. febr. & secundo de Crisibus. cap. duodecimo Præterea depinguamus modò hominem qui continentem biliosam patiatur, bile in magnis vasis putrescente, hic sitim patietur vehementem, calorem validissimum ac mordacissimum, linguæ nigredinem, corporis ariditatem, pulsum magnum, celerem, crebrum, sed humiditatis expertem, dum non sudat aut sudorem decretorium spectat vigilabit, idque æstiuo tempore, calida & sicca regione, & tali temperatura, natiua vel ascititia. Huic sanè si medicus sanguinem misisset, mortem attulisset subitò, nodum, si ad animi deliquium eandem exerceret: sanguis etenim vires seruat, quem non esse vitiatum intelligimus, si corpus vniuersum humectat, & refecit, & spiritus generationi materiam præstat. Si dixeris commisceantur summæ sanguis & bilis, atque ita ad portionem bilem & sanguinem ducemus, eadémque manebit sanguinis ad bilem proportio, post sanguinem missum, quæ antè erat, nec magis bilis manebit effrenis quàm antè, verùm si continens biliosa fuerit, non sanguinea, non cruentalis qualis dicta est mixtio: nam per eam bilis & sanguinis mixtionem, qualis aquæ & vini, febri à bile & sanguine orietur, neque fieri poterit vt vinum incalescat, aut vitium in prædicta mixtione patiatur, quo careat aqua, aut secus. Quapropter si eam mixtionem statuas sanguinis & bilis, quam in vino diluto & aqua videmus, febris inde orta sanguinea erit: siquidem totus sanguis cum bile calorem putredinalem patietur, & febris potius sanguini quàm bili erit referenda, quamuis & hanc biliosam appellasset Galenus cui sanguinis missionem ad animi deliquium concedet: si tamen biliosam continentem statuas minorem hac, mixtionem & confusionem intelligere debes, per quam sanguine misso, copiosior sanguis & ad portionem magis bile educetur, & inde bilis effrenior quàm antè manebit, forétque in hac pernicioſissimum sanguinem mittere, salubre ventrem purgare, an tamen ad animi deliquium, noninstituimus modò dicere, sed admonere tantùm, morbis biliosis & febribus à bile, siue continuis, siue continentibus purgationem esse necessariam, sanguinis verò missionem pernicioſam: ad animi tamẽ deliquium in tali affectu hominem ducere piaculum est. Conueniet autem continentibus à sanguine, etiam si bilem copiosam haberent admixtam, præsertim si ea mixtio esset, qualis aquæ & vini in eodem vase: tunc enim massæ sanguinariæ inesset vitium. Constat autem has esse febres continentes aut cum putredine, aut citra ipsam, in quibus Gal. 9. lib. Metho. has maximas sang. missio. exercuit ad deliquium animi, sunt autem non tantùm copia sanguinis feruentissimæ, sed etiam ob feruentem copiam acutissimæ, quas in genere biliosarum cum à sanguine putrescente fiunt, Galen. recenset, & ardentibus exquisitis, quæ tertianæ continuæ sunt, acutiores. libro secundo, de crisibus testatur, capit. sexto. vbi conferens continentes febres

Continentes febres an sint continuis acutiores.

contin

continuis inquit, Cùm verò neque declinatio aliqua sensibilis fiat, semper vero, à primo principio febris, vique ad crisim similis perseuerauerit, erit & hæc de genere febrium deurentium, ab eisdem vero acutie differt. Nec tamen decet virum linguarum peritum dubitare an Galenus velit hoc loco febres continentes esse continuis acutiores, an secus: ignarum autem lingarum expediet Grammaticum, aut medicum aliàs Gramaticæ peritum adire, qui facilè eum à tenebris ignorantiæ, hac via eripiet, vbi habet, ab eisdem acutie differt, Græca litera, sic habet, ὀξύτητι δ' αὐτῶν διαφέρῃ. hoc est, easdem verò acutie superat, continens vtique febris, de qua loquitur, continuas. Quod tamen, διαφέρῃ, id significet, constat: nam verbum, διαφέρω, vti anomalum, Præteritum habet, διήνεγκα, aoristum primum, ἤνεγκα: significat autem id verbum, idem quod latinis præsto, antecello, supero, vt est apud Isocratem, περὶ εἰρήνης, cùm inquit: τοσοῦτον ἁπάντων διήνεγκαν τῶν πώποτε ἀνθρώπων quod est, vsq; adeò omnes homines amentia superabant. Et Aristotel. lib. 7. politicorum. ὅσῳ τοὺς ἥρωας ὑπενόμισαν, τῶν ἀνθρώπων διαφέρειν. quod est, quantum heroas reliquos homines superare existimarunt, Ex his notum euadet. Gal. in præhabita oratione voluisse, continentes febres, quæ nunquam, aut ad infebricitationem, aut manifestam remissionem ducuntur, acutiores reliquis cõtinuis esse. Ex eisdem tamen illæ sunt acutissimę, quibus vniuersum tempus est status: constat enim has, semper habere summam vehementiam, quam non haberent quę aliquado remittunt. Sed dices, quare hanc continentem Galen. loco citato de genere ardentium dixit esse, non exquisitam ardentem, nihil refert: nam exquisitam ardentem voluit eo loco, eámque tertio die habere incrementa, continens autem si fiat à bile, omnimodo erit acutior, quã quæ tertio die inualescit. Nec tamen ignoro ex continuis biliosis quasdam 3. aut 5. die iudicari, sed Gal. continentes esse dixit, acutiores, præsertim homotonus: quæ enim tota status est, vehementior & acutior natura sua est, quàm quæ aliquando remittit: nam & continuas multas prorogatas suprà 14. videmus: nullam tamẽ homotonum: si verò à sanguine fiat, ardentissima erit & acutissima, ardentissima quidem, copia caloris: hæc enim est cui sangui. mis. ad animi deliq[illegible]m conuenire. Gal. voluit. Est quoque acutissima, quoniam breuissimè, & intra primum quaternarium finitur teste. Gal. libro tertio, de Crisibus. ca. 4. vbi continentium febrium crises quarto die euenire statuit. Tales sunt omnium acutissimæ. Sed rursus obiiciet aliquis, febres continentes sanguineas esse, ac perinde mitissimas, & placidissimas, & mitiores eis quæ sunt à bile, quo sanguis mitior humor bile est, cui respondebimus, febres continentes à sanguine incipientes putrido, iam quodam modo biliosas esse, vti nos quoque (cũ de febribus à sanguine ortis, lib. 2. de diffe. fe. in com. nostris disseruimus) probauimus, & Gal. li. 2. de crisib. cap. citato de eadem continente loquens, addit, sed neque in primo die, neque in secundo est huiusmodi febrem cognoscere, neque aliter vtile: sufficit enim genus agnoscere, quòd scilicet biliosa sit & deurẽs, & peracuta. quòd si de sanguinea loquamur, atque eam à biliosa separemus, non erit nostra disputatio de Galen. sententia, qua dixit, continentes esse continuis acutiores: id enim manifestum relinquimus ex eius verbis. Nec tamen sequitur: si benignior est febris continens à sanguine & placidior ac simplicior, nõ est acutissima: nam simplicitas ad morem morbi attinet, acuties verò ad terminum: dum tamẽ de genere acutorum morbus sit: febres enim omnes siue salutares, siue lethales, quales multas sanguineas esse contingit, eundem terminum habent salutis & mortis, autore. Hippo. prog. 1. lib. 3. ita vt febris continens quæ simplicissima fuerit, quatuor diebus ad salutem finiatur, & eiusdẽ generis pessima ac malignitissima, quatuor diebus interimat, morbus quoque lateralis salubris, & pessimus. 14. diem terminum habent. sic quoque Hipp. prog. secundo, libro tertio. simplicissimæ namque febres ac signis firmatæ securissimis, 4. die aut citius cessant, pessimæ verò, ac cum signis prauissimis factæ, quarto die aut citius in

terimunt. Atque hac ratione continentes citra putredinem 4. diebus ad salutem deueniunt, quòd simul maximæ & simplicissimæ sint. Sed quod instituimus, prosequamur. Porro in maximis inflammationibus ad animi deliquium ducere præcepit Gal. Dixit autem, in maximis, quoniam in magnis, nõ tamen maximis, sangui. mittere docuerat lib. de sang. missio. quandoquidem ad mittendum sang. magnitudo exigitur morbi. Est autem maxima inflãmatio, quæ ad maximam peruenit magnitudinem. Dubitabit fortè quis, non enim constat, quæ sit in maximis inflammationibus occasio sang. mitten. nam ab initio nondum est maxima. Non igitur cõueniet ei sang. missio ad deliquium animi: si verò iam facta est, & summam magnitudinem nacta, tunc potius expediret demere tantummodo corporis redundantiam, deinde topicis remediis mederi inflmmationi: maximè verò hæc admouere oportebit, si totius corporis redundantia ab initio dempta fuit. Dicemus, medicum posse cognoscere antequam inflammatio facta sit ipsam futuram de maximis, ex corporis plenitudine, ex incrementi celeritate, ex dolore, & calore partis, & vbi aliquando in eo loco similem fuerit passus inflammationem: tunc etenim sanguinem mittemus ad deliquium animi, si facultas ferat, incipiente inflammatione. At verò contrarius videtur Gal. lib. de sang. mis. qui præcipit in reuulsionibus sang. mis. multiplicare: non igitur licebit ducere ad animi deliquium: est autem reuulsio quę inter initia exercetur. Sed neque id obest: nam vbi morbus consentiat, repetito interuallo sanguinem mittemus: vbi verò non, sed morbi vehementia instat, aliter faciendũ. Præterea expediet ducere ad animi deliquium, iam facta maxima inflammatione, sed corpore adhuc pleno, vt vitemus cursum humorum, & minuamus redũdantiam, & demamus magnam partem magnitudinis inflammationis: siquidem abundè misso sanguine ex venis paruis partis inflammatæ, magna pars in maiores recurret, dempto ex proximis sanguine: vitabimúsque eo remedio, ne ex magnitudine inflãmationis, antequam ad suppurationem, aut dissolutionem perducatur, pars incidat in gangrenam, siue mortificationem. Id enim ex inflammationis magnitudine speratur. His tamen aduersatur quod Hippo. libro secundo, de ratio. vict. acu. sect. 10. Quantitatem sanguinis detrahendi in inflammationibus definiuit donec sanguinis color mutetur: non igitur oportet ad animi deliquium ducere. Dicemus eam esse decentem euacuationem, qua sanguin. color mutatur in inflammationibus quæ magnæ sunt, nisi prius facultas langueat, quod ex pulsu cognoscetur, aut impetus: manantis sanguinis flaccescat. At in maximis, quamuis ea medendi via, atque sanguinis quantitas educta prodesset, alia quoque conueniet, per quam ducetur ad animi deliquium cõstante facult. quæ via licet non adeò tuta sit: vbi tamen opportunè adhibeatur, posset breuissimè hominem sanitati restituere, ac multo citius quàm minor, quæ tantummodo ad mutationem coloris sang. duceret sanguinem duceret. In doloribus ingentissimis pariter præceptum est sang. mittere, ad deliquium animi, prius tamen adhibita distinctione, an sang. mittere, an purgare cõueniat. Dolores autem ingentissimi soluta continuitate fiunt, soluitur autem continuitas, à causa interna aut externa: si ab interna, aut est humor aut flatus, si flatus, ipsum discutere oportet: & si materia generationis adest præsens, euacuanda, si verò fuerit humor, is calidus erit, magna ex parte, quamuis à vitrea pituita fieri possit, ex calidis est bilis, aut sola, aut sang. mixta, aut sanguis ipse, si tamen causa fuerit externa ipsa semota vbi dolor adhuc remaneat, causam internam omnino excitauit, quæ in partem confluit dolentem, eam tamen euacuare oportet, adhibita distinctione, an sang. mis. an purgatio conueniat. Cùm itaq; dolores ingẽtissimi à sang. aut humore sanguini mixto prouenerint, & facultas id ferre potuerit, sang. mittemus ad animi deliquium: causam enim doloris, atque dolorem ferè subitò adimemus, & hominem sanitati restituemus. Huic tamen sententiæ pugnare videtur, quod Galen. lib. de Arte cur. ad Glau. dixit. Ibi enim docent

Sang. mis. ad animi deliquium in maximis inflammationibus.

Sang. mis. ad animi deliquium in dolo. ingentiss.

sang.

ſang.miſsionem non exercendam eſſe pro ſolius morbi ratione, ſed nonnihil accedentibus eſſe condonandum, addit.ita etiam ſi vehementiſsimæ vigiliæ, aut dolor intenſus,ægrotum infectant,cauendę ſunt ſubitæ ac multæ euacuationes,non igitur in doloribus ingentiſsimis mittemus ſangui.ad deliquium animi.Verùm hæc duo loca nullatenus pugnant. Cùm enim Gal. à magnis & ſubitis euacuationibus præcipit,doloris gratia,id intelligi vult.Cum ex ſang. miſsio.aut alia quauis adhibita euacuatione, non ſperatur in totum dolorem. deſiturum, vt deinde facultas, ſeruetur ad ferendum dolorem, qui aliâs non parum facultatem deiicit,quemadmodum & magnæ vigiliæ. Præterea in doloribus diu perſeuerantibus facultas languet, ac proinde minimè tolerat magnam & ſubitam euacuationem. Cæterùm quando dolor vehemens incipit, qui nondum vires deiecit, ſed adhuc valent, & ferre poſſunt magnam ſangui. miſ.& ad animi deliquium, id tentabimus ſperantes dolorem ea ſola euacuatione ceſſaturum,& deinde non eſſe opus facultate ad ferendum eundem,cuius gratia præcipit abſtinere à magnis & ſubitis euacuationibus.At verò cùm nullus horum affectuum adfuerit, nunquam ad animi deliquium ducemus ægrum,ſanguinis miſsione:minimè verò purgatione, ſed pro copia humoris, & morbi magnitudine,& aliis.Quin & in prædictis tutius eſt ab adeò magnis euacuationibus abſtinere, ne facultas quamuis robuſta, perterrita ſubitò delapſu deficiat,neque amplius reſtituatur. Decet autem in aliis corporis affectibus,vti inflammationibus internis ſanguinem copiosè mittere,ad coloris mutationem,docente id Hippo.libro ſecundo,de Ratio.victu.acu. ſect.10. quo in loco inquit: Si verò dolor ad clauiculã pertingit, aut moleſta ſit, vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus grauitas, internam cubiti venam ſecare expedit, neque vt copiosè ſanguis detrahatur, cunctandum eſt:ſed eò vſque auferendus,donec rubidior multo,vel pro puro rubidóq; liuidus fluxerit: nam vtrumque contingit.Ratio huius ſententiæ eſt,quoniam cùm ad coloris mutationem ſanguis ducitur, indicat iam nonnihil educi de ſanguine parti inflammatæ idiunćto,atq; ad eadem infecto.Quod præceptum commune eſt in magnis internis inflammationibus,vbi vena iuxta partem patientem ſecatur,& facultas euacuationem ferat. In quibus magnum & præſentaneum exigitur remedium,quóque citiſsimè reuellat & euacuet cauſam morbi,ſicuti & in iecoris & lienis inflammationibus.At verò neque id in omnibus expectare oportet,ſed vbi inflammatio non fuerit valde maligna: Cùm enim talis fuerit,ante coloris mutationem ab euacuatione ceſſandum: quod Galen.præcipit lib. de ſang.miſ. In quibuſdam verò corporis affectibus cogimus ſanguinis miſsionem impartiri: veluti cùm in corpore aceruata fuerit ſuccorum crudorum redũdantia. Tunc enim impartienda eſt euacuatio ſangninis,vt interim adhibitis medicamentis extenuentibus, humor tum coquatur,tum externuetur,ac facilius deinde ſecta vena ducatur,quod Galen.lib.de ſang.miſ.docuit dicẽs: Vbi ergo multa euacuatione opus eſt,verùm vires ſunt imbecilliores,in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum & me feciſſe viditis,in his quibus crudorum humorũ inerat copia.Nam pauculo ſanguine detracto protinus melicratum exhibeo probe coctum, cum incidentium medicamentorum quopiam:veluti hyſſopo,origano,& interim etiam nepita, aut pulegio,aut cum melicrato, oxymele, aut oxyglycy, ac ſic rurſum ſanguinem minuo vel ipſo eodem nonnunquam die, interdum die poſtero,in quo rurſum exhibito prædictorum medicamẽtorum quopiam,iterum de ſanguine aufero, aut rurſum tertio die ſimiliter bis.Huic tamẽ ſententię pugnare videtur quod Galen.libro duodecimo,de Metho.med.dixerat:ibi namq; inquit.Ergo febricitare incipiunt nonnulli, vbi magnã crudorum ſuccorum vnà cũ oris vẽtris eruditatibus. vel alia quapiam occaſione cõgeſſerunt. Atq; paulò inferius de eiſdem loquens,inquit:Nulli tamen talium ſanguis mitti, ſine magno diſpendio ſolet:cùm tamen vacuationem deſiderent: verùm nec ſanguinis miſsionem

Locorum conciliatio.

Sang. miſ. ad coloris mutationẽ.

Sang. miſ. impartienda.

nem

nem nec purgationem sustinent, vtpote quos sine his, syncope subitò adoriatur. Quo in loco crudis humoribus redundantibus videtur sang. missionem denegare. Posset quis respondere Galen. libro, de Metho. med. crudis humoribus redundantibus prohibuisse sang. mi. quoniam in illis de quibus loquitur, facul. non constat: lib. tamen de Sang. missione de his loquitur, in quibus facultas constans est, cæterùm id non soluit dubium: quoniam lib. de sang. missione quando sang. mis. impartiri docuit, de his loquitur in quibus facultas imbecillior est, vt constat. Dicemus tamen, quod vbi Gal. præcipit crudis humoribus redundantibus sanguinem mittere, antequam homo in febrem incidat, faciendum est: cùm vero lib. de Metho. med. id denegauit, de his loquitur, qui actu ægrotãt, & febrem patiuntur. Cùm igitur in alicuius corpore multi crudi succi in venis cum sang. aceruantur, antequam febricitet, vena ei incidenda est, per interualla, modo dicto: sed cũ semel in febrẽ inciderit, à venæ incisione abstinendum, sed humorum coctio molienda, & deinde eorum euacuatio per interualla, pro facultatis tolerantia. Quod lib. de sang. missi. docuit dicens: At vbi crudi succi exuperant, antequam morbus inuaserit cautè euacuabis: sed vbi iam febris corripuerit, vti antè monui, nequaquam. Quum enim ęgrotant cum ea crudorum copia, non constat eorum facultas ad ferendam sang. mis. siquidem, vt paulò antè dixerat Gal. in eis pulsus est inæqualis, & in inæqualitate quæ attinet ad magnitudinem, & vehementiam, obscurus, ac paruus exuperant. Quum autem nondum ægrotant, non omnino constat facultas, ita vt vnam copiosam sanguinis missionem ferre possint, sed vt ipsam per interualla ferant. Itaque siue ob crudorum humorum redundantiam, siue quauis alia ratione, vbi cum languida non valde, sed vt dixerim, modicè constante facultate, sang. mis. opus fuerit, ipsa impartiẽda est. oportet autem sang. mittere, vbi aut crudi succi, aut corrupti cum sang. mixti sunt, nec longè à sanguinis natura absunt, copiosius, vbi verò longius absunt, & sanguini miscentur, si sanguis paucus est, reliqui succi multi, omnino à sangui. missione abstinebimus, sed humorem redundantem euacuabimus. Si vero succus crudus, aut deprauatus non multus est, sed sanguini multo miscetur, à cuius natura valde distat, sanguinem mittemus per interualla, si intellexerimus facultatem non satis constare, deinde humorem reliquum medicamento euacuabimus præscriptionis gratia. Quòd si ita affectus, sanguinis detractionem detrectet, venter ei largiùs subducatur, quemadmodum & illis qui sang. mis. reformidant, vbi humores sanguini mixti, non longè absunt ab eiusdem natura: hæc enim euacuatio prauum humorem sanguini mixtum educet, ac nonnihil demet de sanguinis mole: sanguis etenim quatuor humorum materiam continet. Absunt autem ex succis aliis à sanguine, quidam magis, quidam minus, ac quidam citra, quidam vltra sanguinem sunt, hi corrupti, illi crudi dicuntur. Cùm enim ex alimentis quædam ad integritatem coctionis, & sang. perfectionem nondum perducta fuerint, succos inde genitos, crudos esse dicemus. Cùm verò sanguinis naturam prætergrediuntur, corruptos vti & quosdam alios, sed humores ipsi ex alimento geniti, quidam sanguini propè accedunt, quidam longè adhuc absunt à sanguinis natura. Ex his verò qui corrupti sunt, quidam nunquam formam sanguinis fuerunt assequuti, vt salsa, aut acida pituita, quidam postquam sang. mediocritatem excesserunt, aliam formam sunt adepti, vt bilis flaua, aut atra, aut porracea, aut ęruginea, & ex his bilis speciebus, quædam magis, quædam etiam minus à sanguinis natura absunt. Cùm igitur humores alij à sanguine, ipsi miscentur, admodum à natura eius recedentes, coniicere oportet quantus sanguis sit, quãti etiam alij humores. Quòd si cum multo sanguine reliqui pauci fuerint, mittẽdus est sanguis, & reliqui deinde præparãdi, atque euacuandi. Si verò sanguis paucus fuerit, & reliqui humores multi, sanguis mittendus non erit: quando verò humores sanguini mixti, non longè absunt à natura sanguinis, sanguis mittendus est audacter. Sed tamen vbi prædicti

Succi aliis à sang. cum sang. mixtis quid agendum.

dicti humores citra ſanguinis naturam fuerint, ſanguis mittendus, & inedia maior ſeruanda, vt reliqui coquantur, & in ſanguinem bonum mutẽtur, quod fieri ſolet: verùm ſi peccantes cum ſanguine ſucci, ſanguinis prẽterlabuntur, copioſius ſanguine miſſo, minorem iniungemus inediam: ſed celerius ad purgationem properabimus, vt rurſus purgatum corpus alamus. Agnoſcemus autem ſucci abundantis naturam ex vrinis, deiectionibus & ſudoribus, & totius corporis colore & victu præcedenti. Præterea cum ſangui. mittimus reuulſionis gratia non totus ſemel ducendus, ſed per interualla, vt interim natura in contrarium fluxionis locum aſſueſcat, & impetum in contrarium trahamus, & nonnihil recurrat. Quapropter in vehementibus fluxionibus, quæ fiunt ad nobiles partes, ſemel ciſa vena quater ſanguinem traximus interrupto fluxu digiti appoſitione, quod etiam ſæpius facimus, paucis, interiectis horis, interim aperto ſeruato vulnere, oleo illito, vt aſſolidatio impediatur. Præterea à reuulſoriis auxiliis ceſſandum atque tempus interponendum, cũ inflammatio valde maligna fuerit, vt interim humoris infarcti in parte inflammata, portio diſſoluatur modicè calidis medicamentis ac dolorem lenientibus. Id eſt quod voluit Auicẽnas, cùm dixit, cúmq; ad diuerſum trahere volueris, membri à quo protrahis, dolorem prius ſeda. Quandoque enim inflammationis malignitas impedit, ne in contrarium trahatur humor reuulſione, vbi tamen nonnihil diſcuſſum fuerit, licebit rurſus benigniori facta inflammatione, reuellere. Quod palam docuit Hip. lib. 6. de Morbis pop. par. 2. dicens: Obedientia confeſtim reuellere, & renitentia demitere quod de morbo laterali etiam intelligi debet, non ſemper ad ſanguinis mutationem eſſe ducendum. Quod Gal. lib. de Sang. miſ. docuit de coloris ſang. mutatione ſperanda dicens: Non tamen omni ex parte hæc expectãda eſt. Verum eſt vbi, antequam exiſtat ceſſare conueniat, idq; duplici nomine, ob infirmas videlicet vires, aut plhegmones prauitatem. Interdum enim nihil ab ea mittitur, ſed fortiter cõſtrictus inibi eſt. idem Paulus lib. 6. c. 40. Prẽterea ob imbecillitatẽ facultatis ſanguinem repetito interuallo mittimus, vt interim facultas ad ſequentes euacuationes roboretur alimento, quod mederi per Epicraſim appellat Gal. Poſtremò nobis dicendũ erit quas venas, in quibus morbis ſecare opus ſit: in omnibus namque affectibus partium, venæ ſecundũ rectitudinẽ ſunt ſecãdæ, ſeruantibus nobis rectitudinẽ cum Hip. lib. 6. de mor. po. par. 2. cõmodę enim ſunt euacuationes, quæ ſeruata partis affectæ rectitudine exercentur & præſentaneũ afferunt remediũ: inutiles verò quæ aliâs fiunt. Rectitudo autẽ ea eſt, quã dextræ partes cũ dextris ſeruant, & ſiniſtrę cũ ſiniſtris: ſiquidẽ laborante oculo dextro ſang. ex dextro brachio mittimus, & laborãte ſiniſtro, ex ſiniſtro, ſic etiã laborante coxẽdice venã tali externam. ſecamus vtero tamẽ patiente internã. Præterea ſang. immodicè fluente ex dextra nare cucurbitula iecori appoſita ſanguinis fluxũ ſiſtit. At ſi ſiniſtro hypochõdrio adhibeatur, inutilis omnino erit. Conſiderare itaq; oportet an morbus præſens ſit, an futurus, & vbi futurus ſit, an in toto corpore ſperetur, vel in aliqua eius parte. In morbis qui in toto corpore ſpectãtur, vti febribus & articulari morbo, ineunte vere ſanguinẽ mittemus ex quauis vena, de magnis, ſiue effatu dignis, ſicuti & vbi præſens adfuerit, licet per eos affectus tutius videatur, imprimis ſecare venã internã, quę iecori è directo reſpondet, tanquã ex ſanguinis fronte haurientibus ipſum. Si tamẽ morbus alicuius partis fuerit proprius, cùm ſperatur, ſanguinem è lõgiſsima parte mittemus, conuertẽtes ſanguinis impetũ, & naturæ conſuetudinẽ in longè diſtantia loca, cũ verò affectio iam incipit, reuellemus primùm ſectis venis quæ longè diſtrahunt, & rectitudinẽ ſeruant, cũ affecta parte, interim dum affectio generatur: ipſa verò iam genita ex eadem, ſi fieri poſsit, parte euacuabimus: aliâs autem ex quàm proxima. Itaq; aut inflãmationes fiunt ſupra iugulũ, aut infra ipſum: ſed ſupra renes: aut fiunt infra renes, venæ verò quædã ſecantur in brachio, quædã in cruribus, quædam in partibus capitis: in brachio tres: in-

Sang. miſ. per interualla.

Sang. miſ. repetita ob imbecill. fa.

Venæ quæ ſecantur.

Venæ quæ ſecantur in morbis diuerſarum partium.

terna, externa, & media: his accedunt, quæ ab eisdē ortū habent: & ad manus prorogantur. In cruribus secatur vena poplitis, & venæ quæ in malleolis, quæ ab eisdem ad pedes ducuntur. Supra iugulum verò secantur venæ sub lingua, vena frontis, & vena quæ in angulo interiori oculi, & alia in pinna nasi, & aliæ intra nares. In morbis qui fiunt supra iugulum, vti angina, phrenitis, apoplexia, & comitialis, venam externam secamus, quam appellant cęphalicam, sicuti & in oculorum morbis & fluxu sanguinis narium, in his vero qui infra iugulum, sed supra renes, venam internam secamus, quæ axilaris dicitur, veluti in pulmonia, pleuritide, iecoris, aut lienis inflammationibus. Quòd si non apparuerit vena externa, quam quærimus in morbis capitis, aut non apparuerit interna, quam quærimus in morbis qui fiūt infra iugulum, sed supra renes, secabimus mediam, siue communem, quæ in iunctura brachij constituitur ex internæ & externæ propaginibus, aut paulò inferius, sæpe verò eisdem apparentibus, aut ob facultatis imbecillitatem, ne spiritus exhalet, aut ob reuulsionem validiorem, quæ sine magna fiat euacuatione, in morbis capitis secamus venam quæ iuxta brachiale deuoluitur, quæ ab aliis funis brachij dicitur: hæc enim à vena externa propagatur, & ferè pares cum ipsa vires habet, cui alia non longè absimilis respondet, ad eosdem morbos proficua, quæ inter pollicem & indicem sita est, & se facilè ostendit. In morbis vero iecoris & lienis ob prædictas causas, relictis venis quæ sunt in brachio, secamus, eásque in manu: nempe eam quæ est inter anularem & medium dextræ manus, in morbis iecoris, & ei parem in sinistra manu in morbis lienis. Gal. namq; li. 3. de anatomicis administrationibus, ex quorundam opinione dixit, secta vena quæ est inter anularē & medium, & dimisso sanguine fluere donec vltro sisteretur, lienē ex tali vacuatiõe iuuari, vidimus quoq; in morbis lienis & iecoris secta vena quæ est inter anularē & minimum directione seruata manifestè fuisse adiutos laborãtes, idq; quotidiano comprobante testimonio. Morborum quoq; capitis vehemẽtia fere sedata, secauimus in phrenitide & lethargo venã frontis, & in angina eas quę sub lingua sunt, totius corporis redundãtia dempta, quibus sectis integrè à morbis euaserunt. In harũ venarum sectione attentè inspiciendum, ne subiectã arteriam, aut neruũ vulneremus. Nam venæ internæ arteria subiecta est, venæ mediæ neruis, & vtrique musculus: tutius tamen secatur externa. Renes verò ambigũt, vt inquit Gal. ita vt neq; superioribus, neq; inferioribus, neq; mediis, nẽpe thoraci, iecori & lieni cõnumerari debeant: sed tamẽ incipiente in ipsis inflãmatione secabimus internã cubiti venã: ipsa verò iam facta, siue fluxionis impetu flaccescente, venã poplitis, aut malleoli internã secare expediet. Id cõuenire vult Gal. inflãmationi iam factæ, quam propriè nephritim appellat. Hac præhabita distinctione intelligenda est. Hip. sententia, qui li. 6. de Morbis po. par. 1. vbi in renũ doloribus poplitis venã secare præcipit. Sed Aëtius. li. 3. sermone 3. tam in lapide quã in renum inflãmatione præcepit, mittere sanguinẽ secta vena cubiti. vtraq; enim harũ sententiarum distinguenda, vti à Gal. distinguitur. Cùm enim morbus incipit, vena cubiti secãda: cùm factus est, vena poplitis, & meritò quidem: nam sanguis natura grauis est, ac deorsum facilius quã sursum fertur: q; si fluente à partibus supernis sanguine, ad renes, sanguinẽ secta vena poplitis miserimus, impetu in easdẽ partes feretur. Reuellunt itaq; è renibus superiores magis, euacuant verò inferiores. Neq; longè abest ab hac sententia, quod auctor libri de renũ affectus dignotione & medicatione docuit, conuenire (dicens) in lapide renũ, languida existente facultate, sectionẽ venæ cubiti, robusta verò existente, sectionem venæ poplitis: timet enim lãgui-lũ existente facultate, ac ipsa nequeunte sanguinem cõtinere, ne validius influat sanguis ad renes, secta vena poplitis. Robusta nãque existẽte, validiùs continebitur & pars laborãs vehementiùs obsistet. Sano autem homine præuisionis gratia, cubiti venam internam secamus: in morbis verò qui in partibus inferioribus fiunt. Sunt autẽ hæ, vterus, vesica, & pudẽda,

Renes ambigunt.

ven

venam poplitis secamus, aut eas quæ in malleolis sunt: sed id ab initio facere incipientibus inflãmationibus, ac pleno corpore, tutũ non est. Decet autẽ primum secare eas quæ sunt in brachio, deinde eas quæ in cruribus, ne impetu sanguis ad eas partes decũbat, Aetius in testium inflamationibus plenitudine præsente præcipit in cubito secare venas: ꝙ si hæc nõ adfuerit, eas quę in malleolis. Præterea inflãmationes vteri plus iuuari dixit Gal. quàm inflammationes renũ, sectis crurũ venis: quoniam sectio venarum quæ sunt in cubito, aliud adiunctũ habet malũ, nempe quod mẽses retinet, & quod sanguinẽ conuertit ad superiora. Verum equidẽ est, quod Gal. dixit, ea sequi ad venæ sectionẽ, quæ in cubito fit, cæterũ incipientibus inflãmationibus, id non est malũ: incipiẽtes namq; fluxiones auertere oportet, non ad partẽ trahere: nõ igitur licet sanguinem versus vterũ ducere, neq; menses prouocare, sed potius ipsum in contrarium ducere, & impetũ sanguinis cohibere: neq; enim hoc facere per id tempus malũ erit: nã & li. 13. de Metho. me. maximã excitari phlegmonem dicit, si quis vteri inflãmatione incipiẽte mẽses deuocet. Iam verò cessante fluxione, & quadãtenus scirrhosa facta inflãmatione, licebit venam poplitis secare, aut eã quæ in malleolo interiori est, aut eis non apparẽtibus, eam quæ in pede, aut pollice pedis se ostendit. Eadem de causa crura quandoq; mulierũ scarificare præcipimus, vt in albidioribus fœminis, quæ sanguinẽ aceruant aquosum: præ uisionis quoq; gratia, vbi mẽses retinentur, quãuis morbus magnus nõ sit inde aliquãdo sequutus, mẽses prouocare volẽtes, venas in malleolis, aut poplite secamus, aut supra malleolos scarificamus: nunquã tamẽ ex cubiti vena sanguinẽ detrahimus, ne mẽses retineamus, sanguine sursum cõuerso. Quòd si ob hę morrhoidas retẽtas morbus speratur, aut plenitudo adfuerit, nõdũ imminẽte morbo, distinguendũ est: nã si velimus hæmorrhoidas, curare venã secabimus in cubito, sin minùs, in cruribus. Nã sistere licet aliquãdo hęmorrhoidas, ob periculũ mali habitus: menses aũt omnino retinere, aut eã euacuationẽ vitare, quę adeo naturalis est, nõ licet, neq; enim ab ea interim dũ secundũ naturã fit malũ quodpiã timetur: dũ verò nõ fit, tale futurũ speratur: in coxendicũ verò doloribus à sanguine factis, secta priùs vena interna cubiti, externã malleoli deinde secamus. Cùm itaq; affectio partis alicuius, aut fit, aut facta est, nõ eadẽ vena secta iuat: sed quandã secamus incipiẽte affectione, aliã verò ea iam facta. incipiẽte enim reuellimus, facta verò euacuamus. Reuulsio tamẽ ad longinquas partes tracto humore, decũbente in locũ patientẽ fit: euacuatio verò per ipsam partẽ, aut proximã. At incipiẽte affectione & humore in partẽ impetum faciẽte, aut etiam interim dũ corpus plus æquo plenũ fuerit, ex parte patiente euacuationẽ tentare nõ decet, ne celeriùs & magis impleatur fluxione. Labo rãte itaq; gutture inflãmatione, interim dũ fit, & humor in partem influit, externam cubiti venã secabimus. Cursu verò cessante, & corporis redundantia dẽpta, secabimus eas venas quæ linguæ subiacẽt, sic & in phrenitide incipiẽte secamus externã cubiti venam: fluxione verò cessante venã frontis, aut eam quę inter nares est: laborãte verò vtero, vesica, testibus, aut pudendis, maximè vbi adfuerit corporis plenitudo, aut sanguinis abũdantia, venam cubiti internam ab initio secabimus. Quòd si nõdum passio cessauerit, venã deinde secabimus quæ in poplite, aut malleolorũ interna patiẽtis partis fit, venã internã dextri cubiti secamus, sicuti & laborãte liene, sinistri: neq; licet ad aliã accedere, quæ propior sit patienti parti. Si tamen incipiente inflammatione iecoris, velles eam quę in sinistro cubito est, internam venã secare, nihil omnino prodesses, præter id quòd interim facultatẽ languidam redderes, antequã è loco quidpiã dimoueres, neque inflãmationis prohiberes generationẽ. Sic etiam in vteri inflãmationibus, venam cubiti internã secamus, priùs vniuersam redundantiam demẽtes, ac reuellentes, deinde internã malleoli, euacuãtes. In pleuritide tamẽ incipiente, internã cubiti venam patientis lateris secamus, nõ aliter quã in iecoris inflãmationibus, aut lienis: qua de re non parũ dissentientes

Scarificare crura.

Vene sectio in hæmorrhoidibus.

Sang. miss. in pleuritide.

Digitized by Google

inuenies tam antiquos quã iuniores medicos. Quoniã aũt plures viri sapientes de hoc dubio latè disseruerũt, nos breuius quo neri possit, ea tantũ quæ ad legentiũ vsum fuerint, referemus. Barbari ferè omnes, in laterali morbo incipiente, venam secare præceperunt, quæ longè à parte patiente dissita esset, quoniam reuellere tãtummodo erat in animo, deinde proximas secabant venas. Quidam itaque à venis pedis oppositi lateris incipiebant, quidam à venis pedis eiusdem lateris, deinde venam brachij internam secabant, ex opposito latere, deinde eam quæ in latere patiente: quoniam opinionem pernicioſam esse facilè deprehendes. Qui enim ab initio secaret venam quę est in malleolo aduersi lateris, nullam onino afferret vtilitatem, cùm vena ea nullam connexionem habeat cum parte patiẽte. Qui verò secaret venam quæ in malleolo est lateris eiusdem, reuelleret quidẽ, sed tardam afferret vtilitatem. Qui verò secaret eam quæ interna est in opposito latere, pariter tardè subueniret malo, & parũ prodesset, nulla seruata rectitudine partium. Præterea antequã auxilium ad locũ patientem perueniret, humor omnis partẽ obsideret: celerrimè verò internis inflãmationibus subueniendũ est, vti & Gal. li. 2. de Ra. viẽt. acu. in morbo prẽcipit laterali. Præterea cõstantissima opus esset facultate, si quater sanguinis missionem ferre deberet, is qui laterali morbo laborat. Adde q, plurimis morbus lateralis duplex efficitur, humore in latus oppositũ deducto, quod nos quoq; fieri aliis curantibus medicis inspeximus, cũ ad subueniendũ duplicato malo aliquando accersiti fuimus. Idem cũ barbaris voluit Archigenes, teste Aẽtio, idem Areteus Cappadox, in morbo laterali non secũdum rectitudinem inflammatarum costarum, sanguinem esse mittendum sed ex altero latere, idem Celsus lib. 2. cap. 9. Ex iunioribus tamen magna pars contrarium exercet, è quibus ferè omnes in laterali morbo internam venam cubiti secant, patientis lateris cum Hippo. & Gal. & ad sanguinis mutationem, vbi facultas ferat, nec flaccescat sanguinis fluentis impetus. Cæterùm quidam ex eis causam huius euidentis cõmoditatis quæ apparet secta vena lateris patientis, dixerunt esse, rectitudinem fibrarum communium venarum. Cùm autem communes venæ, non in omnibus lateralibus morbis, cùm venis eiusdem lateris habeant fibrarũ connexionem, non sine distinctione secandã esse eiusdem lateris internam venam, voluerunt, sed vbi morbus, in tribus costis superioribus sinistri lateris consistat, internam sinistri brachij venam secant: si verò in tribus illis costis, aut earumdem interuallo in latere cõsistat dextro, secari internam dextri cubiti venam præcipiunt, ob fibrarum venarum alentium eas costas, & peruenientium ad cubiti eiusdem lateris curuaturam, cõnexionem: vbi tamen morbus lateralis in regione nouem inferiorum costarum lateris dextri, aut sinistri fiat, semper internam cubiti dextri venã secandam volunt. Quoniam, vt ex anatome didicerunt, id admonente. Vuesalio, vena sine coniuge, cuius Galen. quoque meminit libro secundo, de Ratione viẽt. acu. in latus dextrum prorumpit, ex vena caua paulò supra dextram cordis auriculam, ab ea verò manant vtrinque venæ singulas nouem costas alentes. Cùm igitur hæc sine coniuge vena lateri dextro adiaceat, à qua omnes costæ inferiores aluntur, ipsis laborantibus venam internam dextri cubiti secare oportebit, fibrarum rectitudine, ac connexione seruata. Quantum autem aduerti debeat hæc fibrarum rectitudo, admonent, quoniam per fibras alimentum trahitur, ac perinde secta vena fibrarum communione consentiente, fibræ quoque tractionem in partem venæ sectæ iuuabunt. Sunt autem fibræ venarum, oblonga quædam stamina, instrumenta facultatis trahentis, idest (inquiunt) quod Hyppocra. ἶσιν, hoc est, rectitudinem, appellauit. Verùm neq; horum sententia mihi placet: non enim existimare decet Hyppo. præcepisse in euacuationibus seruandam esse rectitudinem eam, quam ipsi in longis fibris venarum statuunt. Dicant enim, quæso, qui in fibrarum venarum continuitate rectitudinem consistere dixerunt, cùm Galen. lib. de sang. missi.

Rectitudo non in fibris longis sim.

in

in iecoris inflammationibus sanguinem ex dextra nare fluentem iuuare testatur, ex sinistra verò minimè, & rursus liene turgente vtilem esse fluxionem sanguinis ex sinistra nare: ex dextra verò minime prodesse, rectitudinis rationem adhibens, quænam est fibrarum venarum lienis & naris sinistræ communio, aut restitudo? Certè neque Apollo cum Musis eam dilucidantes reperient. Quam etiam rectitudinem seruari præcipit, cum immodicè manante ex nare sinistra sanguine, cucurbiculam sinistro hypochondrio adhiberi voluit. Præterea nullum fibrarum consensum reperies inter vteri venas, & internam brachij. Quandoquidem omnes in iecore confunduntur: maiorem enim connexionem habent venæ lateris dextri & sinistri per venarum stamina, quæ omnia ad cauam, supra cordis regionem coincidunt. At verò vtero inflammato Galen. lib. 2. de Arte cur. ad Glau. per communes venas reuellere præcipit, seruata rectitudine, & venam cubiti secandam admonet, nõ ergo in fibris venarum consistit rectitudo, libro quoq; 13. de Metho. me. inquit: Manu enim laborante, scarificabis crura: nulla autem est fibrarum venarum communio cruri & brachio, aut manui: sed tamen causæ quas adhibent, quare fibrarum illa communio euacuationi proficiat, nihil omnino conferunt, dicunt enim, tractionem fibris exerceri oblongis, atque vbi communes fuerint venæ sectæ, & parti inflammatæ, per eas ad locum sectionis, ex parte inflammata, humorem trahi faciliùs. Nam sanguinis cursus ad venæ sectionem expulsione fit, non tractione: cùm enim semel vas scissum fuerit, comprimuntur venæ natura sua, coadiuuante superiacente carne & excluso proximo sanguine, deinde continuitatis ratione altero sequẽte, coadiuuante expultrice, quæ fibris transuersis operatur. Præter id quod fibræ oblongæ seruiunt tractioni partis: pars autem neque adeò celeriter trahit, vti sanguis manat scissa vena, neque malum, qui fortè euacuatur trahere solet. Rursus pars per oblongas fibras trahit, sed non adeò copiosum sanguinem, vti scissa vena fluit. Neque etiam ab adeò distantibus locis tractio, vi partis fieret: quis enim adeò imperitus est, vt putet, crure laborante, scissa vena brachij, fibras ipsius ex crure trahere sanguinem? Præterea vel hoc tantùm posset eorum opinionem funditus euertere. Intelligè modò inflammatam esse membranam subcingentem costas lateris dextri, ac scissam esse venam internam dextri cubiti, fibræ quidam quæ à loco scissionis ad cauam vsque procedunt, possent tractionem à caua vena moliri: verùm à caua vena, vsque in partem inflammatam nullo modo fibræ oblongæ tractioni seruire possunt, quandoquidem non seruiunt oblongæ fibræ tractioni, nisi cùm prorogantur, ac deinde partem versus contrahuntur, non tamen contrahuntur versus maiores venas, & iecur, sed versus membra & venas minores, quæ membris alendis seruiunt, deferentes alimentum, non ergo trahent fibræ versus magnas venas, quod fieret, si per eas sanguis à parte inflammata in venam cauam fibrarum actione traheretur. Quod si is non trahitur per fibras venarum oblongas vsque in cauam, è parte inflammationem patiente, inutilis omnino erit fibrarum rectarum communio, ob quam communes venas secandas esse volunt. Adde, quòd si fibræ, quæ procedunt à caua vena in locum inflammatum, non trahunt, nec tractioni seruiunt, nihil referret eiusdem, aut aduersi lateris venam secare: nam vena aduersi lateris scissa, pariter ex opinione ipsorum, tractio per fibras oblongas vsque in cauam fiet: deinde verò fibræ neque sectioni eiusdem, neque aduersi lateris auxiliabuntur: erit igitur par ratio vtrinque secta vena. Ad quod etiam comprobandum accedit, quòd fibræ oblongæ quæ sunt in œsophago, quamuis seruiant deglutioni, ineptæ sunt vomitioni, quæ contrarius motus est, cuius rei testimonium perhibet Galen. lib. 3. de Naturalibus fac. faciliùs esse dicens, deglutire, quàm vomere: quoniam ad deglutitionem coadiuuant fibræ oblongæ, quæ sunt in membrana œsophagi interiori, & transuersæ, quæ sunt in membrana interiori: vomitioni tamen tantummodo ministrant transuersæ: atque statim addit:

ergo ex iam dictis patet, internam gulæ tunicam, cui rectæ sunt fibræ, quæ ab ore in se trahant esse institutam, cóque in deglutiendo tantum agere. Pari itaque ratione fibras quæ sunt à vena caua in partem inflammatam, nullatenus rectractioni versus cauam, inseruire dicemus. Rursus vomitum ventris secessu curamus reuulsione, sicuti & ventris fluxum, vomitione: cùm tamen intestina omnino fibris careant oblongis. Quod autem ferunt de vena sine coniuge, quamuis verum sit ipsam ad dextrum latus conuersam esse, nihil omnino refert, ad partium connexionem, & rectitudinem venæ secandæ. Tum, quoniam, vt diximus, falsum est, quod pro fundamento accipiunt, longitudinem fibrarum rectitudinem monstrare, tum quòd & si fibrarum connexio rectitudinem doceret, fibrę quæ sunt à vena caua in partem patientem, eas quæ sunt à loco sectionis in cauam, minimè iuuant adtractionem. Præterea tenerontur qui talia defendunt, prius nosse probè vocis huius κατ' ἴξιν, quod est, secundum restitutionem, significationem, apud Hippo. quam nunquam adinuenire conati sunt suam tantùm sententiam, nulla aut ratione, aut autoritate fulcitam amplexantes. Galen. tamen lib. 1. de Rati. vict. acu. comm. 28. inquit: Hippoc. ἴξιν, vt plurimum quidem ἰνδυσίαν, ideſt, rerum tramitem. Interdum autem & φορὰν, ideſt delationem, dicere, non ignoramus. Communior itaque eius vocis significatio est, rectitudo, & libro tertio. de Fracturis. commen. 10. inquit, ἴξιν, restitutionem semper appellat, nunc quidem secundum corporis longitudinem: nunc verò secundum latitudinem. In his locis rectitudinem dicit appellari frequentius apud Hippocr. ἴξιν, & in secundo loco refert ipsam dici de longitudine corporis, cur igitur ipsi volunt de sola fibrarum longarum rectitudine dici? libro quoque 2. de Fracturis, de osse calcis. Hippoc. loquens, ipsum non paruum os esse dicit, & rectitudinem fibræ excedere ἰθυσίαν, appellans, quod antè ἴξιν, & ἰνὸν, atque ἰθυσίαν, Galenus ideſt rectitudinem dixit. Quod si rectitudinem, in ossibus appellat. Hippoc. vbi nullæ fibræ adsunt, non decet, rectitudinem in Hippocrat. scriptis ad fibrarum longitudinem referre. Dicemus igitur, τὸ κατ' ἴξιν, id est rectitudinem, membrorum communione dici, & dextras dextris partibus, & sinistras sinistris rectitudinem seruare, atque in laterali morbo, adhuc incipiente, sanguinem esse mittendum ex vena interna lateris patientis: ea enim seruat communionem & rectitudinem, quam Hipp. statuit, dextrorum cum dextris, & sinistrorum cum sinistris. Id tamen esse Hippoc. & Galen. præceptum, prius probandum erit, deinde rationibus eandem fulciemus sententiam, in morbo laterali sanguinis missi. scissa vena interna cubiti laborantis partis, esse exercendam Hippo. lib. 4. de Rat. vict. acu. præcepit, dicens: Si dolor sursum penetrauerit, vel clauiculam, vel mammam, vel brachium, venam brachij internam secare oportet, qua dolor affuit parte: verùm quoniam Galen. plures eius libri, vt ab Hippoc. documentis alienas, excluserat sententias, hanc legitimam Hippoc. esse, in eius loci commentario testatur. Apho. autem 22. sectionis 6. inquit: quæcunque rupta ex dorso ad cubitum, descendunt, venæ sectio soluit. Hoc in loco doloribus (de eis enim intelligenda est sententia) qui procedunt à dorso in cubitum, venam cubiti secare præcepit. Est autem hæc vena cubiti, lateris, eiusdem, quoniam Galen. in commen. Hippoc. sententiam approbans inquit. Est enim præceptum secundum quod humores repunt, facere euacuationes. Repunt autem à dorso in brachium eius lateris, non alterius, libro quoque 6. de Mor. pop. par. 6. inquit: in doloribus proximum ventrem purgare, sanguinis ventrem diuidere. At lib. 2. de Ra. vict. acu. sectio. 10. inquit: Si verò dolor ad clauiculam pertingit, aut molesta sit vel brachio, vel mammæ, vel partibus septo trãsuerso superioribus grauitas, internam cubiti venam secare expedit, neque vt copiosè sanguis detrahatur est cunctandum, sed eò vsque auferendus, donec rubidior multo, vel pro puro rubidóque, liuidus fluxerit, nam vtrumque contingit. Duo in hac sententia habentur, quę comprobant nostram assertionem, Alterum est, quòd

κατ' ἴξιν quid.

In laterali morbo qua vena secãda.

venam

venam cubiti secare præcipit, alterum quòd mutationem coloris sanguinis expectat. Primum quidem notum est in vena cubiti secanda non intellexisse alteram, ab ea, quæ in eo latere exitit, quoniam libro 4. eandem sententiam scripsit, atque venam & latus explicuit, vt constat in adducta sententia: & quoniam in omnibus euacuationibus rectitudinem seruandam esse admonet lib. 6. de Mor. pop. Galen. autem in comm. sententiæ adductæ ex 2. lib. de Rat. vict. acu. rationem adhibet, quare venam cubiti secare præcepit, nempe, quoniam eam venam secandam esse vult, quæ sanguinem ab affecta parte magis & velocius, tum reuellere, tum vacuare possit, atque, vt ipse ait, præsertim in acutis morbis: alij namque non adeò vrgent, constat autem venæ sectionem ex aduerso latere, non reuellere & vacuare, neque eos, qui contrariam defendunt sententiam, vnquam voluisse secta vena lateris aduersi euacuare, sed reuellere tantummodo. Secundum etiam quod voluit Hippoc. coloris sangui. mutationem esse sperandam, idem confirmat: nam ex eodem latere secta vena, id sperari potest, non ex aduerso. Atque in manifestè docet, reuulsionem cum euacuatione simul esse exercendam, quod non antè sistendam esse fluxionem vult Hipp. quàm color sanguinis mutetur, vbi facultas id ferre possit. Quòd indicauit, eatenus sanguinem esse vacuatum, donec aliqua pars eius sanguinis qui inflammationem circunstat, iam effluxerit. Galen. pariter eandem sequutus est sententiam lib. de Sangui. miss. vbi postquam ex Hippocr. de cretis admonuit rectitudinem esse seruandam in euacuationibus sanguinis, addit: quin & pleuriticis quæ è directo laborantis partis adhibita fuit sangui. miss. clarissimam sæpe attulit vtilitatem: quæ verò ex brachio opposito, aut omnino obscuram, aut certè post temporis interuallum. Hæc manifestè docent horum sapientissimorum virorum eam fuisse mentem, atq; experimento probasse commodam esse sang. miss. quæ ex latere partis patientis exercetur, diuersam verò, aut tardè prodesse, aut parum & multo pòst tempore. His autem nihil omnino obstat quòd Barbari cõtrarium affirmauerint, quorum autoritas dissuadere potius, quàm suadere valet, nedum vt Hippoc. & Galen. summis medicis, & sapientissimis artis præceptoribus, conferri debeat sententiis. In morbo itaque laterali & iecoris, aut lienis inflammationibus, venam internam patientis lateris secamus, vt à parte humorem decumbentem reuellamus, simul & causam euacuemus, quæ in laterali morbo partem distendens dolorem excitat, ac perinde fluxionem: in iecoris autem inflammationibus quoniam in ipsum ob vasorum amplitudinem celerrimè immergitur sanguis, sicuti & in liene, citissimè subuenitur secta eiusdem lateris interna vena, idem in vteri, renum, & oculorum inflammationibus seruandum. Neq; huic sententiæ contraria sunt quæ à quibusdam ex Galen. in contrarium citantur, quæ ad hunc locum afferre placet, vt lectores agnoscant nullibi Gale. diuersam ab hac habuisse mentem. Primus locus est Galen. lib. 2. de Arte cu. ad Glauc. cùm ait: fluentium humorum retractatio (sic enim Hippo. nominat) eorum autem qui iam membrum obsederunt, deriuatio, medela est. Si igitur deriuatio competit eis humoribus, qui iam membrum obsederunt, & sangui. miss. ex eodem latere est deriuatio, non ergo conueniet fluentibus humoribus: cùm videlicet nondum partem obsederunt. Quòd autem hæc sit deriuatio, probant, quoniam reuulsio per contraria fit, deriuatio verò per proxima loca. Secundus locus habetur 4. li. de Morbis cur. cùm inquit: Ac si perpetuum est, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam esse: fixam verò iam in laborante particula, vel ab ipsa particula quæ affligitur, vel à maximè vicina. Incipiente igitur inflammatione lateris, sangui. ex aduersa siue contraria parte mittemus, & iam facta ex proxima: siquidem ex eadem fieri nequit. Tertius locus est, 5. lib. de Morb. cura, vbi reuulsionis naturam, quam Hippoc. inuentum esse dicit, explicat dicens: Antispasis in his quæ suprà sunt omnibus, deorsum semper agitur: sursum in his quæ sunt infrà.

Præterea à dextris ad ſiniſtra, ſicut ab his rurſus ad illa, ſimiliter & ex his quæ intus habentur, ad ea quæ foris ſunt, contra quæ ab his ad illa. Ex hac ſententia manifeſtè conſtat, quod ſi reuulſio, ex præhabitis locis, incipientibus inflammationibus debetur, ea per aduerſa loca exercẽda ſit, per adiuncta verò minimè. Quartus locus habetur 13. lib. de Metho. med. vbi de ventris purgatione loquens inquit: Quam rem ſi quis in iocinore cum phlegmone laborare incipit, tentet, maximam excitabit inflammationem, vt ſi cùm in renibus, aut veſica incipit, quæ vrinas cient exhibeat, aut ſi cùm vterus phlegmone laborat menſes deuocet. Si quidem longiſſimè attentata fluxione parte auellere, nequaquam ad eam trahere conuenit. Quintus locus habetur lib. de Sangui. miſſi. vbi inquit: Porrò, vt ſummatim dicam, incipientes phlegmonas reuulſu euacuare oportet: quæ verò inueteratæ iam ſunt ex ipſis, ſi fieri poteſt, affectis partibus: quòd ſi nequeant, ſaltem ex vicinis. Etenim incipientibus inflammationibus auertere, quod influit, expedit, in inueteratis autem ipſum quod affectæ parti influxum eſt, euacuare. Hæc & ſimilia loca adducunt, qui conantur in morbo laterali ſanguinis eſſe ab initio mittendum ex aduerſo latere. Quoniam, vt inquiunt, ſi renulſio incipientibus debetur inflammationibus, & hæ per contraria loca exercetur, ab initio, contrarij lateris vena erit ſecanda. Quæ omnia non eſſe à noſtra ſententia aliena monſtrabimus, ſi prius harum vocum ſignificationes diſtinxerimus, reuulſio, deriuatio, euacuatio. Reuulſio quidem humoribus fluentibus debetur, vt in contrarium trahantur: contraria verò loca ſunt ſurſum, deorſum, antè, retro, dextroſum, ſiniſtroſum, intus & extra. Nec tamen exiſtimare decet, capiti vt parti ſuperiori, pedes tantùm, contrariam regionem tenere. Sed quamuis partem, capitis inferiorem: reuellit enim à ſuperioribus partibus capite, venæ ſectio externæ brachij. Et in partibus mundi ſi quid à loco aquæ, verſum mediam aëris regionem aſcendat, & aliud à media aëris regione verſus aquam deſcendat contrariis mouebuntur motibus: nec tamen loca ſummè contraria ſunt, vt lunæ concauum & terræ centrum, ἀντίσπασις itaque, ideſt, reuulſio, apud Galen. lib. 5. de Method. med. in harum differentiarum modis exercetur, atque humoribus fluentibus debetur, inter initia, vt lib. 4. de Metho. med. dixit, & lib. de Sangui. miſſ. citatis locis. Deriuatio præterea humoribus fluentibus debetur. Sed tamen hæc non per contraria, ſed per proxima loca completur. Hoc ſecundum notum eſt, dicente Galen. lib. 5. de Metho. med. Deriuatio ad vicina fit, quum id quod per palatum vacuatur, per nares transfertur, & rurſus inquit. Rurſus & quod per ſedem profluit, per vuluam deriuamus. Quòd tamen fluentibus debeatur Galen. docet. lib. 6. de Mor. pop. par. 2. comm. ſectionis illius, Deriuare, dicens: προχίτωσιν, ideſt, deriuationem quidem nominare ſolet Hippocr. cùm humor aliquis vacuari poſtulans, non quò loci ferri oportet cœperit: neque itidem valde longè à conueniente, neque in maximè contrarium locum: verùm vt ſi per vrinas vacuari cœperit, affectis vel veſica, vel renibus, tunc deriuare per ventrem eſt melius: vt ſi & per ventrem delationis impetum acceperit, malè habentibus inteſtinis, vice verſa, in his humorem vacuari poſtulantem ad vrinas ferri procurabimus. Mulieribus quoque interdum per vuluam, vel contrario modo cum fluxio ad vuluam fuerit: ad vrinas & ventrem deriuabimus. In omnibus his exemplum deriuationis humorum fluentium ratio habetur. Atque libro 5. de Metho. med. inquit: Ad hunc modum & reliquas omnes fluxiones (quippe communis ratio eſt) tum ad contraria reuocabis, tum per vicina deriuabis: vtique quæ per aluum fluunt, ea vel per vrinas, vel per vterum tranſmittens, quę verò per vrinas, ea vel per locos, vel per ſedem transferens: pari modo quæ per vteros, vel per vrinas, vel per aluum. Omnia hæc exempla fluentium humorum ſunt: fluentibus itaque humoribus deriuatio debetur, quæ per loca proxima exercetur. Neque obſtat quod lib. de Art. cur. ad Glau. dixit: Fluentium igitur humorum, retractio (ſic enim Hippoc. nominat) eorum autem

Reuulſio.

Deriuatio.

autem, qui iam membrum obſederunt, deriuatio medella eſt. Nam in hoc loco deriuationem conuenire vult eis humoribus qui partem obſederunt, non quidem in totum: ſed qui partim fluxerunt, & partim fluunt, atque qua parte fluunt adhuc ipſis deriuatio debetur, fluxis autem euacuatio propriè, vt dicemus. Nihil ſanè plus noſtram opinionem confirmare poterit, quàm quòd quoties Galen. deriuationis exempla apponit, fluentium humorum ea ſunt. Euacuatio tamen humoribus debetur, qui in parte conſiſtunt, & per eandem partem, aut ipſis vicinam exercetur, ita vt hac in re communicent, deriuatio & euacuatio. Quòd quidem eorum humorum ſit, qui in parte continentur, ratio nominis docet: nam id quod euacuatur partem replebat, & euacuatio eorum eſt, quæ replent: licet autem ipſam ex eadem, aut proxima parte facere, apud Galen. lib. 4. de Metho. med. dicentem: Ac ſi perpetuum eſt quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contrarium trahendam eſſe: fixam verò iam in laborante particula, vacuandam eſſe, vel ab ipſa particula, quæ affligitur, vel à maximè vicina. Quo fit vt à vicinis partibus euacuationem & deriuationem exerceamus, eorum qui adhuc fluunt, deriuationem: eorum verò qui iam cõtinentur in parte, omnino fluxi, euacuationẽ. Commiſcentur autem quandoq; hęc: nam vnica miſſio ſanguinis ſimul reuellere & euacuare poteſt, vt Galen. docet. lib. 2. de Rat. vict. acu. comm. 10. dicens: Cùm igitur in partibus ſuperioribus condolentia ſignum fecerit, venam in cubito ſecare oportet, quæ ſanguinem ab affecta parte, & magis, & velocius tum reuellere, tum vacuare poſsit. Eſt etiam conſideratione dignum acutos morbos remedia exigere, quæ celeriter malo ſubueniant, vrget etenim eorum vehementia cùm autem pleuritis, atque iecoris inflammatio acuti morbi ſint, auxilia, quæ citò ſubueniant, expoſcunt. Ea verò ſunt quæ magnitudinem & generationem phlegmonis impediant, quales eſt ſangui. miſſ. quæ ex ea vena fiat, quæ poſsit fluxionem auertere & impedire. Auertit quidem quæ ex aduerſa parte fit, & cauſam fluxioni demit, qui fluxionis cauſam amouet, concitat autem fluxionem quam maximè dolor: eius verò cauſa eſt humor qui in parte immergitur, quoniam continuum diuidit. Eam igitur venam ſecare conueniet quæ ſimul poſsit fluentem humorem in contrarium reuellere, & eum qui prope inflammationem eſt, venis minoribus partis infarctus, euacuare, vt dolore ſedato fluxionis hæc cauſa ſemoueatur. Hæc autem optimè medicus aſſequetur, ſecta vena cubiti interna, patientis lateris, & miſſo ſanguine ad coloris mutationem. Locus enim ſciſsionis contrarius eſt parti inflammatæ, atque ea ratione ad ipſum tractio, reuulſio eſt, contrarius autem eſt in locorum differentia, quæ eſt dextrum & ſiniſtrum, ſi quis ſingulas partes probè aduerterit. Cùm etenim ſanguis ab inflammata parte in venam cauam recurrit, inflammatione in latere dextro conſiſtente, à dextra in ſiniſtram partem agitur. Deinde cùm mouetur, à caua vena, in locum ſciſionis ducitur iam à dextra in ſiniſtram, & ab interiori ad exteriorem: eſt igitur reuulſio. Cùm tamen ſanguis ad coloris mutationem educitur euacuatur humor, qui venas partis implebat: vtroque igitur nomine eligenda eſt ſectio venæ internę lateris patientis. Vanum autem eſt, quod ſequi dicunt, nempe humorem ad partem trahi inflaminatam: trahitur enim potius ab inflammata parte, reuulſione, & euacuatur, tum is qui fluebat, tum is qui circum partem patientem continebatur extra corpus, locus autem deriuationis, quæ non habeat reuulſionem adiunctam nullus eſt, à quo ſanguis duci poſsit in laterali morbo, niſi cucurbitularum vſum deriuationi prodeſſe dixeris. Sed tamen ſingulas harum per ſe exercemus quãdoque, vt incipiente vteri inflammatione reuellimus ſecta interna cubiti vena, deriuamus ſecta vena poplitis aut interna malleoli, aut ventris fluxu: euacuamus tamen menſibus prouocatis. Præterea fluxionem ad oculos reuellimus ſecta vena externa cubiti, deriuamus per nares, aut palatum, euacuamus aut ſciſſa vena anguli interioris, aut medicamentis diſcutiẽtibus

Euacuatio.

adhibitis. Quæ verò in contrarium adduximus facilè cum his concordant. Ad primum namque dicemus. Galen. lib. 2. de Arte cu. ad Glau. deriuationem appellasse eam quæ per vicinas partes exercetur: verùm sang. miss. ex interna cubiti, non est deriuatio, sed reuulsio, vt diximus, nec per vicinia, sed per contraria loca fit. Secundus præterea locus non aduersatur nostræ sententiæ: nam miss. sangui. quæ ex eodem latere fit, ad contrarium trahit, siquidem in ea distantia, vt diximus, à dextris ad sinistras partes, aut econuerso tractio fit. Idem etiam dicemus ad id quod ex lib. 5. de Metho. med. adducunt. Ad id verò quod quarto loco adducunt, dicemus quòd cùm Galen. reuulsionem dixit, fieri fluxione distracta ad longissimas partes, non voluit eas intelligere, quæ maximè distant, nam laborantibus oculis, lib. de Sangui. miss. reuellit secta externa cubiti vena, cùm tamen hæc non in maximè distantia, nec longissimè fluxionem trahat, sed intelligit contrariam partem, vti si suprà fluxio vergat, infra eam trahere præcipiens, & si intrò extrà, & si dextrosum, sinistrorsum, & contra, quod in prædicta venæ sectione seruatur. Quintus quoq; locus ex dictis explanatur, nec aliam continet sententiam, ab ea quam statuimus ex Hippocr. & Galen. cuius veritatem in inumeris ægrotis expertus fui, quibus incipiente laterali morbo venam internam patientis lateris secui, è quibus nemo ferè mortuus est, qui præceptis artis subaudierit. Cùm tamen secta contrarij lateris vena innumeros mortuos viderint, qui contrarium exercent, & non paucos cum duobus morbis lateralibus. Qui verò bona fauente fortuna è manibus eorum superstites euadunt, valde languente facultate, ob multas & magnas euacuationes, longissimam habent conualescentiam. Hac igitur rectitudine seruata laborante iecore aut liene ex eodem latere venam internam secamus, reuulsionis & euacuationis ratione, & euacuare volentes cucurbitulas, & quandoque cum scarificatione, partibus eisdem, Hypochondriis admouemus. Quòd si externæ partes laborent, veluti manu, aut brachio fluxionem recipiente, secabimus venam malleoli eiusdem lateris, aut crus idem scarificabimus. Quòd si alterum crus fluxionem patiatur, brachij eiusdem lateris venam internam secabimus, reuulsionis ratione: deriuabimus autem altero crure scarificato, aut tali vena secta. Aut dices scarificationem melius in cruribus exerceri vt carnosioribus à Galen. 13. Metho. sed quæres an præter experimentum sit ratio aliqua ob quam laborantibus nouem costis inferioribus, lateris sinistri, sectio venæ internæ cubiti sinistri, magis iuuet quàm dextri, cùm tamen vena sine coniuge ad latus dextrum vergat, à qua hauriendus est sanguis. Dicemus, in venarum internarum sectionibus non tantùm eum sanguinem duci, ex partibus nouem costarum inferiorum, qui ad venam sine coniuge reducitur, sed etiam eum qui fugitur per anastomosim quam faciunt venæ quæ alunt prædictas costas, cum venis quæ à caua vtrinque per os pectoris descendunt: ob hanc enim dextræ partes, cum dextris magis consentiunt, & à sanguinis missionibus eorundem laterum magis iuuentur. Id manifestè docente venarum earum dissectione, quam non rarò inspeximus, vt rei huic fidem adhiberemus, & veram seruaremus sententiam qua præcipimus sangui. in laterali morbo ascendenti, & descendenti mittendum esse secta vena cubiti lateris eiusdem. Est autem ascendens dolor qui clauiculam, mammam, aut brachium molestat: descendens verò qui infestat membranam subcingentem costas, qua parte sunt 9. inferiores. Quamuis dolor significationem quandam faciat infra septum transuersum, vti ascendens in brachiis & humero, nam Hippocra. de morbo laterali loquitur lib. 2. de Ratione vict. acut. & de eo cœpit loqui prima illius libri sententia & continuata oratione inferius vndecima sectione, dixit. Si verò dolor infra septum transuersum, fuerit, quam sententiam de morbo laterali intelligendam vult. Gale. in comm. de quo. in præcedenti sententia loquutus est Hippo. & ad initium eius libri. Non est autem morbus lateralis qui infra septum

transu

transuersum est, sed qui supra, quamuis infra quoque extendatur & doleat per consensum, dicente Galen. libro citato. comm. 10. inflammationes autem in partibus thoracis inferiores prope septum transuersum cùm sint, iure ad Hypochondrium dolores transmittunt. In his Hippo. purgationem, Galen. sang. miss. commendat. Arteriarum sectio parum tuta est, tum quòd admodum duram habent naturam, ob quam difficile vulnera ipsarum assolidantur, tum quòd perpetuo motu agitantur, vulnera tamen quæ agglutinari debent, egent quiete, quibus etiam accedit, quòd per locum sectionis, sanguis & spiritus impetu transfunduntur. Assolidantur quoque nonnullæ non probè, sed aneurismate relicto, quod tumor quidam est, spirituoso sanguine ad scisionis osculum collecto, verùm aliquando magno vrgente vsu arterias secare præcepimus, in antiquis fluxionibus quæ ad oculos sunt: tunc enim arterias quæ manifestè in temporibus pulsant, secamus, vti & eas quæ sunt post aures, in antiqua cæphalea, & vertigine, vbi spiritum, sanguini mixtum mali causam esse agnoscimus, & dolorem distendentem, atque pulsantem. Secatur etiam arteria inter indicem & pollicem media, in doloribus antiquis, in ea parte qua iecur septo transuerso committitur. Sæpe tamen vidimus arterias in vulneribus sectas, quas assolidare erat difficile: adhibuimus tamen medicamentum ex aloe, manna thuris, pilis leporis, & albo oui, cum Galeno. Quòd si aliter assolidari vulnus nequeat, totam arteriam per transuersum secamus, ac fit vt singulæ partes contrahantur, & vt in parte interiecta caro accrescat, quæ sanguinis fluxum cohibeat. Neque prætermittenda videntur in hoc loco quædam in sangui. miss. consideratione digna, quæ præparant ad ipsam, aut interim dum sanguis fluit, obseruanda sunt, aut post venæ clausuram, quæ omnia sang. miss. circunstant. Sunt enim quæ sangui. miss. quandoque remorantur, quandoque in totum ipsam impediunt, non magno vrgente vsu. De quorum numero sunt ventris excrementa, aut ciborum cruditas: interim enim dum aliquod horum adest, neque repentina aliqua occasio se offert, vt casus, aut ictus, aut venæ ruptio, decet primùm ventrem exonerare, aut sponte, aut Clysteri adhibito, ex maluarum decocto, additis oleo & sale, aut melle quoque si pituitam detergere volueris: hoc etenim est communissimum Clystere: aut glandem supones. Quòd si hoc prætermiseris, periculum est, ne fæcis pars liquida fugatur & per venas meseraicas in iecur deducatur. Ciborum quoque coctionem eadem ratione spectare oportet, non magno vrgente vsu, ne pariter intempestiue per venas deducatur. Nonnunquam tamen ipsum vomere præcipimus, ob necessitatem imminentẽ, aut immissis digitis in os, aut bibito aceto mulso cum decoctione radiculæ, aut etiam bibendam casiam fistulam prębemus, aut prunorum carnem cum saccharo, vt ventrẽ leniendo mundemus. Sunt etiam nonnulli quibus sanguinem mittere non decet, quoniam bilioſi humores in ventriculum confluunt. Quod ostendit eorundem vomitus, qui tunc adest, aut adesse solet, & morsus oris ventris, in quibus ante sangui. miss. opus est bilem vomere prædicto modo, aut ipsam per inferiora facilè mouere, & cursum cohibere, adhibita mica panis infusa in succo vuæ acerbæ, aut mali punici, aut cotonei mali: aut aranzij, aut limonum, aut in sirupo ex limonum succo, deinde sanguinem mittere. Sed sunt qui patiuntur imbecillitatem orisventriculi, quibus subuenitur, eisdem adhibitis, si ob calorem laborat: si verò ob frigiditatem sirupum de mentha compositum. Solent hi enim facilè animo linquere, nisi prouideatur. Quòd si pituita in ventre adfuerit, ipsam aceto mulso detergemus, aut etiam Clysteri, quod hyeram picram recipiat, aut benedictam appellatam. Quòd si crudi humores in corpore redundant, ac timetur ne infarciantur, & minimè secta vena educi possint, aut aceto mulso adhibito, aut etiam addita decoctione origani, aut hyssopi, aut radicum apij, præparabũtur. Cùm verò his omnibus præuisum fuerit, is cui sanguis mitti debet, sedeat parum decumbens, sed erecto capite, super puluinaria: stantes enim, ac seden-

Arteriarum sectio.

Aneurisma.

Sang. miss. quadã circunstant.

Sang. miss. remorant.

Digitized by

tes appensis visceribus, sæpius animo linquunt, deinde brachij, aut cruris, aut manus, aut pedis ea pars, cui scalpellum adhibendum, fricanda est, vt sanguis ad ipsam trahatur, & paulo supra locum secandum, validius vinculum admouendum, idque comprimendum magis in quibus multa carne, aut pinguedine vena opprimitur, vt vena tendatur: nec fugiat manum secantis, atque vt deinde sanguis maiori impetu exiliat. Quòd si venæ tenuiores fuerint, quales sunt in malleolis, pedibus, & manibus, aqua calida, non valde superfundenda, vt cutis ac caro molliscant, & venæ conspicuæ fiant, & deinde apertæ seruentur interim dum sanguinem fluere volumus, atque tunc quoque paulò supra locum sectioni deputatum ligare præcipimus. Collum etiam fascia modicè comprimimus, cùm venam frontis, aut eas quæ sub linguis sunt, secare volumus. Habeat minister acutissimum scalpellum, atque id anceps, sitque is peritus secandi venas vtraque manu: nam vena dextri brachij probe secatur manu dextra, & venæ quæ in sinistro, sinistra manu. Quòd si is cui sanguis mitti debet, timidus fuerit, conuersa in aliam partem facie eius animus in diuersa distrahatur ab assistentibus, confabulationibus, adigétque minister scalpellum interim sensim, animaduertens, ne aut subiectam arteriam, quoniam & hæc ligata non pulsat, aut neruum, aut tendonem vulneret, & ne partem alteram venæ loco secet, prius locum sectionis & venam subiectam indice tangens, vt certior fiat. Ne tamen vena scalpellum subterfugiat, minister altera manu scalpellum teneat, alterius vero pollicem adplicet secandæ venæ quo ipsam premendo firmet, venæ præterea sectio in articulis si per venæ longitudinem fiat, tardiùs coalescit: quapropter non erit exercenda, sed potius per transuersum, nisi velis iteratò ab eo loco sanguinem mittere, venæ tamen quę in fronte, manibus, & pedibus secantur, secundum longitudinem sectæ coalescunt citius. Cùm autem sanguis educendus crassus fuerit, vt in melancholicis, & in quibus pituita abundat, maiori opus erit vulnere, vt sanguis liberè manet: in reliquis minori, nunquam tamen adeò paruum sit, vt angustia, sanguinis impetum compescat. Quòd si liberè fluat, permittendus est tamdiu fluere, do nec abundantia dempta sit, vbi vires id ferre possint, neque aliquid obsit eorum, quæ diximus præcipere repetitam venæ sectionem. Si verò antè quàm commoda quantitas sanguinis educta fuerit, ægri vires deficere videantur, aut prope animo linquere, facies aqua frigida irroranda, aut vino albo odorato abluendo, aut claudenda interim vena, & recreandæ vires erunt, adhibito condito diacitron, aut pomo odorato, quod nos anethinum appellamus melle aut saccharo condito, aut etiam iure carnis, & odoratis naribus admotis. Intelliges tamen deficere vires, si color faciei pallescat, si tinnitum sentiat in auribus, si impetus exeuntis sanguinis collabatur, si caliginosi fiant oculi, si superuenient oscitationes, si caput firmare non valeat, si manus contremiscant, aut decidant, si pulsus minor, obscurus, & inæqualis, ac inordinatus fiat: tunc itaque venam claudere, & vires & modo dicto reuocare decet. Quòd si viribus adhuc constantibus sanguinis fluxus flaccescat, aut sine impetu guttatim manet, aut vulnus ampliandum, si angustum fuerit, aut vulnus carnis, vulneri venæ coaptandum, ita vt sibi è directo respondeant: nam solet sæpe caro superponi vulneri venæ, & cursum sanguinis impedire, aut ligatura quam scissa vena statim laxauit minister, iterum premenda, manúmque totam patiens comprimat, atque distendat, indicem digitum ac medium pollici sæpe jungens, ac separans: interim quoque spirationem validè contineat, deinde impetu & violentia efflet, aut vocem mittat: hæc enim poterunt sanguinem impetu protrudere. Post quam verò sanguis effluxerit pro morbi & virium ratione, vinculum soluatur; vulneris sanguis exprimatur, ne ibidem putrescat, & vulneris agglutinationem impediat, deinde frigida vulnus abluatur, & linteo obligetur. Si tamen in animo fuerit iterum ab eodem loco sanguinem mittere, oleo vulnus liniatur: linteolum verò fascia ligetur modica compressione

Situs patientis ad sang. mittendum.

Sanguine non facile exeũte quid agendum.

Vires quæ reparant.

Vires deficere quemdicant.

A sanguis missio: quid agendum.

sione,deinde patiens super dorsum cubet,nisi quidpiam impediat.Cibos verò non accipiet nisi hora integra transacta, & quandoque duabus, atque tunc cibos minori quãtitate accipiet, ne crudi in coporis ambitum deferantur, autore Gal. lib. 4.de Sanit. tuen. Non tamen interim dormiet, sed paulò à cibo. Attendant autem adstantes ne super vulnus cubet, aut membrorum commotione ligatura soluatur, ne inde sanguinis fluxus fiat: visi etenim sunt inter dormiendum fluente ex soluto vulnere sanguine,mortui, quidã verò repentè excitati animo linquentes,exnimia euacuatione sanguinis,difficilè reparati.

Cucurbitulæ.

Cucurbitularũ vsus.

CVCVRBITVLAS Admouemus aut reuulsionis, aut deriuationis aut euacuationis rationes: reuellit siquidem sanguinem è naribus fluentem, cucurbita hypochõdrio è directo respõdenti affixa, & immodicum mensium profluuium supprimit,magna cucurbitula radici mãmarum affixa & vterum procidentem reuocat cucurbitula iuxta vmbilicum admota. Deriuationis verò atque euacuationis gratia non admouentur, nisi corpore prius vacuato, sed tunc cum humores aliqua parte caput obsederunt,pars quoque influit,cucurbitulas admouentes ceruici,& deinde spatulis, quandoque etiam natibus, ac pro multitudine eadẽ scarificamus,aut sine scarificatione eisdem vtimur. Nam si vires non adeò validæ fuerint,vt sangui.mis.ferant, & opus est aliqua euacuatione, cucurbitulis cum scarificatione vtimur, prius eas parti affigentes,deinde eam partem scalpello multis in locis cutenus secantes, rursus cucurbitulam loco admouemus,& sang.educimus.Quod facimus sæpe parti patienti eas admouentes,nunquam tamẽ ante corporis euacuationem, ne multus humor in partem ducatur,validę namque fugunt, atque perinde scirrhosis inflammationibus eas admouemus cum scarificatione, & flatus discutiendi gratia:prosunt enim incãtationis modo autore Galeno. Et tumoribus flatuosis:Sic etiam vbi ex intimis ad extimas partes humorem aut flatum traducere volumus,id facimus in morbis lateralibus,qui fiunt inter costas,sine febre potissimum,& pauco humore prẽsente,& in coxendicum doloribus.

Scarificatio.

Scarificationis vsus.

SCARIFICATIONE Præterea sanguinẽ ducimus reuellentes, vbi humorem tenuem non multum distrahere volumus.sic etiam ex vniuerso corpore,quandoque vacuamus,vti in pueris,vbi continentibus febribus laborãt, crura & quandoque brachia scarificare præcipimus: quoniam sanguis ipsorum tenuis est,& spiritus effluxum prohibemus, atque virium dissolutionem. scarificamus quoque partes scirrhosas, & partes veneno extrinseco affectas, & inflammationes veneficas,crura etiam quandoque scarificamus reuellentes à capite, aut menses prouocare volentes. Sic etiam & suppressis hæmorrhoidibus,sic & partes conuulsas & partes quæ rubra macula inficiuntur:prẽterea antiqua vlcera scarificare præceptum est, quibus quandoque applicamus sanguisugas parte prius perfricta sale,aut scalpta, ita vt rubeat: quòd si opus fuerit sanguine partem lineis, & sanguisugarum sordem spongia mundabis.Sint autem sanguisugæ per diem ante captæ, & pauco sanguine altæ, sed interim in aqua dulci ac pura seruentur,& per arundinem,aut fistulam in partem demittantur,ne sanas partes attingant, & offendant.Hæc autem fieri oportet vbi expressæ prius,virus euomerint earum dorsa viridia sint, sed ventres rubeant.Eligãtur ex fluentibus & mundis aquis non nigræ, nec lanuginem habẽtes.Cùm verò opus fuerit,ipsas semouebis,sale insperso, aut cinere. Ne tamen virus ibidem relinquatur, cucurbitula apposita excrementa purgentur.Quòd si sanguis,anathomosi facta,immodicè fluxerit, quod fieri solet duabus horis transactis puluis rosæ,aut gallæ cõbustæ parti inspergatur. Has sæpius ano admouemus,in melãcholicis morbis ex suppressis hęmorrhoidibus.

Sãguisugæ

De Purgatione. Cap. III.

QVEMADMODVM In plethora ſanguinem mittendum eſſe in præcedenti cap.docuimus, ita modo in cacochymia purgationem cõuenire aſſerimus,quæ prauorum ſuccorum redundantia eſt:quandoquetamen fit,vt plethore cacochymia adiuncta ſit,veluti in ea plethora quæ ad vires cenſetur: in ea etenim paulò poſt ſucci putreſcunt, non probè à natura gubernati. Quandoq; etiam fit vt ſimul ſanguine abundante,ſucci prauialiqua ratione acreſcant,atque in plethora quoad vaſorum capacitatem tranſpiratione prohibita, putredo & humorum corruptio oritur.Ad quem modum ex febribus continentibus ſine putredine,fiunt continentes cum putredine, in quibus nonnihil ſanguinis in flauam tranſit bilem, & temporis proceſſu, pars quædam in melancholiam. Omnibus his ſangu.miſsio atque purgatio conueniunt, niſi imbecilla fuerit facultas,aut cum multis prauis ſuccis ſanguis bonus fuerit paucus: his enim ſola purgatio conuenit,& languidis,per Epicraſim dictam.Vbi igitur plethora cacochymiam adiunctam habuerit, vti ſanguine multo creſcente, ſimul cum aliquo ſucco corrupto, ac deprauato, aut veluti in plethora quoad vires perſeuerante, aut in febribus continentibus cum putredine, ſanguinem mittere ac purgare conuenit.Sed an ſangui.miſ. præcedere debeat purgationem, aut ipſam ſequi, nondum explicuimus: quidam enim à purgatione incipiendum volunt:nam ſi redundante bile ſimul cum ſanguine,quis ſanguinem miſerit in corpore relicta bile,periculum eſt ne bilis efferueſcat & acrior multò reddatur:ſic etiam admixta pituita ſi ſanguis ducatur, pituita refrigerabitur valde, & coctioni inepta reddetur. Eſt enim ſanguis temperatiſsimus humor, & qui aliorum externas quantitates moderatur. Præterea inquiunt,purgatio magis corpus turbat,quàm ſang.miſsio.facilius autem eſt poſt magnã turbationem, ferre paruam,hoc eſt poſt purgationem ferre ſang.miſsio. quàm poſt paruam, quadamtenus languente natura, magnam ferre: at verò hæc nihil omnino conueniunt. Sed tum antiquorum ſententia,tum etiam ratione conſtat,ſang. miſ.anteponendam, deinde poſtremo loco purgationem exercendam: libro namque 4.de Sani.tu.Gal.docet quid agendum ſit, vbi ſanguis in corpore redundauerit,& aliquis ſuccus qui non multum à ſanguinis natura receſſerit: quid etiam vbi is valde à ſanguine receſſerit. Atque inquit: inſpicere oportet & quantitatem,vt,verbi gratia,ſi ſanguis bonus exiguus ſit,reliquus verò ſuccus plurimus,vtique in his abſtinendum à detractione ſanguinis eſt: ſin is quidem,exiguus,ſang.verò copioſus, audacter incidenda vena eſt,deinde deiicere,vt dictum eſt,aluum oportet.lib.quoque 6. de Mor.pop.1.com.7.de Sangui. miſ. & purgatione loquens, inquit: Si verò auxilio vtroque homo ipſe indiguerit,quòd à ſang.miſ.incipiendum ſit, neminem latet. Aëtius quoque lib.2. ſermo.1.cap.100.de corporis affectibus loquens,in quibus vtrumque conuenit auxilium inquit: Ambobus autem concurrentibus, vtriſque euacuationibus vtendum eſt,primùm venæ ſectione,poſtea purgatione.Paulus libro ſecundo, cap.40.eandem omnino ſcribit ſententiam.Sed tamen auctor libri de renum affectus dignotione & medicatione, non tantum idem aſſeruit, ſed cauſam adiunxit.Nam ſi ſang.miſ.præcedat,purgans medicamentum deinde ſequens facilè venas peruadet,& per ea ſpacia faciliùs humor educendus mouebitur. Quòd ſi corpore pleno medicamentum expurgans adhibueris,non poterit in corpus deferri,& aut nihil aget,aut malè.Quæ verò contrarium ſentientes in ſuæ opinionis confirmationem adducunt, non obſtant. Primùm quidem cùm bilis ſanguini mixta eſt, ſangui.miſsione nonnihil ipſius ducitur, & reliquum admixtum manens à reliquo ſanguine moderatur,& bilis ſanè feruor ſupprimitur,aut pituita incaleſcit ſanguinis relicti,calore,quos duos humores paulò pòſt medicus medicamento adhibito vacuabit.Nan ſi ſanguis paucus foret & aliorum humorum copia multa, ita vt periclitetur patiens in nimium feruo-

rem

rembilis,aut nimiam refrigerationem pituitæ incidere,vetitum esset ei sang. mittere,nihil igitur mali fiet,& si sanguis mittatur primùm, vbi vtroque auxilio opus fuerit.Quod verò dicunt à labore magno facilius ferre naturam paruum laborem,quam à paruo magnũ,fortè id verum esset,nisi alia ratione peccaretur,vt enim diximus,si pleno corpore medicamentum pugnans adhibeatur, aut non operabitur, nec venas peruadet, aut id quidem malè: labor igitur magnus,& noxa manifesta sequitur purgato prius corpore:commodum verò ex vtroque auxilio,vbi sang.miss.antecedat.Quòd si aut cacochymia sola adfuerit:aut cum plethora coniuncta(sed iam dempta plethora) sangui. missi. pro humoris peccãtis natura, & dispositione, ac quantitate, medicamentum expurgans adhibendum, quamuis cacochymia existente in renibus vrinam mouere quandoque tutum sit,sic etiam vbi in iecoris gibba consistat parte, & in venis si fuerint serosi humores, non admodum multi, atque si cacochymia in postremis consistat venis,expediet,sudorem mouere,aut insensibili discessione humorem absumere.Verùm in simis iecoris partibus existente cacochymia,aut in venis meseraicis, aut in ventriculo, & intestinis, leuibus medicamentis redundantiam illam dememus, quæ solam leniendi ventrem vim habeant,aut parum admodum trahant, vti rabarbarum, aloe, & casia fistula. Si tamen in venis cacochymia non contemnenda consistat, validioribus opus erit medicamentis & quæ propriè expurgantia appellantur, & humorem familiaritate substantiæ ducant, quibus hac eadem ratione medici antiqui vsi sunt,in expurgandis corporibus. Atque ea ratione Gale. libro secundo Apho. comment.17.dixit.Quòd autem euacuationem Hippo.simpliciter dicere consueuerit, quando humores æqualiter vacuantur, purgationem verò quando praua affecti qualitate,meminisse oportet. Vult itaque vacuationem ad quãtitatem referi,purgationem ad qualitatem:sed ampla voce vacuatio ipsam purgationem amplectitur,quoniam lib.1.Apho.comment.2.inquit:Est autem purgatio humorum qui sua qualitate molestant euacuatio. Sed rursus lib.2.prog. comment.14. vtriusque vocis significationes proprias explicat, dicens:Porrò vacuationem appello propriæ materiæ,vbi quãtitate exuperet, purgationem verò alienæ,per qualitatem.Quemadmodum igitur sang.missio,redundantiæ humorum quantitate peccantium debetur, ita purgatio qualitati, quoniam natura,aut ars,vi medicamenti,humorem vitiosum & peccãtem,non quantitate tantùm vacuare conatur,ac perinde Hippo. dixit: Deiectiones non multitudine sunt considerãdę,sed si talia deiiciantur qualia oportet,& ęger facilè toleret.Cùm etiam aut sponte,aut arte humor aliquis à corpore purgatur,qualitatem eius quod purgatur aduertere oportet.Nã si tale purgetur, quale purgari debet,confert,& bene fertur.Medicus quoque similes euacuationes tentare tenetur,& eorum quæ à corpore ducuntur qualitatem tenere debet:nam si humor qui medicamento ducitur,talis fuerit, qualis esse debet, & conferet, & bene feretur.Considerare quoque oportet,antequam medicamentum purgans adhibeatur,cuius naturæ fuerit humor,qui in corpore abundat,vt medicamentum adhibeamus, quod humoris qualitatem respiciat. Non est autem caliditas aut frigiditas quæ purgatur,sed an calidus an frigidus humor sit, inspicere oportet.Neque etiam per quale,quod Hippo:atque Gal. dixerunt, humoris speciem tantummodo intellexere,sed verè vti 2.lib.prog.in annotationibus nostris diximus, quale, multa dicit,quæ omnia vna voce comprehenduntur:non enim bonam purgationem existimare decet in biliosis morbis,si bilis purgatur,quamuis de specie humoris peccãtis sit: sed si omnem conditionem ad bonam purgationem necessariam seruauerit: de conditionibus verò purgationis bonæ est coctio.Quamobrem in voce, quale, coctionem comprehendi dixit Galen.libro primo,de Ratione vict. acutorum,comment.23.exponens namque verba Hippo.qui dixerat, Et quæ à pulmone expuuntur, talia sunt, qualia esse oportet,inquit: Nempe verba hęc,qualia esse oportet, coctionis habent

Vacuatio quid.

Purgatio quid.

Humoris purgandi qualitas inspicienda.

bent notas. Dicemus itaque qualitatem, omnem conditionem, eorum quæ purgantur, comprehendere, ita vt medicus considerans, an purgatio sit futura ex vsu humoris euacuandi, aut qui iam euacuatur, contemplari debet, calorem aut frigiditatem, colorem, substantiam, & ex his speciem, deinde an coctus, an crudus purgetur. Purgationem tamen, cacochymiæ adhibebit, per medicamenta quæ humorem eum qui cacochymiam efficit familiaritate substantiæ educat, sunt autem humores cacochymiam inferentes, bilis, pituita, melancholia, & aquosi aut serosi succi. Bilis verò multarum specierum, nam aut est flaua, aut pallida, aut porracea, aut ęruginea, & pituita quędam est cruda, quędam salsa, quædam acida, quædam dulcis. Melancholia quædam est sanguinis fęx, quædam vstione genita, quædam atra bilis exquisita. Serosi humores tenues & aquosi sunt. Bilis redundantia agnoscitur, in morbis ex morbi natura, veluti quod tertiana est, aut tertiò accessiones efficit. In omnibus verò ex colore corporis palido, & quandoq; viridi, ex ætate patiente iuuenili, calida ac sicca corporis temperatura, ex anni tempore æstiuo, cui accedũt regio, & aër ambiens calidus, & victus calidus, ac siccus præcedens, & vigiliæ, & motus, & media, & quòd similibus passionibus affici soleat, aut aliâs similis humor augeri in eo corpore assueuerit. Quòd si quidpiam eius à corpore excernatur id maximè eius quod remanet naturam docebit. Sic & ex tumoribus, siue pustulis, & ex natura doloris mordentis, si is adfuerit. Pituitam agnosces (si morbus adest, ex quotidianis accessionibus) ex colore corporis albicante, aut plumbeo, ex ætate senili, temperatura corporis frigida, regione, & temporis constitutione simili, atque victu, ocio, somno, sputo multo, sensus torpore, & quod similis humor in eo corpore augeri soleat, & ex tumoribus laxis doloris expertibus, & ex his quæ excernũtur, ex quibus non tantùm genus, sed etiam speciem agnoscimus. Melancholiæ notæ sunt (vbi morbus adfuerit accessionum ordo) color corporis ad nigredinem tendens, tempus autumni, ætas calida & sicca, sicuti & temperatura, talis, & anni tempus, hæc enim adustione generant melancholiam, conducit non parum victus præcedens ex alimentis melancholiam aceruantibus, & suppressio euacuationis melancholici humoris assueta, & si quid tale aliquando vacuetur, agnoscenda natura, & dolores atque tumores à melancholia, è quorum numero sunt scirrhi & cancri. Serosos humores ostendit vrina tenuis, aquosa, & sudor multus, citra accessionis finem, & victus præcedens ex alimentis frigidis & aquosis, vti melonibus, moris, prunis, & similibus, ac multo potu. Hos humores euacuamus aut præuisionis, aut curationis ratione. Præuidere purgatione docuit Hippo. 6. Sect. Apho. 47. Quibus purgatio (inquit) cum medicamento conuenit, hos vere purgare oportet: vbi igitur aut podagra, aut articularis morbus, aut scabies, aũt cutis infectiones, impetigines & lepræ sperantur ineunte vere purgare conueniet, sicuti & cùm morbi idem adfuerint, semper cacochymiæ specie ex prædictis præcognita. Sanis autem purgantia adhibere modicamenta, quibus cacochymia non adest, omnino vetitum est, dicente Hippo. Apho. 36. Sect. 2. Qui sanitate corporis fruuntur, medicamenta purgantia sumentes, celeriter debilitantur, & qui prauo vtuntur cibo. & 4. Sect. Apho. 16. inquit: Carnes sanas habentibus elleborus periculosus, facit enim conuulsionem. Sani itaq; cùm purgantur, vertigines & tormina patiuntur: cúmque humorem educendum medicamentum non inueniat, carnes & sanguinem colliquat, & vniuersum corpus exurit, & vires labefactat. Quãtum igitur ad corporis affectus attinet, purgantia medicamenta eis tantùm adhiberi debent, qui cacochymiam patiuntur, siue per eam actu ægrotent, siue morbos futuros sperent, dum tamẽ vires constent & humores, & corpora parata fuerint. Ex corporibus verò multa sunt, quæ quamuis cacochymia laborent, non sunt purganda, veluti quę admodum pinguia sunt, & quæ admodum gracilia, & corpora quæ sæpe delinquunt animo, & tardiùs reuocantur, & qui ob leues causas vomunt: nam graciles & facilè

Cacochymiam qui humores efficiunt.

Humorem redundantium signa

Purgantia medica quibus conueniunt.

Purgatio quibus non conuenit.

cilè vomentes per ſuperiora purgare cõuenit,& quibus alius ad modum aſtricta eſt,& fœminæ quibus menſes validè profluunt, & in acutis morbis rarò & & inter initia,ſic etiam purgandi non ſunt, qui ventris inflationes ſentiunt, aut in eiſdem partibus inflammationem,aut vehemẽtem ardorem. De dyſentericis tamen, & pueris, & vtero gerentibus, in conſequentibus dicemus, vt omnes corporis diſpoſitiones, in quibus purgare conuenit, atq; eas, in quibus à purgatione abſtinere decet, præcurramus. In dyſenteria itaque maior pars medicorum noſtri temporis medicamenta expurgantia adhibet: quidam electuarium de ſucco roſarum,aut aliquod ſimile medicamẽtum, quidam rabarbarum tuntummodo,atque ex ipſis quidam eum torrefaciunt prius. Ex quibus omnibus priores, qui medicamenta expurgantia adhibent, omnino ignorare videntur methodum curatiuam dyſentericis conuenientem, & antiquorum placita. Eſt etenim dyſenteria vlcus inteſtinorum,aut fluxus ventris cruentus cum inteſtinorum vlcere. At verò vlcus omne dum mundum eſt,aſſolidatione eget, & cicatricis obductione,dum verò ſordidũ,primùm deterſione, ac mundificatione,deinde aſſolidatione, ac cicatricis obductione, ſi cutis pars amiſſa fuerit. Id igitur in dyſenteria agendum, Vlcus mundificandum primò, ſi ſordidum fuerit,deinde obducenda cicatrix. Primò loco medicamenta detergentia ſunt ex vſu,vti aqua mulſa: ſecundo loco quæ adſtringunt & exſiccant, è quorum numero ſunt, quæ acerbam, aut auſteram habent facultatem. Quoniam verò id vlcus coniunctum habet prauum aliquod ſymptoma magna ex parte(nempe fluxionem) ipſam cohibere decet, tum his quæ in partem aliam reuellunt, aut deriuant humorem, tum his quæ partem roborant, Reuellunt quæ vomitum cient, & quæ ſudorem eliciunt: deriuant autem quæ mouent vrinam,aut fœminarum menſes. Ab omnibus tamen his quæ methodo curant dyſenteriam,alieniſsima ſunt purgantia medicamenta, quoniam ad partem laborantem humorum impetum ex toto corpore deducunt, & inteſtina calefaciunt, & irritant, & vlcera maiora faciunt, ex edendi vi, qua caloris & ſiccitatis ratione pollent: quapropter nihil tale adhibendum eſſe, res ipſa admonet: quod antiquorum ſententiæ comprobant. Gale. namque. lib. 13. de Metho. med. inquit: Longiſsimè attentata parte fluxione auellere, non ad ipſam trahere oportet. & lib. 1. de Arte. cur. ad Glau. inquit: Sed neq; ſi cum diarrhæa febris adfuerit opus eſt alia euacuatione, etiam ſi hæc non reſpondeat multitudini. Prohibet igitur purgationem, vbi inteſtina fluxione tentantur, ſicuti & vbi fluxus ventris adfuerit, ne ad partem laborantẽ humores trahamus. Paulus quoque libro tertio, ca. 42. his medicamentis vti præcipit quæ aliis fluxionibus ſiſtendis proſunt. Celſus item prohibet quæ vlcus proritare poſſunt. Aëtius tamen libro tertio, cap. 23. numerãs eos qui purgationi ſunt inepti, inquit: Et qui dyſenteria & cœliaca affectione facilè corripiuntur. Quòd ſi is qui paratus eſt incidere, in dyſenteriam non fert purgationem, minimè ipſam feret, qui iam in eum incidit morbum: at verò in fluxu ventris concedit purgationem, vbi humor aliquis inteſtinis hæreat, qui eadẽ irritet ac mordeat: eo enim ablato ceſſabit fluxus. Hoc tamen non ſatis tutum eſt, vt Gal. lib. 1. de Arte cu. ad Glau. ſeruauit: vbi in fluxu vẽtris denegat purgationem, deceret potiùs humorem in partem aliam conuertere, & eum qui inteſtinis hæret abluere clyſteribus, aut portionibus, & deinde inteſtina, ne alium ſuſciperent, roborare. Neque etiam rabarbarum dyſentericis exhiberem, neq; toſtum denegarem: fallitur enim qui putat, rabarbarum toſtum vim aliquam habere purgandi, qua poſsit dyſentericis nocere, adſtringit enim valde, quãuis rabarbarum ſit: eſt etenim toſtum rabarbarum. Et quemadmodum beta, elixa bis, nullam vim habet proritandi ventrem, ita neque rabarbarum toſtum. Pueris tamen medicamenta expurgantia adhibẽda non ſunt, niſi magno vrgente vſu, & magna cacochymia præſente, aut vbi morbus aliquis magnus inuadat, à nimia redundantia alicuius prauiſucci: quoniam inſitã habent ſibi peculiarem eua-

Dyſentericis an purgandi ſint.

Puerorum purgatio.

cuationem,quæ per cutis poros. Quin & in hoc corporis affectu,si puer adhuc lactens fuerit,nutricem oportet bibere medicamentum aliquod purgans: vti Hippo.lib.6.de Mor.popularibus.par.5.docuit dicens, Mulier aut capra elaterium,aut cucumerem agrestem deuorantes,pueris purgatio. Huius sententiæ ratio est,quoniam infantes ea medicamenta non ferunt: & quoniam lac contrahit eorum vires.Ego quidem nutrici sanæ nullum tale medicamentum bibendum darem (sana enim corpora difficilè ferunt purgationes,quæ apud Hippo.erant in vsu)sed rabarbarum aut myrobalanorum expressionem: infanti autem,quod Paulus lib.1.c.6.At si venter (inquit) ipsius non respondeat, tunc mel cibo infusum simul coquere oportet: si neq; sic quidem descenderit, terebinthinæ instar ciceris iniicies. Nos etiam eisdem præbemus mannæ parum in iure pulli,& aquam mulsam parum dilutam aut rosatum mel de rosis alexandrinis.De purgatione senum infrà dicemus. Post secũdum autem ætatis annum, vsque in decimum, eisdem exhibeo casiam fistulam, aut mannam, aut rabarbarum,aut elect.diaprunis simplex, aut diacatholicõ. Post decimum verò hæc eadem, atq; electuarium diaphœnicõ, vbi crasiores fuerint peccantes humores,& agaricum.Vtero gerentes quibusdam mensibus purgari permittit Hippo.Aphor.1.sect. 4. dicens: Vtero gerentes medicamento purgante euacuandæ sunt. 4.mense & vsque ad 7. sed minùs hæ: iuniores autem fœtus, ac seniores vereri oportet. Quo in loco duo nos docuit Hippo. alterum est in quo corporis affectu vtero gerẽtes purgandę sint,alterum quo fœtationis tempore.Corporis affectus est,cùm materia turget,intelligendum, in acutis morbis:nam citra morbum purgandæ non sunt, neque in morbo miti,& in quo humor parti affixus sit:illis autẽ quibus peracutos morbos humores turgent, hoc est,agitantur,& per corpus inordinatè mouentur, medicamẽtum expurgans adhibendum est,quod similitudine substantiæ humorem trahat expurgandum vomitu, aut fluxu ventris. De quorum numero sunt scãmonij succus coloynthis,& turbit,turpetum appellatum, atque agaricus: verùm hæc medicamenta non omni fœtationis tempore dari permittit Hyppo. Sed tribus totius fœtationis mensibus mediis,nempe.4.& vsque ad 7.ac si dixisset. 4.& 5.& 6.non tamen 7.hunc enim cum duobus sequentibus excludit, atque tres alios priores.Nam cũ medicamenta expurgãtia sint de natura venenorũ, & vehemẽter moueãt corpus,& agitãt,tribus primis mẽsibus aborsus timetur,ob acetabulorum mollitudinẽ, & tribus postremis:quoniã nimia grauitate eadẽ disrumpet fœtus,superueniente à medicamẽto agitatione:Sed tamẽ minùs conuenire vult Hyp.purgationẽ eis quæ 7.mensi,prope accedũt,quã eis quę prope ad 3. 7. namq; mense,multis pariendi tẽpus adest.Nec tamen à 4.& vsq; ad 7. purgãtia medicamẽta sine periculo adhibentur,nec aliàs quã magno vrgente vsu,& humore turgente.Adhibemus autẽ ea,maius malum vitare valentes. Si enim fœmina ab acuto morbo euaserit, spes habetur salutis infantis.Quòd si mater pereat,ambo perire necesse est.Dices fortè,id mali nõ esse cõmittendũ vt inde bonũ eueniat. Respondemus, malũ omne à morbo imminere, vti matris&fœtus mors,medicum verò id tẽtare,vt alter aut ambo liberentur: optimè verò id assequetur liberata matre,neutrum autem ex artis documẽtis sperant, matre omni auxilio destituta. Verùm quid agẽdum sit, vbi acuto morbo deprehensa fuerit vtero gerens,ante 4. aut post 6.mensem, dicemus: vbi ipsa probè purgetur,opus naturæ permittendum.Si verò venter adstringatur,clysteria infundemus ex maluarum decocto, aut iure intestinorũ, & pedum verueecis,additis melle & oleo.Quòd si hoc non satisfaciat,sed morbi magnitudo & periculum immineant,casiam fistulam soleo propinare, aut mannam, aut medicamen diaprunis simplex, aut diacatholicon, & quandoque rabarbari. 3.j.aut 3.j.semis.Quod sępe sine dãno vtero gerentium,aut fœtuum experti sumus,secundo & tertio mense, & octauo, frequentiùs verò mediis ipsis mensibus,quibus aquam mulsam prius bibẽdam damus.Ad purgationem verò vires

Vtero gerentes an purgãda sint.

con

conſtare oportet,quoniam purgantia medicamenta vires frangunt,&vniuerſum corpus turbant,atque venenoſa natura lædunt.Cęterùm minus conſtantes exiguntur,quàm ad mittendumſanguinem.Audio quoſdam,ſic rem abſoluere,magis conſtans facul.exigitur ad ſang. miſ. ſed nobis magis conſtare debere de eius conſtantia ac firmitudine ad purgationem, ac ſi liceret medico ſangui.mit.dum vires conſtarent,& nondum ei conſtaret:aut fortè expediret aliquando ſummam adhibere diligẽtiam in examinendis viribus,& aliàs non eſſe opus. Nos ſanè nunquam non adhibemus totam artem, totáſque vires, neque aut ſang.miſ.aut purgationẽ, ſine virium ſummo examine temere tentamus.Præterea fieri nequit vt vires ſint validiores,& minus id nobis conſtet: nam qui ſunt validiores,actiones tales producunt,à quibus earum,quàm aliarum conſtantia nobis magis innoſcet, non igitur quorum vires minùs conſtant, nobismagis conſtabunt. Sed quid in nugis confutandis toties moror? Quòd ſi vires integræ fuerint,& reliqua conſentiant vti humorum diſpoſitio, atque corporum,& quæ attinent ad regionem & cæli ſtatum, purgãs medicamentum adhibendum erit,quod totum humorem peccantem ducat,diligenti coniectura prius habita quantitatis humorum. Sed ſi facultas valde languet, roboranda interim eſt antequam medicamentum adhibeamus. Quòd ſi neq; roborari poſsit ante purgationem,deſperata eſt eius ſalus,ac tutius erit hominem ſolo victu, quoad poſsimus, ſeruare, quàm medicamento exhibito, infamare medicamentorum purgãtium vſum.Si verò facultas quadamtenus conſtet,prius corporis & humorum habita pæparatione,purgantia leuia adhibebimus medicamenta,quæ non tantùm humorem vnico impetu educant: ſed parte educta,rurſus roborabimus vires, ac rurſus humoris partem educemus, atque iterum facultatem roborabimus, quod mederi per epicraſim dixit Gal. Coindicant autem purgationem eſſe partiendam,& non vnico impetu humorem totum eſſe euacuãdum, regio, cæli ſtatus,anni tempus, & ætas, de quibus dicemus.Poſſet autem quis aduerſus hæc obſtrepere,probare contẽdens, omnem humorem peccantem vnica purgatione ducendum, vbi is probè fuerit paratus ex Hip. qui Apho.2.li.1.dixit: In perturbationibus vẽtris & vomitibus ſpontinis,ſi talia purgentur,qualia purgari oportet,& confert & bene fertur. Si verò non,contrarium.ſic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert & bene ferunt, ſin minùs, contrà. Quod ſi purgatio, vt inquit Hippo. bene fertur,vbi talis fiat qualis fieri debet, cùm totus humor peccans euacuatur, talis adhuc eſt purgatio qualis eſſe debet:bene igitur ipſam feret æger, atque totam purgationem humoris peccantis facilè feret natura, & meritò quidem,cùm id purgetur quod naturam moleſtabat. At verò in omnibus purgationibus,ſiue à natura,ſiue arte factis,quæmagnæ fuerint, naturam quadãtenus moleſtari neceſſe eſt,& laborẽ pati:nam magna euacuatio corpus turbat,& ſpiritum diſſoluit,& ſi affatim fit, animo delinquunt patientes, & ſubitas mutationes non ſine labore fert natura.Si verò ſenſim fiat,præter reliqua, hoc vnum patitur corpus,nempe alimẽti defectum. Cùm enim humores ventrem verſus impetum faciunt,nihil deducitur ad membrorum refectionẽ aut pauciſsimum,ac perinde in omni purgatione effatusdigna,opus eſt valida natura ad ipſam probè ferendam,quamuis per eam tale purgetur, quale oportet. Quamobrem rectè Hip.dixit: Deiectiones non multitudine ſunt conſiderandæ,ſed ſi talia deiiciant qualia oportet,& æger facilè toleret. Atque vbi vſque ad animi defectionem ducere conuenit, id faciendum,ſi æger poſsit tolerare. Quo in loco quamuis talia purgentur, qualia oportet, dixit, conſiderandum an æger facilè toleret. Poſſet namq; æger eam purgationem non facilè ferre, ob ea quæ diximus:præter id quòd aliud eſt conferre, & facilè ferri: multæ ſiquidem ſunt euacuationes conferentes,quoniam humor malus vacuatur, ſed ob virium imbecillitatem non probè feruntur, vti in empyicis, & aqua inter cutem laborantibus:illi enim totam aquam aut pus, ſemel educi non ferunt,

Vires ad purgationẽ an eſſe debeant maiores quàm ad ſanguin. miſ.

Purgandorum corporum ratio.

quamuis quod euacuatur tale sit, quale oportet. Atque eadem ratione Apho. 3.lib.1.dixit: Neque compressiones ad extremum ducēdæ (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt, periculosè, & rursus refectiones, cùm extremæ periculosæ. Quod itaque dixit. Apho. 23. sect. 1. quadamtenus videtur huic sententiæ contrarium: nam in præsenti loco euacuationes quæ ad vltimum ducunt, periculosas esse dicit: & in Apho. citato docuit vbi facultas valuerit ducere ad animi deliquium, verumtamen hęc facilè sibi consentiunt, nam in Apho. 3. sect. 1. periculosas dicit extremas euacuationes: id verò non tollit quin aliquando magno imminente periculo, sint exercendæ, veluti Gal. in commentario 23. eius libri docuit, in febribus ardentissimis, in maximis inflammationibus, & doloribus ingentissimis, habita distinctione, an sang. mittere, an ventrem purgare conueniat. Iam igitur hæc duo voluit, aliquando extremam euacuationem conuenire, & semper esse periculosam, quibus hoc tertium nos addimus, euacuationem, ad animi deliquium, magis fugiendam esse, cum medicamento purgante, quàm sanguinis missionē: nam cùm volumus cohibemus sangui. fluxum, non tamen medicamenti opus. Indicia verò eorum qui integrè purgati sunt, postea dicemus, sed tempus exhibendi medicamenta purgantia considerari debet, tum ex anni temporibus, tum ex diei hora, quibus accedit occasio, siue oportunitas adhibendi id remedium. Anni sanè tempus purgationibus aptissimum, vernum est, quos enim purgare conuenit, vere purgandi sunt, secundum locum habet autumnus, tertium hyems, vltimum æstas. Nam æstate cauere oportet maximè, purgantia medicamenta: quoniam per id tempus vires exoluuntur, & corpus exuritur, & medicamēta ipsa purgantia calida sunt valde, atque proinde Hipp. dixit. Apho. 5. Sect. 4. sub cane & ante canem molestæ sunt purgationes, id omnino ad aëris naturam referens, si enim per id tempus aër non adeò calidus foret, liceret quoque corpora purgare. Hyeme pariter ob nimiam frigiditatem, humores non cedunt, impacti, tenaces, crassi, & ob frigiditatem immobiles difficilè admodum vacuantur: humidi verò temporis constitutio eligenda est, & tempus pluuium, id enim laxa reddit corpora, & humores fluxiles. Nec tamen putandum est, temporis constitutionem calidam aut frigid. purgationem omnino prohibere, sed vbi præuisionis gratia purgamus tum tempus eligere licet. Præterea temporis natura docet, vbi omnino vitari non possit, ob morbi vehementiam, ęstate vires exigi validiores, & medicamenta adhibenda minùs valida, quod Hyppo. verba planè ostendunt, qui sub cane & ante canem non vetuit purgationes, sed molestas futuras admonuit. Hyeme tamen corpora prius probè paranda sunt, ante purgationem, & magno vrgente vsu, purganda, non aliâs. Diei tamen conuenientissima hora, in morbis accessiones habētibus medicamentis purgantibus, est hora intermissionis, si quæ fuerit: sin minùs, hora remissionis morbi. Quòd si nullam habet accessionem morbus, temporibus calidioribus purgatio optimè succedit à 4. in 8. horam diei, siue Romanorū modo, ab hora matutina in quartam: frigidioribus verò temporibus, ab hora octaua, in duodecimam, siue Romanorum ritu à secunda diei hora in 6. Decet igitur medicamenta purgantia sumere tanto ante id tempore, quanto ipsa egent, vt in actum deducantur, & deinde prædictis temporibus actionem perficiant, dum tamen inter somnum & medicamentum hora mediet. Non est tamen eadem omnium medicamentorum assumendorum ratio: quædam enim sunt solida ac dura, quæ pilulæ appellantur, quædam solida & non dura, quæ boli appellantur, quædam sunt liquida, siue potiones. Hæc omniá ieiuno ventre sunt adhibenda: nam si cibo adhuc in ventre manente assumantur, cibus non coctus per ventrem descendet ac corrumpetur omnino & corruptns per venas deducetur vi medicamenti. Neque eo assumpto cibum accipere decet, ob easdem causas, sed à cibis & somno abstinere debent, qui medicamenta purgantia

Purgare ad animi deliquium.

Tempus purgationi aptum.

Hora diei ad purgationem eligenda.

Medicamēta purg. ieiuno ventre.

gantia assumunt, liquida aut solida, nō dura. Hæc sunt potiones & boli: somno namque superueniente, vires eorum medicamentorum dissoluuntur, calore videlicet natiuo interius per somnum recluso: atque si medicamenta de venenorum natura non fuerint, in sui naturam ea conuertet corpus. Ac perinde Paulus. lib. 7. cap. sexto, inquit: Summatim in omni purgatione efficaci medicamentum, homini quem certa prius victus ratione alueris, ieiuno & concoctione obita trades, & à somno quoad in totum purgatus fuerit, arcebis, motu mediocri, si fieri potest, adhibito, cibo omni & potu abstinere vsq; ad consummatam purgationem compelles. Quo in loco à cibo & somno arcet eos qui medicamenta purgantia assumpserunt, ob causas quas nos retulimus. Verùm quantum ad cibos attinet, omnimodo seruari debent, præter quàm quòd nos cum Hippoc. libro 2. de Rat. victus acu. statim à potu medicamenti liquidi, aut bolo deuorato paucam ordei aquam, aut mulsam præbemus, ne quidpiam faucibus, aut gulæ hærens remaneat (id enim partes dictas erodit, & vomitus ac nauseæ causa fit) atque vt medicamentum ab ore ventriculi descendat & eius malitia obtundatur. Non tamen prohibemus medicamenta ventrem mollientia cibis miscere, vti his qui duram aluum habent, & iecoris inflammationem patientibus, cum Galen. & conualescentibus, & longis morbis aut purgatorium miscebimus leue, si sensim humorem purgare contendimus: hæc cum Aëtio lib. 3. cap. 57. Est præterea post potionem aut bolum vitandus somnus, ob prædicta, nisi magnam vim medicamenti quis obtundere vellet, aut imbecillas habeat vires qui medicamentum assumpsit. Post pilulas dormire præcipimus, vt caloris & humoris vi liquentur, & agere incipiant, incœpta tamen semel actione, queadmodum in aliis medicamentis, à cibo & somno abstinere oportet: cibus namque medicamenti vires obtundit, & cum medicamento mixtus corrumpitur. Somnus verò actionem medicamenti sæpe in totum, quandoque magna ex parte suspendit: hebes etenim redditur animalis facultas, sine qua purgatio non fit. Iam occasionem adhibendorum medicamentorum expurgantium inquiramus, quam Hippocrat. significauit dicens: Corpora vbi quis purgare voluerit, oportet fluida facere, fluida verò reddūtur corpora quemadmodum Galen. in commen. dixit, meatibus factis laxioribus, & humoribus fluxibilioribus, non enim satis est alterum facere, altero prætermisso, vt purgatio probè procedat. Nam si humores fluxioni parati fuerint, meatuum autem adfuerit angustia aut adstrictio, improbè res cedet, sicuti & vbi meatibus relaxatis humores crassi ac lenti fuerint. Vtrumq; verò consequi docet Hippo. humectatione, hanc verò quiete, cibis & balneis, siquidem apho. 13. sectio. 4. inquit: Ad elleboros qui non facilè suprà purgantur, ante potionem, pluri cibo & quiete præhumectare oportet. Hac etenim humectatione, quam quiete & cibis, quibus humectandi insit natura, corpus asse quitur, meatus laxantur & humores fluxui parantur. Sic etiam 6. lib. de morbis popularibus, parte 5. dixit: Eum qui elleborum bibit citò purgare si velis, lauare, & comedere præcipe: quoniam Hippoc. humectare vult ea corpora, humectat autem balneum, pariter quoque cibus: quandoquidem cibus omnis, qua cibus est, corpus humectat & reficit: in humoribus tamen siue ventris secessu, siue vomitu purgandis præparatio exigitur, atq; coctio, licet non in omnibus. An itaq; humores omnes ante purgationem concoctione egeant, qualis etiam ad purgationem præparatio antecedere debeat, hoc in loco docere conabimur, quando hac in re non parum dissidentes intelligam medicos quosdam, alios in ancipiti hac & illac agitatos, & vacillantes. Hippocra. sanè apho. 22. sect. 1. miro modo, quid ante purgationem præcedere opus sit, palam docuit, dicens: Concocta medicari oportet, atque mouere non cruda, neque in principiis, modò non turgeant: plurima verò non turgent. Hanc sententiam Galen. lib. 4. de Sani. tu. oraculum appellat. An tamen id præceptum aliquādo prætergredi liceat, id venit modò differendum, propter quorundam errores,

Pharmaco assumpto bibere statim.

Dormire à pillulis.

Purgatione incepta à cibo & somno abstinere.

Occasio purgandi.

Coctio ante purgationem an conueniat.

qui posthabita omni medendi methodo, atque omni bene tradita ab antiquis doctrina, cum magno ægrotantium incommodo, medicamenta expurgantia sine delectu bibenda perhibent, quos deceret antiquorum præcepta colere, artis dignitatem reuereri, & salutis ægrorum rationem habere, quorum nomina aut fortè exciderunt, aut sunt sanè hi, quorum aliàs meminimus, Zoroastes, & Zoilus, qui adeò impudenter medicamentis expurgantibus intempestiuè adhibitis, homines excarnificant: vt neque diuitibus, aut pauperibus, neque secularibus, aut monachis, neque scholaribus, neque amicis & familiaribus, neque suæ ipsorum famæ, si quam bonam apud vulgus imperitum sunt adepti, parcere aliquando velint, tanta est cum Hipp. & Galen. præceptis concepta maleuolentia, & cum nostris salutaribus documentis inimicitia. Quod itaque Hippoc. miro modo & celebratissimo oracolo docuit, primùm explanemus, deinde eorum inscitiam patefaciemus, concocta (inquit) medicamenta expurganda sunt: id enim verbum φαρμακίνων, indicat: cruda verò mouẽda non sunt, neq; in ipsis morborum initijs, modò non turgeant, at verò plurima non turgent. Dixit sanè, concoctis esse adhibenda purgantia medicamenta: quoniam natura coctos humores purgare assolet, quam probè operantem imitari decet: solet autem ipsa primùm sibi conueniens & familiare trahere, deinde idem retinere, deinde coquere, & ad finem expellere, coctio itaque expulsionem antecedit: Hanc Arist. appellat lib. 4. Meteorolo. cap. 2. perfectionem, quæ fit à calore naturali, ex oppositis passiuis: perfectionem tamen appellat, aut motum, quo aliquid perficitur, aut formam quæ consequitur ad eum motum: forma tamen hæc aut est natura, & species, ad quam contendit coctio, vti cùm caro generatur ex sanguine, coctione, aut est certa quædam forma, ad quam contendit is motus: hæc autem est veluti forma bilis coctæ, aut pituitæ, aut vrinæ, aut puris. Quamobrem constare poterit apud Arist. coctionem circa bonos & prauos succos versari, qui exempla prædicta adhibuit loco citato. Galen. autem lib. 3. de Naturalibus facultatibus, inquit: Coctio est alteratio ad propriam eius quod nutritur qualitatem. Bonorum sanè humorum, coctionem, speciatim appellat, πέψιν, lib. 1. de morb. popu. comm. 44. dicens πέψιν, idest coctio, in coquentis substantiam, deductio quædam est. At verò & eam quæ fit in prauis succis, quamuis alere non possint, generali voce comprehendit, coctionem bilis appellans, & ichorum quoties fuerit à natura separatum, aliquod tale. lib. 2. de Ratio. vict. acut. commen. 44. Longè tamen aberrat à veritate qui dixerit malorum humorum coctionem non dici perfectam. Quam tamen in humore faciente febrem amphimerinam, cum vrina habuerit sedimentum album, læue, etiam æquale, perfectam appellat Galen. lib. 1. de Crisibus. cap. 17. & rursus cap. 18. de sputis Anaxionis patientis morbum lateralem, dixit: Et hæc tria, inuicem differre arbitrandum, debilem coctionem, manifestam, atque perfectam, debilis enim in 11. manifesta in 17. perfecta in 27. effecta est. Malorum quoq; succorum mutationem in bonum, siue correctionem, coctionem appellauit lib. Artis medicinalis. cap. 98. dicens: Esto enim si ita contigerit in humoribus putrescentibus accendi febrem, indicatio in huiusmodi est euacuatio, atque alteratio. Hæc quidem quæ putredinem finiat, manente adhuc substantia: euacuatio verò, quæ totam ex corpore substantiam educat, sed dicta quidem alterationis species, concoctio existit. Hæc itaque coctio circa prauos succos versatur, sed ad benignum reducibiles, siue corrigibiles. Erit autem coctum tam apud Galen. quàm apud Arist. quod est à natura superatum, speciatim autem cocti dicuntur succi, qui qualitatem corpori familiarem adepti sunt. Coctionem omnem natura molitur, atque ipsius functio coctio est. Cæterùm ab externis adminiculis iuuatur apud Arist. & Galen. locis citatis, atque apertè lib. 1. de Morbis popu. par. 2. commen. 44. Cùm autem natiuus calor temperatus sit, temperata quoq; esse decet, quæ coctiones coadiuuant, veluti balnea, & fomenta calida, manum quoque

Coctio ex Arist.

Coctio ex Galen.

Coctio à natura & modicè calidis fiat.

quoque calidam, & catulos ad perficiendam coctionem, languenti ventriculo admouemus, teste Galen. lib. 5. de Simp. me. fa. Et lib. de Constitutione artis medicæ docet, modicè calefacientia adhibere, ad coctiones perficiendas de quorum numero est aqua mulsa, quæ miro quodam modo succorum crudorum coctiones perficit, interueniente natura. Ex accidenti tamen frigida coctioni coadiuuant, præsertim ei quam diximus facere cessare putredinem manente substantia. Eorum siquidem quæ putrent, non tamen valde, correctio est propria: hanc autem perficimus adhibitis acidis medicamentis, quæ putredinem inhibeant, de quorum numero sunt oxysaccharum, & acetum multum, & siropus acetosus simplex. Contra hanc sententiam adduces fortè Galen. qui 4. sectio. apho. comm. 57. docet vtilitatem quæ sequitur febrem, quæ aduenit post conuulsionem, atque inquit: His conuulsionibus febres aduenientes partim quidem superfluam dissoluunt humiditatem, partim verò cõcoquunt frigiditatem, constantem frigiditatem coqui non posse, sed humores frigidos. Rursus Celsus lib. 3. cap. 9. circumspecti medici esse dicit, quandoque nouare morbos, & accendere febres, inteligens, febres maiores, morbos citius finire, nec tamen finiuntur morbi qui à materia fiunt, sine coctione. Præterea Gale. lib. 1. de Diff. feb. cap. 8. dicit, quandam esse putredinem, quam coctionem appellat. Est autem illa per quam praui succi coquuntur simul & putrescunt: sed calor febrilis putrefacit, coquet igitur, cùm ambo vnus motus sint. Præterea experimentum docet œdemata & scrofulas pipere, melle, & radice tithymali admotis, aliquando ad maturationem perduci, validus igitur calor & temperato maior quandoque coquere valet. Ad quæ respondemus, validum & vehementem calorem, ac supra temperatum, coctiones aliquando iuuare, sed ex accidenti, veluti in febribus & morbis pendentibus à crasis & valde frigidis humoribus, in febribus quidem, quoniam si febris putrida est, calor putrefaciens, cum natiuo calore vnum efficit, & ambo idem subiectum mutant, interim tamen validus calor sanitatem excedens, humorem ebullire faciens, eius tenuem partem dissoluit, in qua calor præter naturam exhalat, & perinde reliquum à natiuo in corpore relicto superatur, & coquitur. Relinquitur enim in solidis partim natiuus calor, reliquo exhalato in vaporem. Quòd si à natiuo tantùm calore fieri deberet, longè maiori tempore esset opus, aut id numquam consequi posset. In morbis quoque qui à frigidis & crasis pendent humoribus, calor temperato maior eosdem efferuescere facit, & quos calor natiuus ob nimiam frigiditatem vincere & calefacere non potest, eos mutando, ad temperamentum ducit calor febrilis. In tumoribus autem à crasis & frigidis humoribus piper, & tithymali radix, coctioni proficiunt, tum caliditate nimia attemperantes frigiditatem humoris, & ipsum calefaciẽtes: tum etiam aliunde sanguinem & calidos humores deferentes tractione, quos cum frigidis ac crasis miscẽt, vnde fit, vt omnes simul attemperentur, & calore calidorum frigidi coquantur. Præterea medicamenta illa adeò calida erosione dolorem mouent, & dolor fluxionem concitat in partem dolentem, fluxione verò concitata tenues & calidi humores celeriùs confluunt, & deinde mixti reliquis, calore quoque accedente simul omnes coquuntur. Naturalis quoque caloris opus est, interim dum quidpiam mutat, idem crasius quàm antè foret, reddere, quando sua actione tenuem substantiæ patientis partem discutiat: idque fieri perpetuò testamur, siue mutatio à natiuo calore fiat, in ventriculo, siue in iecore, siue in venis & singulis membris, in ea mutatione quam Galen. θρέψιν, idest, alitionem appellat. Quæcunque enim à natura mutantur & coquuntur, si ad formam & speciem contendant, minùs crassa sunt, carne, osse, & reliquis particulis, in quas mutari ad finem debent: si verò contendant ad certam formam, vrinæ coctæ, crudis sunt crasiores, nisi ab initiis morborum confuso multo humore apparuerint ab vrinę substantia alieno, & pus coctum, crasius est ichore, in humoribus & vlceribus. Affirmat hanc sententiã Aristo.

Celsus à frigidis.

Calida valde cõcoquere possunt.

Celsus an contenorat ad crassiora.

lib.

lib.4. Meteoro. cap.2. quæ coquuntur, calidiora maioris molis, craſsiora, & aridiora, fieri dicens. Et lib.eodem.cap.3. inquit: Quæ igitur matureſcunt omnia, ex aëris, aquea, & ex aqueis terrea, conſiſtendo fiunt, & ex tenuibus ſubinde craſsiora reddi aſſolent. Galen.quoque libro 2. Prog.commen.33. inquit: At concoctio craſsiorem reddit non ſolùm vrinam, ſed etiam deiectionem, quoties bene in ventre coquatur, & item ſcreationem in pulmonia, & morbo laterali, atque etiam pituitam per diſtillationes & grauedines, necnon per lippitudinem, & pus in vlceribus. & 4.lib.de Rat.vict.acu. commen.4. inquit: Coctio omnia cogit incraſſatque. Id verò quod aſſerimus de tota ſubſtantia, quæ coquitur, intelligendum eſt, non de humida parte tantùm, vt quidã ineptè ſatis voluerunt, neque enim ſolum humidum, quod eſt in ſanguine, coquitur, aut mutatur in carnem, cùm caro ex ſanguine generatur, ſed ſanguinis ſubſtantia tota tranſit in carnem, ac tota coquitur, & craſsior redditur. Quædam tamen huic aſſertioni aduerſari videntur: ſpiritus ſiquidem ex ſanguine generatur coctione, igitur quædam tenuiora fient per ipſam. Rurſus chylus in ventriculo ex carne & pane generatur: verùm chylus tenuior eſt carne, aut pane. Præterea vermes qui in lignis putreſcentibus generantur, eiſdem ſunt tenuioris ſubſtantiæ, ſed coctione fiunt. Præterea fructus magna ex parte ante maturationem craſſam, terrenam, & acerbam habent naturam, deinde coctione dulces fiunt, dulcia verò tenuiora ſunt acerbis, coctio igitur tenuiora efficit. Ad quæ quamuis iuniores medicos (Auicenniſtas præſertim) in multa deduxerint deliramenta, facilè reſpondebimus. Primùm enim, quod de ſpiritus generatione ex ſanguine diximus, nihil ſuadet. Animalis namque ſpiritus ex vitali fit, qui ipſo animali eſt tenuior, & vitalis ex aëre inſpirato fit, atque ſanguinis euaporatione, in arteriis & corde, aër tamen atque ſanguinis exhalatio ſpiritu vitali ſunt tenuiores. Quòd tamen hæc ſit eorum generatio, Galen. lib.7. de Placitis. Hippoc. & Plat. palam docuit, dicens: Sicuti verò vitalis ſpiritus, in arteriis & in corde gignitur, materia generationis ex inſpiratione, & humorum exhalatione ſumpta, ita animalis ex vitali perfectiùs concocto oritur, quippe cùm oporteret ipſum exquiſitiſsimam omnium immutationem adipiſci. Et lib.7. de Vſu partium, ſpiritum animalem dicit, vltimam aſſequi perfectionem in ventribus cerebri, in quibus ſolus aër cum ſpiritu vitali continetur, vt materia generationis animalis, quo ſunt tenuiores. Dices fortè, nonne vapor qui materia eſt ſpiritus vitalis, ex ſanguine generatur coctione, & is ſanguine tenuior eſt: non equidem, vapor enim ex ſanguine non generatur coctione, ſed inter coquẽdum eleuatur, coctionem potiùs effugiens, quàm coctionem paſſus. Quòd etiam ſecundo loco diximus de chyli generatione, chylus equidem non generatur ex pane aut carne tantùm, ſed ex his, & potibus, atque multa pituita è quibus omnibus liquatis & mixtis, ſiue confuſis, calor coctione chylum generat, qui craſsior eſt ea ſubſtantia mixta ex cibis & potibus, à qua materiam generationis accepit. Vermes præterea non ex ſubſtantia ligni, ſed ex ipſius humore aliqua parte congeſto, ac ibidẽ putreſcente generantur. Quod etiam vltimo loco adduximus, de fructibus arborum, nihil omnino conuincit: nam in fructibus arborum verè non coquitur ſubſtantia fructus, ſed ſuccus qui in ipſis continetur, & aliunde trahitur: hic verò craſsior redditur coctione, vti in nobis fit, inquibus non amplius coquitur caro, cùm ſemel genita eſt, ſed alimentum quod ad carnis generationem deducitur, recipit in ventre, iecore & venis, ac membris ipſis coctiones, ob quas craſsius ſemper manet. Id rectè docuit Ariſto. lib.4. Meteorolog.cap.3. dicens: Coctio eius alimoniæ, quæ in fructibus eſt, maturatio nuncupatur. Atque rurſus eodem capit. ſic: Et proinde crudorum ſuccus pertenuis eſt & gelidus potiùs quàm tepidus. Hic ſuccus itaque eſt qui coctionem patitur ac craſsior redditur. Sed dices, nonne ſubſtantia ipſa fructus ante maturationem craſſa eſt, atque terrena, dicente Galen.4. libro de Simp.me.fa. acerba eſſe frigida craſ-

Spiritus generatio.

ſarum

sarum partium. Sunt equidem talia, atque coctione tenuiora redduntur, non quòd substantia fructuum coquatur, sed quod succo, siue alimento coctionem patienti, id eueniat, quoniam quod accedit coctione, præcedenti fructus parti adiungitur. Id verò cùm tenuius & mollius præcedenti sit, & alitio & augmentatio fiant intus susceptione, singulis ac minutissimis partibus fructus aliæ adiunguntur, ex quibus & præcedentibus omnes quæ mentione digne habentur partes, aut quæ sensu percipi valent tenuiores & molliores redditæ sunt, ad finem coctionis, quæ circa fructus alimentum versatur, quod tamen se ipso coctione perpetuò crassius redditum est. Sed iam ad institutum redeamus. An liceat, aut qua occasione liceat, humores ante coctionẽ purgare: id enim est, de quo ab initio differendum proposuimus. Conantur autem nonnulli probare purgationem conuenire humoribus quibusdam, quamuis cocti non sint, neque turgeant idque non esse ab Hippo. & Galen. documentis alienum, Bifariam dicentes aliquid appellari turgens, aut quoniam est per corpus inordinatè agitatum, aut quoniam nimia abundat quantitate, qua vires opprimit, & ægrum in mortis discrimen deducit, turgentibus itaque propriè, idest agitatis, conuenire dicunt purgationem, non expectata coctione, & his qui, & si in parte quapiam fixi fuerint, valde multi sunt & quantitate mortis periculum adferunt, lib. namque. 2. apho. 29. Hippoc. inquit: Inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue: docet igitur purgare humores in morbi initio, hoc est, crudo morbo. Nam Galen. quoque in comm. inquit: Circa initia verò illorum morborum, inquibus speratur ęgrotum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia, de quibus Hippoc. dixit: Si quid videtur mouendum, moue, sunt autem hæc maximè venæ sectio, nonnumquam verò & purgatio. Quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere: vt enim in lib. de Crisibus manifestauimus, coctiones tum maximè fiunt. Vt igitur hæc citiùs eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam faciliùs possit natura concoquere. Hinc duo colligunt, alterum est, purgationem ante coctionem conuenire, ob multitudinem grauantem quam minuere intendit Hippoc. Secundum, minorandos esse per id tempus humores, vt deinde natura potentior fiat, ad superanda reliqua. Atq; id est (inquiunt) quod Hipp. dixit: Si quid videtur mouendum, idest, si quid videtur minorandum, meritò tamen minorandum videtur, quod quantitate nimium abundat. Præterea purgatio competit turgentibus humoribus, ob periculum influxus humorum in partem quampiam præcipuam: modò verò ex abundantia id quoque periculum imminet, atque pręter id ne multitudo oppressa facultate calorẽ etiam extinguat. Præterea Hippoc. lib. 2. de Ratione victus acu. sectio. 10. præcipit in morbo laterali ascendente, sanguinem mittere, & sect. 11. præcipit in morbo laterali descendenti, purgare ventrem, sed sanguinis missio exercenda est incipiente morbo, ergo & purgatio. Præterea libro quos medicamentis purgare conuenit. Galen. tenues & serosos humores inter initia purgare præcipit. & libro primo, de Compo. med. per locos, in alopetia non expectata coctione purgatione vtitur, sicuti in vlceribus capitis manantibus. Rursus cum æger in mortis discrimine constitutus est, viribus summè oppressis, melius est aliquid agentes periclitari, quàm nihil tentantes hominem deserere. Veluti & Celsus lib. 2. cap. 10. inquit: Melius anceps periculum experiri quàm nullum. Hæc & similia Manardus Ferrariensis ad suam opinionem confirmandam adducit: vult autem is (vt in summa colligam) purgationem deberi crudis humoribus propriè turgentibus, hoc est agitatis, & his qui impropriè turgent, hoc est, nimia quantitate opprimentes vires, eam autem purgationem minoratiuam debere esse, quæ humores minuat, medicamentis non validis, sed modicè purgantibus, veluti casia fistula, quam si Hippoc. nouisset, non denegasset incipientibus morbis, maxime nostra tempestate, in qua homines adeò sunt incontinentes, & gulæ dediti. Cæterùm antequam vlterius procedamus, scire

Humores crudi an purgari debeant.

Crudus humor quis.

decet,crudos humores propriè dici apud Galen.lib.1.de Alimen.fa.cap.de tritico, crassos ac gelidos, quamuis pituitam quoque, crudum dicat esse humorem,non adeò propriè,inquit enim: succus porro ex panibus illis redundans, quibus athletas pasci dicebam,si quis nostrum de vulgo illos esitet,crassus gelidúque erit,qualem propriè crudum nominare consueuimus, quanquam est sanè pituitosus quoque humor, & crudus, & gelidus, verumtamen haud crassus, vt qui humiditate multa & flatulento spiritu sit refertus: Crudus autem humor propriè appellatus talis est, quale sedimentum in vrinis, puri quandoque assimilis: sed pus & graue olens, & glutinosum est, crudus verò succus, crassitie & colore illi duntaxat similis, & odoris grauitate caret, & lentore. Hoc in loco eum tantum humorem qui crassus & gelidus est, crudum appellat, quem per eminentiam crudum dici testatur lib. 4. de Sanitate tuen. cui accedit lentor, vbi pituitam quoque succum crudum appellat, quoniam is nondum ad sanguinis perfectionem fuit deductus,sed non adeò propriè. Itaq; largiori significato crudus humor de pituita dicetur,per eminentiam verò de sola gelida pituita, quæ vitrea dicta est, inquit enim: Ergo eiusmodi colores, crudos dominari succos indicãt,qui cùm de genere sint pituitæ, minus tamen humiditatis habent, quàm ea quæ publicè vocatur pituita: plerunque verò huic nec lentor inest:nam is si adsit (Praxagoras huiusmodi succum vitreum appellat)egregiè quidem frigidum,crassum tamen,eo quem crudum per eminentiam vocant, certè minùs. Generaliter igitur eiusmodi succi omnes, albi crudique sunt, nomenclaturam verò alius aliam sortitur: nec attinet ad præsentem disputationem, ea omnia distinguere, quippe ad quam illud tantùm commune omnium accidens pertinet, quòd hi succi percocti à natura non sunt,sed crudi adhuc manent: siquidem sanguis in medio est bilioforum, atq; horum, quorum vtique genus vno vocabulo appellare licet, vel crudum succum, vel pituitam. In hoc loco crudum succum, aut pituitam indifferenter vocat, humorem non tantùm crassum ac gelidum, sed etiam eum qui citra sanguinis naturam consistit,in cuius & bilis medio, sanguis locum tenet, hoc videlicet sanguinis coctionem non attingente: bile verò ipsum coctione, superante. Iure quidem omnes hi humores crudi dicuntur, cùm nondum coctionis mediocritatem fuerint consequuti,quã vbi consequantur, alere poterunt. Sunt enim & alij impropriè dicti crudi,siue ampliori adhuc vocis significatione,qui coctionis mediocritatem prætergressi sunt:sed vbi coquantur nullatenus alent,vti bilis.Sunt etiam excrementa cruda appellata, quæ vbi coquantur, nullatenus alent,vti vrina,& pus & ichores,siue humores serosi,in quo significato crudum cocto oppositum, dixit Hippoc. libro secundo. de Ratione victus acut.sectio.44.per hæc verba:Interdum autem cruda tum à capite,tum à thorace attrahuntur bilioſa, & Galen. in commen. inquit: Nempe bilioſa cruda ita appellauit, quoniam & excrementorum coctionem appellat, quanquam natura nutrire non possunt, vt bilis vtraque, & qui Græcè ichores dicuntur: verum tamen quoniam & talia euincit natura, cocta quidem vocare consueuit Hippocr. excrementa eiusmodi quæ à natura ipsa euicta sunt, cruda, quæ non euicta, ob id & pus in plegmonis quæ coquuntur fieri ait, quanquam pars nulla ex pure alimoniam capiat, veluti caput ex crudis appellatis humoribus, & pituita, quæ reliquum perfectionis assequuta & prorsus cocta, corpus nutrire possunt, sic igitur bilioſorum humorum coctio existit, vt sanguinis qui in phlegmone est in pus migrantis, intelligentibus nobis coctionis nomen in suo vniuersaliori significato. Est autem vniuersalius, cùm natura causis fortior fuerit, permutauerítque eas suo robore: quemadmodum ergo coctum propriè dicitur,quod mutatum alere potest,ita crudum propriè,quod eam mutationem pati est aptum, & quemadmodum crudum ampla voce dicitur,quod mutatum alere potest,atque id quod non potest alere etiam si mutetur & superetur à natura, ita amplia voce coctum dicetur, quod post mutationem

tionem alit, & quod mutatum adhuc alere non valet: omnia enim hæc hac ampla voce comprehendentur. Ad inſtitutum tamen accedentes, dubium ad Hipp. & Gal. mentem abſoluamus. Hipp. ſanè lib. de Humoribus, & aphor. 22. lib. 1. dixit: Concocta medicari, mouere non cruda, neque in principiis, modò non turgeant, plurima verò non turgent. Quam ſententiã oraculum appellat Gal. lib. 4. de Sani. tuen. Rurſus lib. 1. de Morb. pop. par. 2. inquit: coctiones criſis celeritatem & ſecuram ſanitatem oſtendunt: cruda verò & incocta, & in malos abceſſus conuerſa, iudicationum carentias, labores, longitudinem, & eorundem reuerſiones. Galen. vero in comm. medicum naturæ miniſtrare dicit, lib. quoque 2. de Morb. popu. Decretoria (inquit) in melius, non ſtatim appareant, id eſt non appareant crudo morbo. & aphor. 22. ſectio. 4. inquit: Morbis quibuſlibet incipientibus, ſi atra bilis ſurſum, aut deorſum exierit, lethale. Quamuis tamen libro quarto de Sanit. tuen. Galen. ſententiam Hippocrat. intelligat de craſsis ac pituitoſis humoribus. De bilioſis etiam vera exponitur ab ipſo libro 4. de Ratio. victus acut. vbi ſectio. 44. Hippocr. dixit: Quibus vrinæ craſſæ nebuloſæ exiſtunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit. Quòd ſi vrinæ inter initia tenues fuerint, hos non purgabis. Galen. in comm. explicat eam ſententiam eſſe vti præceptum ad vitandam purgationem crudis humoribus. Cocti igitur ſunt, cùm in vrinis nebula apparet: nebula verò non oſtendit coctionem niſi in bilioſis, igitur de his præceptum eſt, non purgandos eſſe crudos. Docuit autem Hippocrat. eo loco, quid crudis humoribus agendum ſit, dicens: Tales autem ita curare conuenit, corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere oportet, mulſámque aquoſam bibendam, & ptiſanæ cremorem dabis, ventrem ab initio clyſtere duces, ſed medicamenta purgantia non adhibebis. Nempe ſi ventrem moueris, vrina non maturabitur, febríſque citra tum ſudorem, tum iudicationem, in longum protraheretur tempus. Galenus quoque in commen. rationem adiungit, eorum malorum, quæ dicta ſunt ad purgationem ſequi, dicens: Nam quæ coquuntur in ventre & venis, quiete egent, & humectatione, per inunctiones. Quòd ſi quæ dixit Hippocrat. coctionibus conferunt, purgationes eiſdem contrariæ erunt, ſiquidem corpus vehementer mouentes frangunt: tali enim virtute prædita ſunt, quæcunque purgant medicamenta. Excipit ab hoc dogmate Hippocrat. turgentes humores, dicens modò non turgeant: turgere autem humores illi tantùm dicuntur à Galen. in commen. 22. prima ſectio. aphoriſm. & in commen. 1. quartæ ſectio. qui commoti ſunt & agitati, per corpus, ſimilitudine, ac per metaphoram deſumpta voce à tauris ad coitum concitatis, quos ὀργᾶν, ideſt turgere Græci dicunt. Talis etiam eſt Hippocrat. ſententia eadem ſectione prima, Aphoriſ. penultimo: In acutis paſsionibus rarò & in principiis medicamentis expurgantibus vti, hoc cum prȩmeditatione facientes. Rarò purgantia medicamenta conuenire volens acutis morbis, quoniam rarò humores turgent. Dixerat enim aphoriſsim. 22. Plurima verò non turgent. Et in commen. 24. inquit: Quare non ſine ratione dixit, rarò circa initia morborum acutorum nobis venire in vſum purgationes, quoniam neque ſæpe turgent humores moleſtantes in principiis. Quòd verò crudis humoribus, agitatis tamen, purgationes conueniant, rationem adhibet Galen. quoniam periculum imminet ne tales in partem aliquam præcipuam irrepant: facilis autem eſt eorum euacuatio, quoniam commoti à natura non egent niſi veluti manu ducente & trahente ad locum euacuationis, cùm aliâs cruda paſsio, quieta, non cedat, libro quarto de Rat. vict. acu. commen. 23. Quidam dicunt, humores quantitate abundantes, & opprimentes facultatem purgandos eſſe crudorum, quamuis agitati non ſint, quoniam hos quoque turgentes eſſe volunt, conſtat autem ex vocis explicatione tradita, eos longiſsimè aberrare ab Hippocr. & Galen. mente. Refert autem modò dicere, de quibus intelligenda eſt ſententia Hippocrat. libro ſecundo. aphoriſsim. 29. Quum morbi

Crudis humoribus quid agendum.

Turgere.

ὀργᾶν.

inchoant, si quid videtur mouendum, moue. In morborum initiis quoties salutares sunt purgationes tentare conuenit: nam lethalibus non sunt adhibendæ manus, sed solis præsagiis relinquendi. Qui sunt autem salutares quibus purgatio conuenit? turgentes, hoc est agitati, & serosi ac tenues longè separati à sanguine, siue intra vasa sint, & per ipsa commoti ducantur, siue in parte quapiam firmentur, vt in ascite, in quibus non speratur coctio, neque vnquam natura valuit similes humores euincere, turgentes appello non tantùm eos qui nullo ordine mouentur, sed qui iam mouentur in partem quampiam, nobilem, si enim ante quàm repant in partem quampiam, periculum vitare volentes humores purgamus, nihil minus cõmodum erit eosdem vacuare ac reuellere, cùm semel fluere cæperint, veluti in caput, aut fauces, aut guttur. Docet autem Galenus eosdem ita vacuare in commen. vt natura potentior reddatur supra residuum: cùm autem tales euacuationes non fiant sine noxa, crudo humore, nec separato à bono, nec superato à natura, tales erunt, quales à natura fiunt quandoque crudis humoribus & commotis, quæ vsum aliquem præstant: non tamen integrè liberant: nunquam enim totus peccans humor pellitur, aut non sine magno salutis ægri discrimine foret. Sed dices; ponamus quietos esse humores, & crudos, quemadmodum natura eos commouet & euacuat, & ægrum ad meliorem traducit statum: id quoque medico liceret. Non equidem, nisi natura eos commouerit: commotos enim facilè est educere medicamento naturam iuuante, & manuducente, non commotos tamen non nisi magna vi commouebis & vacuabis. Nec erit à ratione alienum, si duos reduxero ad memoriam ægrotos, qui facilè potuerunt, errores medicorum purgantium crudos humores detegere. Vir quidam Lusitanus chirurgiæ & medicinæ peritus, qui modò apud Philippum magnum Hispaniarum & Angliæ Regem commoratur, febrem patiebatur continuam cum quotidianis accessionibus: hunc tres medici non parui nominis apud vulgus, visitabant, cui incipiente & crudo morbo quarto die medicamentum expurgans præbuerunt, rursus sexta die, aliud ei simile, nec tamen ex his purgationibus melius habuit, sed ipsis tertiò die decima præcipientibus vt purgatorium acciperet, in quo sitam esse dicebant totam salutis spem, paruit æger, & purgato corpore deteriùs habuit, quapropter prænunciata morte ægri decimoquarto die medici recesserunt. Aeger verò, qui iam probè nouerat, nec sine salutis dispendio, eorum errores, quemdam familiarem rogatum ad me misit, vt dignarer ipsum videre, quem alij propè mortuum reliquerant. Annui, & cubiculum ingressus singula quæ acta fuerant fideliter mihi narrauit, totóque morbi processu vrinam crudam minxisse ferebat, qualem ego quoq; vidi decimaquarta die, tangens autẽ thoracem & hypochõdria, inueni superpositum ceratum santalinum, dorso verò rosaceũ vnguentum. In primis tamen hæc abiicere præcipiens, & vrina inspecta, Hippoc. sententiam eidem retuli, qua prædixit, ex euacuatione crudorũ humorũ fieri, vt vrina nunquam maturetur, & morbus citratũ sudorem, tum iudicationẽ in longũ tempus prorogetur. Quæ deinde secuta sunt, nouerunt qui nobiscũ ægros frequentabãt. Omnem siquidem victus rationẽ quæ frigida ipsi adhibebatur in contrarium mutaui: nam corpus quieti mandaui, Hypochondria nardino illinire præcepi, pannis cotectum seruaui, aquam mulsam bibendã dedi matutina hora, prandere ius pulli cum mica panis, & pulli alas elixas, cœnare tamere amygdalatum cum aniso, aut mel rosaceum, cum micis panis, aut ouorum vitellos, sequentibus noctibus, & vinum à Sancto Martino bibere, quibus seruatis 17. coctionis notas habuit, quas perfectas inspeximus die 24. deinde sensim coctione, a 134. finitus fuit morbus. Sed expedit hoc in loco, quæ Lupo Decio viro reipublicæ studioso euenerũt, narrare. Erat is in subsistenti ætate, annorum 45. pinguis, pituitosus, abstemius, laborabat autem febre cõtinua cum magna crudorum succorum redundãtia, cui medicus sanguinem misit sexties, quinq;

primis

primis diebus,ſed familiares cũ ęgrum ſemper deteriùs habere noſſent,me ad ipſum viſendũ accerſerunt.Cùm verò cõſideraſſem ęgri naturã,morbi ſpeciẽ & vtriuſq; vires,audiui à medico ſingula quę acta erãt,qui addidit,ſibi iam decretum eſſe expurgãs medicamentu ſexta die ægro propinare, cui ego inquã, Vides ægri vrinam turbidã,& Hip.denegãtem crudis humoribus purgationẽ dũ quieti ſunt.Ita purgationẽ diſtulimus. At manè ſextæ diei accedẽtes inuenimus ægrum deiecciſſe humorum non paruam copiam, ac tantùm abeſt, vt per eam proficeret euacuationem,vt paulò pòſt obierit. Ego verò, non paucis præſentibus medicinæ ſtudioſis, aduertendum admonui, me noluiſſe crudos, quietos,ac multos humores purgare, ſponte tamẽ euenìſſe,q; arte facere medicus alter decreuerat,mortuum autem ægrũ ac perinde futurũ vt ſi noſtro conſilio id factum fuiſſet, non parua ſequeretur inde arti & artificibus infamia. Tutius igitur eſt ab his euacuationibus abſtinere,quæ cùm à natura fiunt,malę ſunt atque lethales: videmus tamen nonnullas vacuationes à natura factas, quæ quamuis malæ ſint in ratione ſigni, onus naturæ & copiam aut irritationem ſignificantes,bonæ tamen ſunt,in ratione cauſæ,quas imperfectas criſes nominat Gal.nam Hippo. Metonem liberatum fuiſſe refert. lib.1.de Mor.po. par.2.cum vrina nigra,quæ deterior cruda eſt,& lib.eodem dixit, cruda ſignificare, mortes,longitudines, & reuerſiones. Quòd ſi reuerſiones ſignificant crudorum vacuationes,interim tamen profuiſſe neceſſum fuit,& ægrum liberaſſe.Cùm autem ſępe videamus ægros per malas criſes mortuos,per eas ſanè quæ crudis morbis fiunt,quamuis aliquando iuuerint, non expedit medicum eaſdem imitari, niſi omnimodo naturam imitaretur cùm prodeſt, non cùm nocet, prodeſſe autem videmus cùm euacuat humores coctos, quod medicus facere debet cùm naturam ad eos euacuandos iam coctos pigram intellexerit,vti ad ſtatus finem, & in declinatione, cùm humores integram coctionẽ ſunt aſſequuti,non integrã vacuationem:in ſtatu verò pigram ſe oſtendet,cùm non ſperatur criſis, quam oſtendet medico præcedens conturbatio, quaſi præſentem.Sed longè prius ipſam præmõſtrabit magnitudo morbi,cum motus celeritate. Quòd ſi hæc non præceſſerint,neque ſigna adfuerint decretoria in prioribus ſtatus partibus,tutum erit corpus purgare in poſtremis, aut in declinatioue.Deinde in augmento purgare licet, quando humores ſemicocti ſunt. Semicoctos appello, qui parte aliqua cocti ſunt, alia non cocti, quos oſtendit vrina,quæ mingitur aliquando ſyncera, aliquando cum ſedimento albo leui : licebit quoque crudos funditus humores, vti in principio, & ſemicrudos tota quantitate, quales in augmento quandoque ſunt,purgare, vbi à natura ad euacuationem commouentur:tunc enim natura ipſa vacuando proficere aliquando ſolet,cùm vires admodum valent, & tales euacuationes ferre poteſt facilè:ſiquidem tunc, à bonis ſeiungit malos, licet non omnino.Si tamen nõ ſeiunctos aliqua ex parte,eoſdẽ commouere tentes & vacuare,plus nocebis quàm iuues:ſiquidem multum boni ſucci cum malo ducere neceſſum erit.Qua ratione ſæpe fit,vt diminutæ vacuationes, quæ crudis, aut non integrè coctis humoribus fiunt,quandoq; non iuuent, quandoq; manifeſtè lædant. Ex his facilè contraria ſoluentur:in Apho.enim 29,2. ſect.Hippo. & Galen.in comment. purgationem admonent humorum qui crudi ſunt, ſed commoti. Minuere autem eos præcipiunt: quoniam nullus perfectè liberatur per euacuationem crudis humoribus factam,& quoniam non parum boni cum malo per id tempus educitur.Turgentes quoq; humores ducimus crudos,ne irruant in partem aliquam nobilem,quoniam naturam intelligimus adminiculãtem, & valentem,ad eos commouendos:cùm verò grauant & opprimunt, ita vt in mortis periculum ægrum deducant, non tamen eos natura commouet, qui parte quapiam firmantur,non feret natura vacuationem, neque ipſi tractioni cedent.Quamobrem Gal.in ſimilibus affectibus.12.lib.de Metho. med.ſummè oppreſſa facultate, & ad animi deliquium vſque vi crudorum ſuccorum, abſti

nere præcepit à purgatione, eſt ſomno vti, atq; frictione, & aquæ mulſæ potu. Non igitur quamuis periculum mortis ob oppreſsione crudorum humorum impendeat, purgatione aggreditur, quietorum humorum. Si enim præter hæc firmam ſtatuas facultatem, fieri nõ poſſet, quin aut modo ipſos commoueret, aut tandem debita victus ratione ſuperaret, aut funditus lethalis eſſet diſpoſitio, cui curationẽ adhibere foret inutile, & in medicorum infamiam. Fiet itaq; vt nimium oppreſſa facultate regantur, vt Gal. loco citato docet. Periculum autem raptus in partem nobilem: ſi humores præfixi ſunt in parte, non imminet, atq; cum commouerentur, ſtatim eos purgare cõduceret. Morbo quoque laterali incipiente tutius eſt ſanguinem mittere, etiam ſi de his ſit, qui deſcendunt, quos purgare poſſet iure medicus: quoniam in partem nobilem cõmoti irruunt: ſeroſas præterea humores vti in vlceribus capitis manantibus, & ſimilibus purgare conueniet, dum eos non amplexatur, aut retinet ad coctionem natura. Anceps autem periculum tentare quàm nullum ſatius aliquando fuerit. Nam ſi ſalus omnino deſperata eſt, minimè decet infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti: ſi verò ſummè oppreſſa facultate, vti ſolet à multis ac craſſis humoribus, periculum mortis imminet, diſtinguendum: nam ſi tales fuerint ſanguini mixti, ſanguinis miſsione facta ęgrum exonerabis, niſi ſimul facultatem in eſſentia lãguidam ſtatuas, vt ferre nõ poſsit ſanguinis miſsionem: tunc etenim neque violentam purgationem, quæ crudis humoribus debetur, feret, conueniétque roborare vires, & coctionem adiuuare, deinde aut ſanguinem mittere, aut coctos humores purgare. Si tamen à ſanguine valde ſeiuncti fuerint craſsi ſucci, & crudi, victum inſtitues pro longiori modo, & coctionem adiuuabis, vti ab Hippo. dictum eſt libro quarto, de Rat. victus acutorum. & Gal. 12. Metho. Purgationem autem nõ tentabis niſi valida facultate, & coctis, aut commotis humoribus, aut nimium ſeroſis in vaſis, aut tumore quopiam, aut aſcite. Poſtea verò quã humores cocti ſint, aliud non pauci momenti in expurgandis corporibus expectandum, apud Hippo. vt videlicet humores fluxui parentur, quod attenuatione facere oportet, non aliâs. Sunt etenim nonnulli, qui Auicennæ placita ſectantes, præparationem humorum ad euacuationem per expurgantia medicamenta, quam ipſi digeſtionẽ appellant (ſatis corrupta vocis ſignificatione) attenuatione craſſorum humorum, & incraſſatione tenuium, fieri volunt, atque mediocritatem ad purgationẽ exigi. Ad quod comprobandum, adducunt Gale. ſententiam, ex lib. de Conſtitutione artis medicæ, quo in loco tenues humores incraſſare præcepit, & craſſos attenuare. Rurſus lib. 2. prog. com. 43. Gal. de humoribus tuſsi excernendis, dixit: Cęterùm ea ipſa materia ſi admodum tenuis & aquoſa eſt, vix excreatur, vt quæ circiter flatum circumfluat. Decet ergo eum humorem qui tenuis eſt, incraſſare, ad expulſionem ipſum parantes. Præterea medicus tenetur naturam rectè operantem imitari. natura autem in coctionibus omnibus humores reddit craſſiores, vt ſuprà probauimus: igitur medicus id facere tenetur. Præterea ſi tenuitas euacuationibus omnibus accommodata eſt, incipientibus morbis humores crudi ſunt, & minùs craſsi, quàm in ſtatu, quatenus coctio eos reddit craſsiores. incipientibus igitur morbis meliores fient purgationes. At verò ex Hippo. & Gal. placitis, humores omnes à corpore ducendi vi medicamenti purgantis attenuatione egent: nullus tamen incraſſatione. Id enim eſt quod Hippo. dixit: oportet fluida facere corpora quæ quis purgare voluerit, hoc eſt, meatus laxiores, & humores fluxibiliores: tenues tamen fluxui magis parati ſunt, & tenuitas, euacuationi humorum, vi medicamẽti purgantis, nunquam obfuit. Medicamenta namque purgantia humorem familiaritate ſubſtantiæ trahunt, & facultatem expultricem irritant: vtrique autem opem fert tenuitas. Nam dum quidpiam trahitur, eò faciliùs trahitur, quò tenuius eſt, quatenus promptiùs obſequitur: facultas verò expultrix fibris operatur tranſuerſis, quæ compreſsione pellunt humores: comprimentibus verò faciliùs cedunt tenuia

Humorum ad expulſionem præparatio.

Humores omnes ad purgat. attenuandi.

nuia,& eò magis,quò fuerint tenuiora. Si enim manu cõprimere velis lutum, aquam,& aërem,facilè intelliges tenuiora magis cedere, & faciliùs pelli. Ad quod comprobandum accedit Gal.ſententia, qui humores agitatos, qui morbos efficiunt,acutos præcipit attenuare,lib. Apho. com. 24.dicens: Verùm in acutis morbis circa initia ſtatim, circa primum videlicet diem, vel non vltra ſecundum.Si ſumus vſuri purgantibus medicamentis,quando turgent, non datur facultas iſta præparandi,niſi quis fortè arripiat ocaſionem, propinandi melicratum,in quo decoctum ſit aliquid hyſſopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi,vel pulegij,ſiue quid huiuſmodi vim habens, humores extenuandi. Quo in loco turgentibus humoribus,extenuãtia adhibet Gal.quamuis tenues eſſe magna ex parte contingat.Præſertim ad id probãdum accedit, quod Gal. libro tertio,de Simpli.med.facul.cap.26.inſuper purgationibus (experimento id docente)poſtquam medicamentum familiarem humorem eduxit, reliquos ſequi dicit,tenuitatis ordine,ac primo loco eum qui tenuior eſt: veluti ſi medicamentum trahit bilem, poſtquam ipſam duxerit, deinde ſequetur pituita, deinde melancholia. Rurſum ſi medicamentum trahit, melancholiam ipſam primò trahet,deinde bilem, deinde pituitam, & omnia ad finem trahent ſanguinem.Ratio eſt, quoniam familiarem humorem à natura facultas trahit: deinde cùm euacuatio fiat,non tractione, ſiue electione, ſed vaſorum relaxatione,& irritamento, ſinguli ſequentur ordine tenuitatis, & tenuior ſemper primo loco,præter ſanguinem,quem natura ad finem retinent. Si igitur nullo trahente, ſed ſola expultrice cõprimente,ſemper tenuior antecedit reliquos, notum erit,tenuitatem ſemper parare ad faciliorem purgationem,tenues igitur quantumuis fuerint humores,ad purgationem, amplius extenuandi. Adducta verò ab aduerſariis non obſtant,Galen.etiam.lib.de Conſtitutione artis medicæ,de ſanis loquitur, quorum humores non contendit purgare, ſed corrigere,& ad alitionem parare.lib.verò 2.progn.loco citato, de ſputo loquitur Galen.ſputum autem mediocre eſſe debet: non enim compreſsione educendum,vti quæ vi medicamentorum purgantium ducũtur, ſed impulſione, flatu videlicet à thorace pulſo: ipſo verò flatu humorem impellente, qui ſi craſſus fuerit,non cedet,glutinoſus adhærebit,& tenuis flatum circunfluet,quẽ exire ſyncerum,ac ſine humore permittet. Tenetur etiam medicus naturam probè operantem imitari:itaque coquere procurat,vti natura per ſe facit. Quòd tamen humor craſsior fiat,accedit, neq; id natura facere intendit, ſed ſequitur ad naturæ opus:interim namque dum natura coctionem mollitur, tenuis humorum pars exhalat,& reliquum craſsius redditur in purgandis,ſiue vtcumq; à natura pellendis humoribus. Quod tamen ex accidenti naturæ opus ſequitur,id non tenetur imitari medicus, maximè dum id quod ſequitur, aliud naturæ opus præcipuè ab ipſa intentum,ſcilicet euacuationem humorum,impedit,quod facit craſsitudo. Eam igitur extenuare oportet,& lẽtorem incidere, & tenuem humorem amplius, ſi fieri poſsit, aut per tempus conceſſum fuerit, attenuare.Ad id tamen quod ferunt,decere inter initia purgare humores quoniam tũc tenuiores ſunt,dicemus naturam nõ tẽtare purgationẽ inter initia: quoniam nondum humor malus à bono comparatus eſt,& quoniam non euacuat natura humorem cui non dominatur,& quem non ſuperat, coctione tamen præcedente ſequitur expulſio ſecundum naturam, niſi quando ſymptomatis ratione ſecus eueniat: Sic ſanè medicus coctionem & ſecretionem expectat, deinde purgatione vtitur. Cùm tamen coctione præcedente, humor craſſus remaneat,opus eſt ante purgationem ipſum extenuare: itaque coctio & extenuatio humorum purgationem præcedere atque arte moliri, debent. Humore cocto atque attenuato, vbi natura ipſum non euacuat,aut euacuabit, ſed non abundè, reliquum arte ſupplere oportet. Hæc etenim ſunt quæ ducere oportet, quæ ſi vergant ad ſuperiora,vomitu purganda ſunt, ſi tãmen ad inferiora,ventris ſeceſſu, & in vniuerſum quo natura vergit per loca conferentia

Purgationẽ que præcedunt.

ferentia ducere oportet. Quòd si nullibi vergant, per inferiora ducentur, quoniam id magis naturæ contentaneum est, quamuis Hippoc. temporis naturam aduertendam præcipiat dicens: æstate per superiora, hyeme per inferiora purgationem conuenire. Is autem qui purgandus est, inter reliqua quæ attinent, ad meatuum laxitatem, ventrem lenem habere debet, aut molliendus molli clysteri pilulas deglutiet quatuor horis à cœna, quibus assumptis dormiet, donec purgari incipiat, non amplius, potionem bibet summo mane: non autem dormiet ab ipsa, nisi valde languente facultate: nam aliàs vires liquidi medicamenti interim dissoluentur. Præcedet tamen cœna parua, quoniam iuxta purgationes, crises, & accessiones, ab alimentis abstinẽdum, & omnino venter cibis vacuus esse debet, hora sumendi purgans medicamentum. Assumptis pilulis licet aquam mulsam pauca quantitate bibere, maximè si venter humore vacet, aut per febres ardentes aquam ordei, paucæ quantitatis: verùm pilulas raro æstiuo tempore, aut calidissimis febribus adhibemus, idque cùm timemus vomitum. Liquido quoque medicamento epoto idem præcipimus, sed pilulis assumptis ægrum dormire iubemus, à liquido tamen medicamento, aut bolo, minimè. Inquit enim Hippoc. cùm biberit quis elleborum admotiones quidem corporis magis, ad somnum verò & quietem, minùs ducere oportet. indicium est nauigatio turbari motione corpus. Incipiente verò purgatione omnes à cibo & somno abstineant, & ab omni animi turbatione. Cùm timetur vomitus medicamenti, deguster succum pomi acidi, aut oliuam salitam, aut malum cotoneum, aut paucum cotoneorum succum cum saccharo deglutiat, siue eorũdem appellatam, miuam, naribus admoueatur acetum rosaceum, & summos digitos manuum aqua frigida immergat, aut eadem faciem inspergat minister, subitò, non semel tantùm, sed ter & quater per interualla, si opus fuerit. Bibito medicamento quidam sunt qui non purgantur propter fæcum duritiem, quas mollire oportet clysteri, aut glande ex melle tosto irritare, Aut non purgantur ob imbecillitatem medicamenti purgantis & paucam eius quantitatem, quibus subuenitur, bibito apozimate ex pruni, aut aqua mulsa, & sequentibus diebus aliquod purgans medicamentum validius adhibendum, aut ob imbecillam ventris facultatem, & eiusdem frigiditatem, quibus subuenitur pannis calidis ventri admotis, aut quoniam æger faciliùs purgatur vomitu, & medicamentum ventriculo supernatat, cui prodest parum mastiches cum aqua calida bibere, aut cotoneorum miuam, aut aquæ mulsæ partes duas, siropi de absinthio partem vnam. Si verò in ventre assumpto medicamento non purgatur æger, senserit autem praua symptomata, vt vertiginem, capitis dolorem, anxietatem, ventriculi morsum, aqua tepida bibita medicamentum vomat. Fit autem quandoque vt purgans medicamentum plus æquo operetur, & languorem afferat facultati, quod ex pulsu deprehendetur, & animalis facultatis functionibus, quibus extrema membra, fricare validiùs decet, eadẽq; in aqua calida immergere odorata naribus admouere, & offam panis biscocti infusam in vino odorato præbere, atq; vinũ ipsum bibendum dare, si vehemens adfuerit odor, offa panis in succo cotoneorum, aut myrtinum epythematis modo applicitum. Quòd si opus fuerit Phylonis medicamenti, scrupulum vnum, aut theriaces 3. semis, cum pauco vino diluto bibet. Interimverò ab aêre frigido tueatur corpus totũ, & extremę partes, somnus verò omnimodo procuretur. Finita purgatione quid agendum sit, dicemus. Vbi prius cognitum habeamus, an ea completa sit. Agnoscemus tamẽ purgationem integram esse, siti, somno, & deiectionum mutatione. Hyp. sanè Apho. 19. sect. 4. inquit: Quicunque in medicamentorum purgantium potionibus purgati, non sitiunt, non quiescunt donec sitiant. Quem locum perperam interpretati sunt Auicennas & sui sequaces putantes Hypp. voluisse signum scribere completæ purgationis, ita vt siti præsente necessarium sit hominem abundè purgatum fuisse. Cùm verò experimento contrarium reperirint,

Pharmaco sũpto quid agendum.

Purgatione excedente modum.

Purgatione finita quid agendum.

Sitis sign. purgationis complete.

rint,sæpe sitim antecedere purgationẽ,atque ipsa præbente permanere,absq; purgationis integritate,& rursus plurima purgãtia medicamenta suo calore sitim inferre,ante completam purgationem, coacti sunt quibusdam distinctionibus additis veram afferere Hippo. sententiam: vbi videlicet non præfuerit sitis, nec ea vis insit purganti medicamento. At vero Hippo. nihil tale nouit, neque vnquam eo experimento ad inueniendam completam purgationem, affirmando,vti voluit,sed negando: non etenim putauit siti præsente hominem integrè purgatum:sed nunquam integrè purgatum hominem, dum non sitiat,ac si diceret,qui non sitit,non est integrè purgatus. Sic enim dixit: Qui nõ sitit,non quiescit donec sitiat,hoc est,non quiescit,neq; cõpletum est opus medicamenti, donec sitiat. Aliquid verò agnoscendum, aliquid etiam agendum docuit, Agnoscendum quidem hominem nondum probè purgatum, abstinendum autem à cibis & somno, donec id signum appareat. Completa enim purgatione medicamentum calore & siccitate ablumere incipit humorem innatum ori ventris, ac perinde sitim excitat, somnus præterea magnus superueniens, probè purgatum hominem ostendit,non in omnibus, sed in his qui vigiliis molestantur: hi enim completa purgatione atque abscissa causa vigiliarum, humore videlicet acri ac mordaci cerebri membranas mordente,somnus conciliatur. In morbis tamen pituitosis, in quibus ab initio somnus solet hominem opprimere,id signum completam purgationem non ostendit. Præterea bibito medicamento quàm plures valde molestantur somno,in quibus nondum purgatio incepit:nota verò hæc,iam incepta purgatione est recipienda.Nisi forte quis dissoluta facultate impotentiamvigilandi potius quàm somnum patiatur. Deiectionum mutatio pariter quoque ostendit completam purgationem eius humoris quem euacuare intẽdimms. Quòd si duos euacuare conetur natura,aut medicus arte, vtriusq; mutatio completam indicat purgationem,si vnum tantùm humorem euacuare contendimus,quoniam is tantùm abundat, eo purgato atque iam altero succedente, signum est completæ purgationis. Vbi enim duo humores abundauerint, id seruandum quod Hyp. docuit Apho.14.2. sect. dicens.In alui profluuiis mutationes deiectionum iuuant,nisi ad malum mutatio fiat. significat enim adhuc corpus purgari perfectiùs,mutatio humoris in alterum humorem.Fit autẽ in malum mutatio, cum ad prauas transitur deiectiones, vt colliquantes & fœtidas admodum. At verò iam purgato corpore aqua ordei bibenda est,non admodum frigida, aut aqua mulsa,aut ius pulli. Corpore quidem aut modicè purgato aut citra modum,salis recipiet quod gustui satisfaciat: si verò vltra modum fuerit purgatum: aut parum:aut omnino nihil. Deinde sensim ad cibos accedat, atque ad eum victum cui antè assueuit,non etenim decet statim cibũ copiosè assumere, quando ventriculus ex purgatione & medicamenti actione, languidus ac dissolutus remanet.In eo enim valde à medicis erratur, qui aut præuisionis aut curationis ratione,purgatis corporibus illico copiosè alimenta offerunt, non minoris quantitatis, quàm ante purgationem bene valentibus ipsis offerebantur:deceret enim in id sensim reduci.Hæc præcepit Hyppo.libro secundo, de Rat.vict,acu.sect.12.& 13.dicens: Vbi autem quis medicamentum ebibit,ptisanam protinus sorbendam dato,neque insigniter minore quàm consuetum est quantitate. Et quoniam ab re non est, purgatione in media sorbitionem dare non conducit: At vbi purgatio desierit, tunc sorbitio detur, sed consueta minor:deinde liberaliùs perpetuò exhibeatur, si dolor cessauerit, & nihil aliud obicem fecerit,cibo assumpto, purgatus,paulò pòst se ad somnum conuertet.

Somnus purg. signũ completæ.

Deiectionum mutatio completam ostendit purg.

De tractionum causis.

FINITA de purgandis corporibus tractatione,de purgantiũ medicamẽtorum viribus agere operępreciũ videtur:cùm verò medicamenta purgantia tractoria facultate humores ad locum euacuationi accommodum ducant,

priùs quædam de tractionis causis trademus, ad sequentia apprimè necessaria. Præ cæteris tamen quorumdam opinionem refellamus, qui dolorem in causis tractionum recenseri voluerunt. Est sanè fluxionis causa dolor, siquidem eius gratia ad dolentem partem fluxiones commouentur, non tamen trahit dolor ad dolentem partem sanguinem, aut alium humorem, aut spiritum, quum dolor tristis quidam sensus sit, cui nulla inest trahendi vis. Attamè excitat dolor animalem facultatem, quæ deinde suis vtitur instrumentis, & ea ad partem dolentem transmittit, suppetias ferre contendens. Quod Galen. libro quinto Aphoris. Comment. 53. docuit dicens: Hæc enim est quædam ratio communis, in quibus natura aliquid violenter excernit, eò sanguinem, & spiritum tendere, quibus duobus veluti instrumentis natura vtens, ea quæ infestant per vim impellit. Hac ratione igitur & dolentibus partibus inflãmationes aduenium, natura excernere atque expellere causam doloris properante. lib. quoque 13. de Metho. med. inquit: Docuimus in eo opere quod de naturalibus facultatibus edidimus, venam esse facultatem naturæ quam excretoriam dicemus, ea suo munere tum fungitur, quum triste aliquid sentit: vnum verò quiddam est ex iis quæ eam contristant, ipsa quæ dolorem excitat causa, quæcunque ea sit. Hanc igitur eiicere dum properat, plegmonem interdum in particula concitat: cùm enim primis suis conatibus nihil profecit vehementius ingressa, quod infestat expellere, sanguinis aliquid & spiritus ex superpositis partibus in affli ctam simul exprimit. Ex quibus luce clariùs constat, dolorem non trahere, sed commouere facultatem animalem, atque hanc vti sanguine & spiritu vt instrumentis, quibus vtitur aduersus causam doloris: sunt enim hæc animæ instrumenta, vt dixit Comment. Aphorism. citati: cùm verò hæc ad dolentem partem excernere conatur, sua vtitur excretoria facultate: excernit enim quę tentat animalis facultas compressione fibrarum, musculorum, & neruorum: his enim expressis excrementa multorum generum pelluntur à corpore, vti vrina & deiectio. & cum rigoribus humores à vasis extrà mittuntur. Id quoq; voluisse Galen. constat cùm dixit, esse quandam naturæ facultatem, quam excretoriam appellat, atque eam suo munere fungi, quum triste aliquid sentit, constat autem naturales facultates non sentire. Cùm autem Galen. dixit naturæ facultatem, intellige nostrę naturę, non naturalem, vt ab animali distinguitur: quapropter intelligere oportet doloris causas, animalem facultatem sentientem primùm commouere, deinde animalem loco mouẽtem concitari ad fugam, hanc neruis & musculis ac neruorum fibris vti, quibus causam nocentem expellere conatur, accedere quoque naturalium facultatum compassionem postremo loco, & expultricem adiuuare eam expulsionem. Hæc adeò firma sunt, vt neque impudentissimus quipiam eisdem audeat contradicere. Omne tamen genus trahentium causarum tribus membris comprehendit Auicennas dicens: tractionem omnem fieri à facultate, vt cùm magnes trahit ferrum: aut à calore, vt cùm flamma lucernæ trahit oleum: aut à vacuo, vt cùm aqua per fistulam ascendit: sed tractionem quæ fit à calore, dicit esse ad eam quæ fit à vacuo, reducendam. Nos de singulis tractionũ causis ordine agamus. Esse tractionem aliquam à facultate nemini dubium est: nam nostri corporis membra naturali facultate ad se trahunt alimentum sibi familiare & amicum, & magnes ferrum, & medicamenta purgantia humores. Appellant hoc genus tractionis à substantiæ familiaritate, de quo in consequentibus agemus. Habet facultas trahens temperaturam vti instrumentum: procedit enim actio hæc à forma substantiali rei trahẽtis: sed est potissimum trahendi instrumentum calor: nam medicamenta purgantia calida sunt, & succinum frictione incalescens validiùs trahit. Sunt etiam tractiones quædam à calore non accedente, aut similitudine substantiæ, aut vacui periculo: cùm enim venulæ æstiuo tempore arefactæ (vt inquit Hippocra.) trahunt ad se ichores, constat à calore fieri tractionem, & ibidem non adesse substantiæ familiaritatem,

Dolor non trahit.

Tractio à facultate.

Tractio à calore.

tatem,nec vacui periculum impendere. Thapſia ſimiliter particulæ cuipiam admota ſanguinem alicit, vbi non imminet vacui periculum, nec adeſt ſubſtantiæ familiaritas, qua ſanguis euellatur: calor igitur tractionis cauſa eſt ab aliis ſeiuncta. Vacuum tamen quam vim trahendi habet, nos in comment. noſtris in libro ſecundo, de Diſſe. ſeb. abſoluimus adeo perſpicuè, vt ſuperuacaneum exiſtimauerim de ea re rurſus verba facere, niſi audirem quoſdã contradicere, alios verò inſtantiſsimè efflagitare, vt eandem ſententiam in hoc opere repetam, & confirmen. Ego verò vt aduerſantibus obſiſtam, & amicus morem geram, rem aggrediar: quamuis certò ſciam, veritatem (quam nos in noſtris operibus tradimus, docendi, & aliis proficiendi gratia, omni iactantia, omni gloriæ & honoris cupiditate poſthabilis) adeò perpetuo lumine ſplendere, vt obſcurari quandoque, opprimi ſæpe, extingui verò nunquam poſsit. Vacuum quidem nihil eſt, nec eſſe poteſt: vacui tamen periculum (vt ſic dixerim) imminet quandoque: cùm tamen id non ferat natura, aliquid loco eius quod ſuccedit: ſuccedere neceſſum eſt. Id verò fit quoniam omnia continuitatem amant, & mundus continuus eſt, ita vt euitandi vacui gratia, atque ſeruandæ rerum continuitatis, ſiue contiguitatis, ſiue perpetuitatis & adhæſionis, vel ipſos montes commoueri, loco mutari, atque aſcendere, priuſquam vacuum eueniat, ſit neceſſarium. Opinati ſunt quamplurimi, viri alioqui memoria digni, grauia aſcendere continuitatis ratione, aut gratia vitandi vacuum, naturaliter, ac nulla vi, ſed vniuerſæ naturæ appetitu & inclinatione, cuius contrarium nobis viſum eſt, eo loco, modò verò idem placet roborare, confirmare, & planum facere. Cùm quidpiam continuitatis ratione trahitur, cauſa eget mouente naturali, aut voluntaria inchoante motum. Res autem ipſa ſi contra natiuam & propriam inclinationem trahatur, violenter trahetur, nihil communi, quam vocant natura, coadiuuante: quod docere contendimus vel imperitiſsimos quoſq; homines. Si ventus commouetur, & cum ſequitur aër ne ſoluatur rerum adhæſus; cauſa naturalis primùm mouens ventum, trahet violẽtia quadam aërem: idem fiet ſi quis aerem aut ventum liberè mouerit: idem fieri videbis ſi quis per fiſtulam cuius extremum fuerit in aqua demiſſum, aerem fugens traxerit: nã cùm alter aer, loco tracti, ſuccedere nequeat, aqua ſuccedet, cæterùm hæc violẽter trahitur, non natura, aut propria, aut generali. Motus autem violenti non ſunt finis alicuius gratia, quamuis agens moueat propter finem, non enim res ipſa cõtra naturam mota in finem aliquem contendet: lapis namq; ſurſum pulſus in nullum finẽ intendit, quamuis agens finem aliquem impellendo reſpiciat, cùm itaque dixero, aquam violenter trahi, omnem ſui motus finẽ nego, in quem aqua ipſa ſuapte natura ducatur, aut generali natura. Iam illud monſtremus, aquam violenter agi per fiſtulam aere ſucto, ſi enim extremo altero ori immiſſo alterum in aere exiſteret, facilè aer incluſus in fiſtula trahetur, & alter nulla violentia ferè, nullóq; labore ſuccederet, quoniam in propria ſphera aer facilè vndiquaque trahitur (quamuis non omnino naturaliter) ſed vbi extrema pars illa fiſtulæ in aquam fuerit immiſſa, vi eget & conatu trahentis: igitur aqua violentia ducitur, nam quæ natura, & ſponte ſequuntur, nullo labore ſuccedunt. Atq; id veritatem ſic facilè confirmabit, quòd ſi aqua per fiſtulam, non ſurſum, ſed ad latus duceretur, facilimè poſt aerem ſuccederet: cùm verò trahitur ſurſum, qui trahit non modò conari debet, ſed eò magis quò fiſtula longior eſt, & quò aqua quæ trahitur copioſior: non igitur ſpontè & natura, ſequitur, ſed vi trahitur. Præterea vidiſti euripos, quibus fontes paramus domi, artificiales, hi duo latera habent inæqualia, alterum ſed breuius in aqua demiſſum, alterum, extrà longius, ab extremo orificio longioris lateris aerem in euripo contentum fugit miniſter: ſuccedit autem aqua, & cõtinuat miniſter tractionem, donec ad os vſq; ducatur, deinde ore ſublato aqua manare incipit deſcendens. Cum enim hoc latus euripi quod extra aquam eſt longius ſit, maiorem aquæ quã titatem

Vacuum an trahat.

Aſſertio.

continet,quàm reliquum.Hæc quidem grauitate propria descendit, & secum aliam trahit,quam accedere facit,vt ipsam continuitate seruata sequatur.Sed dicas,qua de causa latus id fistulosum altero maius factum est?aut quare,si minus ipso foret,non traheret aquã ad se reliquam,atq; ipsam ascendere faceret, sed potius traheretur ab altera,vt fieri videmus? Non alia sanè quàm grauitate,quæ cùm maioris aquæ sit maior,suo pondere descendere cõtendit,quod sibi est natura inditum:minor verò quantitatis maiorẽ sequitur,quòd si sponte sequeretur & à natura,vel propria, vel communi mota, non egeret potentia contraria maiori,qualis ad violẽtos motus solet esse necessaria. Quòd tamen ea egerit,est manifestum:nam talis est grauitas aquæ maioris, quæ potest minorem aquæ maioris grauitatem, & ipsam aquam sursum agere, quod minor facere nequit,sunt hæc euidentia,adeóq; philosophiæ germana, & principiis naturæ consona,vt nihil magis demonstratum in ea,aut nostra hac medica facultate putem.Quis enim dubitat, quæ conatu trahuntur violenter trahi,& quæ eò maiori conatu egẽt,quò sunt maiora,resistentiam adponere tractioni: nam si non resistunt,non resistent maiora magis,quod facit aqua cùm sursum euellitur.Et si ob crassitudinem aut causam aliam cum difficultate trahi dixeris,resistentiam concedere teneris:si enim tenue & crassum nõ resistunt, nullum trahetur altero difficilius.Præterea quod cum difficultate trahitur, id resistit, & quod resistit tractioni violẽter trahitur. Adstipulatur nostræ sentẽtiæ, quòd per longissimas fistulas,difficilè admodum trahitur aer:quas si ad supremam aeris regionem productas velis,neq; per folles, adactis validissimis viribus quidpiam traheres. nam aer tractioni aliqua ex parte resistit: siquidem elementa in naturali loco quiescere amant,cõtra naturam verò huc aut illuc trahuntur.Causarum verò successio in prædicta aquæ tractione hæc est: Thorax dilatatur ab animali facultate:hãc dilationem sequitur pulmo: cùm verò is distenditur continuitatis ratione, sequitur aer fistulæ, hunc sequitur aqua sursum ducta,cum vi & conatu,facultatis animalis thoracem distendẽtis, quæ eò maior apponitur,quò fistula maior est,& aquę ascendẽtis quantitas maior: quoniam hæc magis obsistit ascensui,siue tractioni qua sursum agitur.Contra hanc nostram sententiam, nullum video experimentum, nullam audio vel probabilem rationem: quamuis intellexerim quosdam rasa fronte temere contra ipsam præcipitari.

De Purgantibus medicamentis.

HABENT medicamenta purgantia vires trahendi humores, quibus ex Galen. doctrina, similia sunt tota substantia, quam medici proprietatem dixerunt:hanc autem in com.lib.secundo, de differ.febr.exposuimus esse similitudinem quandam sitam in modo mixtionis ex primis elementis.Ex his autem quædam sunt de natura venenorum,vti colocynthis & tithymalus:quædam nõ,vti rhabarbarum & enicus. Quæ veneficam habent naturam, validè purgant, corpus vehementer mouentia,& in sui natura nihil benignum habent, nihil dulce, nihil alimentosum,quandoquidem eorum mixtio,caliditate & siccitate,valde reliquas qualitates excedit.Ea tamẽ quę in prima mixtione nonnihil alimentitium habent,non valde perturbant corpus,neq; venefica sunt.Quamobrem vbi statutum & familiarem sibi humorem non euacuant, si à natura superentur & coquantur,in humorem conuertentur,quem habent natura euacuare, vt Gal.testatur lib.de Simpli.me.facul.cap.23.dicens: Idcirco purgantium medicamẽtorum,vbi purgatione frustrantur, quædam extra quàm quòd noxam corpori nullam afferunt,etiam alimentum homini præbent: alia verò in corruptionem & tanquam in venenum vertuntur: prorsum enim medicamẽtum expurgans vel cum vno saltem humorum qui in corpore nostro sunt,similitudinem obtinet,non autem perpetuò mixta est vis venenosa:quamobrem neq; perpetuò,& si non purget, iniuria afficiet,verùm coctionem recipiet, talémq;

An medicamentum aliquod sit, quod cùm purgatorium sit, si non euacuet cõuertatur in humorem euacuandũ.

producet humorem, qualem trahere natum erat. Ad quod comprobandum accedit, quòd quocunque similia sunt, facilius inuicem commutantur: sed medicamentum habetur cum humore euacuando similitudinem: in ipsum igitur facilius transit: transit autem in aliquem humorem medicamentum quod veneficum non est, vbi superetur & coquatur: nam sæpe quamuis id natura veneficum non sit, sua potentia superat humorem & ipsum à corpore ducit, nec tamen medicamentum relinquitur in corpore, sed partim dissoluitur, partim cum humore euacuando excernitur. In pauca verò quantitate sumptum, non trahit humorem, sed à natura victum in aliquem humorem transit, quemadmodum & alimenta reliqua. Is autem humor eius erit naturæ, cuius est medicamentum, tota substantia, hoc est, prima ipsa constitutione ex elementis. Hæc verò similis est illi quæ in humore à corpore vacuanda consistit, ob quam ei familiaris est. Ex his verò quæ familiaritatem habent, quædam sunt quibus adiuncta est à natura trahēdi vis: quædam ipsam non habent: neque enim perpetuum putamus omnibus inesse vim trahendi, quod familiare sibi est, sed aliàs habere vires, & proprietates. Quæ verò trahendi vim habent, sibi similia & familiaria trahunt, vt membra corporis animati trahunt alimenta, & magnes ferrum, & scammonium bilem. Nec tamen trahunt quæ omnino similia sunt, sed quæ quadamtenus similia, quadamtenus verò diuersa: siquidem scammonium non trahit alterum scammonium, sed bilem: quoniam scammonium idem est specie alteri scammonio: simile verò bili, & magnes similis est magneti specie & forma substantiali, ferro verò similis. Trahit sanè medicamentum humorem à proprietate: proprietas tamen dicit substantialem formam & similitudinem, vt in commen. lib. 2. de Differ. sob. docuimus latè. In omnibus tamen actionibus naturalibus præest forma substantialis agentis, veluti principium à quo omnis procedit actio, quod euidenter ostendunt generationes omnes & motus: omne enim naturale agens, sibi simile natura generat, & in locum conseruationi formæ suæ idoneum mouetur. Rhabarbarum itaque & scammonium bilem à forma & substantia, & actu trahunt, vtuntur sane instrumento, nempe calore tum innato, tum ascititio. Quòd tamen scammonium bilem & non pituitam trahat, & cnicus pituitam, non tamen bilem, id non à forma, neque à calore, aut qualitatiuo, quopiam temperamento habet, sed à similitudine, quæ relatio quædam est, vt loco citato probauimus, repugnante imperitorum caterna. Cùm igitur in prima ipsa ex elementis mixtione, similitudo bilis, & scammonij adsit, scammonium bilem & non pituitam trahit. Quamobrem cùm impossibile videatur, vnum medicamentum cum diuersis admodum humoribus natura, substantia, temperamento, & mixtione contrariis, habere similitudinem & familiaritatem, neque fieri posse asserimus, vt medicamentum vnum & simplex, bilem & pituitam trahat, sed quandoque vtrumque purgare, alterum familiaritate, alterum naturæ irritamento, & meatuum relaxatione, siue apertione. Ac dicemus præter vnicum humorem familiarem, si quempiam expurgauerit medicamentum simplex, superpurgationis ratione id facere, nullum tamen medicamentum posse trahere diuersos humores, familiaritate substantiæ. Scammonium itaque bili simile est temperamento calido, & sicco atque mixtione ob quam familiaritatem habet cum ipso. Sed cnicus substantiæ habet similitudinem cum pituita, non tamen temperamentum, quod ad primas attinet qualitates, quatenus pituita frigida est, cnicus calidus. Id verò quod aliud trahit, non tantùm simile est alteri, sed eo adhuc validius, tale itaque putatur scammonium bili collatum. Auicennas tamen huic sententiæ aduersatur. Si enim verum esset quod Galen. inquit, ob similitudinem fieri medicamentorum tractiones, ferrum traheret ferrum, & aurum aurum, cui rationi satisfecerat Galen. loco citato, qui non idem, sed simile tractionem exercere voluit, non enim trahitur aliquid ab eo quod vnum est specie cum ipso, sed ab

Medicamenta purgantia qua facultate trahant.

Actio omnis à forma.

Medicamentū non purgat diuersos humores à natura.

Auicennæ ratio.

eo quod ſimile, non itaque magnes magnetem trahet, ſed magnes ferrum, cui eſt ſpecie ſimile, non idem, ſic & ſcammonium bilem, non alterum ſcammonium. Verùm ex ſequacibus Auicennæ quidam rationibus conatur ipſius ſententiam aduerſus Galen. ſuadere: ſæpe enim (inquit) trahitur contrarium, ſed contrarium non eſt aptum in contrarium tranſire, igitur non omne quod trahitur, aptum eſt conuerti in trahens, neque trahens in tractum, neq; etiam medicamentum quod trahit, in humorem tractum, neque cum ipſo habet ſubſtantiæ ſimilitudinem. Quòd tamen contrarium aliquãdo trahatur probant, quoniam cor trahit frigidum aerem. Rurſus quòd præter naturam affectum eſt, ſemper appetit contrarium & trahit ipſum, vt conſtat ex ventriculi diſpoſitionibus, apud Galen. præter naturales namque appetunt contraria, ſed contraria non tranſeunt in contraria, ſed in ſimilia: non igitur tranſiuit medicamentum in humorem quem trahit, poſtquam mutatum eſt, & præter naturam affectum in ventriculo, in quo non habet naturalem diſpoſitionem, quam habebat ante id: quapropter neque ſimilia ſunt quæ trahuntur, neque medicamenta in humores quos trahere deberent, tranſibunt. Præterea humor non generat humorem ex medicamento: nihil igitur refert ſimilitudo ipſorum ad commutationem. Præterea ſi medicamentum mutari debet in humorem, prius tranſiret in chylum, atque amitteret ſimilitudinem quam haberet cum humore, præterea quamuis medicamentum humori ſimile ſit, poſsibile eſt, ipſum non poſſe à calore ſuperari, ac perinde non mutabitur in humorem. Hæc verò omnino leuia ſunt, & nullius momenti: nos enim nihil modo de contrariorum tractione ferimus, ſed ſimilium, præter id quòd aër non trahitur à corde niſi conſecutionis ratione, non tamen ſimilitudine; & ventriculus prauè affectus trahit contraria qualitate, ſed ſubſtantia ſimilia, quæ etiam faciliùs mutat ea ratione. Sic etiam quamuis primarum qualitatum mutationem ſubeat medicamentum, ſubſtantia tamen manet, qua trahit ſimile. Humor quoque non generat humorem, ſed iecur ex medicamento victo generat hunc, & non illum, quoniam in hoc medicamento eſt præparatio ad generationem huius & non alterius. Quòd verò in chylum prius tranſeat, nihil refert: chylus namque ex pituitoſis cibis genitus materiam pituitæ præſtat, & ex bilioſis cibis bili. Illud verò medicamentum quod à calore ſuperari non valet, non tranſibit in humorem, ſi tamen ſuperetur, & coquatur, vt diximus, in eum tranſibit, quem trahere natum erat: id tamen difficilius videtur, quare potius ſcammonium bilem trahit, quàm bilis ſcammonium, vtrumque enim ſimile eſt, cui Galen. reſpondet, non omne ſimile trahere, ſed inter ſimilia id quod valentius eſt, trahere reliquum, vti magnes ferrum, quia ipſo valentius eſt, & ſcammonium bile, ſed rurſus ſic obſtandum videtur, nam bilis ſimilis eſt ſcammonio & rhabarbaro, & ab vtriſque trahitur: igitur ſcammonium & rhabarbarum ſimilitudinem habent, ob quam vinum trahet reliquum: id nempe quod validius eſt, cuius contrarium experimur. Neque enim ſcammonium trahit rhabarbarum, nec trahitur ab ipſo. Ad quod dicemus, quòd ſi decoctum rhabarbari, aut eius ſubſtantia liquata contineretur in venis, ſcammonium in ventriculo aſſumptum, poſſet ipſum trahere, non minus quàm bilem. Aut ſanè non ſequitur, ſi ſcammonium bili ſimile eſt, & rhabarbarum eidem quoque bili ſimile eſt, rhabarbarum & ſcammonium ſimilia ſint, poſſent enim cum bile conuenire, ſed diuerſa ratione. Nam & ſi ignis & aqua aëri aliqua ratione communicent, non ſequitur vt ignis aquæ communicet, aut eidem ſimilis ſit. Hæc diximus ad Galen. mentem, cuius placita tuemur hoc in loco aduerſus Auicennam & ſuos ſequaces, ſicut in commentariis, lib. 2. de Differ. feb. Docet autem Galen. tractionem hanc à ſubſtantiarum ſimilitudine fieri, & eam in elementorum mixtionis modo conſiſtere: quoniam hanc putat Galen. libro 4. de Simpli. me. fac. eſſe totam rei ſubſtantiam. Nos equidem eo in loco expoſitoris officia functi ea quæ autoris mentem explanabant

Medicamentorum trahẽtis via inquiritur.

bant,& si nõ omnino vera visa nobis essent sequuti fuimus.Modò verò placet iam exposita Gale.opinione, quæ nobis videntur naturalis philosophiæ principia magis sapere,hoc loco referre. Iã singulis corporibus natura constantibus duo sunt constitutionis principia hæc, materies & forma, quam substantiam, & substantialem formam appellamus. Præterea bina temperamenta insunt mixtis corporibus, vt parte prima docuimus, alterum primis elementorum qualitatibus, alterum eorumdem substantiis, quod Galen. appellat totius rei substantiam, atque inde manare dicit in rebus substantiarum similitudines, à quibus fiunt tractiones, aut, vt rectiùs dicatur, earum ratione, tractiones fiunt. Hanc substantiarum similitudinem, quæ oritur ex mixtionis modo,diximus,in diuerso mixtionis modo, diuersam esse,ac perinde in rebus diuersas esse proprietates,in commen.lib.2.de Diffe.feb.quem tamen mixtionis modum diximus non posse satis explicari, quoniam neque Galen.ipsum satis explicuit: difficile siquidem videtur,quod Galen.lib.3. de Simpli.me.fac. cap. 24. cnicum tota substantia similem esse dixit pituitæ, & temperamento dissimilè:pituita namque frigida est,cnicus verò calidus. In mixtis tamen corporibus,secundum naturam habentibus, qualitates substantiis elementorum respondent. In quibus enim igneum elementum superat reliqua, caliditas quoque reliquas superat qualitates: Elementa siquidem intelligere oportet accessisse suis qualitatibus integris, ac deinde ex eorum actione, relinqui alterum temperamentum,ex substãtiis,& alterum ex qualitatibus:singula verò respondere ad portionem substantiarum, aut qualitatum.Quamuis fiat sæpe, vt causis externis accidentibus, temperamentum qualitatum mutetur, non mutato temperamento substantiarum elementorum.Iam igitur de cnici temperamento loquamur. Ad ipsius generationem accesserunt elementa, quæ qualitatibus & substantiis fuere attemperata, & substantiæ ac qualitates ad portionem accesserunt, cùm ignis ante mutationem summum habeat calorem, & aqua summam frigiditatem. Præter id quod nulla via intelligi potest quidpiam multum ignis habere, nisi quoniam nulla causa accidentaria accedente,valde calefacit,atque ex sua natura. Multum quoque aquam inesse rebus dicemus, quia in eis frigiditas cum humiditate reliquas superant:si igitur totum temperamentum cnici ad calorem inclinat, substantiæ elementorum calidorum vincebant substantias frigidas: atque si in temperamento qualitatum cnicus & pituita dissimiles sunt, erunt quoque substantiis dissimiles, interim dum secundum naturam se habet cnicus, & pituita. Aut quo pacto fieri poterit, vt cnicus calidus sit temperamento, & in ipso non superent calida elementa?quòd si hęc superãt,in mixtione,quo pacto similis erit mixtio cnici, mixtioni pituitæ? quod de agarico dicas licet, & de colocynthide. Quã enim habent mixtionis similitudinem pituita & colocynthis ? funditus igitur à ratione alienum videtur, calidum esse cnicum, calidum quoque agaricum, & hæc temperamenti modo pituitæ frigidæ similia esse. Quid enim difficilius, aut minus rationi consonum esse posset, quàm temperamentum, & temperamenti modum, re ipsa distinguere ? ita vt agarici, aut cnici temperamentum dissimile sit temperamento pituitæ, & temperamenti modus eorumdem similis sit, modo temperamenti pituitæ, vt nonnulli pro Gale.asserunt. Quamobrem id admonere hoc in loco placuit, diuersam esse substantialem formam rei mixtæ, vti medicamenti, à mixtione & temperatura ipsius, ac fieri posse duo aliqua similia formis & substantiis esse, mixtione verò & temperamento dissimilia. Quamuis natura fieri non possit, vt similes specie formæ inducerentur in materiebus valde distincto modo affectis, nisi intra quandam latitudinem, fieri igitur hac de causa potest, vt cnicus, & agaricus similes sint pituitæ,forma & substantia, dissimiles tamen temperamento, quamuis cum temperamentis adeò diuersis forma vna in specie non consistat, in natiua dispositione, similis tamen quadamtenus formas inesse materiebus adeò diuer-

Contra Galen.

so

to modo affectis, nihil obstat. Sunt igitur forma pituita, & forma agarici, aut cnici similes, temperamenta verò diuersa trahet tamen agaricus, aut cnicus pituitam ob similitudinem formarum, quarum parum curauit Galen. & ob id omnia hæc & similia ad mixtionem reduxit, & mixtionis modum. Cùm itaq; vt in commen. lib. 2. de Diffe. feb. diximus attractio, vt quæuis actio, naturalis à forma substantiali cuius vis procedat, medicamentum à forma trahet: quòd verò hoc trahat, non autem illud, ad similitudinem, siue proprietatem, quæ formis trahentis & tracti respondent referri debet, quod Galen. ad totam substantiam, siue mixtionem ex elementis retulit. Agaricum quoque dicemus trahere humorem ob formam, & substantiam, quæ ipsius actus est: quòd verò hunc trahat humorem, nempe pituitam, & non bilem, id fit ob similitudinem formarum: fiet autem vt forma agarici cum infinitis rebus similitudines habeat, non tamen omne simile trahet, sed quod trahit, id simile est forma: vtitur autem forma medicamenti suo temperamento, vt instrumento, ad omnem tractionem, siue quamuis actionem: trahit autem simile suum simile, vt ipso conseruetur. Hæ sunt causa efficiens tractionem, instrumentum, causa sine qua non, & finis cuius gratia. Formam itaque, tractionis principium esse asserimus, causa verò ob quam hic humor trahitur, non tamen alter est, similitudo formarum trahentis & tracti. Quòd autem in ipsum conuertatur, tum forma ipsa in causa est, tum in aliquibus materiæ partibus dispositio, quæ ad id præparat, vti crassitudo, tenuitas, & lentor. Medicamentum præterea expurgans antè quàm operetur, à calore nostro incalescit, & comminuitur, ac colliquatur, mixto humore, si id antè liquidum non erat, & ipsum per corpus digeritur. Quòd an ad purgationem sit omnimodo necessarium, an non, dubium videtur, possitne medicamentum in ventriculo manens, humorem trahere, vel opus sit ad purgationem medicamentum ad humorem trahendum migrare, Aristo. problemate 47. lib. 1. huic respondet quæstioni, dicens, medicamenta non purgare ob insignem aliquam qualitatem, sed quoniam vbi digesta fuerint per corpus, naturam habent, quæ vincere apta sunt, non vinci: talia verò cùm non vincuntur, facilè relabuntur per eas vias, per quas adierunt, quæ si quidpiam obsistens inuenerint, id secum deferunt, quod purgari dicimus. Voluit hoc in loco Aristo. purgationem fieri medicamento tendente ad humorem, & deinde redeunte & deferente ipsum. Argentum autem & æs non purgant, quia resolui & liquari non possunt, & mel & oleum quandoque purgant, inquit, quantitate potius non victa, quàm qualitate trahentia. Hanc dubij solutionem quidã non approbant. Sed aduersus Arist. rationibus obstrepunt: medicamentum namque in ventriculo manet (inquiunt) non igitur perget per venas ad humorem: visum enim est sæpe medicamentum incepta purgatione vomitu reiectum. Præterea in sanis hominibus maior purgatio humorum fieri deberet, quàm in ægris: quoniam sanis faciliùs medicamentum liquatur, ac digeritur. Præterea fieret vt nulla statuta esset via purgationi, quoniam cùm medicamentum ad humorem procedat, non potius reducet humorem ad supremam, quàm ad infimam ventriculi partem, nec potius fluxu ventris quàm vomitu purgabit. Præterea cùm medicamentũ similitudine trahat, cùm coniunctum fuerit humori, non amplius ipsum mouebit, sed ei applicatum manebit, atque quiescet. Hæc omnia nihil conuincunt aduersus Aristo. nam quamuis ipse asserat medicamentum tendere ad humorem, non negat, partem ipsius in ventriculo remanere; sed omnes consentientes inuenio hac in re. Medicamentum etenim in ventre assumptum liquatur, & partim in vaporem vertitur, qui ad humorem tendit, non quidem tractũ à membris, neque alia quapiã ratione, sed vti vapor quiuis tendere solet, cùm exhalat in omnem partem, vbi non impediatur: sic etiam vapor medicamenti per venas tendit, & humori iungitur, parstamen eiusdem crassior in ventre relinquitur, deinde verò à vapore inficitur humor, & membra excitantur ad expulsionem: medicamen

Attractio similitudine formarũ fit.

Medicamen. pur. an ad humorem perget.

camentum verò ſua facultate trahit humorem, ea via qua inceſsit vapor, quáque incedere ſolet alimentum, conuerſa tamen. Quibus cognitis rationes nihil probant, nam ſi medicamentum manet in ſuprema parte ventriculi, ad eam trahetur humor, ſi in infima, ad ipſam, humor verò tractus à ventre per proximam partem excernetur: eſt etenim medicamenti munus humorem trahere, ſed ventris eſt tractum excernere, qua parte vergit humor. In ſanis verò quamuis facultas valida ſit, non adeſt humorum malorum excernendorum copia: quòd ſi boni excernantur, non fiet ſine manifeſta corporis noxa. Nec etiam ſequitur, vt cum humore medicamentum coniunctum quieſcere debeat, quoniam pars medicamenti maior & validior, non migrauit ad humorem, ſed in ventriculo manſit, ad quem humorem deducit: ſingulorum verò purgantium medicamentorum vires, tam ſimplicium quàm compoſitorum, ſimul cum ratione compoſitionis medicamentorum loco ſuo trademus. Nunc verè ad reliquas euacuationum ſpecies tranſire erit melius.

De Vomitu.

NON Tantùm per inferiorem ventris regionem, ſed etiam per ſuperiorem corpus à cacochymia purgatur, quandoque natura prauam ſuccorum redundantiam expellente, quandoque medico naturam imitante, arte & vi medicamentorum ad id valentium, veluti, veratro albo, aut agarico. Quod in quibuſdam corporibus exercebant antiqui medici animaduerſa humorum natura, eorum impetu, & corporum diſpoſitione. Humorũ natura docet bilioſos, & leues ac calidos per ſuperiora purgare, frigidos verò & graues per inferiora receſſu. Quod Hippoc. admonuit, dicens 4. Aphor. ſectio. Medicari æſtate ſuperiores magis, hyeme verò inferiores. Calidi ſiquidem ſucci, vti flaua bilis, calido tempore abundat, licet nonnunquam fiat, vt pituita augeatur in quibuſdam, calido tempore, & bilis frigido, ac perinde dixit, magis. Impetum quoque humorum eodem Aphor. commen. docuit Galen. conſiderare, & Hippoc. prima Apho. ſectio. dixerat. Quæ ducere oportet, quò natura vergit per loca conferentia, eò ducere oportet. Ex corporis autem diſpoſitionibus Hippo. 4. Apho. ſectio. dixit, Graciles & facilè vomentes purgare, ſuperius cauentes hyemem: vomentes verò difficulter & mediocri corporis habitu, per inferiora cauentes æſtatem. Tabidos item per inferiora cauentes ſuperiora, & rurſus, qui inteſtinorum leuitate laborant, per inferiora purgandi non ſunt. Rurſus qui longum habent collum, & qui anguſto ſunt thorace inepti ſunt vomitioni. Erat autem ea tempeſtate hominibus conſuetum ſæpe & præuiſionis, & tuendæ ſanitatis gratia, tribus, aut duobus immediatis diebus, ſingulis menſibus vomere, vt apud Hippoc. lib. 3. de Dieta dicentem: vtendum eſt vomitibus, ſi humidiores ſint, ter in menſe: ſin ſicciores, bis à cibis omnis generis: libro tamen de Ratio. vict. priuatorum inquit: Qui vomere bis in menſe vult, melius ſibi conſulet, ſi biduò continuarit, quàm ſi poſt quartum diem vomerit, vomebant itaque homines multis cibis aſſumptis, & variis potibus, ac multa quantitate, vt cibus ventrem grauaret, & potus multitudine ſupernataret, ac deinde facilè vomeretur. In diebus tamen continuis id fieri ſolebat, vt primò cibus purgaretur, & humores commouerentur, deinde ſequenti, ſi quid reliqui eſſet, expelleretur & ventriculus mundus maneret. Huiuſmodi vſum Galen. libro tertio Aphoriſm. commen. 15. damnat, tum ob noxam quam infert corpori, tum quoniam in prauam deducit conſuetudinem. Ipſis tamen iam ægrotantibus parato prius corpore, medicamenta valida præbebant, vomitionem vehementem commouentes, leuioribus vomitibus præparantes corpora (non aliter quàm qui leuibus motibus & frictionibus ad exercitationes & validos motus parantur) ex pluri cibo atq; quiete. At noſtra hac tempeſtate nihil tale

Vomere ex antiquorũ opinione.

Vomere bis in menſe.

Vomere per valida medicamenta non eſt hac tempeſtate in vſu.

eſt hominibus conſuetum, nec etiam ſine moleſtia graui ferunt, qui conſueti vomere non ſunt, validam quæ per expurgantia medicamenta exercetur, vomitionem. Quæ autem in venis continentur, purgantibus medicamentis à corpore ſecernu ducimus, ſicuti & quæ in inteſtinis clyſteribus, & quæ in ventriculo, ſæpe deiectione, lenientibus ac detergentibus, nonnunquam vomitione, idque detergentibus medicamentis, atque irritantibus. De quorum numero ſunt acetum mulſum, ſiue ſiropus acidus & rhaphani ſemen, & rhaphanus ipſe, & mel atque oleum, aut addita rhaphani elixatione, quibuſdam quoque agaricum pauca quantitate aut adhibemus ſolum, aut prædictis mixtum. A validioribus autem abſtinemus, quamuis nonnunquam medicamentum ventrem expurgans vomere, ob aliàs cauſas præcipiamus, ſimul cum humoribus ad ventrem tractis, & quibuſdam ſponte ſuperueniat ſtatutis quibuſdam temporibus vomitus, quo vniuerſum corpus purgetur. Noui ſiquidem Antonium à Fonſeca epiſcopum Pampilonenſem, virum virtute, ſapientia, & genere illuſtrem, qui ſingulis mentibus duobus ferè diebus vomebat ſponte, primùm bilem flauam, deinde pituitam, deinde bilem atram, ſine mora, neque interdum quidpiam eſitabat, aut bibebat, atque cùm ipſe aliàs non integra ſanitate frueretur, liber à morborum periculis longo tempore euaſit, nunc quoque ſuperſtes manet vigintiquinque annis iam elapſis. Qui itaque vomere voluerit, hunc ordinem ſeruabit ventris excrementis depoſitis, primùm betam edet elixam, ex aqua, aceto, oleo, & melle, deinde melonem ſine pane, deinde panem in multo iure pingui, poſtea vinum bibet, ſintque inter edendum quæ bibuntur trium generum, dulce, acidum, & auſterum, tertia autem horæ parte tranſacta, ad vomendum, aquam mulſam copioſam bibat. Quod ſemper ad vomendum ſeruari volumus, ſi vomitus per cibos fiat, deinde vomat moto corpore, id enim ad vomendum parat, dicente Hippocr. cùm biberit quis elleborum ad motiones quidem corporis magis, ad ſomnum verò & quietem minus ducere oportet, indicium eſt nauigatio turbari motione corpus, atq; immiſſis digitis in os, aut penna oleo illata, vomat. Aut cepam aſſam edat cùm oleo, & aceto, deinde rhaphanum, deinde panem cum lacte copioſo, deinde ſuperbibat, hyſſopi elixationem tepidam, abundè: tepida namque vt inquit Galen. ſoluunt robur ventris, proficient ad idem, ſemen cucumeris in melle, & aceto maceratum, cnicus & acetum mulſum copioſum tepidum, aut rhaphanus in aceto mulſo per noctem maceratus, deinde eſus, & aceto mulſo bibito, ſeſamus etiam cum vino dulci, aut vinum dulce, aut aqua mulſa tepida, aut ſimul cum cibis variis non aridis, non acerbis, neque adſtringentibus. Horum autem copia in ventre eam quantitatem ſeruet, vt ventrem impleat: aliàs non ſine magno labore hypochondriorum compreſsione vomet: ſi verò venter repletus adeò ſit, vt diſtendatur, nec venter comprimetur, nec hypochondria motu cieri poterunt, nec concuſsione valide propellere, vti ad vomitionem, violentũ motum, & qui ſola impulſione, nulla tractione iuuante ſit, opus eſt: Valet autem vomitus prædictus multis corporis affectibus futuris, aut præſentibus, vti eruditatibus ventriculi, ciborum corruptioni, malaciæ, appetitui labenti, dyſenteriæ, & lienteriæ, à quibus vomitus reuellit, morbis renum & veſicæ, cholicæ, podagræ, & articulari morbo, & morbis capitis qui per ventriculi conſenſum fiunt, vt ſuffuſionibus incipientibus, capitis doloribus, & comitiali morbo, & vertigini, & paralyſi, fremori, & aſthmati, hydropicis, & malè habitis corporibus, & impetigini, lepræ, elephantiaſi, & cancro, & in ſumma ferè omnibus antiquis morbis, qui cum multo humore fiunt. Efficit tamen vomitus ſurditatem, & eam quæ à ventre oritur, ſanat, oculorum morbis lædit, ſed ortos à ventre ſanat, ac perinde inter vomendum oculos comprimere oportet. A vomitu verò oculos frigida abluat & faciem poſca, & quieſcens pomum anethinum, aut pirum ſaccharo conditum edat, aut roſarum conditum, aut ex corticibus mali citrei, & parum admodum bibat, ſitque

Hiſtoria.

Apparatus ad vomitum.

Ventris repletio ad vomitionem quanta.

Vomitus quibus vtilis.

Vomitus quæ mala afferi.

sitque aqua ex mastiche, aut vinum odoratum, & quod nonnihil habeat austeritatis. Quoniam verò nonnunquam vomitus modum excedit, decet nocumenta, quæ ex eo sequi solent, referre, & remedia scribere. Si quis enim plus iusto vomat, ventris imbecillitatem patietur, & appetitus defectũ, & alimenti inopiam, hypochondriorum dolorem, & singultum, conuulsionem, oris ventriculi morsum, & venæ in pulmone, aut gutture diruptionem, capitis grauitatem, & oculorum caliginem, & aurium tinnitum, dentium & gingiuarum morbos. Proficiet quàm maximè his omnibus dormire, extrema fricantibus & ligantibus, immittere etiam manus in frigidam aquam, & sumere in potu siropum, de malis cotoneis, & de mentha compositum, & miuam cotoneorum & milo placunda. Ad morsum quidem oris ventris siropus rosatus, aut violatus, cum myrtino valet: ad singultum aqua calida pitisando bibita, & sternutatio: ad hypochondriorum dolorem, panni oleo anethino, aut laurino infusi, aut etiam vino eis addito, & calentes admoti. Reliqua suas habent peculiares curationes.

Vomitus exceẽtis remedia.

De Clysteribus, & glandibus.

Clysteriorum vsus.

CLYSTERIA Ad multos & varios vsus iniiciuntur: nam quandoque per eadem fæcem educimus duram, emollitione, aut intestina irritamus ad excretionem, quoniam languida sunt, aut sensu vacant, aut detergimus & lauamus, aut comprimimus, & assolidamus, aut lumbricos interficimus & educimus, aut a partibus adiacentibus quidpiam trahimus purgandum, aut earundem partium dolores sedamus. Hæc sunt, renes, vterus, vesica: aut flatum discutimus, aut mitigamus morsus, aut laxamus vias renum & vesicæ, aut à superioribus partibus reuellimus ascendentes humores, & vapores, fit etiam quandoque vt languidos, vel pauxilũ alamus. Communissima ratio adhibendorum clysteriorum est ad emolliendas fæces, vt deinde breui descendant, & ab intestinis facilè pellantur. Cùm enim ægri in lecto decumbant, fæx non adeò facilè descendit: quoniam non adiuuatur à propria grauitate, ac perinde retinetur & a calore circumstantium membrorum obduratur, ad quæ opus erit vti emollientibus fæcem, & parum irritantibus, in sanis quoque ob durata fæce, pari ratione. Prope hanc consistit intentio detergendi, quoniam ferè semper adest pituita purganda in intestinis quæ detergi debet. Complet præcipuum vsum, maluarum decoctum, cum oleo, & pauco sale, aut fœnogræci decoctum cum aqua mulsa, aut ex oleo & vino. Secundum, eadem, addito melle, aut etiam betæ elixatione, aut vrticæ, aut mercurialis: sed hæc validiùs irritant, & detergunt, minùs tamen mel, ac minùs saccharum. In febribus verò adiungimus communissimo clysteri, violaceũ oleum, au rosaceum, & ordei aquam, in aliis dispositionibus camemilinũ, aut anethinum. Sint autem clysteria calida: nam tepida inflant, quamuis febricitet homo. Quòd si plus euacuare velimus, addimus casiam fistulam, aut hieram picram, aut benedictam. Cauere autem oportet nimium vsum clysteriorum, quoniam hæc segnia faciunt intestina, & proprij muneris negligentia, prẽter id quòd cibum etiam detrahunt intempestiuè à ventriculo & meseraicis, & animal ab alitione, & refectione priuant. Hac ratione sæpe fit, vt clysteria susci pientes, sequẽti die nihil deiiciant, & vulgus affirmat clysteria communia adstringere. Sunt autem clysteria, quæ languentibus inferuntur, ad alitionem & virium reparationem, ex iuribus carnium & vitellis ouorum. Hæc enim vbi ad ieiunum intestinum ascendant, & per meseraicas trahantur, alimentum præbebunt, neque enim impossibile reputamus vel clystere, vel fæcem ipsam ascendere, & quandoque fæcem per os reiici, vt Galen. docet septima Apho. sectio. commen. 10. & lib. 3. de Causis symp. inquit: Quippe nonnullis clysteria adeò ascenderunt, vt vomitione reiicerentur, quemadmodum stercus per letales

Commune clysteres.

Clysteria frequentia nocent.

Clysteria an alerepos sint.

voluulos. Contrarium tamen voluisse videtur quarta Apho. sectio. 12. dicens: Sola enim ea euomi à natura apta sunt, quæ in ventriculo cõtinentur. Eorum verò quæ continentur in intestinis, nihil potest per vomitus euacuari. lib. quoque 13. de Meth. med. dixit: Quæ infusa sunt, ea omnia ad ieiunum intestinum vsque ascendere non possunt: imò si admodum nitaris: fortasse tenue tantùm intestinum attingant, cæterùm hæc loca facilè consentiunt: nam secundum naturam ventris excrementa deorsum pelluntur, à supremis partibus initium impetus faciente natura, contra naturam verò contingit, vt ab imis partibus impetus incipiat & ad supremas vsq; pellatur excrementũ, cõtinuato impetu. Quòd palã fecit Gal. li. 6. de Sani. tu. dicens: Videtur enim ipsa tum impellẽdi, tum expellẽdi vis, etiam si à sede ipsa aliquid sursum impulerit, ipsum motum longissime tueri, quãuis præter naturã sit eiusmodi in animalis corporis transitu. Latius autem lib. 3. de Cau. sympto. sic: Quum enim secundum naturam se habuerit vẽtriculus, è supernis partibus ad se trahit, atq; per inferiores deiicit. Quum verò præter naturam affectus est, etiam ab infernis aliquid assumit. Quippe nonnullis (vt suprà diximus) clysteres adeò ascenderũt, vt vomitione reiecerentur, quemadmodũ & stercus per letales voluulos. Atqui satius fuerit per huiusmodi affectus, vt dicamus, ventriculum non trahere, sed suscipere duntaxat ea quæ ob intestinorum compressionem violenter sursum feruntur. Nam quod intestina (etenim de his aliquid dicere operæprecium fuerit) constringuntur id ipsis, secundum naturam conuenit, id quod in aliis libris iam diximus, atq; constrictionis auxilio adiuta cibum ad infernas partes deiiciunt: verùm per affectus quosdam, cùm constringi inceperint, ea quæ in ipsis continentur, ab infernis ad superiora feruntur. Ita solet euenire nonnullis, quibus nõ licet ventris onera deponere, quiversantur in foro, vel in alio loco, vel negocio, vt humor quispiam acris, ad sedem vsque descendat, ibique violenter retentus, rursus ad supernas partes referatur, atq; tum & ventriculum rodat, & caput vaporibus impleat, incipit enim motũ à podice, animalis instrumento: deinde quodlibet, intestinorũ ipsum à se expellit, ad proximum quod superiori loco constitutum sit, haud aliter quàm antea, quum deorsum trudebatur. Hęc Gal. sententia manifestè docet, nunquam secundum naturam pelli sursum excrementa intestinorum: præter naturam verò pelli, ob imis partibus incipiente naturæ impetu. Cæterùm neque id soluere videtur dubium, an clysteria alere possint: nam iniecto clysteri, non necessariò accedit impetus ad ipsum pellendum, ab imis partibus, ad supremas: non igitur deducetur ad intestinum ieiunum, vt enim dixit libro tertio, de Metho. med. loco citato, neq; si nitaris ad ieiunij intestinum attingent. Attamen neq; hoc est, ad alitionem necessarium, nam quamuis alimentum clysteri iniectum ieiunum intestinum non attingat, venæ meseraicæ nonnullæ, ad tenue, & colon quoque deducuntur, & infra ipsum, à quibus alimentum arripient. Glandes verò non parum commodæ sunt ad irritanda intestina, veluti fæce liquida detenta, ob sensus hebetudinem, aut clysteri parum efficaci diutius retento, & quibus clysteria intestina inflant, aut tormina pariunt, & quibus fæx prope anum est, & vtero gerentibus postremis mensibus, & infantibus, quibus glandes ex sapone indimus oleo illitas, & sale inspersas, aut ex pingui porci saliti carne: quidã etiam ex alumine, sed eas non laudo, quia valde irritant. Supponimus tamen infantibus allium ad placandos eorum vagitus. Fiunt quoque glandes ex melle tosto & sale, aut simili modo parata hiera picra, aut ad profundos somnos, & similes frigidos morbos capitis ex hiera langodij, & in magnis doloribus cholicis glandem ex melle tosto, & pauco opio: sed has filo appendimus. His remediis vtimur ad purgationem, vbi opus fuerit, vti diximus toto hoc capite: sani tamen & bene valentes tantummodo egent deiectione, respondenti quantitati ciborum assumptorum, semel, aut bis in die: vt libro secundo progn. in nostris expositionibus fusiùs docuimus.

Glandium vsus.

De

De euacuationibus quæ per vrinam, fluxum sanguinarium, vterum, hæmorrhoidas, sudorem, & insensilem dispersionem fiunt, ac de venere. Cap. IIII.

PER Vrinam serosum sanguinis excrementum euacuatur, tum arte, tum natura, in sanitate quidem bibitis, respondere debet, potus quantitas, atque serosę parti, & aquosę, quę in cibis continetur: colorem quoque ac substantiam talia seruare, atque reliqua, vti in comment. de vrinis diximus, & in expositionibus nostris in lib. 2. Progn. Verumtamen malè affecto corpore, natura excrementa euacuat, per vrinam, quod opus medicus quoque imitatur: sed post magnas euacuationes, ne fortè angustos vrinæ meatus humores crassi, & multi obstruant: euacuantur autem iure ea excrementa per vrinam, quæ continentur in venis & iecore, potissimùm gibba parte: nam quæ in sima continentur, per ventrem potiùs purgantur, ipsa partium connexione id docente. Galen. quoque teste libro 13. de Methodo. med. & libro secundo, de arte curã. ad Glau. cui vsui accommodata sunt medicamenta quæ sanguinem in serum conuertunt, quod fiet parte altera, crassiore reddita, & veluti in caseum versa, à qua serea pars vti à caseo separatur. Hanc autem partem renes vt amicam & familiarem ad se trahunt, talia sunt apij radix, & aspargi, & fœniculi, & similia calidę & siccæ naturæ, quæ propriè vretica appellantur. Mouent quoque vrinam alio modo, quę serum sanguinis augent, non mutato sanguine, vti melones & cucumeres: semen tamen melonis & cucumeris quibus non inest calor qui possit sanguinem in caseum conuertere, quatenus insipidum reddũt serosum sanguinem, ipsum familiarem renibus efficiunt, qui verò eius naturæ est ob familiaritatẽ trahitur ab ipsis. Cantharidibus verò (vt quidam dicunt) proprietas inest deducendi humores, ad vias renum & vesicæ, & easdem vias vlceranti acribus humoribus ad eas traductis. Vniuersum præterea corpus fluxu sanguinis narium euacuatur, sæpissimè natura tentante onus ea parte deponere, anastomosi siue apertione orificiorũ venarum: quod sanis euenire videmus, & ęgris in morbis acutis, & calidis humoribus ortis, veluti causo & tertiana febre, & continenti: sicuti & in morbis iecoris & lienis, secundum rectitudinem facta euacuatione, & sanguine ex nare latus laborãs spectante, euacuatio, id quoque arte facere tutum est: dum tamen modus in ea euacuatione seruetur. Quandoque enim difficile fuit eam sistere euacuationem, & naturæ impetum. Arte itaque idem moliri quandoque expedit, vt inquit Gal. libro tertio, de Crisibus cap. vlti. cognita patiente parte: nam si hæc dextra fuerit, dextram narem secabimus; & sinistram, vbi sinistra, libro namq; sexto, de Mor. pop. parte sexta. Hippo. inquit: Nares vnguibus scalptæ sanguinem non profuderunt. Et Galen. in comment. inquit: Aiunt veteres medicos nõ solùm propriis vnguibus, sed & ferro quodam ad hoc ipsum parato, narem diuidere solitos. Hæc Galen. de antiqua consuetudine. Nos tamen apud quos inurbana ac sordida res est, vngues vltra carnem alere, nõ propriis vnguibus secamus nares, sed ferreum vnguẽ paramus, aut calamum findimus quatuor partibus, & easdem extra conuertimus: hoc instrumento naribus immisso ac circumacto narem secamus, & sanguinis fluxum mouemus. Purgamus quoq; per vterum, ac demimus totus corporis redundantiam fæculenti sanguinis, ac crassi, & qui nunquam vitio caret, autore Galen. Id quod natura ordine quodam statuto in fœminis, quæ 13. annum trangrediuntur, & 50. non attingunt, neque vtero gerunt, neque infantes lactant, facere solet. & in morbis iudicationis ratione. Quod munus medicus quandoque imitari solet, adhibitis medicamentis menses cientibus, vbi in vtero non adsit morbus, veluti si inflammetur, aut vlcus patiatur, aut erosionem. Ad quos vsus accommodantur, casia aromatica calamẽthum, costus, asarum, nardi spica, cinnamomum. Præterea

Vrina quãtitas.

Vrina quã do mouẽda

Vrina mouentia.

Fluxus sanguinarius.

Fluxus sanguinarium moliri arte.

Vngues ferrei.

Vteri purgatio.

Menses prouocantia.

Digitized by Google

humorum extenuatio eosdem ad euacuationem parat, & menses prouocat, tibiarum scarificatio,& sectio venæ interni malleoli, & suffitus aromatum. Ante hæc quoque purgatio in quibusdam præcedere debet, per medicamentum expurgans,dicente Hippo.Mulieri mẽses decolores,nec semper per idem tempus venientes,purgationem indicat esse necessariam, per hãc autem euacuationem sanitas fœminarum seruatur,& sine ipsa morbi innumeri statim oriuntur.Quod probè Hippocr.nouit cum Apho.57. sect.5. dixit: Si menstrua plura fiunt,morbi accidunt,& si non fiant,morbi ex vtero contingunt.Ac perinde diligenter aduertere debet qui salutis fœminæ curam gerit, ne aut cohibeantur menses,aut plus æquo profluant, vt enim ab initio huius sectionis diximus,medicina adiectione & ablatione constat:quòd si retineantur vacuandi,si plus iusto vacuatur,cohibendi sunt,& vires semper attendendæ, & natura corporis,& temporis,& ætatis, & reliqua, sine quibus in euacuationibus limitem, nec coniectura assequi licebit:si verò tempus vnum purgãdi omnibus statuere velles,quàm maximè errares,quibusdam enim purgationes mẽstruæ tribus tantùm diebus fiunt,singulis mensibus,quibusdam sex.& 8. Neq; Hipp. id ad naturam fœminarum attinere ignorauit,quum lib.6.de Mor. popu.parte prima.dixit: Menstrua humidis mulieribus, diu durant. Hæmorrhoidarum fluxus fæculentum & melancholium sanguinem euacuat, & corpus à plurimis liberat morbis,vt mania,melancholia,varicibus,cancro,elephanto,& renum morbis,apertis venis ani,sicuti lethargum phrenitidem, & lienẽ induratum curat,& is aut iam factis,aut fientibus valet. Hippo. namque libro sexto, Aphorism.11.inquit:Ab atra bile vexatis, & renum morbis hæmorrhoides superuenientes bonum.& libro sexto,de Mor.pop.parte tertia,inquit: Qui hæmorrhoidas habent,neque pleuritide,neq; peripneumonia, neq; phagedæna, neque forunculis. neque terminthis, forsan neq; lepra, & forsan neque aliis. Quoniam tamen sæpe is fluxus modum excedere solet,& in malum corporis habitum,& hydropem, ob iecoris imbecillitatem deducere, modum in ipso seruare decet,ac perinde Aëtius consulit eas curare, & si antiquæ sint, & deinde probè hominem seruari,hoc est decenti victu.Galen.tamen planè voluit ex Hippo.sententia,vnam esse seruandam,qua corpus purgetur, ne in prædictos morbos à quibus liberant, incidãt patientes, atque Hippo. dixisse refert, Hæmorrhoidas sananti antiquas,si vna non remãserit, periculum est aquam intercutẽ, aut tabem aduenire, sed de his parte tertia dicemus.Sudor quoque sanis & ægris accidit,qui excrementa purgare, quæ in ambitu corporis continentur valet.De his qui ęgrotantibus accidunt lib.2.Prog.in expositionibus nostris plura diximus.Sed tamen sanis aliquando elicitur, inter exercitandũ, aut quiescentibus ob causas alias,vt ex nimio potu, aut caliditate ambientis, aut quoniã valde serosi sunt corporis humores, quos ea via natura ducit. Nõnunquam etiam ars ipsa medicamentis eum molitur, sudorificis bibitis. Hæc sunt,calamentum,anisum,vitex,anethum,petroselinũ & cum his aqua mulsa. Aut exterius adhibemus oleum anethinum, aut irinũ calidum,dorsum ipsum fricantes, aut balneum appellatum, laconicum, aut pedibus triticum elixum admouemus.Diocles autore Gal.dixit omnem sudorem esse prẽter naturam: cùm tamẽ quàm plurimi sanis hominibus fiant,& ægris naturæ ope eueniant. At Diocles id tantùm voluit, sudorem sanis hominibus bene valentibus, ac probè temperatis,neque aliquam manifestè factam euacuationem per cutim contingere,sed omnem insensilem esse,non tamen negasset, sudare quosdam adhuc sanos,& probè temperatos,intra sanitatis limites, sed tamen causa aliqua non secundum naturam,accedente, vti calore ambientis,aut motu celeriore.Quosdam verò inter ægrotandum sudare, naturæ actione. Insensibilis euacuatio per poros cutis fit, ex vniuersa corporis mole eductis excrementis tertiæ coctionis,per quam alimenta vltimo loco in membrorum substantiam transeunt.Nec tantùm id, sed etiam sordes quæ cuti inhærescunt, per ipsam pur

Menſium purgationi non eſt tempus vnum.

hæmorrhoidarum purgatio.

Aetij & Gal. diſſe.

Sudor.

Sudorem elicientia.

Sudor an naturaſiat.

Euacuatio inſenſilis.

Digitized b

purgantur:cùm tamen animata corpora perpetuò alantur, nunquam non discutient excrementa:sanguis etenim non omni ex parte carni & aliis membris similis est,neque in totum transire valet in corpus nostrum: sed quod reliquum est,dissolutionem patitur, secundum naturam, & toto vitæ spacio. Ad hunc vsum proficiunt balnea calida,arte facta,aut sponte prodeuntia,vti sulphurea,& bituminosa,& dulcis aquæ sponte calidæ, manantis: sic & ambiens nos aer calidus,siue temporis ratione,siue arte paratus, idem faciat exercitatio,& frictio,valent quoque quàm maximè vnctiones,cataplasmata,fomenta, & irrigationes, quæ vniuersaliter adhibentur partibus, quæ plures congesserunt humores,quàm possit earundem calor vincere, priùs totius corporis redundantia dempta,veluti in obstructionibus extremarum venarum, & tumoribus præter naturam,arte præcipimus. Non parum verò vtilis est inedia ad discutienda,quæ abundant:non quòd inedia,siue ciborum abstinẽtia, quidpiam facere valeat,sed quòd calor per id tempus humores coquat, & superet, & excrementa discutiat,ac perinde inedia pituitosis vtilis est,mala verò bilio sis,quorum calor plus æquo augetur,& humores bilescunt.In quem vsum non parum conducit vigilia:discutit enim,& potius eorum quę cum calore habent partium tenuitatem.Attinet quoque ad medendi artem eadem insensiles vacuationes,cùm modum excedunt,cohibere, poris occlusis, iis medicamentis quæ adstringendi,& stipandi vires habent, vti rosis,myrtho, acacia,& hypocistide.Præter has omnes euacuationum species,aliæ sunt, partibus quibusdam peculiares,vt quæ ex capite purgant, aut ex thorace, aut ex vtero. Caput autem purgatur oculis,auribus,naribus,& palato,medicus tamen per nares, aut palatum adhibitis medicamentis excrementa capitis euacuat,errhinis medicamentis,quæ per nares infunduntur,& apophlegmatismis appellatis,quibus gargarismata fiunt,aut masticatoria.Thoracem purgant,medicamẽta calore & humore temperata quæ lingendo sumuntur, quæ etiam facultatem habent thoracem leniendi,& sputum mediocre efficiunt crassitudine & tenuitate, aliâs enim retinebitur.Ad vterum quoque purgandum medicamenta infunduntur per appellatum mitrenchitam, veluti flatu incluso, aut sanguine concreto,aut succo aliquo corrupto,aut vbi vlcere laboret,quandoq; etiam mortuum fœtum machinamentis ducimus. Venus autem quemadmodum & alia omnia,quorum in hac sectione meminimus, euacuationis & retentionis modum seruare debet:seminis enim immodica vacuatio multa affert mala, quæ dicemus:retentum autem,corrumpitur, & venenorum inducit symptomata, quod viduæ & moniales sæpe patiuntur. Semen pars vtilis & vltimi alimenti est,ad generationem necessaria, vt efficiens,& vt materia, hæc in vasis seminariis,& testibus conficitur,& cõtinetur,vbi tamẽ diutiùs retineatur quando corrumpitur & putrescit, vti quæcunque non probè gubernantur à natura, quandoque verò induratur nimio calore arescens,& testes & varicosum astitem obdurat.Quemadmodum autem sanguinem quem fœminæ post annum decimumtertium generant,qui alitioni non est necessarius, sed potius conceptioni,dum non concipiunt,quouis mense purgant:ita viri & fœminæ partem eam quæ generationi deputata est,definitis temporibus excernere tenentur. Qui verò valde continentes sunt,humorem eum ex quo semen generatur, in partem aliam transmittunt,vnde meatus seminarij arescunt, & ad suum munus inepti redduntur,sicuti & testes: contabescunt enim membra quæcunq; vbi diutiùs ferientur.exercitatio namque roborat, quies tamen colliquat, & contabefacit: atque proinde vsus venereorum vegetas reddit eas partes.Præter id quòd ex eodem vsu natura assuefit, ad easdem partes mittendi multum sanguinem,ex quo multum augetur semen. Abstinere igitur à venereis non parum parat ad continentiam, quæ oritur ex naturali appetitu, sicuti & nimius vsus easdem naturales facultates commouet,atque reliquas superiores. Iam igitur opportunè semen mittere, ac modicè, cor à grauitate liberat,&

Inedia ad quæ.

Euacuationes partiũ quæ implentur.

Membra cõtabescũt.

homi

hominem lætificat,qui deinde faciliùs respirat, immodicè vigilantibus, somnum conciliat,& furorem,melancholiam & tristitiam moderatur, ac iracundos placat,& zelotypiamsedat,sympromata curat,quæ sequuntur seminis retentionem,& imaginationes fœminarum inter vigilandum & dormiendum Galen.quoque autore libro tertio,de Morb.pop.parte prima,comment.hilto. primæ, venus plenitudinem aceruari non permittit, quamuis stomacho noceat.Hippo.quoque lib.6. de Mor. pop. parte quinta, inquit, Venus pituitosis morbis confert.Et vti Galen.ibidem inquit,in comment.robustis viribus prodest,& calorem auget, sicuti & languidis, sed hos deinde strenuè refrigerat: Nec etiam dubium est,comitialibus morbis, & ischiadicis prodesse. Ex anni temporibus optimum est,ac veneri aptissimum vernum,secundum locum habet autumnus,tertium hyems, quartum æstas. Conuenit tantùm his qui ætate florent,autore Galen.libro secundo.de Sanit.tuenda. Ex temperaturis calida & humida reliquis ad veneris vsum est magis idonea, & quæ minùs læditur. Reliquis autem ætatibus nocet, præsertim senibus, & reliquis temperaturis, maximè frigidis & siccis. Opportunè tamen venere vti decet, corpore non pleno,aut cibis,aut excremẽtis, sed coctione ciborum iam completa,interueniente somno,apud Hippo.& excrementis ventris & vesicæ depositis. Hip. etenim libro sexto,de Mor.pop.hunc causarum non naturalium ordinem nobis scriptum reliquit. Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia moderata, quibus verbis non tantùm ordinem instituit, sed in omnibus mediocritatem seruandam admonuit.Est hæc sanitatis,ac mediocritatis tuendæ ratio.Labor siue exercitatio primum tenet locum: secundum cibus, qui vires à laboribus confectas reficiat,& potus à cibo ad vsus superius traditos:sequitur hæc somnus, qui vires reparat in vigilia dissolutas, & coctionem ciborum mirum in modum perficit, tum in ventre tum in corpore toto. A somno sequitur venus, vires enim roboratæ facilè venerem sublinebunt: semen autem probè iam confectum, & auctum in testibus continebitur, ei negocio paratum. Paulus contrarium docere videtur lib.1. capit.35.dicens: Tempus autem concubendi opportunum est, secundum cibum, vt suprà dixi, antequam somnus inuadat. Addit quoque ad id comprobandum duas rationes, quarum altera corpori coeuntis est accommoda,ad sanitatis tutelam,altera verò ad prolis meliorem procreationem, verba eius hæc sunt: Lassitudo siquidem ex coitu contracta obdormienti statim remittitur. Id verò tempus liberis procreandis accommodum est,tum aliis de causis, tum quòd mulier consopita genituram facilius retinet. Aëtius verò lib.3. cap.8. inquit: commodissimum tempus coeundi est, à cibo non nimium ingesto: nam ad robur conducit, & frigiditates euenire solitæ minus fiunt. Et si quidem à prandio quis ad venerem incitetur, quiescere oportet donec cibus desideat, si verò à cœna, necesse est paululum antea dormire. Horum itaque consilium est, à cibo venere vti, sed Aëtius à cœna paulum dormire præcipit. Quorum sententias non laudo:qui enim cibo nuper desumpto coierit, cruditatem patietur, aut ciborum corruptionem, nisi validus admodum fuerit: atque is simul totiens id seruauerit,manifestè lædetur. Somnum autem interrumpere tutum nõ est, tum ob ciborum commotionem & fluctuationem, quam tales sentient, tum quoniam quàm plures homines cùm semel à somno excitantur,difficilè admodum somnũ iterum conciliant, crudus autem cibus motu corporis,ante coctionem descẽdere cogetur.Quod autem Paulus ad prolem procreandam id proficere dixit,nihil est quod possit Hippocra. præceptum deturbare: nam ex semine probè concocto & perfecto melius procreabitur: præsertim cùm liceat fœminæ à coitu quiescere & rursus dormire:vir autem non statim labores perferet, sed prius quiescet decenti tempore, & si assueuerit,ientaculum accipiet, deinde nihil minùs ad labores sufficiet,quàm vbi venere vsus non fuerit:dum tamen ea moderatè vtatur, vt voluit Hippoc.cuius præceptum seruandum volumus, vbi sanorum hominum

Veneri aptũ tempus.

Veneris opportunitas quæritur.

salu

ſalutem tuendam ſuſcipimus,& moderatè venere vti mouemus. Verumtamen ſi error aliquis committi debeat, & venere vti velit quis, aut longè à cibo, & iuſto plus corpore inanito, aut ventre adhuc cibis pleno, aut etiam ſi humectus valde, aut ſiccatus ſupra modum, Melius eſt, pleno ventre, & plus iuſto humecto, quàm inanito valde, ieiuno & arefacto, venere vti: venus enim extenuat, inanit, & exſiccat. Quòd ſi calorem frigori conferas, calfactum corpus, infrigidato aptius eſt. Secũdum locum habet veneris vſus à cœna, cùm homines ad ſomnum ſe cõuerterunt: nam ſomno ſuperueniente maris corpus humectatur, & reficitur, fœmina verò virium refectione non eget, quoniam neque animalis, neque naturalis facultas ipſius ex moderata venere aut paulò ipſam excedente malum aliquod patiuntur, ſed vterus colligitur, & ſemen validius continet, cui magis adhæret. Immodicus itaque venereorum vſus fœminas parum lędit, mares verò valde: laborãt enim maximè lumbi & dorſum, deinde animalis facultas diſſoluitur, & vitalis ſpiritus, & corpus vniuerſum refrigeratur, & cruditates aceruantur, & neuorum morbi ſuboriuntur, vti tremor paralyſis, præterea obliuio & vrinæ ſtilicidium, viſus hebetatur, aurium tinnitus fit, dentium dolores, oris fœtor, ſanguinis mictus, gonorrhæa, & ſæpe articulorum dolores, & puſtulæ vlceroſæ per corpus erumpunt, ob quas medici morbum gallicum, ab ipſis appellatũ, eoſdem pati teſtantur: nocet quoque venus defatigatis, & purgatis. Quapropter qui continens eſſe vult, ab his alimentis abſtineat, quæ multum ſanguinem generant, & flatum augent, hæc ſunt carnes agnorum, perdicum, atagenarum anſerum, & anatum, venerem quoq; ſtimulant, ex piſcibus polypus, oſtrea, & anguilla, præterea eruca, rapum, faba, cicer, phaſellus, piſum, & in ſumma, parcè comedere & bibere, & potiſsimum aquam, laboribus vti corporis & animæ, veneri longum valere dixerunt: conducit quoque aduerſus veneris ſtimulos genitalia oleo vngere, in quo frigatur ſemen viticis, aut ſemen vrticę, aut pirethrum, ruta quoque vtiliſsima eſt. Si verò quis immodicè coierit, virium eget reparatione ſenſim facta per alimenta quæ facilè coquantur, & bonum præſtent ſuccum. Quieſcant quoque, & abundè dormiant: hæc enim re ſiccata corpora humectant, & reparant. Sunt quoque nonnulli, quibus veneris vſus valde nocet, capiti & ventriculo, nec tamen à venere facilè abſtinere poſſunt, ob ſeminis calorem & irritamenta aſsidua. Quòd ſi ratione duce inter vigilandum corporis ſtimulos moderentur, dormientes inſomnia patiuntur, & nocturnas pollutiones, quibus conducit lumbos roſaceo vnguento linire, aut vnguento ex oleo melino, aut roſaceo & cera, & laminam plumbi tenuem, lumbis alligare, & ramos viticis, & violas, ac roſas in lecto ſubſternere.

Venus quæ mala aſſerat.

Venerem ſtimulãtia quæ.

Veneriorum quæ prodeſſe.

De corruptione ciborum in ventre, & ebrietate. Cap. V.

IMMODICA Ventris repletio ciborum corruptorũ aliquando accidit, aliquando verò vini, quã ebrietatem appellant: vtrũque autem horum, vti malum quod ex additione fit, ablatione eget. Cibus itaque in vẽtriculo corruptus ructu deprehenditur, tum etiam fluctuatione, cum morſu, grauitate, diſplicentia, atq; inquietudine. Hunc in primis vomere oportet: ſi enim retineatur, ventrem & inteſtina grauat, & tormina generat, caput implet, ac diſtillationes parit, deinde verò ſi in corpus deferatur: quæ & quanta mala afferre poſsit, quid opus eſt dicere? A vomitu venter roborandus oleo nardino & anethino, aut de abſynthio: & ſi corruptio in acidum ructum prorumpit, ſiropus de mentha compoſitus ſumẽdus: ſi verò in nidoroſum, miua cotoneorũ, ſimplex dicta, deinde conſueta hora, cibos paucos & boni ſucci aſſumere decet, parum bibere, & ad ſomnum conuerti. A vinis autem validis per id tempus abſtinere, quoniam in ventre oblæſo aceſcunt, & corrumpuntur, cùm non ſuperentur. Quòd ſi vomere nequit aliqua occaſione, tunc aquam frigidam bibat, ſi ei conſueta eſt:

Ciborum corruptio quomodo agnoſcatur.

nam inde venter ad depulsionem roboratur, ciborum descensum modus omnibus procuret, erectus itaque cubet, manibus ventri calidis applicatis, ventrem quoque foueat calidis, vti nardino, & oleo de absinthio. Præterea ventris excrementa deponat, & somnum procuret, Non fricabit extremas partes, ne corruptus cibus per corpus deducatur, quamuis Aetius cõtrarium præcipiat: fallitur enim. Præcepit quoque ne corpus eius qui dormire non potest, moueatur, nec decubitus figuram mutet, quoniam assiduæ conuersiones flatum pariunt: quod pariter etiam damno, nõ enim generat flatum figuræ mutatio, sed genitus flatus ructu pellitur: quod hinc constat: quoniam qui à latere in latus conuertitur cum ciborum corruptione statim, magnos ructus pellit, quo tempore nondũ generari posset adeò copiosus flatus, ob breuitatẽ. At verò qui cubat in latus dextrũ, cibũ habet corruptũ in latere dextro vẽtriculi, & flatũ supra ipsum, sed cùm cõuertitur in latus sinistrũ cibus trãsit in latus sinistrũ, qui supra positus flatui per ipsum descendit, & flatũ premẽdo pellit, quod nos sæpe experimẽto nouimus. Iuuat igitur non parũ per interualla mediocria, à latere in latus cõuerti. Postquã aũt cibus descẽderit, dormiet, si fieri possit, ac deinde sensim ad cibos accedet, paucos, & boni succi, quibus aliquid adstringens, admiscebit, ad finem accipiens, aut miloplacentam, ex succo cotoneorum & saccharo, aut pirum saccharo conditum, aut oliuas Cordubenses, sale & thimo, aut origano conditas, aut foliis lauri, aut pomum odoratum cum aniso. Ebrietati & vini corruptioni vomitus vtilissimus est: vomitur autem facilè vinum, potu aquæ tepidæ & digitorum, aut pennæ immissione, reliquam verò turbationẽ sequẽti somno sedare est ex vsu. Ei quoq; qui assuescit aquæ frigidę, conueniet vbi non vomat, sesquilibram ex duobus interuallis tripartitam bibere. A somno verò assueto tẽpore ad cibos frigidos boni succi accedet, & vinũ pau cum album probe dilutum, cui aliqua inũt constringendi vis, bibet. Nemini autem consulerem inebriari: animæ enim & corpori multa mala affert ebrietas, bonum nullum. Turpe etenim est virum probum vino capi, & rerum diuinarum expertem baccho seruire. Quid enim turpius, & viro studioso minùs dignum esse posset, siue his magistratum gerat, siue hominum salutem tueri procuret, siue causas agat, siue vtcunque, non sibi tantùm, beluarum instar viuat, quàm mente priuari, rationalis animæ vires omnes amittere, sensus & intellectus confusionem & turbationem, perpeti, & aliis ludibrio esse? Rectè quidem meo iudicio apud Platonem libro, de legibus, secundo, vetitum erat ex instituto Carthaginensium, quempiam vinum degustare eo tempore quo reipublicæ gubernandę curam susciperet, aut in castris degeret, neq; seruum aut ancillam omnino, neque puerum vsq; in decimumoctauum ętatis annum. Quæ autem mala corpori afferat, nemo dubitat. Fiunt enim ebrij libidinosi, furiosi, tremuli, paralytici, balbi, bacilli, vertiginosi, quorum oculi perpetuò lachrimantur: quandoq; etiam apoplexia corripiuntur. Quapropter nonnullos vidimus è mensa efferri.

Cibo corrupto non fricentur extrema, contra Aetiũ.

Flatum nõ generat mutatio figura, contra Aetium.

Ebrietatis remedia.

Ebrietas detestatur.

DE ANIMI PASSIONIBVS,
SECTIO VI.

ANIMAE Passiones in causarum nõ naturalium & ineuitabilium cẽsu sunt, siquidem ferè ineuitabile est, & hominibus insitum à natura, ab his quæ grata sunt, gaudio affici, & ab his quæ ingrata, tristitia, timere terribilia, & iniurias ira pulsare, & ex peripateticorum opinione, vt inquit Cicero. 4. Tusculanarum quæstionum, non solùm naturales sunt, sed vtiliter a natura datę. Nos verò natura datas concedimus, sed extirpandas esse volumus. Cæterùm quum adsunt, indicia sunt, & causæ. Indicant enim corporis dispositiones à quibus manant, & causæ sunt earum dispositionum, quæ ad easdem sequuntur. Non tantùm etenim corporis dispositiones animam im-

Animæ passiones natura datæ sed extirpãdæ.

mu

mutant,sed & animæ passiones corpus validè alterant, & sepe mortem afferunt. Mutat quidem anima corpus & ipsum in morbosas ducit dispositiones, & mortem: mutat quoque corpus animam, ita vt eius functiones omnino pereant. Incipiunt quoque turbationes ab anima, & corpori cõmunicantur, atque incipiunt à corpore, & consentit eisdem anima. Porrò id cõsideratione dignum, remediis nonnunquam adhibitis corpori, animæ passiones sedari & sæpe adhibitis animæ remediis, curari corpus. Quæ omnia facilè assequemur, reuocatis ad memoriam, quæ in prima parte, de animi pathematis diximus. Quo in loco naturam patefecimus, metus, ægritudinis, lætitiæ, & libidinis; ac diximus pudorem in metu contineri: neminem quoque esse visum mortuum ira, quosdam tamen ex timore pueros defunctos. Mortuus quoq; fuit subitò quidam coram iudice, cùm foret sibi de morte prolata sententia, pusilanimes quoque visi sunt exanimati præ nimio gaudio. Plinius namque libro septimo, capitulo quinquagesimotertio, Sophoclem, & Dionysium tyrannum Siciliæ regem, acepto tragicæ victoriæ nuncio, periisse refert. Quòd si verum est quod ipse libro septimo, capitulo trigesimosexto, refert. Publius Rutilius morbo leui impeditus, nunciata fratris repulsa in petitione consulatus, ilico expirauit. Ac perinde moritur quispiam præ tristitia, quæ in ægritudine continetur, erat enim illa opinio mali præsentis. Quòd quidem morbi quidam ab anima orti corpori tradantur, notum est: multi enim ex magna solicitudine & angore ægrotare cœperũt, quorum curationem ab anima incepimus amicorum conuersatione, & lætis nunciis, & gratis confabulationibus: quæ etiam ab his quæ angere possunt, eorum distrahunt cogitationem. Incipiunt quoque à corpore morbi, qui in animum transeunt, quod docent capitis morbi, per quos delirant ægrotantes, aut obliuiosi fiunt, furibundi, & malancholici, quorum curationem à remediis corpori adhibitis incipimus, ea auxilia parantes, quæ causam à corpore pellant, qua pulsa animus statim reparatur. Citra morbos, præterea notum est animi mores corporis temperaturam sequi, & quosdam segnes esse ob pituitæ excessum, & frigidam temperiem, quosdam iracundos ob calorem & bilis redundantiam, & puerorum animam multo humore suffusam torpescere. Quorum omnium præsentanea auxilia sunt, quæ corpus moderantur, & redundantiam omnem demunt, aut defectus corporis supplent: difficilè namque aut penè impossibilè est, corpore prauè constituto: mores animæ emendare. Ac perinde sæpe solemus apud magnates prædicare pueros ingenuos, simul exposcere pædagogos, qui eos bonis moribus imbuant, & præceptores, qui eos bonis disciplinis instruant, & medicos, qui corporis peccata emendent, & moderentur. Nemo itaque est qui dubitet, quàm sint biliosi iracundi, superbi, & inconstantes, quantum pituitosi segnes & inertes, quantum melancholici tristes, & quàm leuibus causis aut nulla oblata occasione, tristentur, & solitudines ament, sanguinei verò quàm sint læti sodales, lepidi, & festiui. Sed neque illud dubium est quantum animæ functiones possint corpus variè mutare: lætitia namque extra mouet animam, sanguinem & spiritũ, tristitia intrò, sed sensim: timor intrò, sed subitò: ira, intrò prius, deinde extrò, sicut & pudor. Inspicientibus quoq; nobis colores rubeos, sanguis extrò fertur atque proinde præcipimus infantes, qui variolas patiũtur, pannis rubeis obuolui, quod non parum nocet fluxum sangui. narium patientibus, & morbo regio prodest, pallidos inspicere colores, hac vna ratione, quòd sanguis animę modum sequitur. Nonnulli præterea imaginationem humanam tantum valere existimauerunt, vt asserent, nõ tãtùm corpus imaginãtis mutare posse, sed & alienum. Quorum dux fuit Auicennas sexto libro naturalium, in quo genere fascinationem statuerunt. Asseruit sanè imaginationem medici posse hominem sanum in ægritudinem deducere, & ægrum sanitati restituere, & niuem ac pluuiam sine nubibus conficere. Supponũt autem hi animas omnes diuersas habere proprietates & vires, quas à cœlestibus influentiis contraxe-

Mortui prægaudio.

Mortuus prætristitia subito.

Imaginatio an mutare possit alienum corpus.

runt.causas quoque superiores his inferioribus dominari, inferiores verò superioribus obedire,& magis eis causis & intelligentiis, quæ nobilioris ordinis sunt.Intelligentiam quoque humanam quo habuit à prima generatione maiorem virtutem à causis ipsis cœlestibus,eò esse perfectiorem,& causis ipsis superioribus similiorem.Ea igitur anima quæ à Ioue vires accepit, Ioui similis erit,& materiam horum inferiorum quam Iupiter mutare potest, leui accedente dispositione, pari ratione animam prædictam mutare, atque validiùs quàm causæ inferiores, quæ in genere contrariorum sunt. Exiguntur autem duo ad similes mutationes : alterum est, vehemens animæ cogitatio, circa id, alterum dispositio materiæ ad patiendum. Anima itaque humana ex horum opinione poterit sanare,& morbos inferre sola imaginatione circa aliena corpora,atque calefacere & infrigidare, eadem quæ magis ipsi obediunt, quàm causis inferioribus,valere quoq; imaginationẽ ferunt, in semine plures facere mutationes,ita vt si in terra locus foret aptus,ibidem sine vtero matris,ac sine semine posset animæ imaginatio hominem generare. Quemadmodum verò iacinthus & smaragdus facultatem habent mutandi cor, & morbos ipsius curandi,vbi appendantur, quamuis cor nõ tangant, ita & imaginatio poterit id efficere absque contactu corporis.In huius rei testimonium adducunt,experimentum. Gallina etenim cùm semel Gallum in pugna superauerit, superbit, & cristas erigit, cui calcaria gallorum similia nascuntur. Rursus ex fœminarum imaginatione.Semen in corpore mouetur,& aliquando propellitur. Mulier quoque quæ in venereo actu nigram rem, aut Aethiopem imaginatur, nigram generat prolẽ. Et qui imaginatur,aut videt aliũ comedẽtem quod saporem habet ex acerbo acidũ,in stuporẽ dentium incidit,& qui videt alios mingentes,aut oscitantes,statim ad mingendũ,aut oscitandũ excitatur.Hinc etiã oritur opinio fascinationis:dicunt enim,imaginationem posse alteri morbum inferre.Ferunt quoq; se vidisse hominẽ solo visu imaginatione accedente,homines interimere,& alium beluas occidere.Quibus adiungũt Diui Pauli sententiam ad Galatas,cùm inquit, O insensati Galatæ, quis vos fascinauit,non obedire veritati ? & Vergilij carmen,

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Imaginatione etiam ferunt, homines quos alexicacos appellant Hispani, salutatores, sagittas, & spinas euellere & per focum, aut districtos enses, sine noxa incedere.Quę omnia,si quis probè animaduerterit,plena sunt superstitionis, & falsitatis, & à catholica religione valde aliena. Nos equidem non negamus,fieri posse, vt homines cum dęmonibus conueniant pacto & dæmones machinamentis multa conficiant,admotis naturalibus instrumentis, quæ à nobis admoueri non possent,nec perinde perfici humanis viribus : quædam etiam ab ipsis non fieri, sed speciem facti nobis proponere, ac videri à nobis facta, quæ nec facta sunt, neque à dæmone ipso quoquam pacto fieri valent. At verò imaginationem humanam extra corpus ipsius imaginantis quidquam facere,nec verum est,nec à viro aut catholico, aut philosopho probandum.Si enim verum esset quod ferunt, citra miraculum fieret, vt fœmina sine mare conciperet, & homines à mortuis resurgerent, & cæci à natiuitate viderent.Præterea si nobilis animæ foret imaginationis vi ea perficere, quæ ab ipsis feruntur,viri sapientia & virtute præstantissimi,talia perficerent,qualia se vidisse ferunt, hominem nempe, visu & imaginatione sanasse ægrotos, & alterum interemisse equos, aut boues, alterum infantes fascinasse. Secus autem se res habet : nam hi quos alexicacos appellant, imperiti quidam sunt, nebulones, ebrij, incontinentes, quorum anima nulla aut virtute,aut sapientiæ dote illustratur:non igitur ob animi præstantiam ea facere existimare deberent. Quæ autem ipsis ad comprobationem adducunt, id tantùm suadent, quod nos affirmauimus, imaginationem posse corpus imaginantis mouere, non tamen alienum.Gallina etenim superbit, ac sibi calcaria producit, cùm

Dęmonum pacta.

Imaginatio nihil agit extra corpus.

Alexicacorũ vitia.

gal

gallum vincit,id tamen internus affectus est, sicuti & seminis ad vasa seminaria motus, aut eiusdem proiectio, sic & Aethiopis imaginatio nigrũ colorem intra fœminæ corpus efficere posset, interim dum proles in vtero continetur, delato humore nigro & melancholico ad locum conceptionis. Imaginatio pariter potest dentibus imaginantis eam inferre dispositionem, quæ solet ab acerbis acidis saporibus induci. De qua re, quandam barbarorum opinionem in nostris commentariis in lib. primum de Diffe. feb. confutauimus. Quum autem videmus quempiam aut oscitantem aut mingentem, nostrum corpus ad mictum, aut oscitationem mouemus, ad memoriam reducentes mictum, aut oscitationem, quorum obliti eramus, quoniam causa non incitabat ad eadem abundè. Quòd autem fascinationem approbant, indignum videtur viro sapiente, vt nos citato loco asseruimus. Paulus etenim Galatas fascinatos dixit, non corpore sed mente, dixit enim: Quis vos fascinauit, non obedire veritati? Ac si diceret, quis mentibus vestris imposuit? aut quis vos decepit? Omnia enim hæc verbum, βασκαίνω, significat. Vergilius autem rustici nomine loquitur, apud quem & similis opinio de fascinatione in pretio habetur. Pueros quoque speciosos fascinatos fert Vergilius. Est autem id quod nos loco citato ex Hippoc. & Celso diximus, bonos corporis habitus, qui extremè tales sunt, nequeuntes transire in melius, neque quiescere, omnino in deterius migrare. Et qui speciosior, aut coloratior quàm antè factus est, suspecta bona sua habere debet. Sic & infantes pulchriores aliquando facti, in morbos delabuntur. Quòd verò aliquando viderunt homines aut per destrictos enses ambulare, aut ignem calcare, aut dæmonum esse acta dicemus, aut eorundem, aut hominum impostura, & apparere quidem oculis, non autem existere. Recedant igitur hæc ab animis philosophorum, quæ neque idiotis digna sunt, apud quos impostura, supplantationes, superstitiones, & innumera deliramenta præualuerunt, quæ barbari medici & philosophi, hominum mentibus induxerunt. Nos verò eadem stirpare toto animo conamur hoc in loco, & reliquis, in quibus ea tantum quæ vera sunt & sapientibus digna docemus, & approbamus, nugis & sophismatibus explosis. Recedant si placet iam inueterata & obsoleta, & noua sint omnia. Conducit porrò nõ parum ad sanitatis tutelam nosse animi perturbationes corpus mutare, & quandoque posse affectus corporis contrarietate sanare, vt impetum ad interiora factum timore, aut tristitia, lætitia curamus, & metu nouimus quosdam magna sanguinis commotione è quartanis, & sanguinis profluuio curatos: in omnibus tamen mediocritatem seruandam, quam etiam ineuitabilem putamus, excessus tamen vitare decet, vti saluti aduersos, quos maximè propriè animi pertubationes quis appellauerit. Has Stoici vitare præcipiebant, & in virum sapientem nunquam incidere asserebant. Quales enim sunt morbi corporis corpori tales morbi animi, eidem. At qui morbos corporis patitur, sanus non est, sic etiam & qui animo conturbatur, animo sanus nõ est. Qui verò non est sanus, insanus est: igitur qui animo conturbatur insanus est, is verò non est sapiens. Qua propter animi conturbationes vir sapiens non patietur.

Fascinatio apud Paulum.

Fascinatio non est vt vulgus putat.

Animi perturbationes aa sam. agnoscenda.

Animi perturbationes alienæ, à viro sapiente.

DE VICTVS RATIONE EORVM QVI NON SVSTINENT GENERALEM VIVENDI MODVM, SECTIO VII.

Caput ægrorum.

SCRIPSIMVS In præcedentibus generales viuendi regulas, quæ ſanis debentur, & nulla occaſione præpeditis, ita vt quæ diximus obſeruare non poſſet, in cauſis non naturalibus, quæ neceſſariò occurrunt. Quoniam verò quibuſdam peculiares quædam viuendi regulæ ſunt ex vſu, de eiſdem in hac ſectione ſcribere decreuimus. Peculiaris verò viuendi ratio debetur pueris, ſenibus, his qui iter agunt, nauigant, aut in laboribus viuunt, aut omnino in ocio degunt, aut obeſi, aut graciles admodum ſunt, aut aliquod membrum præ cæteris diſtemperatum habent, aut in morbos incidere parati ſunt, aut ab eiſdem reualeſcunt.

De Victu infantium. Cap. I.

Vtero gerentiũ Sympt. quo pacto curantur.

INTERIM Dum infans in vtero continetur, tota victus ratio ad matrem dirigenda eſt, quam ſanam ſeruare oportet. Superueniunt autem vtero gerentibus, ſymptomata quædam magna ex parte. Hæc ſunt, ciborum in ventre fluctuatio, ſaliuæ in ore redundantia, appetitus deiectio, & malacia, quæ pica etiam dicitur: quoniam ea auis varietate ciborum, & eorum prauitate gaudet, & ferunt eandẽ, eo modo capi. Quæ omnia ab excrementorum copia oriuntur, cùm enim primis menſibus ſanguis menſtruus retineatur, & embrio ob paruitatem eam abundantiam vincere non poſsit, quod optimum eſt ſibi adplicat, reliquum verò excrementoſum in venis matris relinquit, venæ autem plenæ non trahunt, ac perinde nec appetitus excitatur. Præterea cruditates in ventre aceruantur, tum quoniam alimenta corrumpuntur, non ſuperata, nec digeſta, tum quoniam venæ & iecur quod abundat craſſum & excrementoſum in ventrem reuomunt. Excrementum autem craſſum, crudum, & pituitoſum, fluctuationes efficit ciborum, & multam ſaliuam ori transfundit, inde quoque appetitus ciborum ferè demoritur, ob ſenſus hebetudinem & corrumpitur, ac conuertitur ad praua alimenta, veluti carbones, teſtas, & gypſum: adhæc enim conuertitur appetitus tanquam contraria redundantibus humoribus, & quæ aliqua ratione eiſdem prodeſſe valent, quoniam qualitate contraria ſunt. Quibus medentur exercitatio, quæ longo inceſſu perficitur, hæc enim excrementa abſumit, & victus per ea quæ extenuant humores, & eaſdem exſiccant. Anethum itaque cum carnibus elixandum, & aniſum pani miſcendum. Rurſus paſtinaca melle condita ante cibum & poſt ipſum eiſdem accommodatur, nuces quoque cum pane in eundem vſum eduntur, & recentiores adhuc meliores ſunt, quibus nonnulli probè caricas admiſcent. Prodeſt quàm maximè ad eas ventriculi diſpoſitiones, ſiropus de mentha compoſitus, & lanam ventriculo admouere, ex oleo anethino, aut nardino, aut maſtichino. An tamen aliquando purgandæ ſint adauctis malis, diximus ſuprà. Nos ſanè inualeſcẽtibus admodum prægnantium accidentibus eas mnana, aut infuſione rhabarbari purgamus. Alenda quoque eſt alimentis quæ bonum ſuccum præſtent & aliquam exſiccandi vim immixtam habeant. Infans verò ad eam magnitudinem perductus vt alimenti copiam in vtero capere non poſsit, aut etiam aërem inſpirare cupiat, calcitrat, & acetabula diſrumpit, & in lucem prodit. Quem conſiderare debet medicus, an ſanus ſit, & validus & omni ex parte probè formatus, numerum, magnitudinem, & figuram membrorum, & meatuum per quæ excrementa purgantur apertionem, an probè reſpiret, cum contentione vagiat, & membra ſingula moueat: cui obſtetrix caput cõformabit ad figuram ſphæræ vtrinque leuiter compreſſæ, palpebras eleuabit, quibus ex ore aquam inſtil-

Infantis nati quæ habenda conſideratio.

labit

labit, & purgabit oculos, ſicuti & aures & nares, leuiter comprimendo, & anum digito minimo aperiet, vt paulò pòſt meconium excernat, eſt id quod Hiſpani dicunt, la pez, excrementum quod à iecore ex ſanguine menſtruo delatum fuit, ad inteſtina infantis dum in vtero permanſit, nihil ore ſumens, id verò fæculentum & vitum eſt, & nigrum ad picis modum, & ſalem cutis inſperget, vena vmbilicalis quatuor digitis à ventre ſcindēda acuto ſcalpro, aut forcipe, deinde ſanguis exprimendus, reliqua pars prope vmbilicum liganda validè, vt deinde intra tertium, aut quartum diem, vt ſolet fieri, decidat. Lanæ deinde floccus ſuperponatur vmbilico, aut ex panno lineo lacero, penicillus, aut linamentum concerptum fiat cum pauco rizo toſto, aut cineris flore. Fœminæ Hiſpanæ cuminum tritum apponunt, quod ob acrimoniam ab Aëtio reprehenditur. Deinde faſcia obuoluatur vmbilicus, deinde toto corpore oleo vncto, obuoluatur infans pannis mollibus, & leniter comprimētibus. His actis infanti lingendum mel digito tradetur, vt appetitus proſequutionis alimenti excitetur, & ſugere incipiat oblectamēto dulcedinis motus. Expreſſo tamen craſsiore & caſeoſo lacte in vberibus retento, infanti lac ori inſtilletur. Præſtat autem duobus antè diebus matrem lac perdere, quàm infantem lactet: quoniam non conficietur probe, per id tempus, & deinde quæuis ſuum lactet infantem, niſi aliqua ratione honeſta impedita ſit, aut ægrotet, aut id munus moleſtè admodum exerceat, aut papillis careat, aut vlcera earūdem patiatur. Decet enim infantem non orbari ſua hæreditate, qua creator ſumma pietate liberalitate, & prouidētia ipſum donauit. Quod enim per vmbilicū intra vterum capiebat, id ſibi tradi voluit in mammis cōfectum ad eaſdem traductum, per communes venas vtero & ipſis. Bis autem aut ter per diei vnius ſpacium lac capere medici præceperunt: quod tamen non facilè ferunt infantes: ſæpiſſimè enim ſe ad mammas ſugendas conuertunt, cùm vagitu implacabili: & meritò quidem, quoniam multum ſemel ſuperare non valent: cui rei ratio adſtipulatur, dicente Hippoc. Et quibus ſemel, aut bis, aut amplius, aut minus, aut ſecundum partem, condonandum autem eſt aliquid tempori, horæ, regioni, ætati & conſuetudini. Cùm verò vmbilicus deciderit, rurſus cineris flos aſpergendus, aut cinis talli ſuilli, vſti. Lac itaque ſolùm in cibis ſumere duobus primis annis Paulus præcipit. Galen. verò donec primores dentes ædat. Salubrè ſanè conſilium, modò tamen ob nutricum imperitiam, & quoniam cupiunt eoſdem voraces efficere, nondum primo tranſacto menſe, eiſdem alimentum parant ex pane, melle, & oleo in quo alium frigatur, fœtidum, & calidiſsimum cibum, qui eoſdem exurit, & in febres incidere cogit, & inducit cacochymiam, à qua, ob eius & ſimilium ciborum vſum nunquam liberantur. Cogunt quoque eoſdem ante annum carnes deuorare. Quibus ego tranſacto, ſexto ætatis menſe, concederem offam panis in iure pulli malaxatam, addito ſaccharo, aut eandem in oleo & melle liquatam cum quibus aquam deguſtabunt: à vino tamen omnino abſtineant, aut medullam, aut pinguedinem ouilli lactis, quam butyrum appellamus, edent. Quibus Troiani infantes alebant. vt Homerus ait Iliados χ.

Infantis victus.

Lacte alendi infantes ſolo.

Troianorū cibus.

Ἀſτυάνακ', ὃς πρὶν μὲν ἐὸν ἐπὶ γούνασι πατρὸς
Μυελὸν ἐσθίεσκε, καὶ οἰῶν πίονα δημόν.

Hoc eſt, Aſtyanax, qui ſolebat antè in genubus patris ſolam medullam edere, aut ouium pingue. Sit autem medulla vaccina, ouillum autem butyrum, quibus mel aut ſaccharum addimus, ne nauſeam concitent. Decet quoq; eoſdem ſæpe abſoluere, & pannis mundis inuoluere, ne ab acredine vrinæ, aut deiectionis erodantur, & moleſtentur. Corpúſque ipſorum blandis manibus fricandum, & oleo vngendum, potiſsimum fœmina, inter fœmineum, & nates. Abluat quoque nutrix quandoq; vniuerſum infantis corpus aqua tepida dulci & exercitationis loco, vagitus & vociferatio proſunt. Nutrix præterea, corpus ipſius moueat, aut in cuna, aut lectulo pendenti. Hiſpanæ columpio, aut in

vlnis

vlnis,quod non parum ad conciliandum ſomnum cõducit,& dolores placandos. Tria etenim ſunt quæ infantium dolores ſedant, & moleſtias placant, papilla nutricis ori indita, motus mediocris in vlnis, cunis, aut ſuſpenſis lectulis, & vocis modulatio, quibus accedit quandoque ſordidarum veſtium in terſas & mundas mutatio: qui enim à pannis ſordidis exaſperantur,nec quieſcunt,nec tacẽt.Harum omnium cõmoditatum peritam decet eſſe nutricem, quæ etiam agnoſcat coniectura, qua de cauſa plorans, & vagiens infans fatigatur. Nam & ploratus cum anguſtia dolorem oſtendit, ſicut & iracundus vagitus, & motus inordinatus cum vociferatione. Quibus accedet medici, tum induſtria tum conſilium ad agnoſcenda mala, & eadem placanda,ſicuti & ad eorundem affectus moderandos,ſingulis extremis affectibus,vti iracundiæ,tarditati & ignauiæ,contrarias cauſas adiungens.Conducent igitur principes & magnates ſimul pædagogos, & medicos, præceptores autẽ, à ſeptimo anno pueritiæ.Medicus etenim corporis affectus,& eorundem cauſas ſupprimet,vt perinde anima,morum bonorum & diſciplinarum capax fiat.

Dolores infantum ſedantia.

Medici ad infantes gubernandos, induſtria.

Electio nutricis & lactis.

Nutricis eſtimatio.

AD Hæc verò conſequenda imprimis nutrix eligenda eſt mediæ ætatis,inter vigeſimum & quadrageſimum annum, quæ bis, aut ter,peperit & infantes nutriuerit,ſana, & quoad fieri poſsit,bene habiti corporis, & coloris medij inter album & rubrum, aut ſubnigra potius quàm ſubalbida ſit, lato thorace, mammis modicæ magnitudinis, non fungoſis, non rugoſis, aut laxis, ſiquidem in earum carne probe confici debet infantis alimentum, atque ab eiſdem concedi. Papillæ quoque mediocres ſint:nam paruæ non apprehendũtur ore, & magnas non capit os infantis,præter id quòd palatum lædunt,& deglutitionem impediunt, ac linguæ motum. Abſtineat hæc à venere: nam venus fœtorem lacti infert, & menſes prouocat, vnde infantes alimento priuantur. At verò ſi eis alimentum non deficiat,vti in quibuſdam ſanguine abundantibus fieri vidimus, non parum commodi ſequitur ex purgatione menſtrua, puriore facto ſanguine:quamuis purgationis tempore turbationem patiantur. Fit etiam vt nutrices ex veneris vſu concipiant, quod infantibus perniciosiſsimum eſt: priuantur enim optima alimenti parte, conſiderandi quoque ſunt nutricum mores,ne iracunda ſit,aut contentioſa,aut triſtis,ſed hilaris, læta, & placida. Hæc autem modicis vtatur exercitationibus, præſertim quæ brachiis fiunt. & boni ſucci cibis,non alliis,aut porris:ceparum autem frequens vſus infantes ſtultos efficit.Salſamenta mala ſunt, quia medicamentoſas vires habent, & aromatica fugienda in cibis,quæ bilem augent, & caput infantis implent: adde quòd muliebria educunt,& venerem concitãt.A bellariis etiam & pinei nucleis oleoſiſq; omnibus abſtineant. Quòd ſi conceperit nutrix,alia adeunda,ſi verò ægrotauerit idem faciẽdum, aut ſi aliqua decenti cauſa id fieri non debeat,curanda.Quod ſæpe facimus,laborante puero, etiamſi nihil mali euidenter nutrix patiatur, atque leuiter purganda erit: eſt enim ea purgatio infanti communis.Pariter quoque euenit vt lac eidem, aut deficiat, aut abundet,aut craceſcat,aut plus æquo attenuetur,aut corrũpatur.Quæ omnia emẽdare docebimus,vbi boni lactis electionẽ percurramus:optimũ autẽ lac agnoſcitur ſubſtãtia calore,ſapore & odore.Subſtãtia quidem mediocre ſit:id verò appellatur,quod nec tenue eſt & aquoſum,fluidũ & liquidũ:neq; craſſum,ſed ex omni parte æquale,quod vnguibus inſtillatũ probatur:id enim nec omnino adhæret cõuerſo vngue,neq; facilè defluit,Tenue tamen parũ alit,& ſi primis diebus,quod appellãt caloſtra proficuũ ſit aperiendis & purgandis meatibus omnibus:craſſum verò obſtruit vrinas.& deiectiones cohibet,& inde phymata oboriuntur,comitialem efficit morbũ,& apoplexiã, & febres à putredine, & flatus,ſi tamẽ ad alterum extremorũ inclinauerit, tenue eſt melius craſſo.

Nutrix à venere abſtineat.

Lactis electio.

Calore

Colore verò lac probatur, quod ad liuorem tendens candidum est, Gal. candidum colorem eligente, Aruto. lib. 3. de Histo. ani. cap. 21. dicente: Lac salubrius infantibus est, quod liuorem trahit, quàm quod candidum est, & fuscæ commodius habent quàm candidæ, & porrò ad alendum validius est, quod plus casei continet, sed salubrius infantibus est, quod minus casei habet. Paulus sic probari iubet lac, in vas vitreum lac fundatur cui parum misceatur coaguli, & digitis agitetur: quòd si vbi caseus à sero separetur, pares fuerint portiones id bonum, reliquum verò aut caseosum, aut serosum est. Sapore, dulce optimum est; non salsum, neque acidum, neque quod citò acescat, neque amarum, neque prauum saporem aliquem referens gustanti, odorem quoque præ se ferat, non ingratum, neque fœtidum, nec putrilaginem omnino redoleat. Si igitur lac extinguatur, cùm euenerit ob inopiam alimenti, aut eiusdem prauitatem, alendum corpus erit copiosiore cibo, ac boni succi, vti carnibus gallinarum & perdicum: in quem vsum maximè prodest sesamum cum melle, quas sesamidas placentas appellant, aut palmulę passæ, & desuper bibere vinũ dulce, aut ceruisiam, & palmulæ conditæ cum melle & amygdalatum, & mammarum leuis frictio, oua quoque sorbilia & vinum duce, & vbera caprarum, aut ouium in cibis lac augent. Laudat Aëtius quammaximè intestina terræ trita cum palmulis, & cum zyto bibenda dare, diebus decem ieiunæ nutrici, ac prælotæ, ac miraberis, inquit, de multitudine & bonitate lactis, aut simul terræ intestina & palmulæ cùm zyto terendæ & bibendæ, si lac immodicè attenuetur, à balneis abstinendum, in cibis verò vtatur his, quæ sanguinem reddant crassiorem, vti amylo, ouis sorbilibus & carnibus hœdorum, extremitatibus porcorum, & alis anserum, & vino dulci. Panis autem sit similagineus. Agnosces quoque lactis tenuitatem ex substantia, multo sero, & quod sponte de mammis fluit. Crassitudinem autem lactis emendant, balnea & alimenta attenuantia, vti iura carnium gallinarum, & pullorum cum ciceribus, & vinum album aquosum bibendum, lac item corrumpitur, quod ex pustulis, phlyctenis & cutis vlceribus, in acrem degenerasse qualitatem agnoscimus, venter quoq; immodicè fluet cum morsu & sitis atque appetitus deiectio sequuntur, & corporis attenuatio, has autem purgare leuiter conuenit ob cacochymiam, casia fistulari, aut mana, aut rhabarbaro, & alimenta boni succi adhibenda. Quòd si lac immodicè abundauerit, panni vberibus superponantur ex posca, aut decocto lentium, & pauco aceto, aut panni muria madefacti, aut petroselino & aceto, quod validius est, ne tamen coaguletur, butyrum vaccinum cum resina terebinthina & pauco aceto, superponatur, & alimenta parum alentia edat.

Lactis color ex Gal. & Arist.

Lactis probatio.

Lac reparantia.

Lac emendantia.

De Malis quæ infantibus eueniunt.

INFANTIBVS Quamuis probè regantur, ferè ineuitabilia sunt quædam mala, quibus remedia accõmodabimus. Ex eorum numero sunt, exanthemata, quæ pustulę appellãtur generali voce, à nobis variolæ, quod paruis varis similes sunt, à quibusdam bubastica, & papulæ, siue quibus ferè nullus infantiũ prætergreditur, duos autem vidi, quorum alter deinde 40. alter 60. anno in easdem incidit, hę quidem ex sanguine menstruo ortum habent, iudicationis modo id excrementum natura pellente ad cutem. Quibus post secundum ætatis annum, maximè si cum febre fiant, quod sæpius euenit, scarificatio crurum conuenit: ante id tempus verò, prætermittenda, sed exercenda cùm primùm apparent, antequam aut ad statum perueniant, aut totum corpus occupauerint: quòd si eas de propè futuras agnoueris, præcauebis eadem euacuatione. Agnoscuntur autem raucedine præcedente, tussi, capitis dolore, oculorum & facie rubore, lachrymarum defluxu, sternutatione frequenti, & subitis quibusdam timoribus, tremoribus, & febribus continentibus, quæ accedunt. Cùm igitur

Variola.

Variolarũ curatio.

Digitized by Google

apparent nigræ,aut liuidæ,pessimæ sunt,rubeæ non malæ,latæ crassiorem & frigidiorem ostendunt humorem,acuminatæ calidiorē & tenuiorem,dicente Hipp.latæ pustulæ,non ad modum pruriūt, quod ad humoris naturam retulit Galen. Ad curationem autem earum quæ à calidiori fiunt humore, imprimis pannis rubeis corpus infantis obuoluatur, & quæ furorem sanguinis supprimunt adhibeantur,vti oxysaccharum,& siropus ex endiuia,& lac matris corrigendum,& si quem alium cibum accipiunt,ad frigidum inclinet, veluti ptisana & ius pulli elixi,cū lactucis aut cucurbitis,& a cibis dulcibus abstineant.

Membra à variolis mē da.

Interim verò cauendum ne fluxu ventris capiantur,inclinante humore ad intestina, in quem vsum lentes accommodantur. Oculi quoque præseruandi colyrio, ex aqua rosarum instillatitia, & croco inibi dissoluto, & os aqua plantaginis abluatur, toto morbi tempore, ab aëre frigido tueantur, ne radicationem impediat, deinde vt coctio probè succedat: cùm verò morbus ad suppurationem & summū vigorem perducitur, totum opus naturæ prætermittendum,seruātibus nobis virtutem.Suppuratis verò variolis cuticula externa acu aurea, aut agentea pungenda, vt pus manet, neque interim cutem internam rodat,& foueam faciat,atq; rizi triti puluis inspergendus,aut simul cum tragacantho dissoluto,in rosata,aqua instillatitia, aut ex succo lentis,amylo, & tragacantho fiat linimentum. Valent ad idem, vnguentum, de cerusa, & de lithargyrio,& rizum cum butyro vaccino.Crustæ autem cadent postquam aruerint,vbi butyro vngantur,& cicatrices, si quæ remanserint, curari poterunt,citrino vnguēto.Si verò latæ fuerint variolæ,& ab humore fiant crassiore,ab initio sanguinem mittemus,si febris adfuerit, sine ipsa verò minimè,sed extenuantia statim adhibebimus, in quem vsum optimus est siropus ex elixatione ficuum, seminis fœniculi, & laccæ, vel conficiatur hunc in modum. Recipe caricarum vnciam j. lentium sine corticibus ʒ. iij. seminis fœniculi. ʒ. ij. laccæ, & tragacanthi, vtriusque ʒ. j. semis: bulliant in libra j.semis, aquæ ad tertiam,coletur,& cum saccharo fiat siropus,sed sunt variolæ quædam minores,& quæ cuti non prominent sed biliosæ sunt cutē tantūmodo exaraspērantes, quoniam humor paucus est, & dissoluitur facilius, & minùs occupat partem ac minus ipsam eleuat in tumorem, sed neq; latitudinem habēt quam variolæ: appellantur vulgò morbili,barbara voce: sunt autem rubei coloris, & ad pallorem inclinantes: qui eandem habent speciem curationis, præterquam quòd non suppurantur,exquisitè tales, sed dissoluuntur:expedit tamen valentiùs refrigerare, his quæ assumuntur: veluti siropo ex acetosa, aut vua acerba, aut ex acido limonum, aut mali citrei. Sanguinis verò missio non est adeò vtilis, & vbi non adsint, aut continens febris, aut magna sang.copia vitanda erit, eisdem verò si venter retineatur,clystere conueniet ex maluarum & violarum decocto, cum saccharo. Vlcera quoque fiunt in capitibus puerorum,quę Achores,generali voce dicuntur,quibus crusta adgnascitur,ex pure manante reliccato:quædā autem sunt melicerides,siue faui puerorum,quibus conducit, mellis vncias ij. myrrhæ ʒ. ij. aut acaciæ ʒ. ij. myrrhæ ʒ. j. aloe. ʒ. ß. sicca inspergenda,aut cum melle & vino linienda. Sed ad achoras maiora remedia suo loco dicemus. Ad pediculos eorū valet litargirij ʒ.j. staphidis agriæ ʒ. j. ß. in oleo & pauco aceto, dissoluantur, & liniantur. Si ipsorum oculi inflammentur,lycium dissolutum in aqua rosata oculis instilletur,aut colyrium ex cerusa & tragacantho in lacte dissolutum,aut ipsum lac instilletur. Ad aurium inflammationes rosaceū in quo terræ intestina frigantur, aut rosaceum cum muliebri lacte,pari mensura, aut rosaceum cum albo oui. Ad vlcera alumen vino nigro adstringēte dilutum,aut puluis rosarum,aluminis,& myrrhæ cum sapa,& aceto: cùm autem dentes edere incipiunt,septimo ætatis mense; multa saliua ore prodit,dolore gingiuarum,vexantur,ac si aculeis pungerentur,febres succedūt,& venter laxatus immodicè fluit. Quibus malis remedia protinus adhibenda, vt gingiuæ laxentur,& nerui qui ad dentes finiuntur, &

Morbili

Vlcera cap. infantium.

Pediculis valet.

De dētitione infantū.

venter

venter rẽtineatur,& ſalſi humoris confluxus in ipſum,& malitia áttẽperetur. A maſticatione durorum imprimis abſtineant,quoniam obdurantur gingiuæ ac fere caleſcunt. Maxillæ igitur infernæ oleum camemelinum cum lanis illotis admouendum,& gingiuæ terebinthina & oleo camemelino cum panno lineo leniter fricandæ,& aqua calida infundenda, aut mel,oleum camemelinum & reſina terebinthina miſcenda,& his fricandæ gingiuæ cum panno lineo lacero. Cùm autem fluxerit venter, optimum eſt oleum melinum ventri admotum, aut ſimul vino admixtum,aut ſuccus menthæ cum vino,aut puluis menthę cum oleo maſtichino,aut purpurea lana ventri ligãda. Nutrix tamen cibis boni ſucci & potibus vtatur,quibus inſit adſtringendi vis. Infantibus nihilominus vox quandoq; intercipitur, & alij dormientes, aut vigilantes ſtertunt,aut pituitam multam in vẽtre,aut tonſilarum inflammationem,aut quoniam in eiſdem & faucibus deſtillatio à capite figitur. Quibus ſubuenitur,primum indita glande,vt ventrem exonerent, deinde ſi in partibus oris malum conſiſtat, tonſilis lana oleo camemelino & axungia gallinæ liquata immerſa admoueatur,digito autem illito oleo amygdalarum dulcium partes oris leuiter fricentur,quòd ſi perinde vomant,non parum proficit. Pituitam autem ab ore purgabit. Vbi verò in vẽtre fuerit malum, vomitus vtilis erit, aut pſilium, aut calitrici ſemen, aut lini ſemen vnius drachmæ pondere cum melle deglutiant,aut eorundem muſcilaginem cum melle, hæc enim eorum ventres purgant,aqua pariter mulſa eiſdem accommodatur,& mãna in iure pulli, ſuccus autem braſsicæ cum ſale,ab Aëtio commendatur. Ad vermes autem remedia loco ſuo ſcribemus. Oris vlcera,quę aphthę dicũtur,infantibus fiunt ob lactis acredinem,aut ſalſedinem,aut à capite diſtillationem eiuſdẽ naturæ: quibus conuenit ablutio oris cum aqua,aut ſucco plãtaginis,aut aqua lactucæ, ſucco folliorum oliuæ cum ſaccharo,& ſuccus plantaginis cum myrrha,aut ſiropus ex ſucco mororum rubi,aut decoctio corticum mali punici,aut ſi ſordida fuerint,mel miſceatur. Tuſsi tamen infantium medentur penidiæ, & nuclei pini cum melle,& ſuccus glycyrrhizæ,& mel deſpumatum. Vmbilicus aliquando infantibus prominet,aut iuxta inguinem ſimilis tumor fit, ob magnum conatum,quem vagientes apponunt,aut ob caſum: quibus apponatur emplaſtrum ex reſina terebinthina, cum myrrha, aut ex maſtiche, myrrha & ladano,aut ex terebinthina, maſtiche, & alumine, aut ex alumine & melle,aut ex melle & cumino,& ſingula pannis validiùs obliganda. Quibuſdã etiam rectum intestinũ relaxatur, quibus ſacculus ex floribus camemeli calidus & vino inſperſus admouendus,aut ſemen naſturtij tenuiſsimè tritum cum butyro vaccino, aut vinum, in quo cortices mali punici ebullierint, Nouimus plures, quibus inter dormiendum inſomnia accidunt, terroris plena,quæ oſtendũt ciborum in ventriculo corruptionem & ſatietatem, cui diſpoſitioni medetur mel linctum, ciborum abſtinentia & deſuper dormire,& glandem ex melle toſto indere. Excoriantur autem infantibus partes circa genitalia & anum, ob vrinæ acredinem,quibus ſepum hircinum cõuenit,impedit enim ne vrina tãgat cutim, aut puluis myrti, aut linamẽta cõcerpta, & ceruſa aut lignorum caries,

Ventris fluxui infantium.

Stercori infantium.

Oris vlcera infantium

Inteſtini relaxationi.

De ablactandis infantibus, & victu eorundem.

ANTE ſanè quàm infantes òminò ablactentur, aliis cibis aſſuescere debent,nõ ſubitò,aut intrepidè,ſed ſexto ætatis menſe incipient cibos deguſtare ſolidiores: ſemper tamẽ humidos,ad ſeruãdam eorum temperaturã, quamuis antiqui non adeò citò id permittant facere. Eo verò tempore,amygdalatum,micã panis in iure carnis,aut butyrum vaccinum: aut ouillum,aut medullã edere incipiant,deinde pomum dulce ſine cortice,aut pirum aſſum,aut condita eadem cum ſaccharo, & nondum à lacte arceantur. Deinde verò ſecundo iam finiente anno vitellos ouorum comedent, deinde alas auium deguſtare incipient,& piſciculos paruos,

& nucleos pini,& vuas passas,sine gigartis, & pruna passa,ac deinde viridia. Quòd si interim agrotauerit,ad lactis vsum conuertatur.Præterea procedẽte tempore,ad tertium annum,carnes ipsas degustabit,auium potissimũ,quarto anno carnes veruecis,& hœdorũ edet, deinde vbi opus fuerit porcinas & bubulas ac reliquas,& liberè potu aquę vtatur inter cibos,neque potus adeò copiosus sit,vt cibos ante coctionem distribuat, deinde verò sic in cibis regatur, & in omni hilaritate & trãquilitate ad 7.vsq; annum nulla legum subiectione cogatur,præterquam diuinis institutis, ac pædagogus blandis sermonibus impetus & in vitia propensionem compescat,nisi adeò sit effrenatus puer,vt flagello etiam sit opus, vtatur autem tota pueritia frictionibus & liberis exercitationibus ac sine contentione. Cùm verò iam septimum impleuerit annum, humanioribus instruatur disciplinis,magistro hilari,benevolo, modesto, minimè atroci,aut tetrico commendetur,qui studiosus sit,ac peritus.Post 14.annum,cùm linguarum fuerit peritus,sed non antequam latinam& græcam calleat linguã, mathematicis incumbat disciplinis, philosophiæ verò à 18.anno: abstineat autem à vino omnimodo, & à veneris stimulis distrahatur eius animus.Interim verò si rei militari incũbere decreuerit, equos agitet, armorum exercitamentis insudet,& mathematicas disciplinas non cõtemnat,ac philosophię operam nauet à 18.anno,quo omnes viros probos decet,nõ neglectis, nec po thabitis duabus his primis partibus artis medendi,quæ ad hominis cõstitutionem agnoscendam & sanitatem custodiendam, apprimè conducunt. Porrò à 7. anno pædagogi industria bonis moribus instruatur, & legis præcepta memoriæ ipsius commendentur, & de eorundem obseruatione admoneatur.In omnibus verò ab excessibus,inclinationis naturę arceantur pueri, abstineant quoque à conuersatione iuuenum malè institutorum, cum studiosis conuersentur:dixit enim Theognis.

Te bonus instituet bene, virtutémque docebit.

Omnes intemperantiæ ipsorum moderentur cibis, potibus,exercitationibus, honestis occupationibus,quę auertunt à vitiis.Nam neque prauè affectis corporibus,virtus facilè insidere potest,neq; cũ turpibus hominibusconuersatio, bonos mores admittit.A 20.verò anno philosophiæ naturali,morali & diuinę operam nauet, & corporis exercitamenta non negligat, atque singuli se ad propria accingant munera, & eis exercitationibus vtantur,& eas viuendi regulas in causis non naturalibus obseruent, quas suprà statuimus, vsque ad senectutem,his tamen omnibus præsit medicus prudens,& artis peritus.

De victus ratione senibus obseruanda. Cap. II.

SENVM Temperaturam frigidam & siccã esse annorum numero talem effectam,supra parte prima latè docuimus,in quam omnes viuentes processu temporis deducuntur actione caloris nativi humore assumpto, ac perinde coriorũ exiccatorũ instar rugosi fiunt,duri,& difficilè mobiles. Hunc cõsumptionis cursum retardare modis omnibus medicus procurat,adhibitis alimentis quę vim habent humectandi ac reficiendi corpus. Est autem victus ratio eorum præseruatiua potiùs quã conseruatiua. Quamobrem alimenta humectantia accipient & reficientia,& calefacientia,nõ tamen ex longis interuallis:quoniam eorum vires non possunt diuinel multũ superare,parum igitur cibi præbẽdum, boni succi,humidæ naturæ,& sæpe.Eos itaq; decet, quotidie postquam manè ventris& vesicæ onera deposuerint,lauare aqua dulci tepida,si balneis assueuerint:si verò non fricentur oleo tepido: inde enim cutis aq; caro emolliuntur, & ossium ac nervorum siccitas moderatur. Deinde paucum cibum accipiant, vt panem cum melle: sit autem despumatum.hoc enim in optimũ conuertitur sanguinẽ, vt in iuuenibus in bilem, quod de melle diximus.Loco suo autem ouum sorbile,cum pauco pane. Vinum autem bibent æstate album, aut fuluum,ad mediocritatem dilutum,hyeme verò meracum,fuluũ,aut flauum,aut

Senum victus.

sit à S. Torcatio, aut à Yepes, non adulterinum, vina enim hæc calfacient, & excremẽta serosa per vrinã mittẽt. Deinde modicè exercitentur, pro virium ratione, aut gestentur, si non aliud ferunt; aut equitando, aut in seruorum humeris. Quinque trãsactis horis à cibo carnem gallinæ elixæ, aut veruecis, aut piscium saxatilium, nempe tructarum, solearum, plaiciarũ edãt. Noctu cœnabunt pulli, aut gallinę carnem, aut veruecis elixam, & rursus vinum prædictũ bibant, abstineant autem ab adstringentibus, & crassis vinis, muscatellina tamen non sunt eis noxia. Prima verò mensa butyrum vaccinum recens cum saccharo, aut melle cõfert. Ter igitur, aut in decrepita quater in die comedẽt. Ientaculum accipientes, & prandium, ac cœnam, & vespere ante cœnã horis 4. refectionem, quam Hispani merendam dicunt: eam enim refectionem laborantes meruerunt, sit summa ratio victus eorum, vt Homerus dixit. *Senum cibus prima mensa.*

Vt lauit, sumpsitque cibum, dat membra sopori.

Quod de extremè senibus dictum puta: nam ante id nec toties comedere, nec ab exercitiis abstinere eos volumus. Nos pro lotione, frictionem, & exercitationem subrogamus. Somnus verò, aut quies in lecto sint, quàm in aliis ætatibus longiores, funditus tamen à venere abstineant: senum præterea excrementa pituitosa sunt ob eruditates. Pituitæ autem auctæ prosunt mel despumatum, potissimùm in quo cõditæ sint pastinacæ, aut vinum mulsum, & quam appellauimus clarean, & resina terebinthina, quãtitate vnciæ semis cum saccharo, aut melle, aut etiam sola eos purgat, si venter retineatur, clysteria ex maluarum elixatione & melle, aut ex iure carnium, præsertim intestinorum, & oleo, aut ex oleo & vino, infundenda. Hæc enim fæces molliũt, & intestina humectant, quæ vetustate, dura & membranis aridis similia fiunt. Ad quotidiana autem excrementa purganda præter mel, conducunt pruna passa & beta ex oleo & aceto, & caricæ pingues, à quibus corium demere præcipiunt. Verùm si obstructio iecoris timetur, ab eisdem abstinendum, autumno quoque virides ficus præbere conuenit. Si arenulæ renum eos vexant, vinum mulsum prodest, aut vinũ in quo betonica infundatur. Sint autem vina pallida. Capares etiam ex oleo & aceto ad appetitum excitandum valent, sicuti & oliuæ salitæ. Temporibus quoque admodum frigidis aromatica, vti piper, cinnamomum & caryophyllos cum cibis miscere est ex vsu, sicuti & anisum ad flatus ventriculi discutiendos, & quandoque cuminum. Dentes verò senum à ruina tuebimur, cauentes cibos putridos & duros, quos non facilè, aut scindant, aut conterant, & à cibis dulcibus dẽtes abluent vino, parum diluto, ne caput tentet, & à cibis abstineant stuporem inducentibus, & si quid dentibus hæserit, id detrahant lentisco, aut salicæ: hic enim non stimulat gingiuas. Oculorum caligantium remedium erit, oculos in aquam frigidam immergere manè à somno, sæpius, & quandoque in aqua fœniculi, ad mundandas lippas, & sordes, & exterendas membranas, non fatigent lectione eosdem: minimè verò literas, minutas legant, nec quæ arsenicum habeant copiosum. A cibis abstineat, qui in ventre diutiùs immorãtur, aut in ipso corrumpuntur, aut crassi succi, & frigidæ naturæ, & ab his qui fumum capiti mittunt, vt porrum, cepa, & eruca. Aurium quoque sordes frequenter mundandæ, & eisdem instillandum oleum amygdalarum, dulcium aut axungia gallinæ liquata, aut galia, aut noctu hæc auribus ellychnio inferenda. Omne rursus honestum corpori oblectamẽtum procurent, deambulantes, aut equitantes, in hortis, & viridibus pratis verno tempore, & viridia præcipitia montium spectent, & aquarum fluenta, & earundem sonitu demulceantur, hæc enim omnium maximè literis insudantium, oculos & aures recreant. Hyberno etiam tempore, pannis, pellibus, & serico indutiincedant, & calciati duplicatis soleis, non prementibus pedes, aut etiam cothurnis & in sudatorio, aut laconico balneo habitent, non valdè calenti, aut in domiciliis ipsorum carbones igniti includantur, transacta flãma, nec tamen claudere interim decet ianuam & fenestras, sed aliquod horum *Dentibus senum.* *Oculis caligantibus.*

tantiſper tranſpirationi relinquendum. Cùm verò à frictionibus, vnctionibus, exercitationibus, ciborum aſſumptione & ſomno quieuerint, in diuinarum rerum contemplatione, & beatorum fœlicitate bonas horas collocabunt in ſacris voluminibus, & ſacrorum autorum ſcriptis euoluendis immorabuntur: nonnunquam etiam Ciceronis officia, Tuſculanas quęſtiones, de finibus bonorum & malorum legent, aut Platonis conuiuium, aut Phædrum, aut Ariſtotelis morales libros. A cœna verò, aut prandio, maiorum ſtrenuè geſta, iunioribus narrabũt, decet enim ſenes huiuſcemodi conuerſantes laxare animum (eſt namq; ſenectus plena curarũ) ac deinde ſomno corporis labores ſoluere.

De victu laborantium, iter agentium, nauigantium, & in ocio degentium. Cap. III.

Victus laborantium.

QVI In laboribus vitam agunt, probãdi ſunt, an per eos labores ſani degant, atque in eiſdem permanebunt. Si verò facilè morbis corripiuntur, in alios mutandi veniunt, niſi per omnes labores conſimilimodo malè habeant: tũc enim in prioribus permanebunt, ſic etiam ſi ex longis interuallis ægrotauerint. Cùm igitur ægrotant, conſiderandum an ex redundantia humorum morbi oriantur, an ex prauitate ipſorũ, quibus pro cauſæ ratione ſubueniendũ. Plethoræ quidem, balneis, ſi eis aſſueuerint, & frictionibus, & ſudoribus, & inedia, aut ciborum pauci alimenti vſu. Si verò cacochymia fuerit, ſpecies primùm diſtinguenda, & medicamenta euacuantia humorem redundantem adhibenda, & alimenta quæ generationi eius aduerſa ſunt: deinde verò ita inſtituendus victus, vt à prædicto lapſu corpus præſeruetur. Qui verò iter agunt ambulantes, corpus primum inungere debent, & validè faſcia lata lumbos ligare ad ilia vſq;, & in frigidis anni temporibus ſimul thoracem & dorſum ligabunt, & baculo innitentur, ſiue ad aſcendendum, ſiue ad decliuia loca peragranda. Quòd ſi ſudauerint, corpus quoad fieri poſsit, à ventis tuebũtur. Si verò equitando inceſſerint vncto corpore prædicta faſcia, validè ventrem inferiorem & inguina apprehendent, & in anteriori ſedis parte molle aliquod, vti puluinar, aut veſtem plicatam adponent, cui brachiis & manibus corpus ſtabiliant, & firment. Antequam iter ingrediãtur, decet corpus mundum eſſe, ita vt nec plethora, aut mali alicuius ſucci redundantia laborent, aut ab eiſdem antè liberentur, aliàs bene cum ipſis agetur, ſi in morbum non inciderint: maximè vbi multorum dierum fuerit iter. Iam igitur, iter aggreſſurus cibum non accipiet, minimè verò bibet, ne alimentum corporis commotione crudum diſtribuatur. Quòd ſi aut ob imbecillitatem, aut nimiam ambiẽtis frigiditatem timentes, cibũ acceperint, adhuc ſi fieri poſsit à potu abſtineãt equitãtes: nã potus in ventriculo fluctuat & grauat, diſtendit, ac moleſtat ipſum, ſit autem eibus boni ſucci. Poſtquam autem in hoſpitio quieuerit, iam ſedata corporis agitatione, cibum boni ſucci, nõ multum accipiet, & vinum, paulò dilutius quàm ſolebat, bibat, ſolet enim vinum poſt validos corporis motus caput petere. Vt igitur ſitim, ſiquæ in itinere excitatur, arceat, qualis calidis tẽporibus euenit, portulacam aut lactucã in ore ferat, aut lapillos terſos, aut cryſtallũ, & taceat, & ore clauſo reſpiret, & roſas ac violas odoret. Non tamen laudo ad famem vitandam remediis vti, vt quidam volũt, oleo amygdalino, aut vaccino adipe, aut eiſdem cum cera ad vnguẽti formam aſſumptis: melius enim foret, parum edere. Nam cibus quamuis paucus, famẽ per aliquod temporis ſpacium ſedat. Ante id quoque decet corpus præparare, nam qui validè exerceri vult, & ſuprà quàm ſolebat, non ſubitò mutare debet conſuetudinem, ſed duobus, aut tribus diebus, aut etiam pluribus antè, exercitationem conſuetam excedat, & cibis ac potibus aſſueſcere incipiat, quibus in itinere ſe vſurum ſperat, hac enim de cauſa præſertim, Hippocratem nos admonere puto, cùm dixit, Conſueta multo tempore minus inconſuetis moleſtare ſolent. oportet igitur ad

Victus iter agentium.

Iter agẽtes quibus abſtinendum.

inconſ

ineonſueta tranſire, ſunt ex diuitibus plures, quibus placet equorum curſu breuiter peragrare, qui aſſueti non fuerint, magnam ſentient laſsitudinem, & ſæpe in magnos incident morbos: reliqui verò citò ad ſenectutẽ, & eius peculiares morbos deducentur. Ex cibis itaque optimos eligit, qui iter agit. Aquarum autem malitiam emendare procurabit, vbi turbidæ, cœnoſæ, aut craſſæ admodum fuerint: nam eas percolare præcipiet, per mortarium lapideum, aut per lanam cõtortam, cuius pars ſit intra aquæ vas, pars extra, aut ipſam elixabunt, & reſidere permittent, aut etiam inter elixandum aniſum addent, mica etiam panis aquam clarificat. Allia quoque comedere, aut cepas aquarum corrigit noxam, ſicuti & vini mixtio. Salſæ verò aquæ alia aqua miſcenda, aut per mundam terram, aut mortarium colanda, aut aceti parum addẽdum. Aquam etiam deferre decet, ab hoſpitio, in hoſpitium. Ex fontibus, puteis, & ſordidis locis cum linteo interpoſito bibenda, ne ſanguiſugæ aut fæces deglutiantur. Vehementi ſanè vrgente æſtu, quemadmodum & magno inſtante frigore, antequam iter aggrediantur, cibum aliquem accipere debent, ſit tamen refrigerantis facultatis æſtate: vt prunum, aut cucurbita, ſaccharo condita, hyeme calefacientis, & parum domi immorabuntur dum cibus hic deſcendat. Caput à ſole tueantur vmbella, & totum corpus pallio ex coriis hirci, probè paratis, quod à ceruice & humeris, vſque ad genua ſit demiſſum: id enim ſolis calorem ſecus à corpore prohibet: inſtante verò calore, adhuc vehementius: roſaceo corpus vngendum, & os abluendum frigida, & lento incedendum motu. Ad hoſpitium peruenientes faciem frigida abluent, & crura ac pedes tepida. Quod ſi vlterius incedendum non eſt, expediet totum corpus abluere. Iuuenis quidem in frigida natabit, puer autem aut ſenex tepidam ingredietur. Deinde lactucam edent ex oleo, & aceto, & pauco ſale, ſenes tamen elixam, & piſces recentes elixos, non tamẽ ſalitos vt quidã imprudẽs affirmat, aut carnẽ auis, quæ facilè coquatur, & bonum præſtet ſuccum, & bibent aut frigidam, aut valde dilutum vinum. Iter autem ſub vehementi frigore agentes & per loca niuoſa, & montes, quos validè perflant, boreas, aquilo, aut circius, quãmaximè tueri debent, ne frigus per nares ſubitò intimas penetret partes, aut extremas refrigerando ſuperet: fit enim vt nonnulli catalepſi deprehendantur, & moriantur ſtatim, quod me vidente, inuenia apud Metimnam cœli contigit. Quidam etiam apoplexia, quidam tetano apprehendũtur: neruoſq; enim partes in primis frigore tentantur, extremæ quoq; partes quibuſdam demoriuntur, congelatæ, quibuſdã liuent, quibuſdam omnino mortuæ putreſcunt, quod ruſtico cuidam quadragenario euenit, cuius cura mihi ipſi commiſſa fuit. Decet igitur vt antequam iter aggrediantur, cibum accipiant, cum ſalſamento calido, vt pulli, aut gallinæ carnem aſſam, cum pipere, aut caryophyllis, aut alliis, aut ſalſamento ex eiſdem, & vinum validum meracius bibant, & corpus totum linteis, pannis, & pellibus induant, & coriis hircorum, quibus ſubiectas veſtes comprimant, & crura cothurnis, & ocreis, ſupra caligas laneas. Pedes tamen non adſtringent, ne ſanguis inde exprimatur & quoniam motus partium calefacit. Quapropter equitantes magis à frigore patiuntur, quos decet ab equis deſcendere, & ambulantes celeriter, terram calcare: inde enim pedes & totum corpus incaleſcit. Pedes ſulcris firment: ſuſpenſi enim facilius refrigerantur, & demoriuntur, manicas etiam portent ex muricis pellibus. Qui autem ad hoſpitium peruenerint extremis valde refrigeratis, non ſtatim ad ignem accedent: nam inde magnus concitabitur dolor, & impetu quodam in eas partes defertur ſanguis, qui deinde non vincitur, ſed putreſcens ſcabiem generat, & inter fluendum dolorem, ob inæqualem intemperiem. Neq; enim, vt prima parte docuimus, ad naturalem habitum redire repente licet, neque ſubitò, ac repentè calefacere, aut infrigidare, aut quouis alio modo mutare: omne enim nimis naturæ inimicum. Præterea cùm partes congellatæ corrugentur, & obdureſcant, coguntur ſanguine irruente diſrumpi, & con-

Aquas corrigere.

Iter agẽtes ſub æſtu ſolis.

Iter agentes ſub valido frigore.

Refrigerati nõ ſtatim ad ignẽ accedant.

tinuit

tinuitatis solutionem pati, nisi sensim laxentur, sed primùm deambulent in loco non frigido, & manus fricent, & si valde adhuc molestentur, extrema aqua tepida perfundãt; erit autem melius, si in ipsa napi elixentur, aut camomilla, aut brassica, prodest etiam extrema in aquam frigidam immergere. Quo tamen modo prodesse possit, quidam ad philosophos, vt sibi incognitam causam inquirendam remittit. Intelligere autem ac nosse oportet calidam aquam, refrigeratis & congellatis prodesse, non tantùm quia calida: nam ea ratione ignis præstaret, sed quia humida, nam quamuis calore, potiùsquã frigiditate cõueniat, humiditas tamen, quia partes frigore rigentes & obduratas emollit, atq; laxat, imprimis iuuat. si quis igitur nõ valde victus fuerit à frigore, in frigidã immersis extremis iuuabitur. Nã relaxata iam parte & eiusdem meatibus, ab humiditate, succedet sanguis cum spiritu, citra dolorem, & membrorum disruptionem. Quibus autem calor valde victus est, non conueniet frigida, sed calida, quæ præter id quod membra laxat, caloris restitutionem coadiuuat: cõfert itaque aqua calida magis frigida, minùs, vtraque ob humiditatem. Si verò cogatur aliqua ratione ad ignem accedere, id sensim fiat. & non multo igni. Corrupta verò ac demortua iam parte quapiam, ipsa scarificanda erit, aut omnino abscindenda ad sanam vsque partem, & fouẽda sale, pipere, & vino & aceto temperatis, atq; aqua calida. Bolus armenus eisdem conuenit. Pars verò non mortua sed liuore affecta, vino calido fouenda, in quo camemilum, anethum, melilotum: & origanum elixentur. Nauigantes corporis purgationem magnam patiuntur: maximè qui non assueuerũt, sicuti & multi qui in curru, aut lectica gestantur, vomunt itaque. Cui euacuationi nullo opus est remedio, quoniam per eam corpus euacuatur, aut à redundantia, si quæ aderat, aut eius euacuationis ratione diminutis humoribus insuetos motus melius ferent, atque non parum mali sequeretur, si humores, qui motus ratione ad vẽtrem deducti sunt, ibidem retinerentur. Expediet autem à vomitu corpus pane, & lentibus excorticatis ex aqua & aceto elixis alere, & vinum cui insit aliqua adstringendi vis, boni odoris, sed paucæ quantitatis bibere. Sunt autem quibus placet vomitum cohibere, quem molestè ferunt, quibus præcipiendum, ne aquam aspiciant, & vt offam panis in vino odorato accipiant, aut siropum de mentha compositum, aut pomum odoratum cum aniso, aut malum cotoneum, aut quam supra, miloplacunta appellauimus, & bonos odores naribus admouere, tum ad vomitum cohibendum, tum etiam aduersus malum nauis odorem. Qui verò in ocio degunt, in carceribus detenti, aut aliquo irrepetibili negotio districti, ita vt neque balneari, neque exerceri possint, horum loco frictionibus vtentur crurum, brachiorum, atq; totius corporis, & deiectionem procurabunt, quæ eisdem sæpius retinetur. Alimenta autem accipient, quæ facilè superentur, non tamẽ validè nutriant, vti aulum carnes, & pisces, & carnium iura, & olera, & fructus. Abstineant à carnibus porcinis & bubulis, & in summa à crassis & glutinosis alimentis, & his quæ crudum aceruant humorem.

Aqua frigida refrigeratis qua ratione prosit.

Nauigantium victus

Victus eorũ qui in ocio degunt.

De extenuandis corporibus obesis, & implendis gracilibus, Cap. IIII.

QVI Suprà modũ obesi, extenuari, & ad mediocritatẽ quandam reduci desiderant, magis aliis exerceri debent: non tantùm enim decet in eorum corporibus alimentum ad membra deducere, sed idem plusquam in aliis dissoluere, ad quod pariter frictio magna conuenit, quę carnis ruborẽ prætergreditur, cũ oleo anethino, aut irino, aut etiã sale addito, & balneũ ex aqua & sale, & insolatio. Dimittant quoque cœnam omnino, aut cappares cum aceto & oleo sumant, sitque tota ratio victus extenuans, vti capparis, cicera, olera, quę citò per ventrem descendant, ne interim totum quod præstare solẽt vtile iecur per meseraicas

raicas attripiat, ad quod etiam exercitium, non longè à cibo prodeſt. Panis multum furfuris mixtum habeat, & aniſum, & piper in cibis: Vinum verò ſit album tenue: quòd ſi acidum fuerit, proderit. Acetum aqua temperatum bibere, corpus extenuat, & copia ſalis in cibus, & bibere tertio quoque die, vſq; ad hebdomadas duas, medicaměti dialaca. ʒ. ſemis, in vnci. iij. aceti multi, aut elixationis radicum apij, & ſimilia quæ vrinam mouere ſunt apta, & reliquus victus ſit exſiccans: contraria victus ratio conuenit extenuatis, qui impleri volunt. Quibus cõducit, imprimis corrigere intemperiem, aut obſtructionem, ſi quæ fuerit in cauſa. Sunt enim ad modum graciles, magna ex parte bilioſi, aut melancholici, aut calida, aut frigida, aut ſicca, aut ex his coniugata intemperie lapſi: cõueniunt eis alimenta, quæ bonum ac multum præſtant ſuccum, & vinum dulce, aut aqua, & frictiones opportunè adhibitæ, cum linteis aſperioribus, mediocres tamen, quæ vſque ad carnium tumorem & ruborem perducunt, & non vltra, & breues exercitationes, non celeres. Balnea aquarum dulcium adeant, in quibus nec ſudent, nec diutius immorentur, à tepida exeuntes frigidam ingrediantur, aut eadem inſpergatur ipſis. Picare etiam carnes optimum remedium eſt, aut cera copioſa vngere: & eandem violentiùs euellere, id enim ſanguinẽ ad partes ducit, quod eſt potiſsimũ procurandum ſdque quibuſuis partibus extenuatis implendis, eſt accõmodatum remedium.

De his quibus membrum aliquod nobile pre cæteris eſt à ſanitate lapſum. Cap. V.

DOCVIMVS qua victus ratione, corpora temperata ſeruari debeant, adhibitis cauſis non naturalibus, vitésq; earũdem ſcripſimus, quóq; modo tractãda ſint, quæ à tẽperamento parum labũtur ſimilibus ea ſeruãtes, & quę manifeſtè labũtur, remiſsioribus præſeruãtes, niſi in animo fuerit, eadẽ mutare in meliorem ſtatũ, quod contrariis perficietur. Nunc verò de his agẽdum quibus mẽbrum aliquod nobile manifeſto lapſu decidit à ſanitate ſibi debita ſecundũ naturã, nec tamẽ ægrotat, ſed totũ corpus efficit inæqualiter lapſum: id verò impedit quominus ſic affectus generales viuẽdi regulas, ſuperius traditas ſeruet. Quoniã verò ſuprà notas ſcripſimus tẽperati corporis, & eorũ quæ à tẽperamento æqualiter labũtur: de in æqualibus lapſibus modò agendum: ac primũ incipiemus à cerebro. Sed quoniam lapſus à mediocritate agnoſcere eſt impoſsibile, niſi prius ſtatuamus in ſingulis medium quoddã aliquod reliqua referantur tanquam ad regulam & menſuram, ideò prius temperaturæ optimæ partis de qua agendum eſt, notas trademus, deinde reliquarum temperaturam, quarum omnium correctionem ex contrarietate deſumemus.

Cerebri temperaturæ.

Cerebri tẽperati nota.

CEREBRVM temperatum valentes exercet animales actiones, internas atq; externas, niſi externorũ organorũ aliquod fuerit vitiatum: Pariter quoq; motũ ſecundum locum, & nulla ex parte læſas habet naturales, cauſis morbũ inducentibus validè obſiſtit, neq; eidẽ bona deeſt ſtructura, aut ex capillis nota. Quantũ igitur ad capitis magnitudinẽ attinet, paruitas vitium eſt conſtitutionis cerebri, & quæ valde parat ad ipſius morbos. Magnitudo tamẽ nõ ſtatĩ indicat bonũ, ſed cũ diſtinctione, prĩ animaduerſa figura: bonũ enim eſt caput magnum, probè figuratũ, eſt aũt decens figura, qualis ſpherę vtrinq; leuiter compreſſæ: quam ſequitur, vt antè & retro promineat, ad planiciẽ verò accedant latera. Deinde orta à cerebro, nẽpe nerui & ſpina, conſiderãda: quoniam orta valetudinẽ partium à quibus manant, oſtendũt. Quòd ſi hæc valida ſint, capitis magnitudo nõ ad materiæ copiam, ſed ad robur conformantis facultatis referẽda, & ex cõtrario, contrariũ coniectandum. Idem quoq; in partis poſterioris capitis, aut defectu aut prominentia, habendum eſt: nam vbi à debitò modo euariet, diminutione, cum prę ſtantia ortorum, paucitati materiæ adſcribendũ, & vbi promineat, ad viriũ firmitatẽ. Cùm autẽ in parte capi-

tis posteriore neruorũ mouentiũ exortus sit,& in anteriore sentientiũ,ex sentientibus neruis, & sentibus ipsis visu,gustu & olfactu,vbi nõ fuerit bona eius partis cõstitutio intelligemus:an id ad materiã,aut facultatis lãgorẽ referẽdũ sit.Hæc itaq; de exterioribus sensibus & mouendi facultate dicta sint,quæ cerebri tẽperamentum,aut intẽperiem ostendũt:actionum etenim præstantia à tẽperamento à quo pẽdent vires,& organo procedit.Docuimus pariter parte prima,tres esse internas sentiẽtes facultates,imaginatiuã, cogitatiuã, & memoriã,ad duas priores refert apprehẽdere,& addiscere,formarũ rerũ,tum susceptione,tum in eisdẽ exercitatione:ad memoriã,imaginũ conseruationẽ & custodiã attinere notũ est. Iam igitur facilè apprehẽdere,probè etiã ratiocinari,cerebri substantiã indicat mollẽ,& tenuem, contrariũ crassam & durã: vti difficilè apprehẽdere,& tardè addiscere.Bona quidẽ ac tenax memoria durã & stabilẽ substantiã cerebri ostẽdit. Nam quę humida sunt,facilè externarũ rerũ formas admittũt, & caldẽ parum seruãt : dura verò difficilè admittunt, & diutius admissa seruãt.Itaq; ingenium,siue inuẽtionis alacritas,tenuẽ cerebri substantiã indicat, addiscendi facilitas humiditatẽ,mutabilitas in opinionibus caliditatẽ, & contraria contrarium indicabunt. Quod quidem inconstantia in opinionibus caliditatem,constantia frigiditatem ostendit, docent, qui posteaquã aliquam susceperunt opinionẽ,non magnis causis, aut valentibus accedentibus rationibus in contrariã mutant sententiam, licet id ad inscientiam quandoq; referri debeat,& ignorantiã, eorum quæ ad id assequendum,de quo agitur,sunt necessaria.In naturalibus verò functionibus considerãda sunt excremẽta:nam in cerebro tẽperato,cui non tantùm experimentum elementorũ optimum,aut ei proximũ insit,sed etiam bona conformatio, exerunt moderata,siue per nares,siue aures,palatũ, aut oculos excernantur, Quod verò tale est, nulli causarũ, alterantiũ occursui erit obnoxium, capilli ab infãtia subruffi erũt,in pueritia subflaui, in adolescẽtia flaui. Medij quoq; erunt,crispitudine, & planitię: nam crispitudo siccitatẽ significat corruganti, planicies humiditatẽ: & rursus cutis dura ac sicca, pilũ nõ admittit facilè, ac perinde disrumpens pilus cutem ipsam cõtorto foramine peruadit,&eam figuram pilus seruat,humidã autem cutem facilè & recto tramite permeat: hi non caluescũt citò,Calido existente cerebro, caput exterius tactum sentitur calidius,& oculi calidiores,agiliores,rubicundiores, quã temperatis, & venæ latiores. Capilli à primo ortu nascẽtur,atq; hi ininfantia,subflaui in pueritia flaui,& in iuuentute nigri, sed vidimus plures quibus à pueritia & etiam ab infantia nigri erant,valde vincẽte calore,caluescunt, sed tardius quã si siccitatem etiam adiunctã habeant.Excrementa pauca sunt atq; cocta,præterquã si capita eorũ replẽatur,quod sępe eisdẽ accidit,à cibis odoratis,& vaporosis, ac similibus vinis,& aẽre calido,odorato,fœtido,aut vtcunq; vaporoso.Frigidam cerebri tẽperaturam agnosces,nã tactu minus calidum caput sentitur,& oculorum venæ sensum latent,& tota facies rubore caret, & somnolentiores sunt,nec tamẽ profundo detinetur somno.Excrementa ipsis plura sunt, neq; abũdè cocta,facilè lædũtur à causis frigidis,& earũ occasione distilationibus & catharris capiũtur.Capilli tardè oriũtur,tenues & plani, ab initio subpallidi,deinde aurei coloris,siue subruffi. Cerebri sicca tẽperatura sensus habẽt perspicaces,ob excrementorũ paucitatem.Quæ pauca per nares,aures,& palatum conspiciũtur,vigiliis sunt parati,capilli ipsis citò nascũtur crassi,crispi, & citò caluescũt. Humidã cerebri temperaturã sic agnosces. Facultas cogitatiua facilè rerũ imaginibus cõfunditur: dormiunt profundiori somno,atq; interim turbulẽta patiũtur insomnia: excrementorũ copia se ostendit,capilli plani sunt,& non fiunt calui.Quoniam verò calor coquit, ruborem efficit & oculorum agilitatẽ,ad caput trahit,vigiliam adducit, & capillorũ intẽsiorem calorem in facie,oculis,& capillis remissum:siccitas perspicuitatẽ sensuum, pilorum crispitudinẽ,citum ortum, atq; casum,& vigilias:humiditas somnos

Capillorũ colores & figura.

Cerebri calidi signa.

Cerebri frigidi signa.

Cerebri siccis signa.

Cerebri humidi signa.

lon

longos,mentis turbationes,siue cõfusiones,excrementorũ multitudinẽ,capillorum planitiem,& caluitium nõ admittit.Manifesta erũt indicia, quæ ostendent singulas intemperies cõpositas,vt calidam & siccam,calidã & humidam, frigidam & siccã,frigidam & humidam cerebri. Calida igitur ac sicca tẽperatura cerebri sensus habet alacres, quoniã & excrementis vacat, atq; ea de causa diutius vigilãt,& citò calui fiũt,capilli quidẽ citò nascũtur nigri, & crispi tactu tamen calidũ sentitur caput,& rubet facies vsq; ad ætatis vigorẽ.Calida & humida tẽperatura has habet notas,vbi modicè hę qualitates abundauerint,calidũ sentient caput,nõ mordente calore,venæ oculorũ, cõspicuæ, & facies rubra. Excremẽta pluta quã temperatis sed probè cocta,capita eorum facilè grauãtur ab his quæ calefaciunt,aut humectãt, aut vtrunq; faciunt, capilli recti sunt,& subflaui.Quòd si calor,simul cum humiditate valde creuerint,morbis obnoxij sunt, qui à plenitudine nascũtur,& causas habent caput implentes,vti fumosa omnia & calida,& ex ventis, auster, quibus salubris est boreas,in hac nostra regione.Dormiunt simul ac interim vigilant, & in somnia turbationis plena patiũtur,nec vigilantes adhuc,sensuum confusione carent. Valde tamen excedẽte calore, non tamẽ adeò crescente humiditate, signa caloris aucti se magis ostendẽt,sicuti magis crescente humiditate, signa humiditatis præpolebũt. Cerebri præterea frigi.& sicci signa mixta sunt,ex signis frigidi cerebri & signis sicci. Habebũt autẽ eam quam Gal.testatur, inæqualitatẽ sanitatis:nã quandoq; ob cruditates & ambientis frigiditatẽ grauedines & distilationes patiẽtur,ob paruas occasiones, quandoq; etiam nulla tali grauitate molestabũtur,quoniam siccitatẽ habent vincẽtem. Sensus omnes citò macrescũt, quoniã frigida & sicca tẽperatura senectuti similis est,capilli ægrè nascũtur,malè augẽtur,ruffi sunt,& citò canescũt: dominãte porrò frigiditate plusquam siccitate, non caluescunt: contra verò, plus dominãte siccitate,Cerebro verò frigidæ & humidę temperaturę existente,somnolenti sunt & graui somno capiuntur,& sensus minimè vigent, ob excrementorum redundantiam,& quandoque adeò magnam vt in grauedines incidant ac distillationes,hi non caluescunt.

Cerebri cali. & sic. tẽperatura.

Cerebri calida & humida tẽp.

Cerebri frigi. & sicci nota.

Cerebri frigi.& humi. nota.

Cordis temperaturæ.

COR calidissimum est omnium membrorum nostricorporis,quę verè talia sunt:neq; tamẽ ad præsens institutũ attinet differere,an id à sua natura habeat,vel à sanguine & spiritu:loquimur enim modò de tẽperatura cordis facultate vitali præditi, quod sanguinẽ & spiritum cõprehendit. Habet autem maioris & minoris satis notas differẽtias cordis caliditas,ac perinde cor calidũ dicimus,quò tẽperato & symmetro corde calidius,sicuti & frigidũ, q, eodẽ frigidius.Tẽperaturæ verò calidæ cordis notæ,potissimæ sunt quę ex pulsu & respiratione sumũtur:nã pulsus augetur in magnitudine,celeritate,& crebritate:sic etiã & respiratio:semper enim hæc ad portionẽ mutãtur,ex sola vsus mutatione.Quòd verò ad vitalẽ siue animosam cordis facultatẽ pertinet εὐθυμία, hoc est animi prõptitudo,& ad actiones facilitas,calorẽ ostendit:valde tamen crescente calore,iracũdia furiosa, & temeritas. Iracundiã verò Gal. appellauit ὀξυθυμίαν,quã ipse calorem significare vult.li.artis med.quẽadmodum & libro,Quòd animi mores corporis tẽperaturam sequãtur, vbi ex vehemẽti arteriarũ motione cognosci dicit μανικὴν καὶ ὀξύθυμον ἄνθρωπον.hoc est furibũdũ & iracundũ hominem,atq; id ex caloris cordis copia procedere testatur.etsi li.1. de Mor.pop.par.2.Com.19.dixerit,ὀξυθυμίαν, contrariã esse τῷ θυμοειδεῖ: quoniam θυμοειδεῖς animosi sunt ὀξύθυμοι verò iracũdi, ac si diceret, ad iram proni, quales sunt fœminæ & qui frigidã habẽt tẽperaturã,qui facilè in irã incidũt, siquidẽ pusillanimes sunt & virilis animi generositatẽ nõ habẽt. Animosi verò parua contẽnentes, non facilè in irã incidũt: in hoc itaq; loco εὐθυμία, ad irã promptitudo est,& frigiditatẽ significat,non caloré.Calidã tamen cordis temperaturam, vehemens iracũdia ac furiosa docet,sicuti & temeritas.Thorax eis hi-

Cordis calidi notæ.

ſpidus eſt,præſertim pectus,& partes quæ hypochõdriis proximæ ſunt,Magnitudo quoq; thoracis cordis calorẽ oſtendit: verũ quoniã magnitudo thoracis ſequitur magnitudinẽ vertebrarũ,& magnitudo vertebrarũ, magnitudinem ſpinalis medullæ, & hæc cerebri magnitudinẽ & robur, vbi thorax magnus fuerit, poterit id ad cerebrũ referri, etiã ſi cor calidũ non fuerit,verũ cerebro exiſtẽte paruo,thoracis latitudo calorẽ cordis ſequitur, quẽadmodum & paruitas,aut anguſtia,cerebro exiſtente magno ad cordis frigiditatẽ erit referenda.Cùm igitur thorax capiti ad portionẽ magnitudinis, & paruitatis reſpondebit,cordis tẽperaturas,aliũde aſſequemur. Cor præterea calidũ vniuerſum corpus calidũ reddit,niſi iecur validè obſtiterit.Licet enim cor ſuo calore,veluti à fonte manãte,totũ corpus ſibi ſimile facere poſsit,in natura lapſus,iecur tamẽ à quo ſanguis cordi trãsfunditur, & reliquis mẽbris, non parum cordis actionẽ ſupprimere valebit. Cor frigidũ per hæc agnoſces: pulſum enim habebit paruum,nõ tamen tardũ aut rarũ neceſſariò: ſequitur enim paruitas neceſſariò ad frigiditatem, quæ à temperato corde labitur, non tamen opus eſt ſtatim paruitati adiũgi tarditatẽ & raritatẽ,ſed vbi vſus valde fuerit diminutus:ſicuti neq; aucto vſu ſtatim præter magnitudinẽ,celeritatẽ & frequẽtiam ſequi opus eſt,quãuis vbi adfuerint,vt diximus,cordis calorẽ arguant. Reſpiratio verò ad portionẽ pulſibus reſpõdebit,ſi paruitas quoq; thoracis reſponderit,nã vbi thorax maior fuerit quã pro ratione frigiditatis,cũ paruitate adjungẽtur tarditas,& raritas,critq; totũ corpus frigidius,niſi iecur validè obſtat,timidi quoq; natura ſunt & ſegnes.Corde ſicco exiſtẽte pulſus ad duritiẽ inclinat,in irã nõ facilè incidũt, ſed eidẽ,cùm ferina ſit, pertinaciter hęrent. Redditur ea de cauſa totũ corpus ſiccũ,niſi iecur humiditate obſtat. Cordis humida temperatura pulſus habet molles,& mores quales pueri, ad irã proni: ſed vt facilè in irã incidũt,facilè quoq; ipſam deponũt. Erit aũt totum corpus humidius nõ obſiſtente iecore,Si tamẽ cor calidũ ſimul & ſiccũ fuerit, pulſus ſunt celeres, & crebri, & duri: magni verò, ſi calor magis ſiccitate creuerit, aut ſi æqualiter,neutrũ tamẽ,multũ.At verò ſiccitate ſuperante calorẽ,pulſus paruus fiet,ob duritiã. Ac ambabus pariter auctis,ſed adeò vt ſiccitas tam duram reddat arteriã,quantũ calor augere poteſt, pulſus magnitudinẽ, magnitudo immutata manebit. Quãdo tamẽ pulſus magnitudo ad portionẽ caloris nõ incręuit,magis adhuc creſcẽt celeritas & crebritas, vſus implendi gratia: Reſpirationes magnæ fiunt celeres,& crebrę, niſi ob paruitatẽ thoracis magnitudo deficiat.Horũ pectus & hypochõdria hirſuta ſunt valde, prõpti ad actiones impudẽtes,temerarij,iracundi,& implacabiles, furibũdi & indomiti, tyrãnicos & ferinos mores habẽt. Tẽperatura corporis totius, cordis tẽperaturã ſequitur,nõ obſtante iecore.Cor calidũ & humidũ, pulſus efficit molles: magnos,cereles autẽ & crebros, niſi ob mollitiem diſtẽſio magnitudine adeò impleat vſum,vt aliis nõ ſit opus.Thorace quoq; aucto ad cordis proportionẽ reſpiratio fiet magna celeris & crebra: hirſuti ſunt,& hircos redolẽt,& febribus,ac morbis à putredine ortis ſunt parati. Ad irã proni ſunt, ſed facilè placantur. De totius corporis tẽperatura quæ dicta ſunt, nunc quoq; repetenda.

Cordis frigidi note.

Cordis ſicca temperies.

Cordis calida & ſicca temp.

Cordis calidi & humidi note.

Cor frigidũ & ſiccũ pulſus efficit paruos,tardos, & raros,ac duros.Thorace autẽ cordis rationẽ ſeruãte,reſpiratio pulſibus reſpondebit,minore verò exiſtente,tarditas,& raritas accedẽt. In irã tardè incidũt, ſed eã diutius retinẽt, glabri ſunt præ omnibus. Corde exiſtẽte frigido & humido,pulſus erũt parui præterquã ſi molliores fuerint multo: tũc enim magnitudine fient aliquando moderati,ſed eò tardiores & rariores,quò à paruitate receſſerint.Glabri ſunt ſed minùs quã ſi frigidi & ſicci forẽt.Quoniã frigidi & ſicci, calorẽ nõ habẽt, quo fumũ generẽt,cutis quoq; duricies impedit pilorũ exitũ in frigidis tamẽ & humidis ſolus adeſt caloris defectus, ſed cutis parata in eis eſt ad pili ſuſceptionẽ.Præterea,& ſi Gal.cõtrariũ ſenſerit,hi in irã facilè incidũt, vti de fœminis& animo deiectis diximus,non tamẽ valida ira corripiũtur, neq; eandẽ reti

Cordis frig. & ſicci nota.

Cordis frig. & humidi nota.

tinẽt. Sed quæ de animi paſsionibus dicta ſunt, ad cordis tẽperaturas relata, vbi calidè ex natura ſua ſequẽtur, intelligẽda veniunt. Sunt enim plurimi, qui cum alias à præceptoribus & pędagogis probè inſtructi ſunt, ſuperatis propriis & nativis paſsionibus, quod æquum eſt, & honeſtum, amant, & proſequuntur.

Iecoris temperaturæ.

IECVR Calidum agnoſces ex venarum latitudine magna, venæ etenim ab ipſo oriuntur & quòd flaua bilis abundat, & ſanguis calidior eſt, atq; perinde vniuerſum corpus, niſi cor obſtiterit: éſtque venter eis hirſutus. Frigidi iecoris notæ, venarum anguſtia, pituita abundans, ſanguis frigidior, venter & hypochondria glabra, & vniuerſum corpus frigidum, niſi obſiſtat cor. Iecur ſiccum, ſanguinem generat craſſum non multum & venæ ſunt duriores & nihil obſtat quo minus totum corpus reddatur ſiccius. Iecur humidum venas efficit molles, ſanguinem plurimum, ſed aquoſum, & humidum totum corpus, ſi non obſiſtatur. Iecur calidum & ſiccum, ſanguinem generat craſsiorem & ſicciorem, bilem abundantem, in conſiſtendi quoque ætate melancholiam, temperaturæ enim calidæ & ſiccæ, vſtione generãt melancholiam, quæ manifeſtè oſtendit, procedente ætate. Quod autem ad corporis temperaturam ſpectat, totũ ſiccius reddetur: non enim poteſt humiditas cordis obſiſtere ſiccitati iecoris, ſed vt rectè Galen. dixit, caliditas cordis iecoris frigiditatem maximè valet attemperare, paulò minùs poteſt frigiditas cordis attemperare iecoris caliditatem, minus adhuc valet ſiccitas cordis attemperare humiditatem iecoris, minimè tamen poteſt cordis humiditas ſiccitatem iecoris corrigere. Iecur calidum & humidum, venas reddit latas, ſanguinem copioſum, & habitum calidum & humidum totius corporis, niſi cor obſiſtat. Quod ſi hæ qualitates modum valde exceſſerint, facilè corripientur morbis qui ab humorum putredine oriuntur: maximè verò ſi humiditas, magis caliditate ad portionem augeatur, & hi minus hiſpidi ſunt, quàm calidum & ſiccum iecur habentes: frigido & humido exiſtente iecore, ſanguis erit pituitoſus, & totum corpus tale reddet, niſi cor obſtiterit, & glabra erunt hypochondria. Iecore frigido & ſicco, paucus erit ſanguis, nec perinde melancholicus, venæ autem anguſtæ, & corpus totum frigidius, niſi cor obſiſterit, atque glabra erunt hypochondria. Ex his quæ dicta ſunt de cordis & iecoris temperaturis, illud difficile iunioribus medicis viſum eſt, quod nos cum Galen. diximus, cordis calorem, frigidi. & ſiccitatem poſſe impedire, quominus iecoris contrariæ qualitates valeant, in ſibi ſimilem ſtatum totum corpus deducere, non tamẽ cordis humiditatem impedire, ne à ſiccitate iecoris totum corpus ſicum efficiatur, quem admodum enim (inquiunt) frigiditas cordis, quæ parua eſt, magnam iecoris caliditatem moderatur, & in toto corpore mutationem ſupprimit, ita humiditas, & ſi minor ſiccitate cordis ſit, ſupprimet effectũ ſiccitatis iecoris.

Iecoris calid. nota.
Iecoris frig. nota.
Iecoris ſicci nota.
Iecoris humidi nota.
Iecoris cal. & ſicci nota.
Iecoris cal. & humidi nota.
Iecoris frig. & humidi nota.
Iecoris frig. & ſicci nota.

Præterea quemadmodum iecur eſt humiditatis fons & origo, ita cor caloris: ſed calorem cordis iecoris frigiditas moderatur, quamuis calore minor: igitur cordis humiditas iecoris moderabitur ſiccitatem, quamuis cordis humiditas propria ſiccitate ſit minor. Præterea falſum videtur, cor calidum reddere ſimile totum corpus, niſi iecur repugnet: nam frigiditas iecoris non poteſt remittere cordis calorem: ſiquidẽ calor iecoris ſani, quamuis frigidioris, plus ſuperat cordis frigiditatem, quàm frigiditas, cordis calorem: quoniam iecur quamuis frigidum, calidum eſt, ſic etiam & cor. Quapropter aſsiduè mutabit calor iecoris cordis frigiditatem, atque ipſam remittet: nunquam igitur mutabit iecur ſua frigiditate cor; aliâs fieret, vt idem cor à iecore, ſimul refrigeraretur, & incaleſceret, quod fieri nequit. Hæc quidẽ nullatenus aduerſus Galen. quodpiam conuincunt, vt conſtabit: decet tamen noſſe quibus modis membra noſtri corporis, ſibi inuicem obſiſtant, atque repugnent. Eſt enim quædam repugnantia membrorum in ſe ipſis, quędam in aliquod aliud exempla ſunt cor, & iecur: cor etenim calidum poteſt iecur frigidum calefacere,

Repugnantiarum modi.

valebit quoque calefacere musculum, à iecore infrigidatum, atque ecõuerso poterit iecur frigidum cor calidum infrigidare, aut musculum, à corde calefactum. Quæcunque verò prædictarum repugnantiarum, aut est positiua, aut priuatiua. Positiua vti si iecur frigidũ, cor calidum infrigidet, aut musculum à corde calefactum. Priuatiua tamen, veluti si iecur frigidum, impediat quominus cor incalescat, aut musculus à corde calido, calorem maiorem iusto recipiat: sed hæc repugnantia priuatiua per se dicitur, vbi per contrarias exercentur qualitates: per accidens verò, quoties per alias, vti si calore suo cor impediat, ne humiditas iecoris totũ corpus humectet. Fiunt quoq; huiuscemodi repugnantiæ transmisso quopiam substantiali instrumento, aut sine ipso: cor etenim cerebrum calefacit, transmisso sanguine, & vitali spiritu, & cerebrum partes proximas refrigerat sua temperatura, vti & cor proximas membranas, & caro neruum ac neruus carnem, sine transmissa substantia. Quòd igitur diximus cor calidum, aut frigidum totũ corpus tale reddere, nisi iecur obsistat, & iecur calidum, aut frigidum tale reddere corpus non obsistente corde, de repugnantiis intelligitur, quæ per se fiunt, non tamen in se sed in aliis. Per se quidem, quoniam per contrarias qualitates id fieri volumus, iecore calido repugnante cordi frigido, aut iecore frigido repugnante cordi calido: in aliis verò non in seipsis: quoniam de mutationibus, quæ ab his præcipuis membris in corporis habitũ fiunt, loquimur cum Gal. De hac tamen dicemus, iecur ac cor in calore & frigore repugnare posse circa corporis habitum mutãdum, atque etiã iecur posse humiditate impedire, ne siccitate sua, cor totũ corpus siccum reddat, & siccitate obsistere iecur, ne cor humiditate corpus totum humectet, in omnibus enim his qualitatum mutationibus, contrariæ valent repugnare abundè. Siccitati tamẽ iecoris, nulla ex corde procedẽs humiditas repugnare valet: est enim iecur humoris initium, tribuitque ipsum non tantùm partibus omnibus corporis, sed etiã cordi: quapropter si tollas de medio iecoris humorem, arescent partes omnes, & cordis humor eum deficiet, nedũ vt possit alias reparare, aut iecoris siccitati repugnare. Præterea si sanguis, aut paucus fuerit, aut is crassus, & siccus, nullatenus cordis vicem emendabitur, tum quoniã cor pariter arescet, tum quoniam natura sua mẽbris aliis & sanguini ariditatem infert, sanguine verò mediãte recreari & humefieri deberent reliquæ partes. Secus autẽ euenit calori iecoris, huic enim repugnare valet cordis frigiditas: quoniam & si hæc parua sit, caliditas tamen iecoris non est adeò valida, quin eidem repugnari possit, neq; primas obtinet, vti eiusdẽ humiditas. Cor quoq; frigidum non tribuens membris calorem debitum, valde refrigerare potest: nunquam tamẽ validè humectabit, qui neq; humectandi, neq; exsiccandi primas obtinet, licet enim magis exsiccet, quàm iecur, vbi secundum naturã habeat, ablatione tamen, siue priuatione eius quod tribuere debẽt iecur ad humectationem, exsiccatio sequitur omnium validissima, & cui nulla ex corde procedens humiditas repugnare valeat, neq; cordis siccitas eidẽ æquat. Accedit quoq; calor cordis exsiccans, qui humiditatis à corde procedentis actionẽ impediet, aliqua ex parte. Si verò de repugnantia mẽbrorum dictorũ in seipsis loquamur, hæc trifariam fit, aut minuens, aut æquans, aut in contrariũ deducens. De quibus dicemus, cor atq; iecur posse seinuicẽ mutare, mutatione quæ minuat intemperiẽ, aut ipsam ad temperamentum ducat, aut in contrarium lapsum, in calore & frigiditate, & siccitate cordis aduersus humiditatẽ iecoris, & humiditate procedente à iecore contra siccitatem cordis, non tamen econuerso, præterquã repugnantia minuente. Potest enim humiditas cordis siccitatem iecoris impedire, ne ad eam magnitudinẽ perueniat, ad quam perueniret non repugnante cordis humiditate, quod etiam circa alia mẽbra eisdem modo dicto, repugnantibus, fieri posse fatemur: valet enim cor humidum impedire ne siccitas iecoris, quantũ sibi natura debetur, mutet musculum, aut carnem, & si non valeat musculũ aut carnẽ quæ à iecoris siccitate arefaciunt,

Repugnantia quales de quibus agitur.

de

deducere ad temperamentũ, aut ad lapſum humidum. Rationes verò in contrariũ facilè ſoluuntur. Non enim eſt par ratio frigiditatis cordis & ſiccitatis, frigiditas enim & caliditas multo validiores vires repugnandi habent, quàm humiditas & ſiccitas. Præterea calor & frigiditas ſimplicibus alterationibus validè perficiuntur, quãuis quod incaleſcit aut refrigeratur, non ſibi apponat calidam aut frigidã ſubſtãtiam: verùm humectatio non ſit probè, niſi humida ſubſtantia, in humectandũ corpus tranſlata, quã cor transferendã non prębet. Præterea cùm cor validiſsimum ex ſua natura mittat membris calorem, cum ipſum non miſerit, manifeſtè valebit priuatiuè refrigerare, aduerſus calorem iecoris, qui ſummus non eſt, verũ humiditas iecoris ſumma eſt, earúmq; à precipuis procedunt mẽbris, & cordis munus non eſt adeò validè & ſiccare, vti calefacere. Verum eſt etiam quod in ſequenti additur ratione, frigiditatem iecoris repugnare caliditati cordis, quamuis minor ipſa ſit, neq; tamen inde colligitur, humiditatẽ cordis, quæ minor ſit ſiccitate iecoris poſſe eidem repugnare, ita vt impediat quominus ad ſiccitatem iecoris, totũ corpus ſicum reddatur, quoniã iecur natura ſua corde frigidius eſt, & ſanguinem calidũ cordi & membris mittit ſicuti & cor, vbi tamen ipſum non tranſmiſerit, ſed potius frigidum collatione ad cordis calorẽ, remiſſius ad modũ iecoris calor, multam refert frigiditatem, quare pugnabit validè, cor & reliqua infrigidans. Cordis igitur munus ac iecoris eſt calefacere, ac propterea iecur refrigerans muneri cordis obſiſtit. Non eſt autem cordis & iecoris exſiccare, ita vt corde non exſiccante, ſed humectãte, validè ſe oſtendat ipſius humectatio. Tantę igitur humiditatis inopiæ quanta à iecore poteſt oriri, cordis humiditas nunquam ſatiſ faciet. Quòd verò adduximus de frigido iecore, verum eſt, iecur vtcunq; frigidum calidũ eſſe, ſic etiã & cor ac ſequi calorẽ iecoris ſeparare, frigidi cordis, non tamen inde colliges iecoris calorem frigiditatẽ cordis mutare, & eidem iecur, quamuis frigidũ calorem inducere: non enim calefacit quod minùs calidum eſt, id quod magis, niſi fortè tranſmiſſa ſubſtantia quapiam calefactu, & inflãmatu facili, quã tamen non tranſmittet iecur iuſto frigidius: iecur tamen iuſto calidius, & ſi corde minùs calidũ ſit, ipſum calefaciet, tranſmiſſo ſanguine, iuſto calidiore, qui facilè admittet calorem cordis & ad maiorẽ ordinem calidorũ aſcendet, ſanguine tẽperato, præter id quod, vt diximus, nos de obſiſtentia in tertiũ loquimur, & de potẽtia mutãdi totũ corpus, aut repugnãdi, & obſiſtendi: valet autẽ iecur frigidũ cor infrigidare, ſiquidẽ cor iecore calidius, eam nõ fert frigi. quæ à iecore in ſanguine ſibi trãsfunditur abſq; mutatione.

Prima ratio ſoluitur.

Secũda ratio ſoluitur.

Tertia ratio ſoluitur.

Teſtium temperaturæ.

CALIDA Temperatura teſtium homines efficit ad venerem pronos, & qui maſculos generent, & fœcundi ſunt, partes genitales citò obſepiunt pilis, ad circunſtantes vſque: frigidæ verò temperaturæ contrarij ſunt effectus. Humida multum ſemen generat, & aquoſum, ſicca paucum & craſſum, ſi verò calida ſimul ac ſicca fuerit temperatura, fœcundiſsima erit, ac citò ad venerem excitabit, eritq; ſemen calidũ, craſſum, & ſiccũ. Petulci ſunt, ſed cito ſaciãtur, & coacti lædũtur, hiſpida habent genitalia & latè circũiacentia. Calida & humida teſtium temperatura, minus hyrſutos efficit homines, partibus pudendorum, ſemine multo abundãt, ac minus lædũtur calidis & ſiccis ex vſu veneris, à quo non facilè abſtinent: appetunt autẽ eiſdem minus. Frigidã & humidam habentes temperaturã teſtiũ, ſemen habent aquoſum, tenue, & infœcundum, & fœminas generant, tardè venerem appetunt, partes quoq; ad genitalia glabras habent. Frigidam & ſiccã habentes teſtium temperaturã, paucum habent ſemen, craſſum & minimè fœcundũ. Non ſunt quidẽ ad venerem proni, parũ appetunt, & coacti manifeſtè lædũtur, & glabras habent partes ad genitalia. Sed obiiceret fortè quiſpiã aduerſus hanc ſententiã. Ariſto. problem. 30. ſect. 4. dicentẽ, cur libidinoſi ſunt qui melancholici? An quia flatu redundant, ſemen autẽ flatus deciſio eſt. Ergo quibus id ipſum amplificatũ, hos repurgari appetere neceſſe eſt: ſic enim efficitur, vt leuentur. Quòd ſi melancholici libi-

Melancholicis libidinoſi qua ratione.

dinoſi

dinosi sunt, improbè dictũ est, frigidam & siccam temperaturã testiũ non esse ad venerẽ pronam. Hæc enim tẽperatura melancholicorũ est. At verò melancholici bifariam dicuntur, aut qui natura tales sunt, frigidã & siccam habẽtes temperaturã, aut qui tales vitione sunt effecti. Priores minimè proni sunt ad venerem, natura frigidi & quibus obtusi sunt veneris stimuli, tales etiam sunt de quibus diximus, testes habere frigidæ & siccæ temperaturę. Posteriores tamen calidã habent naturã, & flatus generant multos inter vrendos humores, quibus inest proritandi vis, & ad venerẽ stimulos adiiciẽdi. Hi verò sunt quos Arist. dixit libidinosos. Quales etiam sunt qui melancholiam hypochondriacam, siue flatuosam patiuntur, in quibus pariter humores in hypochondriis exuruntur, ac flatuosi fiunt, & proindè libidinosi, siue ad venerem proni, vti Galen. testatur. lib. 6. de Morb. pop. par. 2. commen. 12.

Ventriculi temperaturæ.

Ventriculi temperatura.

VENTRICVLVS Natura siccus facilè sitim incurrit, sed pauco potu contentus est, nam à plurimo grauatur, & fluctuat in eo potus: appetit tamen siccos cibos, ventriculus humidus non facilè sitit, sed potum abundantẽ facilè tolerat, & appetit cibos humidos. Calidus vẽtriculus, à natura meliùs coquit, quam appetat, siquidẽ coctio calore perficitur & fames frigore concitatur: coquit autẽ cibos duriores, & qui nõ adeò facilè coquãtur, nam coctu faciles corrumpit ac dissipat, accedũt tamẽ ructus nidorosi. Potibus ac cibis calidis delectatur, sed à frigidis moderatè exhibitis non læditur. Frigidæ tẽperaturæ ventriculus ex natura plurimũ appetit, sed parum coquere valet, acescunt autem in ipso cibi, nõ superati: maximè qui frigidæ naturæ sunt, & qui difficiliùs coquuntur, sequũtur autem acidi ructus. Gaudet frigidis, sed læditur ab eorũ immodico vsu, sicuti & calidus vsu immodico calidorũ, ac perinde neuter eorũ sibi similia, extrinsecus occurrẽtia diutius tolerat. Dispositiones porrò ventriculi, quæ morbi rationẽ habẽt, eo differũt, à naturalibus, quòd naturales similia appetũt, morbosæ verò cõtraria. Id verò quomodo intelligi debeat, 3. secti. docuimus: coniugatæ verò in tẽperaturæ ex cõiugatis deprehenduntur notis.

Pulmonis temperaturæ.

Pulmonis temperatura.

CALIDA Temperatura pulmonis respirationem facit magnam, lõgam autem expirationem: caliditas in thorace sentitur, sitim quoque concitat: facilè enim consentit os ventriculi pulmoni, ob loci propinquitatem, sed pulmonis calida signa præhabita docent, an ventriculi, an pulmonis ratione eueniat, & quoniam vbi sitis à ventriculo oritur, calor in hypochondrio sentitur, quibus accedet, quòd sitis, quæ oritur à pulmone, valde iuuatur ab inspiratione frigidi aëris, non tamen ea quæ oritur à ventriculo, & sitis quæ à ventriculo oritur, curatur aquæ frigidæ potu: ea tamẽ quæ oritur à pulmone, non. Quòd verò Galen. lib. Artis medi. dixit sitim à pulmone ortam potu frigidæ non statim cessare, non laudo: cùm enim fieri nequeat, nisi consentiente ventriculo, constat eius mutationẽ statim emendari potu frigidæ, quamuis deinde sit reditura dispositio ac sitis. Frigido tamẽ existente, respiratio minor erit, & aëre frigido læditur, & calido iuuabitur, & pituitam expuent. Siccam temperaturam pulmonis ostendent vocis claritas, & excrementorum paucitas, vti humiditatem vocis obscuritas, & excrementorum tussi excernendorũ copia.

De Ratione victus temperaturarum valde labentium. *Cap. VI.*

Temperaturarum labẽtium valde correctio

DOCVIMVS Ab initio huius secundæ partis cognoscere totius corporis optimã temperaturã, & eas quæ ab optima, intra sanitatis limites labuntur, non valde: instituimus quoq; generales methodos quibus seruari debet sanitas eorum corporũ quę tẽperata sunt, siue quæ à temperamẽto non labuntur manifestè, modò verò breui dicemus, quædam quæ manifestè labentibus debentur, quibus pręseruatio est accõmodata, atq; correctio per ocium. Calida itaq; intemperie lapsi, bilioси sunt, hanc verò purgabimus, qua via natura vergit, aut vomitu, aut fluxu ventris: cibis vtẽtur frigidis, qui tales fuerint, & vti Hipp. dixit: Calidis naturis quies refrigeratio,

aquæ

Digitized by Google

aquæ potio. Loco verò exercitationum deambulatione vtentur, frictione, ex oleo, & balneis frequentioribus: quidam etiã ex eis qui non facile a vino abstinent, albo & aquoso vtentur. Porrò si siccitatẽ habuerint adiunctã, adhuc magis à validis & celeribus exercitationibus abstinebunt, & humidis ac frigidis vtentur cibis, & aquæ potione: sed venus eisdem est inimica. Qui frigidiorem sortiuntur temperaturam calidioribus vtantur cibis, vini potu, cuius color sit flauus, aut quale est vinũ à sancto Torcatio, rufum, & exercitationibus celerioribus, quę calorẽ excitent, & si pituitam aceruauerint, hæc purgetur. Sicca autem tẽperatura frequẽtibus eget balneis, & quiete, & tota victus ratione humectãte, & somno longiori. Humidæ tẽperaturæ correctio cautè tractanda, si quidẽ vt parte prima docuimus, longissimã habent vitã, quæ naturali actione caloris in humidũ sequitur, quãuis accidẽtaria morte, sępius hi quàm tẽperati moriantur. Ac perinde cõmensurata, siue simmetra corpora securiùs degunt, & eorum tẽperatura eligibilior est reliquis, atq; ipsa calida & humida, de qua loco citato disseruimus. quamobrẽ cauere oportet ne humiditatẽ abundantẽ à pueritia in hisce humidis temperaturis, aut calidis simul & humidis absumamus, & eos ad senectutẽ celeriter pducamus, intermediis ætatibus breui trãsactis: qui enim à pueritia plus iusto humidi sunt, alias ætates habent lõgiores, & in eisdẽ optimè degunt. Quoniã verò qui tales sunt à pueritia, morbis ex redantia, vti catarrhis & febribus putridis facilè capiuntur, pręuidendũ his quę demere possint, redundantiam, ventris secessu, & vrina, atq; balneis aquarum sponte calidarũ, aut quę tales arte fiãt. Sint autẽ alimenta boni succi, & quibus immixta sit aliqua extenuãdi vis, veluti carnes elixæ cũ ciceribus, aut anetho, & vinũ aquosum aquę loco. Præterea bis in hebdomada ꝓ pientaculo accipiẽt panẽ cũ melle, aut idẽ hora prãdij prima mẽsa, aut ius carnis bibent, cũ saccharo, & paulò lõgioribus vtẽtur exercitatiõibus, ac frictionibus, & cruditates in eisdẽ maximè cauẽdæ sunt. Intẽperaturas aũt cõpositas cõposita quoq; victus ratione corrigemus. Ex his aut infœlicissima est frigida simul & sicca, quã conabimur calefacere & humectare, omni adhibita diligẽtia, ne fortè plus ęquo humectãtes cruditates aceruemus, & morbos ex putredine ortos inducamus. Cæterũ quãuis difficile & penè impossibile reputemus, siccã temperaturã solidorũ humectare, eã videlicet quæ facta est: hoc vnũ medici erit periti, vt siccam tẽperaturam, siue solã, siue cũ alia coniugatam, eo victu tueatur, vt pueri, sicci ad adolescentiã & iuuentutẽ perducti, tantã seruent humiditatẽ, quanta inest tẽperatis corporibus, per eandẽ adolescentiam & iuuentutem, aut paulò minorẽ, sic etenim fiet, vt non permutata tẽperatura, neq; corpore humidiore quàm antè reddito, in meliorẽ statum traducãtur. Id fiet alimẽtis quibus insit humectãdi vis, & potibus similibus, balneis aquæ dulcis, lõgo somno, & quiete, & omnino abstinentia ab accidentibus animi, vti ira, solicitudine, & mœrore,

Humida temperatura vitium.

Temperatura siccæ correctio.

De Corporibus neutris. Cap. VII.

DOCVIMVS In hac 2. operis parte, qua via, qua etiã ratione sana corpora seruari debeant. Morborũ tamen curationẽ distulimus ad partẽ tertiã. At verò cùm neutra corpora medica sint inter sana & ægra, antequã ad ægrorũ curationẽ perueniamus, iã finita de sanis corporibus tractatione, iure visum est hoc in loco de neutris corporibꝰ agere, quæ in duobus generibus sunt: quædã enim sunt neutra decidentiæ, quædam conualescẽtiæ. Neutrorũ sanè corporũ duo sunt signorũ genera, quẽadmodũ & ægrorũ, quædã sunt de genere eorũ quæ sunt secundũ naturam, sed ab ipsis euariant quantitate, aut qualitate, aut tẽpore, sed nõ adeò vt manifestã ostendant actionũ læsionẽ. Quædã toto genere prẽter naturã sunt, sed adhuc minora his quę morbos obstẽdunt. Primi generis exẽplũ est deiectio, quę vbi maior fuerit, aut minor solito, quantitate variat, vbi ruffior fuerit, qualitate: vbi verò ante tẽpus assuetum succedat, aut post ipsum, tẽpus variasse dicetur. Secundi exẽplũ est morsus oris ventriculi, aut intestinorũ, dũ quidpiã vomitur, aut fæx excernitur. Sunt enim hæc signa neutra quæ præsentẽ neutrã dispositionem ostẽdunt: sed sunt signa ęgra, quoniã morbũ præostẽdunt futurũ. Nam diuersa

De neutris corporibus.

Signa duorũ generum neutra.

quadã ratione signũ aliquod sanũ,ęgrũ,& neutrũ dicitur,veluti in cõualescẽtibus appetitus ciborũ vehemẽtior:is enim ostẽdit pręsentẽ neutrã dispositionem, & futurã sanitatẽ, & morbũ qui præcessit & abstumpsit corpus:defectus enim maior solito,excitat vehemẽtiorẽ appetitũ. Sic etiã sputũ quod excernitur ab his qui è morbo laterali cõualescunt:id enim significat morbũ qui præcessit,& futurã sanitatẽ,& neutrã dispositionẽ præsentẽ. Signorũ verò quæ in genere secundũ naturã sunt,quędã sumũtur ab excrementis,quędã à functionibus,quædam à corporis affectibus. Ab excremẽtis,si deiectio retineatur,aut copiosior iusto descẽdat,si mollior,aut durior,si nõ assueto tẽpore,aut si colore intẽsior,aut remissior,aut alio colore prædita,vti si alba,aut russa, aut viridis, aut nigra fuerit, sic & si vrina, cohibeatur, aut plus æquo profluat, aut colore mutetur,aut tẽpus non seruet assuetũ,sic & sudores qui sanis nõ admodũ,neq; tẽperatissimis euenire solebãt,vbi qualitate,quãtitate, aut tẽpore euariẽt:idẽ in menstruis purgationibus & hæmorrhodibus intelligendũ est, & in excrementis quę ex auribus,naribus,& ore purgari solent,& ructus, sternutamẽta, & flatus. Actiones etiã à naturalibus variãtes,vti mẽtis aliqua turbatio,somni imaginationibus pleni. Hebetudo in sensibus internis,aut externis,aut in eisdẽ cõturbatio,appetitus ciborũ remissus,aut intensus plus solito,aut ad cibos non cõsuetos cõuersus, aut tẽpus nõ seruãs. Ex affectibus corporis sunt, albidior, aut rubidior corporis color, aut aliàs mutatus, aut ipsius moles mutata, sicuti & facies extenuata, aut subtumida. Quædã etiã sunt signa toto genere præter naturã,vt dolor,aut morsus in excernendis excremẽtis vẽtris,aut vrinæ, hæc ad sensum tactus attinẽt,quẽadmodũ,si grauitas aliqua sentiatur,aut lassitudinis species,aut asperitas,aut durities,aut distẽtio,aut erosio,aut compressio,in sensu visus,si appareãt quędã ante oculos,quę omnino extra ipsum nõ existant nigra, aut pallida,& veluti muscæ,aut culices. In sensu odoratus, si odor aliquis ꝑpetuò sentiatur,qui nõ adest,aut odores omnes,quãuis diuersi vnius tantũ præbeãt speciẽ. In auditu, si sonitus, aut strepitus, aut sibilus sentiatur,intra organũ. In gustu,si sapor sentiatur in lingua dulcis, aut amar°,aut salsus,aut oblata omnia quorũuis saporum salsa,aut amara videantur, omnia etenim hæc,vbi remissa fuerint,neutrã dispositionẽ ostendunt:talẽ verò aucta morbũ docent,propterea ꝙ maiora,ex his maiorẽ ostendunt causam,& morbus:aut neutra dispositio causa est maiorũ aut minorũ accidentiũ. Terminus autẽ est sensibilis læsio actionũ. Est enim morbus cõstitutio corporis prẽter naturã,a qua actio primò vitiatur,effatu digno vitio intellige. Nihil autẽ refert, dixisse,constitutionẽ, aut affectũ præter naturã,aut incõmensurationem, aut ametriã,aut à debito modo recessum. Sanitas nãq; symmetria quædã est, siue bona cõmensuratio,& morbus ametria,aut incõmensuratio,cùm aũt incommẽsuratio morbus sit in habitu,qui manifestè lædit actiones,& id fieri nõ possit,nisi incõmensuratio ad facultatẽ cuius actiones lædũtur,cõferatur,bifariã dicemus morbũ esse ad aliquid:tũ quia in ꝓportione quadã cõsistit,vt sanitas, tum ꝙa proportio habitus est alia ratione,qui vt morbus dicatur,ad facultatẽ conferri debet, cuius actiones manifestè lædere possit, vt docet Gal. erit itaq; morbi terminus,actionũ sensibilis læsio,nõ ea quã intellectus posset assequi:foret enim(vt Gal. inquit)dogma perpetuę possibilitatis,éstq; logica cõsideratio quã sequitur Arist.& Plato in Alcibiade.2.cũ dixit,inter sanitatẽ & morbum non esse mediũ:neutra verò corpora quę ex morbis cõualescunt,ob sanguinis & spirituũ inopiã,& mẽbrorum siccitatẽ,senibus cõferuntur,atq; victus ratio eisdẽ cõmunis est,ex cibis humidis,qui facilè coquũtur,& bonũ succũ pręstãt, & calidũ atq; humidũ:nã ob inopiã sunt refrigerati. Sõnus ẽt longior eis cõuenit,atq; quies,& potus vim rusi,aut subflaui, modicè diluti, vnius aut duorum annorũ,quale vinũ est,ayepes aut lilio,aut S. Torcatio,nõ adulteratũ,neq; insigni qualitate prędituũ,& frictiões mediocres,& balnea,& breues exercitationes,& in vehiculis duci,& deãbulationes aut si lõgius ꝓgrediatur,in asello sedẽtes. Cũ verò hac victus ratione seruata,validiores fuerint,quod ex functionũ sanitate,& robore deprehendemus, eosdem sensim ad assueta reducemus,

Signa neutra toto genere præter naturam.

Morbus ad aliquid bifariam.

Cõualescentium vitium.

CRYST

CHRISTOPHORI A VEGA COMPLVTENSIS, IN LIBRVM TERTIVM DE ARTE MEDENDI PRAEFATIO.

Ad Carolum Hiſpaniarum Principem maximum.

TRADIDIMVS *In prima huius operis parte hominis generationem & conſtitutionem, eius quoque functiones retulimus, tam naturales, quibus in vita ſeruamur, quàm morales, quibus ad fœlicitatem poſtremúmq; bonorum finem contendimus. Quibus tamen viuendi rationibus ſanitatem ſeruare, ac morbos declinare valeant mortales, in ſecunda parte abundè percurrimus. Cæterùm id quod ab initio inſtituimus peragere volentes, tertiam partem quæ de morborum curatione inſcribitur, aggrediemur, quam non niſi exercitatis in prima & ſecunda legendam volumus, ne à debito diſcendi tramite aberrent. Nouimus ſanè non paucos medicinam exercentes, quique apud vulgus imperitum in precio habentur, quibus cùm magnopere diſpliceret longo ſtudio, aſſiduis vigiliis, ac indefeſſo labore, dialectica inſtitutores, & philoſophiæ præceptores frequentare, breuiorem ſibi viam eligentes, arriſit magis empiricorum quorundam libros legere (& neque diligenter, nec accuratè) deinde in magnis ciuitatibus, apud imperitos homines ſapientiſſimos quoſque laceſſere, & prouocare, de ſingulis ſibi propoſitis quæſtionibus blaterantes, tertia quoque oratione, Hippo. & Galen. in teſtes adducentes, quorum libros neque legerunt, nec ſi legiſſent quidem, ab eis frugẽ aliquam reportaſſent, tam ſunt, & linguarum expertes, & bonarum diſciplinarũ, indocti. Hos reperimus magno precio & honore habitos, apud viros alioqui non modò illuſtres genere, ſed & animo præſtantiſſimos: quorum virtutem & ſapientiam horum pſeudomedicorum noſtri ſeculi induſtria, ſuperare valuit. Non eſt hercule quòd mirer, ſed eſt quod publica oratione, nunc quidem in gymnaſio, & theatro, nunc verò in regia aula, eoſdem publicè reprehendam, & propriis nominibus appellem, (ſed præſtat modò componere verba) quorum impudentiam, vti carnificum, & ſicariorum, flagellis, ſi mihi res commiſſa foret, punirem. Concederem profectò libenter eiſdem, vt diuitum theſauros impoſturis effoderent: & ignorantium animos verbo ſuſpenderent, niſi de hominum ſalute ageretur, & ſapientiſſimorum medicorum dignitate, quos nunc ſcholaſticos, nunc ſophiſtas appellant, nihil non machinantes ad virtutem & ſapientiam expugnandam, & diuitum pecuniam hauriendam. Horum quoſdam videbis non tantùm agrotos curandos ſuſcipere, quorum morbos neque agnoſcunt, nec viam agnoſcendi habent, ſed libros*

de morbis cũrandis scribere, alios antiquorum dogmata enarranda suscipere, alios quæstiones sibi proponere & suo modo soluere, non sine probatissimorum contumelia, superante loquacitate disserendi vim, modestiam impudentia, experimentum temeritate, nullã antiquorum lectione, minimè verò præceptorum obseruantia, per librorum indices, singulis dicendis sententias coaptantes etsi nihil ad institutũ pertineant, neq; quod ipsi volunt affirment, satis sibi fore putantes, si eius de quo loqui placet, autor eo loco memineris, siue idem, siue contrarium velis, tanta est eorum arrogantia in scribendis libris: in quibus antiquorum placita contemnunt omnes tam præceptores quàm prædecessores in tenebris halucinatos fuisse proclamantes, ridicula dixisse, & vana scripsisse. Apud quos præter turpia verba, quibus totas implent paginas, nihil est quod species, nisi velis aliquas Cal. sententias de proposita quæstione aceruatas legere, nullo ordine, nullo vsu, quas satius foret ab indicibus desumere. Quantum etiam aberrent à recto curandi tramite, tam in medendi methodo, quàm in componendis medicamentis, notum euadet legentibus eorũ libros in quibus citra delectum innumera ferè medicamenta componunt, & singula ex multis aliis, in id tantùm, vt puto, contendentes, vt medicamentorum copiam parare videantur, etiã si non ex arte parentur. Prætermitto modò dicere quàm sint in consultationibus inertes, inueniendi morborũ naturas, quantum etiam aut contemnant, aut calumnientur prædicendi artem, quam neq; à limine (vt aiunt) salutarunt. Nos verò: quibus semper fuit in animo artem propagare, & eiusdem studiosis summopere prodesse, morborum & symptomatum conuiuues differentias & causas imprimis scribere decreuimus, his verò adiungere generales indicationes, à quibus ad singulorum morborum cognitionem peruenire facilè valebimus. Trademus deinde vniuersalem medendi rationem, qua prahabita non erit ab re ad morborum curationem accedere. Proponemus præterea quàm plurima remedia generalia, quædam etiam singularia, atq; ex his quædam simplicia, quædã composita: omnia quidem ratione & experimento inuenta, methodo verò composita, & triginta annorum spatio à nobis comprobata. Sed sunt etiã hæc eadem apud Hispanos paratu facilia: siquidem simplicia, aut abundè gignit Hispania, aut per mercatores eorũdem suppetit copia. Nec tamen placuit ex his magnã copiam aceruare, sed meliora tantùm, selectiora probatiora, & paratu faciliora commendare: nam plura his nihil præter cõfusionem ipsis adhuc in arte exercitatis parere possent. Sed priusquàm rem ipsam aggrediamur, placet quorundã accusationem absoluere. Sũt etenim quidã impiè nos calumniantes, quòd multis in locis antiquorũ placita referamus, in aliis proficua medicamenta, nulla facta autoris mentione. Quibus respondere volumus, nos sapissimè autorum nomina citasse: quorũ verba fideliter transcripsimus, nonunquã verò nomina subticuisse, aut quoniam res ipsa adeò nota videbatur, vt nullo egeret testimonio, aut quòniam eãdem demonstratione firmauimus, aut experimento ostendimus, præsentibus non paucis, qui nostrã scholam interim frequentabant, & nobiscum ægrotos visitabant, quorum est in Hispania magnus numerus, sed de his satis, nam maleuolentium æmulationem (vt ex Ciceronẽ accepimus) non aliter declinare possumus, quàm non scribendo: neque enim est liber (vt inquit Plato) qui possit effugere calumniam.

CHRIST

CHRISTOPHORI A VEGA COMPLVTENS. DE ARTE MEDENDI LIBER TERTIVS.

Ad Carolum Hiſpaniarum Principem maximum.

DE MORBORVM, CAVSARVM, ET SYMPTOMATVM GENERIBVS, PARS PRIMA.

De morborum generibus. Cap. I.

ETSI Medicorum omnium conſenſu, Carole Princeps optime, pars artis quæ docet ſanitatem tueri, dignior ſit ea, quæ morborum curationẽ inſtituit: hanc tamen omnes magis amant, quæ eoſdem frequentiùs à periculo liberat, quum in adagium receperint, ſanis omnia ſana, & ſanitas minimo precio habeatur dum poſsidetur: eis verò qui ſanitate priuantur, nihil diuinius, aut amabilius, aut magis ea eſt expoſtulatum. Etenim ſani neque ſe vnquam ægrotare poſſe conſiderant, neque id audire amant, ac perinde medicinam & medicum interim paruipendent, & eiuſdem præcepta aſpernantur: cùm verò ægrotant eundem venerantur: colunt, & ſermonum blandimentis adulantur, eſt igitur meritò hæc artis pars diligentiſsimè nobis elaboranda, quæ præter id quòd ad humanam ſalutem reparandam eſt apprimè neceſſaria, ob eius præſentanea remedia artificem ad magnos honores & dignitates euehit. Hæc ſanè pars, θεραπευτικὴ, id eſt, factiua, appellata eſt: quoniam ſanitatem efficit, vel, vt rectiùs dixerim, labantem reparat, & ſanitatem pro morbo commutat, curatione morborum. Nequeunt tamen curari morbi, niſi cognoſcantur, cognoſcuntur autem ex accidentibus, atque aliis: de eis igitur agendum prius erit. Præterea cùm morbi cauſas habeant, quas auferre ſit neceſſarium, ad eorundem curationem, de cauſis quoque habendus eſt ſermo, quem morborum curatio ſequetur. Ac perinde cùm hac parte artis factiua, diagnoſticam miſcere cogemur, vt noſter docendi ordo euidentior fiat, & legentibus ad vſum & exercitationem artis accommodatior. Generaliora tamen primo loco trademus, morborum cauſarum & accidentium, deinde generalẽ medendi methodum, deinde ſingulis morbis, ſingulas cauſas & ſibi peculiares, cum propriis & familiaribus accidẽtibus coaptabimus, adiunctis eorundẽ curandi rationibus: ſic ſanè tertiã operis partem abſoluemus, quæ de his quæ præter naturã nobis inſunt, inſcribenda eſt. Sunt autem præter naturã, hoc eſt contra naturã, idem enim hoc loco ſignificat præter, quod contra, morbus, cauſa morbi, accidens

morbi. Morbus autem est affectus, seu constitutio præter naturam, viuentis corporis, à qua actiones primò vitiantur. Constitutio autem præter naturam, ametria quædam est, siue incommensuratio, siue à debito modo recessus, in quadam imporportione consistens, quæ ad aliquid est. Et quamuis intelligam non admodum medico necessarium esse, exactè nosse, an morbus & sanitas in prædicamento qualitatis, aut ad aliquid collocari debeant, vbi non ignoret sanitatem symmetriam quadam esse, à qua actiones perficiuntur, morbum verò ametriam cuius gratia lætæ proueniunt actiones, hanc quoque contrarietate curari, nihilominus ad quorundam animos sedandos, quę in aliis locis docuimus in præsentiarum suadere conabimur, nempe sanitatem ac morbum in prædicamento ad aliquid collocari debere. Si namque constitutionem quę genus est in morbi definitione totam ipsius amplitudinem comprehendens, non ad aliquid, sed in qualitatis prædicamento colloces, dices quoque morbum consistentem in qualitate esse qualitatem, veluti eum qui consistit in caliditate esse caliditatem, atque febrem esse calorem. Quòd si morbus in caliditate aucta consistens est ipsa caliditas, morbus in quantitate aucta, erit ipsa quantitas. At verò quantitas non est qualitas, morbus igitur in quantitate aucta non erit morbus: quod nemo fatebitur. Quamobrem recte nos in commentariis lib. de Diffe. feb. & in præfatione libri de Vrinis, morbum in prædicamento ad aliquid collocauimus, atque ametriam esse diximus, quod etiam multis Galen. sententiis comprobauimus. Quibus in locis Galen. sententiis adductis constat ipsum, sanitatem appellare in simplicibus, elemẽtorum symmetria, morbũ autem ametriã, improportionẽ, & à debito modo recessum, præsertim lib. De dif. morborum ad initiũ. Quòd si morbus calidus, vt volũt contrarium sentientes, est calor in habitu, aut dispositione, hoc est parũ fixus, aut valde fixus calor, erit ametria aut improportio, aut à debito modo recessus: cũ ergo calor in genere morborũ sit, & morbus sit recessus à debito modo, & improportio, rectè quis in generis formali prædicatione diceret, calor est improportio, calor est recessus à debito modo, quod est absurdum. Galen. namque morbum appellat caloris frigid. hum. & sicci. declinationem, à debito modo, non ipsum calo. frigid. humi. & sicci. Diximus autem ab hac aut ametria, aut præter naturam constitutione, actionem primò vitiari, hoc est, per se vitiari, atque immediatè. Quod verò morbum efficere valet, causa morbi dicetur, sed morbus nullo intermedio perpetuò vitiat actionem, causa quandoque immediatè, quandoque intermedio morbo. Accidentia verò siue symptomata sunt quæ morbos sequuntur, aut morbificas causas: sunt etenim effectus eorum quæ sunt præter naturam, nempe morbi, & causę: non sunt autem morbi. Sequuntur quoque nonnunquam alia symptomata, ac perinde sunt effectus præter naturam, qui morbi non sunt, nec causæ morborum. Veluti si humor calidus iecur occupans ipsum distemperauerit, & iecur ob distemperiem sanguinem nequeat perficere: erit etenim distemperies morbus, quæ nullo interueniente vitiat sanguinis generationem, humor calidus causa morbi, quæ morbo medio actionem vitiat, & actio ipsa vitiata accidens morbi est. Quamuis sæpe fiat vt idem & morbus & causa morbi sit, & morbus morbi accidens, vt febris quæ sequitur partis cuiuspiam passionem. Nec tamen putare oportet, vt suprà diximus, omne id quod per se actionem vitiat, & causa morbi non est, morbum esse, nisi sensibile sequatur vitium: sunt etenim quædam corporis constitutiones non omnino secundum naturam, nec perinde morbosæ, vt parum labentes, ac neutræ. Porrò quemadmodum morbus ametriam & constitutionem præter naturam ostendit, sic sanitas symmetriam & bonam corporis constitutionem. Quemadmodum etiam morbus per se actionem vitiat, ita sanitas per se ac immediatè actionem perficit, aut perficere valet: symmetria namque iecoris, sanguinis perficit generationem, aut est quidem prima ratio & immediata perficiendi actionem. Symmetria siquidem meatuum iecoris,

An morbus sit ad aliquid.

Vitiare actionẽ quid.

sani

ſanitas iecoris eſt,quæ ad formationem ſpectat: verùm hæc non perficit ſanguinis diſtributionem,actione aliqua, quoniam non habet vires agendi, ſed eſt immediata cauſa probæ diſtributionis ſanguinis, id eſt, ob quam ſanguis probè diſtribuitur.Bonus quoque articulorum ſitus, ſiue proportio ſit,ſiue habitus,ſanitas eſt,nullam tamen edit actionem.Ac perinde Galen.lib.de Diffe. ſymptom.cap. primo, breuem hanc ſtatuit morbi definitionem. Morbus eſt affectus præter naturam impediẽs actionem.& paulò inferiùs inquit: Morbus eſt affectus corporis actionem aliquam impediens primò: non igitur, vt quidam ignari putãt,morbus actiones malas efficit,ſed bonas impedit, ſic & moderata linguæ quantitas,ſanitas eſt linguæ,quę loquelam probè perficit,nullo intermedio, quamuis nullam habeat vim agendi quantitas,ſiue bonus linguę habitus in quãtitate conſiſtens,ſedes & immediata ratio,ob quam probè functiones eduntur. Pari modo morbus immediata cauſa eſt læſionis actionum, quamuis non efficiat ipſas malas actiones.Quòd verò alimentain ventriculo corrumpantur,aliquando ad morbificas cauſas referri debet,vt ad bilis abundantiam,aut ciborum naturam:aliquando verò ad calorem ventriculiacrem & morboſum, qui coctionem vitiat, intemperantiæ ratione. Actiones itaque vitiat morbus,non quidem, quoniam malas edat actiones, ſed quòd ſit immediata cauſa lædendi, veluti lingua iuſto maior, ſiue ob malam proportionem, ſiue ob malum habitum,morbus eſt loquelam vitians: Verùm habitus ille,aut mala proportio,aut magnitudo,nullam vim habent agendi.Siue igitur ſanitatem habitum,aut diſpoſitionem dixeris,ſiue ſymmetriam, ac bonam proportionem,nũquam concedes à ſanitate actiones procedere,ſed ab anima,& ſuis facultatibus,quæ inſtrumentis vtuntur: ſymmetria itaque ſiue bona elementorum proportio, ex eorũdem collatione oritur,& ſingularum partium ſymmętria,ſiue bona proportio,oritur ex eorumdem collatione,in magnitudine, numero,ſitu,& formatione partium earum,hęc verò in prædicamento ad aliquid eſt.Concedunt ſanè nobiſcum veritatis contradictores, vt audio,ſanitatem ſymmetriam eſſe,& morbum ametriam: negant tamen eſſe relationem, quoniam Ariſto. ſanitatem & morbum in prædicamento qualitatis locauit, habitum aut diſpoſitionem eſſe dicens.Rurſus Gal. lib.de Differen.morb.(inquiunt)de primis morbis loquens dixit: Erunt continuò primæ ægritudines quatuor:prima calor,ſecũda frigus,tertia humor,quarta,ſiccitas: igitur morbi hi qualitates ſunt,non ad aliquid:quibus ſi reſpondemus Gal. eo loco morbos per cauſas diſtinxiſſe,rurſus addunt,calorem, frigus, & reliquas qualitates non poſſe ab ametria & inconcinnitate ſeparari, cauſas tamen eſſe poſſe ſine effectibus, ac perinde non erunt hæ qualitates morborum cauſæ: ſed ipſi morbi.Præterea morbus per ſe lædit actiones, relatio verò non lædit per ſe, quia non habet vires agendi. Præterea ſi ventriculus valde calidus cibos vrat, nemo dicet relaxationem vſiſſe cibos, ſed calorem: hæc igitur coctio, læſa actio eſt immediatè à calore procedens, tanquam à morbo. Præterea illa Galen. diuiſio non eſſet bona, qua diuiſit febrem, per materias in quibus calor præter naturam continetur: tanquam à ſubiecto ſumptis differentiis: nam humores membra,& ſpiritus, non ſubiiciuntur ametriæ. Præterea, nunquam medicus poſſet vti vera curatione, nam curatio fit abiectis contrariis morbo:relationi vero nihil contrariatur. Præterea aut immoderatio eſt ſola moderationis,& proportionis priuatio, aut eſt mala proportio, non primum: eſſet enim morbus ſola priuatio,non ſecundum:nam eſſetilla mala proportio tripla, aut quadrupla. Exempli gratia, modo ponamus in tripla proportione caloris ad frig. conſiſtere febrem,augeatur autem calor,& fiat proportio quadrupla, ſequitur quod morbus fiet alterius ſpeciei: ſiquidem proportiones omnes ſpecie differunt.Cùm autem morbi intenſione generentur, nunquam in eandem manebunt ſpecie: relationes autem non poſſunt dici ſecundum magis & minus,quãuis morbus maior, aut minor dicatur.Præterea ſi relatio

morbus

morbus est,de aliquo dicetur &ad aliud,ígitur in digiti defectu,quod erit fundamentum,& ad quod referetur,& in calido morbo ametria siue relatio,si in calore fundatur,ad quid referetur? Has rationes facilè soluemus, vt deinde firma maneat nostra assertio, eo ordine seruato quo easdem retulimus. Ad Arist.dicimus hanc eandem relationē,habitum esse voluisse alia ratione qua videlicet affectus est:aut intellexit per calidos morbos calorē, per frigidos frigiditatem,& sic de reliquis: cùm autem contingat has qualitates quandoque in dispositione, esse,quia facilè mouentur,quandoque in habitu,quia difficilè separētur,morbum affirmauit habitum,aut dispositionem. Quod quidem neque id de omnibus morbis verum esse possit, constat: quoniam deprauata figura, esset reponenda in quarta specie qualitatis, non in prima, quæ est habitus,aut dispositio,aut forent harum formales rationes confundendæ. Curuitas etenim ossis, cui rectitudo inesse deberet, morbus est in quarta specie qualitatis,non in prima. Quòd si morbum in augmento caloris, caliditatem dicis,morbum in augmento quantitatis dices quātitatem auctam,non tamen statues auctam quantitatem in prædicamento qualitatis. Si dixeris formale morbi in quantitate non esse quantitatem, formale morbi in caliditate non erit caliditas,nec febris erit color. Ad aliud, Galen.libr.de Differ. morb. voluit calorem frigidi.& reliquas qualitates esse materiale morborum, non formale:id enim ametria est:materiale verò morbi est relationis fundamentum, & causa continens in morbis qui fiunt ex additione, quales sunt omnes ad qualitates actiuas attinentes, causam autem continentem separari posse à morbo,nunquam Galen. existimauit.Relatio verò non habet facultatem agendi, est tamen prima, & immediata causa, ob quam actiones læsæ proueniunt:calor enim cerebri hominem delirare facit, non tamen efficit imaginationes læsas:siquidem omnis imaginatio sicuti & omnis animalis actio,aut perfecta aut læsa,ab anima procedit, non à morbo, morbus tamen causa immediata,ac prima, læsionis imaginationis est, ob quam læsa imaginatio procedit:hæc autem est ametria,& inconcinnitas primorum elemētorum. Obiiciet tamen aliquis,non omnem actionem ab anima procedere probans: nam Galen.libro secundo, de Causis symptomatum, conuulsionem & palpitationem ab aliis motibus deprauatis veluti tussi, sternutatione,ructu,tremore, & rigore separat,quòd prędicti duo motus,solius morbi sunt,reliqui naturę,sed à causa præter naturam irritatæ, sequitur inde conuulsionem, & palpitationem non fieri à facultate. Nos sanè planè defendemus nostram assertionem, etiam si non omnes actiones à facultate proueniāt, satis enim fuerit,si vna vel altera actio læsa à facultate procedat:lædetur etenim illa à morbo: non quoniam à morbo fit,aut ipse facultatem agendi habet, sed quoniam cùm fit à facultate,à morbo vitiatur,hoc est,morbus est præcipua & immediata causa læsionis ipsius, siue ob quam læsa procedit. Cæterùm nos non volumus omnem motum corpori euenientem, ab anima procedere, nam si erecto corpore sanguis immodicus ad pedes decumbat, motus ille sanguinis est, nec tamen dicerem ab anima fieri sanguinis motum illum: sic etiam vbi corpus sua grauitate deorsum descendat, neque id ad animam referemus, sicuti neque contractionem musculorum, ab humore, aut flatu eosdem distendente,neque palpitationem,quæ ab incluso fit flatu. Dixerim tamen omnem animalis actionem, quæ viuentis & animati corporis sit propria, ab anima procedere.Neque etiam satis propriè dicitur, priuatio, actionis aut palpitatio læsa actio,quæ nullius facultatis est actio,& cōuulsionem per quam membrum ita contractum est,vt iam non amplius contrahatur, quis actionem aut motum propriè appellandum esse dicet? In conuulsione enim per quam iam membrum contractum est ab inflammatione, nullus est motus, sed priuatio, qualis mortuis euenire potest,sicuti & palpitatio. Nostra tamen assertio vera manet qua diximus omnem actionem quæ viuēti corpori, vt viuens, debetur,

ab

ab anima procedere, vti ab agẽte præcipuo. In vẽtriculo verò alimenta à calore corrũpuntur, nõ quoniam calor, sed quoniã animæ improportionatus: improportio igitur immediatior causa corruptionis ciborum est. Gal. tamen diuisio febrium quæ sumitur à materia, est caloris in subiecta, & causas, non per essentiam morbi, qui calor materialiter est: nam is vnius speciei est, in humore, membro & spiritu: febres tamen specie diuersæ, cùm tamẽ calor qui in humore & spiritu figitur: morbus non sit, ita neque relationem ibidem esse par est. Distemperies tamen calida membrorum fiens aut facta, improportio est elementorum inter se, & ad animam, quæ est agendi principium. Curationem tamen omnem contrariis aut oppositis exercemus: nam improportioni, & inconcinnitati adiicimus proportionem & commensurationem, commensuratio tamen incõmensurationi opposita est, vt ametria symmetriç & similitudo dissimilitudini, & æqualitas inæqualitati. Improportioni namque per caloris excessum, opponimus proportionem caloris: eam autem assequemur ex regulis medicinæ adactis frigidis. Nam à contrariam opinionem defendentibus petam, in morbis in obstructione meatuum, si morbus malus habitus est, quem alium huic contrarium adiiciũt ad curationem medici? Nullum sanè, sed deobstruentia medicamenta, quæ habitum cõtrarium inducere valebunt, dicere tenentur. Dicemus quoque morbum improportionem esse & relationem, & elementa per morbos in temperatura duas habere improportiones, alteram inter se, quam Gal. morbum appellat, & ametriam calidi, frigidi, humidi, & sicci. Quoniam verò hæc lædere potest actiones, morbus est, non quia tripla, aut quadrupla. Seruata igitur hac communi ratione, seruabitur morbi genus, etsi mutetur proportio, species tamen morborum à fundamẽto & subiecto desumuntur, & ab ipso materiali morbi: calor enim quartanæ & tertianæ eiusdem sunt speciei, & differẽtiam habent specificam à subiecto, sic etiam si caloris ad frigiditatem esset quadrupla proportio in aliqua febre, & similis prõportio esset vnius digiti manus ad alterum sibi proximum, proportiones forent vnius speciei, sed morbi diuersi generis: nam alter ad temperaturam, alter ad compositionem pertinet. Ita quoq; quamuis vnaquæque harum proportionum in maiorem trãseat, & genus mutet, morbus in eodem genere manet fundamenti ratione, & subiecti primi: nam & habitus calidus iecoris & habitus calidus cerebri eiusdem speciei esse non negabũt, morbi tamen sunt specie diuersi, sic etiam licebit nobis relationes diuersæ speciei, asserere morbos eiusdem speciei, & aliunde quàm ex specie habitus, aut relationis, morborum species desumere, quãuis inconcinnitas ipsa augeri & minui possit intra speciem. Esse namque aliquas relationes quæ intensionem suscipiant, non est quod negemus, teste Aristo. in prædicamento ad aliquid: simile inquam esse magis simile, & æquale magis æquale, & minùs æquale, ac perinde similitudo, maior altera: morbus tamen intenditur, quia fundamentum fit maius. Et quamuis Gal. qui de animę essentia nihil explicuit, omnes actiones ad tẽperamenta referat, nos potiùs has omnes improportiones ad vires animæ à quibus actiones procedent, referemus, ita vt in primis elementis morbum esse dicamus: quoniam sunt hæc ad animã improportionata. Si enim puer æqualem manum cum iuuene haberet, quamuis digiti & tota manus forent bene commensurati, ille morbus esset, ob improportionem, & incommensurationem ad animam, & eius vires, sicuti si totus ipse puer quantus adultus & iuuenis foret, ægrotaret ob incommensurationẽ corporis ad animæ vires. Hæc enim cõmẽsuratio nulla rationalis proportio est: neque enim forma ignis ad instrumenta quibus vtitur talem aliquam habet proportionem. Præterea has proportiones animæ ad instrumenta, nõ oportet tales statuere quales sunt rationales, & proportiones numerorum, de quibus sunt dupla & tripla, sed irrationales, & quæ augeri possunt intra speciem. Nam & relatio partium hominis, & ipsius concinnitas, augeri potest, & minui, vt similitudo, aut si hæc negaue-

ris, ſpecies morborum à fundamentis deſumi non negabis, vt probaui: ac perinde parum refert ſiue ipſam augeri poſſe concedas, ſiue id neges. Præterea verò dicemus cum Galen. elementorum ſymmetriam eſſe ſimplicium ſanitatem, eorum ametriam morbum, ſymmetria quoque in magnitudine, figura, ſitu, & formatione, ſanitatem organicorum, vnitatem partium, & earum concinnitatem, ſiue totius ad partes relationem, ſanitatem communem, contrariam morbum. Morbus tamen qui ametria per calorem eſt, in calore fundatur, & ad frigiditatem refertur, cum qua iniquam habet commenſurationem, & relatio quæ in magnitudine aucta manus aut pedis fundatur, ad brachium, aut crus refertur, & in eis terminum habet, & lingua iuſto maior, ad os confertur, aut etiam ad vires mouentes, vt diximus. Et abſciſo digito incõcinnitas & relatio partium inter ſe, aut ad animæ vires, cauſa eſt, cuius gratia functiones manui debitæ improbè exercentur: ametria etenim & improportio manet in oſsibus, neruis, & muſculis remanentibus, quemadmodum ante in omnibus, partium ad partes erat bona proportio. Sed dices, morbus omnis affectus eſt, & relatio non eſt affectus: non erit igitur morbus. Reſpõdemus, Gal. lib. de Diff. ſympt. ad initium, harmoniam appellaſſe affectũ, harmonia tamen partium vocis aut vocum diuerſarum proportio, atque relatio eſt & habitus alia ratione. Quin & lib. de Sanguinis miſsione, omnem receſſum in ſtatum non naturalem appellat affectũ: ametria verò talis eſt. Nec pugnat, quidpiam eſſe ad aliquid, & dici ad aliquid: nam cõmenſuratio elementorum ad aliquid eſt, & vbi ipſa in ratione habitus ad animam cõferatur, & animæ vires, per aliam relationem dicetur ad aliquid ſanitas. Quòd ſi hanc relationem eſſe dixeris, vt nos, aut qualitatem, vt alij, nihil ad medendi artem conducit: dum tamen hac in re conueniamus, prædictam inconcinnitatem cauſam eſſe immediatam læſionem actionum. Nec ſequitur, ſi morbus relatio eſt, omnem habere cauſam continentem, vt dicemus, cùm de cauſis agemus. Sed rurſus agnoſcere oportet tres eſſe corporis naturales conſtitutiones, aut compoſitiones.

Corporis conſtitutiones tres.

Prima eſt conſtitutio partium ſimilarium, ex elementis mundi: ſecunda partium diſsimilarium, ſiue organicarũ ex ſimilaribus, & ſimplicibus ac primis. Quas tamen apellemus ſimilares aut diſsimilares partes, prima parte docuimus. Tertia conſtitutio eſt totius & partium vnitas & continuitas. Prima conſtitutio eſt venarũ, & arteriarum membranarum, neruorum, ligamentorum, oſsium, cartilaginum, & carnium: ſingula enim horum vnicã tantum habent, quæ mentione digna ſit, ex igne, aëre, aqua, & terra, compoſitionem. Secundi ordinis ſunt, organica membra, nempe, cor, cerebrum iecur, ventriculus, pulmo, renes: hæc enim ex neruis, membranis, & carne conſtant. Eſt quoque alia organicorum cõpoſitio in hoc ſecundo genere, qua digitus ex carne, oſsibus, & neruis, venis & arteriis componitur, & alia præter hãc compoſitionem manus ex digitis, vola, & brachiati, & rurſus manus maior, ex manu cubito, & brachio, & ex his & aliis totum corpus vnà cõponitur, & cõſtituitur: ſed hæ omnes compoſitiones ex ſecundo ordine ſunt. Quibus tertia compoſitio accedit, quæ vnitate totius & partium perficitur, ex quibus notum euadet, quòd ſi his tantùm compoſitionibus ſecundum naturam ſe habentibus ſanitas perficitur, in eiſdem tribus generibus, non ſecundum naturam conſiſtentibus, inuenientur morbi omnes, quos ſingulis generibus cõſtituemus, per primas differentias, quæ à genere omnes morbos comprehendente ſumuntur, nempe à corporis conſtitutione, cuius tres ſunt prædictæ differentiæ. In ſimplicibus quidem, erit mala temperatura: in organicis, mala compoſitio: in toto & partibus tam ſimplicibus quàm organicis, vnitatis ſolutio.

Morbi intemperaturæ.

Morbi intemperaturæ elementorum, ſimplicium membrorum morbi ſunt, ex elemẽtorum, aut qualitatum ipſorum abundantia nati: calido namque elemento vincente morbi fiunt calidi, frigido, frigidi, humido, humidi, ſicco, ſicci: ſi tamẽ calidum ſimul ac ſiccum abundauerit, calidus fiet, ac ſiccus morbus, tales quoque fient in

omn

omnibus coniugatis lapſibus. Atq; erũt in ſumma, octo morborũ partium ſimplicium & primarum genera, calidus, frigidus, humidus, ſiccus, calidus & humidus, calidus & ſiccus, frigidus & humidus, frigidus & ſiccus. Fiunt præterea prædicta morborum genera bifariam, aut ſine cauſa præcedente, ſiue antecedente ſic appellata, aut cum ipſa, veluti humore quopiam accedente. Hectica namque febris, calida intemperies eſt, ſine antecedente cauſa: humoralis vero adiunctam habet cauſam antecedentem, humorem ipſam facientem, ſic etiam morbos intemperatura diſtinguere aſſolent medici, in eos qui cum materia & eos qui ſine materia fiunt. Aut aliter in morbos factos, qui ſine materia, aut antecedente cauſa fiunt, & fientes, qui cauſam habent antecedentem, aut materiam, aut humorem, & ab eodem dependentiam. In ſecundo genere morborum, qui attinent ad partes compoſitas, quatuor primæ ſpecies continẽtur: aut enim in numero variat pars à mediocritate, ita vt actionem vitiet, aut quantitate, aut ſitu, aut formatione: in formatione verò, quatuor aliæ inferiores continentur ſpecies. Aut enim pars à debito modo deflectit, in ſuperficie, aut in figura, aut in via, aut in conceptaculo. Atque erunt omnes in organicorum membrorum compoſitione, morbi ſeptem generibus aut ſpeciebus diſtributi, in numero, magnitudine, ſitu, ſuperficie, figura, via, conceptaculo. *Morbi in cõpoſitione.*

In numero ſanè morbus bifariam accidit, aut aucto numero, aut diminuto: augetur autem aut accedente aliquo ex genere eorum quæ ſunt ſecundum naturam, aut aliquo quod ſit toto genere præter naturam: ſecundum naturam ſunt digiti manus: ac perinde ſextus digitus morbus eſt in numero addito eius quod eſt ſecundum naturam, ſicuti tertius teſtis, vngula oculi, & carnoſum tuberculum in naribus, aut in meatu vrinario. Toto genere præter naturam ſunt, lapis in veſica, pulmone, aut inteſtinis, & oculi grando, vermes inteſtinorum trium generum, & calli. Gal. his addit verrucas, meliceridas, atheromata, & ſteatomata. Qui omnes in genere ſunt tumorum præter naturam, & ſolutionem continui habẽt adiunctam. Suffuſio verò morbus eſt in via, & humor ipſe obſtruens quem appellat Galen. morbum numeri, nos dicemus obſtructionis cauſam continentem. Numerus quoq; diminutus actionem vitiat, vti digitus è quinario numero ablatus, & gurgulio abſciſus, qui morbus eſt & cauſa morbi, morbus quidem partis, à qua fuit abſciſus: in ea enim quæ remanet, morbus locatur quoties morbus ex numero fit diminuto: cauſa verò morbi pulmonis fit, quoniam aër frigidior pulmonem diſtemperare valens ducitur, quem gargareon attemperare ſolebat. Sunt etiam morbi in numero per quos partis pars abſciſſa eſt, eius quantitatis vt vitiare poſsit actionem manifeſtè veluti linguæ portio, aut digiti articulus, tales ſunt glandulæ induratæ, quæ abſcinduntur, & dentes exeſi, aut exerti: ſunt autem quidam ex his quadantenus ad morbos in magnitudine referendi; ſed tamen placet eos in magnitudine morbos appellare, quibus quantitas diminuta eſt, ſeruata figura. nulla parte manifeſta exeſa, aut reſecta, vti lingua contabeſcens, aut crus, aut corpus vniuerſum, per atrophiam. Augetur quoque lingua nonnunquam, ita vt ore capi non poſsit, & gurgulio vt reſpirationem impediat: huius generis eſt priapiſmus, & Nicomachi Smyrnei corpus, adeò magnitudine creuiſſe ferunt, vt incedere nequiret. Vidimus quoque puerum, quatuor annorum qui mediocris magnitudinis pueros annorum decem æquabat, atque id breui admodum ſtare poterat. In morbis verò in numero qui conſiſtunt in aliquo quod eſt toto genere ſecũdum naturam, auctus numerus auget quantitatem, & diminutus diminuit: cùm tamen conſiſtunt in aliquo quod eſt toto genere præter naturam, id non eſt neceſſarium. Ad ſitum attinent luxatio oſsis, delapſus inteſtinorum & omenti in ſcrotũ, vincula linguæ, & præputij: illud enim impedit expeditam loquelam, hoc verò ſeminis in vterum rectam proiectionem, labiorum quoq; narium, palpebræ, digitorúmve, coalitus, & ligamentorũ laxitas, aut diruptio. In ſuperficie morbi fiunt: aut ipſa leuigata quæ aliàs

Morbi in numero.

Morbi in numero.

Morbi in quãtitate.

Morbi ſitus.

asprędinem habet secundum naturam, aut aspera facta, quę futura esset lęuis. Sunt autem huiusmodi læuor immodicus intestinorum, & ossium asperitas quæ lęuigari expoſcit, sicuti & fauces exasperatæ, morbum patiuntur. Figuram quoque vitiari contingit, in plancis, vacuis & varis, sicuti & si ventriculus, iecur, aut renes, aut caput figuram debitam non seruent, quod quibusdam à natiuitate fit, quibusdam occasione quapiam: viam tamen vitiari contingit obstructione, aut immodica patentia, vti si intestina fæce obstruantur, aut iecoris meatus à crassis & viscidis humoribus, aut oculi pupilla suffusione, aut pororum adsit immodica patentia, aut pupillæ laxitas & amplitudo ob rhagoidis rupturam, aut relaxationem. In conceptaculis præterea morbi fiunt, vti si ventriculus paruam habeat capacitatem, aut valde magnam, idem de thorace dicendum & aliis, verùm capacitatis paruitas non sola angustia erit, sed etiam ea quæ sequitur repletionem eius quod est præter naturam: ita vt contenti ratione actio manifestè vitietur partis causæ. Quod si partes hæ à natiuitate tales fuerint, emendari quandoque valent, vti thoracis angustia, aëris inspirati retentione valida, ventriculus operatione & ciborum ingestione copiosa dilatatur: parui tamen vbi opus fuerit reddentur, quiete & ligatura. Morbi vero qui ad cauitatem & magnitudinem & figuram spectant à generatione contracti nisi ab initio curentur, incurabiles reddun-

Morbi figura.

Morbi conceptaculorum.

tur. Tertium morborum genus quod simplicibus & organicis commune est, in vnitatis solutione consistens, actionem vitiat, impedita partis naturali functione. Nam si ligamentum discindatur, partis discissæ continuitatem adimit, & totius membri actionem aufert, ac perinde totius & partis morbus dicetur: ligamento verò non in totum abscisso morbus parti erit peculiaris, ex accidenti verò toti noxam infert. Huius generis sunt vlcera in carne, fracturæ ossium, puncturæ neruorum, aut scissiones, aut auulsiones fibrarum eorundem. Præterea collisio quæ partibus mollibus accidit, vbi externa facie manente integra ad sensum, interior pars plures paruas diuisiones patitur. Eandem vero vbi pars exterior caua manserit, illisionem vocant. Retulimus simplicium morborum genera: nunc verò breui expediemus composita,

Continui solutio.

Morbi compositi.

Componuntur autem aut ex morbis genere diuersis, aut eiusdem generis, & his aut in vna parte, exquisitè, aut in diuersis partibus vnius partis. Exempl ũ primi est vbi humor aliquis calidus erodens partẽ afficiat: hæc enim pars vlcus patietur, & intemperiem. In eodem genere fiet, si pars vti in plegmone calefiat & humectetur, vbi verò lapis in vesica contineatur, lapis morbus in numero appellatur, qui obstruens, morbum efficit in via. Componuntur autem in diuersis partibus vnius partis cum oculus patitur ophthalmiam, & cornæ vlcus: & suffusionem in pupilla. Quamuis tamen omnes hos morbos oculus patiatur, non omnes per se morbi oculi sunt, sed sola suffusio instrumento, qua instrumentum videndi est, refertur, quia eius potissimam vitiat actionem, nempe visionem: reliqui verò morbi, simplicibus oculi partibus per se debentur: ex accidenti verò, præcipuo instrumento, ac perinde fiet, vt totum iustrumentum composito morbo laboret, cùm simplices eius partes, simplicibus laborant. Nec refert si morbum vnicum appelles, siue plures in parte vna instrumentaria, nam vtcunque plures morbos simul patitur. Fit autem vt vnica ac simplex pars plures duobus morbis simul pati possit, vti si in carne fiat inflammatio, cum vlcere efflatu digno, & magnitudo tumoris adeò increscat vt vel eadem ratione lædere possit actiones. Tunc etenim aderit calida intemperies & humida, cum solutione vnitatis, & aucta magnitudine, hæc sunt in eadem parte quatuor morborum genera. Talis est natura herpetis, cancri vlcerati, erysipelatis, & phagædenæ: omnibus etenim his coniungitur partis vlcus, cùm amissione particulæ, & intemperie calida, atque sicca. Præterea in tumoribus præter naturam duplex est compositionis modus, nam phlegmone, siue œdema, siue erysipe-

las

las, siue scirrhus, ab humoribus fiunt, qui duabus sunt præditi qualitatibus: nam sanguis calidus est & humidus, pituita frigida & humida, bilis calida & sicca, melancholia frigida & sicca. Compositio altera est ex diuersis humoribus, nam rarò fit vt vnicus syncerus humor in partem confluat, sed sanguis nonnihil bilis aut pituitæ habet, vti in phlegmone erysipelatis, aut œdematis, participe, sic in reliquis. In omnibus itaque præter naturam tumoribus intemperaturæ diuersæ commixtæ sunt, & aliquando cum vlcere, & aliquando magnitudine adiuncta effatu digna, quæ omnia ab humore, aut vnico, aut pluribus pendant. Instrumentariarum autem partium morbos componi diximus, vbi vnius partis diuersæ partes, diuersis morbis laborent, quorum quidam per se, quidam per accidẽs, ad instrumentariam partem referuntur, vti cùm oculus patitur cucanthida, ophthalmiam, vngulam, & suffusionem, aut in eadem parte duos morbos, vti in cornea, vngulam, quæ magnitudine sua pupillam opperiat, eritque morbus in numero & magnitudine. Inflammatio verò quæ in iecoris magnis venis fiat, cauitates venarum opprimens, intemperie lædet sanguinis generationem, & magnitudine impediet digestionem sanguinis: hæc etiam obstructio est, siue morbus in via. Componuntur quoque inter se diuersæ vnitatis solutiones, vt in ossis fractura, quę rarò fit absque carnis vulnere, aut contusione, sæpius tumore præter naturam accedente, sic & in neruorum puncturis & scissionibus: vnitatis præterea solutio sæpe cum partis amissione componitur, quæ morbus in numero est, & cum inæquali intemperie, & multis aliis modis. Docuimus methodo generali, inuenire morborum genera omnia præpositis in animo primis differentiis essentialibus, sumptis ab essentia rei diuidendæ, quæ fuit corporis constitutio præter naturam, ac perinde fecimus vt nullum morbi genus sit prætermissum. Si verò quis alia via conetur, aut aliis differentiis, vti voluerit, nũquam omnia genera comprehendet, aut ex primis quædam prætermittet, aut omnino accidentarias species persequetur, & omnes vnà confundet. At verò ex accidentariis differentiis, quædam sumuntur à vehementia, qua ratione, morbi quidam magni sunt, quidam parui. Magnum autem hoc loco vehementem appellamus, quamuis soleant medici morbum magnum dicere, eum qui partem aliquam præcipuam infestat, aut eum qui mali moris est: verùm hi potius maligni sunt appellandi, vulnus namque præcipuæ partis aut iuxta articulos, ea tantùm ratione, magni dici possunt, quia valde vitiant actiones, quòd malitia symptomatum efficiunt: hæc autem malignos potius quàm magnos efficit morbos. Quamobrem vocum confusionem vitare volentes, magnum morbum dicemus, eum qui vehemens est, & in specie plurimum auctus, vti magna intemperies calida, aut magnum vulnus, quod magnum locum occupat. Paruus autem eidem contrarius erit, qui parum à sanitate recedit, & vlcus paruam occupans partem. Alia differentia morbi est benigni, & maligni, de quibus non pauca lib. 3. Prog. diximus. Non tamen est idem morbum esse magnum & malignum, nec paruum & benignum: siquidem multi morbi sunt maximi, quibus statim adiunguntur signa salutaria, & plures parui cum pessimis notis. Morbus itaque magnus ex magnitudine signorum propriorum deprehendetur, & malignus ex malignitate symptomatũ, quæ ipsum sequuntur. Potest autem magnus morbus malignitatem habere adiunctam, nam fieri potest, vt pestilens febris magna sit: quibus prope accedunt morbi salubres, & lethales, qui signis salutaribus & lethalibus distinguntur. Sunt autem ex morbis, quidam vniuersales, quidam particulares: vniuersales sunt qui totum corpus occupant, vt febris, & anasarca, particularis qui vnius est partis, vti phrenitis, aut pleuritis: sunt quoque morbi quidam communes, quibus è regione respondent, qui à Græcis σποράδικοι appellantur, quasi sparsim inuadentes: communes verò diuisi sunt in eos qui omnes ferè alicuius loci habitatores inuadunt, & communiter per populum grassantur, quos appellant, ἐνδήμους,

Mor. magn & parui.

Morbi benigni & maligni.

Mor. communes & sparsi.

hoc est per populum factos, vti bronchocele, & in quibusdam locis pleuritis. Alij sunt plurimus ciuitatibus communes, qui ἐπιδήμιοι dicuntur, quorum quidam sunt pestilentes, qui magnam hominum partem interimunt. Cùm autem non vnum morbi genus inuadat magnam hominum partem, sed quamuis frequentes per id tempus morbi sint, quidam tamen tertiana, quidam ardenti, quidam quartana laborant, non omnes vno morbi genere, sparsi à nobis appellantur. Præterea ex morbis quidam sunt facti, quidam fientes, facti, qui in habitu sunt difficilè solubili, siue qui naturalem temperiem mutarunt, vti hectica in secunda specie, & tertia: fientes verò sunt, qui causam habent à qua fiunt, siue quorum pars est facta, pars futura, vti tertiana & quartana, & similes quæ ab humore putrescente habent generationem, & inflammatio quæ phlegmone appellatur. Huius generis sunt morbi bilioſi, pituitoſi, sanguinei, melãcholici, aquoſi, flatuoſi, nomine desumpto à causa faciente. Dicimus quoque morbos quosdam continuos, quosdam intermittentes, continui sunt, qui vnica accessione a principio in finem procedunt, atque vnico impetu omnia sua tempora percurrunt, vt febris continens. Quidã sunt intermittentes, qui plures habẽt accessiones atque repetunt, aut ordinate, aut sine ordine. Habent autem ij diuersa tempora generalia, ab initio in finem, & particularia singulorum accessionum. Atque ex duratione sumuntur differentiæ: nam quidam sunt breues, quidam diutini. Cui diuisioni proximè accedit alia, qua morbus diuiditur in acutum & non acutum, hic autem nõ statim diutinus est, sed potest esse breuis. Acuti sanè quidam sunt propriè acuti, quidam peracuti. Proprie acuti quidam sunt exactè tales, quorum limitem statues diem decimumquartũ non exactè tales sunt qui ad viginti prorogantur. Peracuti quoq; quidam sunt exactè tales, qui quarto die aut citiùs finiuntur, siue in primo ipso morborum insultu, quidam nõ exactè peracuti, qui prorogantur in diem septimum, aut intra hebdomadam vnam, secundum naturam finiuntur. Omnium autem horum acutorum morborum communis ratio est hæc. Morbus acutus est, cuius motus est velox, & citò pericula adueniunt: sunt etiam quidam acuti cum additione ita appellati, nempe, ἐκπαστικούς, hoc est excidentia, qui cùm aliàs acuti forent, facta aliqua diminuta iudicatione, non tamen liberato ægro, morbus fuit prorogatus in diem vsque 40. aut 60. aut longius etiam. Non acuti verò quidam sunt breues, quidam diutini. Breuis non acutus est diaria febris, non acutus diutinus, est quartana, & duri præter naturam tumores non dolentes. Quidam etiam morbi sunt proprij, quibus opponuntur improprij, siue qui ex συμπαθίαις fiunt, hoc est per compassionem. Nam caput quandoq; laborat per essentiam, & primaria affectione, aliquando per consensum à partibus inferioribus transmisso vapore quopiam, aut simplici tantùm alteratione, aut quoniam non transmittitur, quod transmitti deberet. Exemplo est delirium: qui enim delirat perpetuò cum febre & capitis dolore, & oculorum rubore, accedente respiratione magna, & ex longis interuallis, phrenitim patitur, & capitis morbum per essentiam, siue propriam & primariam affectionẽ: si tamen per interualla deliret, & aliàs in ventriculo inflammationem patiatur, aut febrem ex humorum putredine, indicium est caput, aut ventriculo, aut toti corpori consentire, qui verò non transmisso spiritu vitali à corde in cerebrum ob defectum delirat, per consensum pati dicetur. Hanc magis propriam compassionem vocat Gale. lib. 1. de Locis patientibus. Cæterùm hos morbos non appello, interim dum pars consentiens affectum nullum contraxerit. Morborum præterea quidam sunt, exquisiti, quidam nothi, vti phlegmone, quæ à syncero sanguine fit, syncera & exquisita dicitur, & tertiana exquisita, quæ ab sola fit flaua bile: quamuis rarò fiat vt vnicus ac syncerus humor morbum efficiat. Nothus verò fiet ex causarum morbum facientium commixtione aut confusione, vt tertiana notha, aut phlegmone erysipelatodis, aut erysipelas phlegmonodis. A tempore quoque

Morbi facti & fientes.

Mor. continuus.

Morbi breues & diutini.

Morbus acutus.

Morbus proprius & per consensum.

Compassio magis propria.

diffe

differẽtiæ accidentarię morborũ desumuntur, nam quidã sunt verni, quidam æstiui, quidam hyemales, quidam autumnales: aut sic, quidam sunt diurni, quidam nocturni. Rursus ex morbis quidam sunt antiqui, quidã recens facti. A sexu morborum sunt differ. nam quidam sunt maribus peculiares, vt priapismus: quamuis rationi consonum sit, fœminas quandoq; hoc morbo corripi, intestinorum quoq; in scrotum delapsus, & penis morbi, sicut morbi vteri & quidam mammarum fœminis. Ex ætatibus morborum differentiæ sumuntur: nam quidam pueris sunt peculiares: infantes namque oris vlcera patiuntur, vmbilici inflationes, & aurium humiditates, variolas & morbilos. Cùm verò ætate procedunt febres, conuulsiones, alui profluuia. Maioribus tamen fiunt asthmata, lapides vesicæ, lumbrici intestinorum, strumæ, & verrucæ, magis ad pubertatem accedentibus, febres diuturnæ, & profluuia sanguinis. Iuuenibus tamen, sputa sanguinis, tabes, febres acutæ, & comitiales morbi, subsistentibus fiunt pulmoniæ, morbi laterales, letargi phrenitides, causi, choleræ, dysenteriæ, lyenteriæ, hemorrhoides, quartanæ: senibus eueniunt asthmata, distillationes cum tussi, stillicidia vrinæ, & eiusdem difficultates, articularis morbus, renum morbi, vertigines, apoplexiæ, tremores, mali habitus, prurigines, humiditates narium & oculorum, visus obtusiones, glaucedines, & graues auditus.

De Generibus causarum morborum. *Cap. II.*

PERCVRRIMVS Ab initio partis secundæ, genera causarum in vniuersum, deinde ea quæ humanum corpus inuitabiliter mutant, in quibus tota sanitatis tuendæ ratio consistit: nec dubium est ab eisdem modum excedentibus morbos fieri: has tamen omnes quatuor tantùm comprehendimus generibus, nempe in assumendis, excernendis, agendis, & exterioribus, qua via causas omnes, quæ morbos excitare possiunt inueniemus, sine quorum assecutione methodum curandi inuenire impossibile reputamus: curantur enim morbi primùm sublatis causis, quas auferre incognitas non valemus, neque genera omnia inueniemus, nisi generali diuisione procedamus, quam docere instituimus. Cùm igitur nostrum corpus bifariam mutari possit, aut ab his quæ extra accedunt, aut ab his quæ intra ipsum continentur, duo erunt hæc prima causarum morborum genera. At verò cùm non quæuis mutatio ab interna aut externa causa morbum efficere valeat, sed illa tantùm quæ ad manifestam læsionem actionum morbo interueniente, deducere potest, illud quoque morbosis causis addendum erit, vt manifestè lædant. Galen. lib. de Differ. sympt. causam dixit, id quod suapte natura ei quod fit, suæ generationis partem inducere potest: erit igitur morbi causa quæ generationi morbi partem inducere valet. Exteriores sanè causæ sunt, quæ nos exterius tangunt, aut physicè, aut etiam matematicè. Atque talia sunt quę in enarrandis quatuor generibus sunt dicta exteriora (quæ verò cùm exterius aduenium corpus ingreditur, sunt quæ assumuntur) continentur autem in hoc genere quæ calefaci. infrig. humectant, & quæ exiccant, vt sol, ignis, aer, aqua, medicamenta, & quæ tota substantia mutant. Præterea quæ contundunt, secant, frangunt, laxant, obdurant, & exasperant, disrumpunt, ac diuellunt, quæ mordent, quæ veneno afficiunt & quæ eduntur & bibuntur, & aer qui inspiratur. De causis verò externis quæ corpus mutare valent, quædam simplicibus qualitatibus mutant, aut vna, aut pluribus, vt calor solis, aut ignis non magnus: quædam præter id, compositionem membrorum mutant, & duo aut plura morborum genera inducunt, vt ferrum candens carni admotum, & medicamenta exurentia: quædam tota substantia mutant temperaturam, & compositionem, vt venenum erodens, & morsus canis rabidi, quamuis morsus secet, spuma verò alteret. Ex eisdem verò alterantibus extrinsecis, quædam alterant tantùm, vt medica-

Causarum morborum inuentio generalis.

Causa.

mentum

mentum admotum, & aqua balnei, & aer nos exterius tangens, & ignis calfaciens, & sol, quædam præter id, materiam morbo præstant, vt cibus, & potus, quæ magna quantitate adhibentur, aut inordinatè sumuntur aut intempestiuè, aut prauæ sunt qualitatis, aut tota substantia aduersantur assumenti, hæc enim in ventriculo corrumpũtur, ac deinde, quamuis non ingrediantur venas, morbos efficere valent, qualitate, aut substantia mutantes, aut materia replentes. Huius generis est aer qui inspiratur valde calidus, aut frigidus, aut putredinem & fœtorem secum ducens, aut tota substantia mutatus vti pestilens. Interiores verò causæ quæ morbos efficere valent, aut procedunt à corpore, aut ab anima, si à corpore, aut sunt morbi, aut causæ corporeæ morborum: hac etenim via omnes internas causas morborum inueniemus: tantùm enim illæ morborum causæ internæ esse possunt, quæ homini præter naturam insunt: hæc verò sunt morbus, & causa corporea, aut animæ actiones, aut passiones, & quædam alia ex morborum accidentibus quæ causis morborum annumerantur: sunt itaque internæ causæ aut ad animam, aut ad corpus attinentes. Morbus morbi causa fit, cùm morbum alium efficit, vti calida iecoris intemperies bilem generans, tertianæ causa est, & ventriculi frigida intemperies, cibos crudos relinquens, causa est morborum qui excruditate ortum habent, & capitis intemperies calida ophthalmiæ causa fit. Neque parum refert medico has causas nosse, sine quarum ablatione morbi curari nequeunt, sic etiam lapis in vesica, obstructionis est causa, hunc autem morbum in numero appellant, & caro adnata, aut tuberculum quod vrinæ exitum, aut sanguinis digestionem impediat obstructione. Causa quoque morbi ea ratione dicta est, quod morbum efficiat, quamuis ea quæ morbum effecit, causa morbi dici debeat, præsertim si adhuc morbum foueat, & conseruet: quæ enim morbum auget, aduc ipsum facere dicitur. Conferent autem hæ distinctiones non parum ad curandi rationem: causæ igitur internæ corporeæ quæ id tantùm nomen sortiuntur, aut etiam symptomata sunt morborum, in genere eorum quæ excernuntur, sunt humores, aqua, flatus, & excrementa. Humores sunt, sanguis, pituita, & vtraque bilis, flaua & atra: atque ex his quidam naturales, quidam sunt præter naturam. Excrementa verò sunt lachrymæ, sputa, pus, ichores, stercus, & vrina, & sudor, quæ morbi accidentia sunt, à corpore exeuntia, morbos quandoque facientia, vt vrina ardore efficit vlcus, & stercus multa bile acri mixtus. Animę verò sunt actiones, aut passiones, à quibus morbi fieri valent. Actiones sunt exercitationes, & motus corporei, quamuis ex eis quidam sint passiones, vti gestatio, equitatio, nauigatio. Passiones quoque sunt dolores, & quæ animi perturbationes appellantur, vti ira, timor, gaudium, mœror, solicitudo, amor, studium literarum, & qui audientes aut inspicientes diutius laborant, in morbos oculorum, aurium, aut etiam capitis incidunt, quamuis aut color, aut sonus non sint de his quæ validè mutant, sed laborantes per animi actiones prædictas, spiritum dissoluunt. Hac methodo inuenta sunt omnia causarum morborum genera, quæ tribus generibus continentur, aut enim sunt causæ appellatæ προηγησάμεναι, id est prægressæ, aut προηγούμεναι, id est præcedentes, aut antecedentes aut συνεχεῖς, id est, continentes. Prægressæ causæ vt nos in commen. libri primi de Differ. feb. explicuimus, sunt causæ recentes, & euidentes, vt causæ externæ, & dolores, aut bubonum inflammatione, & animi passiones. Non enim sunt externæ eædem quæ prægressæ: quoniam à causis prægressis dicit Galen. febres omnes diarias fieri, de quibus sunt ira, & mœror, & bubo, quæ febres diarias faciunt, & externæ non sunt: euidentes tamen sunt, & omnibus cognitæ: neque enim ad earum cognitionem opus est aliqua coniectura, ac perinde Celsus in præfatione sui operis has causas euidentes appellat. In hoc genere sunt causæ quæ ex inopinato occurrunt. Causæ præcedentes sunt quæ à Celso abditæ appellantur, & quæ coniectura cognosci debeant, in quo genere sunt, humores, ichores, aqua, & flatus

Interne morborum causæ.

Causarum tria genera in morbis.

flatus,& excrementa, vti pus, vrina, stercus. Hæc duo genera causarum satis constant, & morbos omnes procreant, tertium genus causarum morborum, causa continens appellatur, quam quidam in morbis adesse negant. Est enim causa continens morbi causa, qua posita ponitur morbus, & semota semouetur,ac corpus sanitati restituitur,veluti apud Gal.lib.de Symptomatum causis primo, cap.5. affectus nerui impediens transitum animalis facultatis, qualis obstructio est,continēs causa stuporis est,qua posita,sequitur stupor,& semota semouetur. Pulsus quoque apud ipsum tres causæ continentes sunt, quoniam tres causæ ipsum continent,nempe facultas,instrumentum,& vsus.Hæc verò sic continent pulsum vt vnica causa totalis, qua posita ponitur pulsus, & si quidpiam ab ipsa detrahas, aut tres ipsas partiales, aut aliquam ipsarum, pulsum quoque auferas. Neq; aliam esse rationem causæ continentis à prædicta, lib.aduersus Iulianum,putet aliquis cùm dixit. Neque enim aliam esse causæ continentis rationem dicere habent præterquam, γένεσθαι τί πρὸς αὐτοῦ καὶ πάντα σὺν αὐτῷ. Quod est fieri, ab ipsa & cum ipsa cessare: id verò nihil aliud est, quàm dum præsens est generare affectum, & ipsa absente affectum cessare. De hac causa continenti sub hac ratione, differendum assumpsimus, in hoc & aliis locis.Considerat autem medicus causas quas aliquando apponere,aut remouere, aut consequi conatur. Apponit enim causam efficientem, & aliquando materiam: contendit verò ad formalem & finalem. Est autem materia sanitatis in simplicibus 4.elementa,in organicis,ipsa simplicia,& quorundam organicorum alia organica. Nos in morbis qui additione fiunt,inueniri causam continentem,non tamen in his qui fiunt diminutione,in cōmentariis lib.1.de Diffe.fe. & in præfatione ad cōmentarium de vrinis, latè probauimus aduersus Fuchsium,cuius opinionem ibidem retulimus.Cùm enim ex his quę diximus, constet sanitatem symmetriam quandam esse, morbum verò ametriam,siue incommensurationem, notum est in morbis omnibus attinentibus ad temperaturam, adesse continentem causam, nempe qualitatem,cuius excessu intemperies fit (semper autem fiunt per excessum) vti in morbis calidis calor: nam intemperies caloris abundantia nata, calorem habet causam continentem: posito nanque calore, adest distemperantia per calorem, siue prædicta ametria, & semoto illo calore excedente, tollitur intemperatura, idem de aliis intemperantiis dicendum est.Semoueri autem morbum sublata causa continenti dicimus, quoties æger per eius ablationem sanitati restituitur, aut eam assequitur. In morbis verò cōsistentibus in cōpositione partium organicarum ex simplicibus,si ex additione fiunt, causam cōtinentem adesse diximus, vti morbi qui fiunt ob quantitatis excessum, qui posita quantitate aucta ponuntur, & ipsa ablata auferuntur. Ablata enim quantitate cuius gratia ametria aderat, symmetria remanebit. Præterea sextus digitus morbum efficit in numero, siue ametriam partium manus, verùm ablato sexto digito addito, aufertur morbus, & symmetria,siue sanitas succedit; idem de obstructione est euidens, si verò morbus in diminutione consistat veluti diminuta quantitate discreta,aut continua,nihil à medicis aut philosophis cōsideratur, quod ita coniunctum sit morbo, vt ipso posito, ponatur morbus, & semoto semoueatur, carent igitur causa continente. Contradicet autem qui in nostris pertractandis assertionibus, non sine euidenti labe, momi personam agere solet: ac dicet primùm, verum non esse quod proposuimus, morbum omnem fieri additione,aut ablatione: quidam enim neutro horum modorum fiunt,sicuti cùm pupilla euertitur, aut os luxatur, quorum neutrum additione, aut ablatione fit,sed situs mutatione. Rursus morbum nō esse relationem,sic probabit.Relatio omnis fundamentum habet, & terminum, quibus positis,ponitur relatio, & semotis semouetur: ergo omnis morbus habet causam continentē,siue additione, siue ablatione fiat. Nam & quodcunq; sit fundamētum relationis,quę manet sublato digito,si id auferatur,relatio quoque auferetur.

Causa continens.

Quòd si respondeamus, ablata quapiam parte earum quæ sunt fundamenta relationis, morbum non auferri, sed potius manere maiorem: si quidem manet maior, improportio quam antè, sequetur inde relationem augeri. Præterea patiatur quis morbum in numero, ob digiti ablationem, ablato fundamento perit relatio, & fundamentum morbi erat manus reliqua, ergo abscissa manu amouebis morbum. Has rationes quamuis pauci admodum momenti sint, cogor in hoc loco referre, ne quis parum diligens in absoluendis sophismatibus, eisdem capiatur, & à vera rerum agnitione turpiter prolabatur. Quod enim primò statuit, nõ omnem morbum fieri additione, aut ablatione, planè aduersatur sententiæ Hippoc. qui lib. de Flatibus, dixit medicinam esse adiectionem, & ablationem, ac rursus curationem contrariis perfici, adiectionem ablatione, & ablationem adiectione. Nam si non sunt duo tantùm morborum genera, non erunt tantùm duę curationis species, contrariis adhibitis. Constat etiam cuius, partem quæ situm mutat morbum afferre ex ablatione partis, quæ illo loco adesse deberet, quo non adest: os enim luxatum locum amisit, ibidem autem deesse nemo ignorat: euersa verò pupilla facit, vt desit viæ rectitudo, qua opus habet visoria facultas ad visionem exercendam. Relatio tamen fundamentum habet, verùm id non habet rationem causæ continentis, siquidem non est perpetuum in relationibus, positis fundamẽtis, poni, & semotis semoueri. Socrates etenim columnæ proximus, vbi ab ea secedat, relationem corrumpet, manentibus fundamentis, sic etiam intellige relationem, siue propotionem partium manus ablata parte, quam deinde repone aliis manentibus, ac non manebit relatio, siue improportio, quæ præfuerat, ergo fundamento relationis non conuenit ratio causæ continentis si non ponitur dicta improportio, posita siue manẽte parte multa, in qua erat relatio. Hoc in relationibus his, quæ extrinsecus aduenientes à dialecticis appellantur, verum semper est. Sed rursus examinemus, an improportio manus, ex digiti ablatione, ac morbus ipse, sublato fundamento, auferatur (nam poni posito, non est verum) auferamus a quatuor remanẽtibus digitis alterum, an peribit relatio? peribit illa sanè, ac succedet altera maior, atq; hæc erit proportio alterius speciei, si ita vis, sed morbus erit eiusdẽ, quãdoquidẽ improportiones omnes lædẽtes actiones, quę idẽ habẽt fundamentũ in specie, sunt morbi eiusdẽ speciei, & vt suprà diximus, morbi speciẽ habẽt à fundamẽto: quoniã id est de quo medicus agit, & quod semouere cõnatur ex arte. Morbũ quoq; augeri fatemur, quoniam augetur fundamentum, ad cuius augmentum, aut diminutionem, augetur aut minuitur morbus, dum intra speciem manet fundamentum, à quo morbus sumit speciem. Esse tamen nonnullas relationes, quæ augentur, & magis ac minus suscipiunt, non est quod miretur quispiam, cùm simile sit magis simile & minus simile, & æquale, magis æquale, ac perinde æqualitas maior, & similitudo maior, & minor apud Aristo. sunt. Sic etiam diceres si velles, morbum esse incõcinnitatem partium, aut qualitatum, & fieri maiorem ac minorem. Qui vero conatur probare morbum ex digiti ablatione, auferri ablata tota manu, ac perinde causam continentem habiturum morbum ex diminutione, si morbus relatio foret, is iocosa inserit seriis. Quis enim dubitat, si morbus habitus est, ipsum quoque auferri sublata laborante parte, & morbum omnem deficere sublato homine de medio: verùm hæc longè absunt ab arte medendi. In morbis verò qui consistunt in continuitatis solutione, quidam sunt qui causam habent continentem, quales sunt vnitatis solutiones, quæ fiunt: quod enim fit, dum fit, causam habet facientem, qua semota amplius non fiet: id verò quod factum est ac propriè morbus, cùm sit partis ametria ob diminutionem, hoc est defectum vnitatis, causa continenti caret. Neque obstat, & si in contrarium afferas generalem curandi methodum, qua docentur contraria contrariis curari. Et dixeris proportioni non adesse contrarium, ac perinde nec morbo, sed morbum calidum, frigido adie-

&to curari, caliditas igitur est ipse morbus, non causas continens morbi calidi, vt diximus. Ad quod respondemus, quasdam proportiones aliis esse suo modo contrarias, vt bona proportio, malæ proportioni, & symmetria ametriæ, & æqualitas inæqualitati, & propinquitas contraria est distantiæ, hoc est oppositæ, quod est satis: cùm enim dixit contraria contrariis curari, oppositæ intellexit Hippoc. qui verò morbum curat, non adiicit morbo contrarium, id est formali morbi: nam obstructioni non adhibent deobstrutionem, sed extenuantia, quæ deobstruant, neque contrarium sentientes, habitui, qui est morbus, contrarium adiiciunt habitum, sed morbo calido adiiciunt frigiditatem quæ sanitatem inducat. At verò morbo sanitas contraria est, non igitur ipsi adhibent contrarium, cùm non adhibeant sanitatem, sed sanitatis causam, sic & nos ametriæ non adhibemus symmetriam, sed causam quę symmetriam inducat: hæc verò contraria est materiali & fundamentali morbi, nam cùm id quod materiale ac fundamentale morbi est, causa sit ipsius continens, ipsa ablata auferetur morbus & inducetur sanitas, quod medicus intendit oblatione contrariorum, quæ contraria sunt materiali ipsius morbi, quod est causa continens, vti morbum calidum medicus curat oblatione frigoris: id autem non contrariatur formali morbi, quia sanitas non est, sed calori, qui est causa continens morbi calidi, & materiale ipsius. Nec etiam medicus vnitati solutę vnionem adhibet, sed causas quæ ipsam inducere possint. Expedit autem post generalem inueniendi methodum qua causas morborum retulimus, singulis quoque morborum generibus, peculiares causas inuenire, vt expedita sit & legentibus perspicua via procedendi, ad omnium morborum causas. Si verò quis statim has aggrederetur, omnino cogeretur prætermittere generaliores, de quibus egimus, neque facilè quæ sequuntur, assequeretur. At, qui probè nouerit ex his quæ diximus, omnes morborũ causas esse externas, aut internas, & has aut ad animam aut corpus, attinere, facilè assequetur singulorum morborum causas, vt tamen causæ speciem atque ipsam causam inueniat, id animo habere debet, calorem morbum efficere posse, non omnem, neque in omni corpore, sed ad ipsum generandum tria exigere, magnitudinem, & corporis ad patiendum dispositionem, & tempus. Magnitudo namq; siue vehementia causæ tanta esse debet vt corpus vincat, & sibi simile reddat: dispositio corporis vt vinci possit & à mutante pati. Ex tempore verò mora exigitur, quoniam omnis motus in tempore fit, eo maiori, quo producẽdum est maius, reliquis ex agente & patiente paribus seruatis. Morborum igitur in temperatura primùm causas percurramus. Habent autem hæ vnam communem rationem, qua alterare, & prima corporis elementa, atque ipsorum qualitates corrumpere possunt, & alias generare, idque aut per se ex sua natura, aut ex accidenti: si itaque singulorum generum morborum causas consequi volueris, hoc ordine seruato eas inuenies, à morbis incipiens qui in temperatura consistunt, quorum generales causæ quatuor habentur, sicuti & morborum omnium, vti Galen. lib. de Sanit. tuenda docet, sumenda, exercenda, agenda, & exteriora: morborum namque calidorum hæ sunt causæ omnes, quas in prima diuisione superius habita comprehendimus, cùm diximus, morborum omnium causas esse externas, aut internas, & has ad animum aut corpus attinere. Hæ itaque ad illas, & illæ ad has facillimè reducentur. Exteriores causæ calefacientes sunt, sol, ignis, medicamentum, & quæcunque alterantia ad calorem nos tangunt, atque ea quæ comeduntur, & bibuntur, dum in ventre continentur, quæ in secunda diuisione, in his quæ assumuntur, sunt. Quibus accedunt aer qui inspiratur, aut transpirat, venena, & quæ tota substantia mutant ad calorem, quæ excernuntur, aut non excernuntur, ea sunt quæ in corpore continentur, quæ retenta morbos calidos pariunt, vt sanguis, & bilis, & alij putrescentes humores, vapores ac fuligines aeres, non minus quoque si plus iusto excernãtur, siquidem calidorum excretio, refrigerat, & frigidorum

Morbi generandi causæ.

Causæ morborum intemperaturæ.

Cal. mor. causæ.

excretio calefacit. Agenda verò sunt motus corporis & animi: nam magna exercitatio, neque extrema, calefacit ad morbum vsque, & ira, & mœror, solicitudo, & gaudium. Sed decet vt ad hęc quatuor causarum genera reducamus omnes causas calefacientes, quarum Galen. meminit lib. de Causis morborum, & primo de Differ. febrium, quæ ferunt, motus, putredo, adhæsus rerum calefacientium, prohibitio calidi effluuij, adiectio calidæ substantiæ: exempla eorum sunt in singulis. Motus namque calorem efficit, si corporeus fuerit, ex partium corporis solidarum perfrictione ventilata ignea substantia, in solidis corporibus contenta, vti in commentariis primi lib. de Diffe. feb. exposuimus latè, quo in loco diximus, motum calorem generare, non in omnibus corporibus, sed vbi quidem mota corpora animata fuerint: ea enim articulorum perfrictione, & sanguinis in partes affluxu incalescunt, inanimata verò si liquida fuerint, non incalescunt, solida verò non aliter quàm vbi affricentur. Si namque lapis in aere moueatur, infrigidabitur: lapidi verò aut ferro attritus incalescit, & quandoque ignis formam suscipit ferrum, aut aer, aut lapis. Confutatis tamen aliorum opinionibus diximus, hanc esse illius problematis causam: cùm enim solida corpora affricantur, aer intermedius attenuatur & impellitur, ac peruadit ipsa corpora, & ignem internum ventillat, atque accendit, est etenim is qui in mixto corpore continetur sopitus, & ferè extinctus, flabellatus tamen reuiuiscit. Contradicet autem aliquis, atque cauillis obstrepet aduersus nostram sententiam: nam aer qui continetur inter solida corpora affricata, nunquam eadem penetrabit, cùm possit effugere. Deinde deceret aerem liberè penetrare, aliàs non accenderet ignis calorem: verùm ferri densitas id non permittit, aliter ergo generabitur in ipso calor. Rursus sagittæ mucro si plumbeus fuerit, liquabitur ipsa, violentia & celeritate magna missa, quamuis non adsit solidorum corporum affricatio, & collisio. Præterea si ventillatione calor accenderetur in solidis corporibus, is foret maior aut minor pro ratione corporum: quia videlicet magis, aut minùs habent igneæ naturæ: siquidem ventillatio non accendit calorem maiorem quo fuerit maior, quando flamma vt accẽdatur, modica eget ventillatione. Cæterùm manifestum est, ferream terebram cum lignum ipsa perforatur, validum calorem concipere, quamuis ferrum natura frigidum sit. Præterea si ferrum transit tandem in ignem ventillatione accenso calore, faciliùs transiret altero igne admoto. His obiectis respondent ad dubium, motum calorem generare corporum disgregatione, & rarefactione: cùm enim aer disgregatur, rarescit: raritas verò est caloris causa per accidens, vniuersalia tamen agentia per se calorem inducunt, præsente raritate. Problemati deinde de sagittæ mucrone plumbeo liquescente, respondent, portiunculam quandam aeris ab initio ad finem motus hærere plumbo, eam autem incalescere ob raritatem, & deinde calfacere ac liquare plumbum. Verùm hæc cùm leuia admodum sint atque futilia, ab assertoribus non sine inani, ac turpi verborum iactatione producuntur in medium. Aer etenim qui inter solida corpora cùm affricantur continetur, pelli non potest. Autore etenim Aristote. libro secundo de Anima, capit. vndecimo. si quæ se in aqua tangunt, aquam habent intermediam: quæ se tangunt in aere, omnino intermedio aere se tangunt: non igitur, vt putant, excludetur, ac fugiet, sed tenuatus corpora ipsa peruadet, quæ quamuis solida sint, poros habent satis notos, vt constat cùm ferrum ignis formam suscipit, in materia aeris, poris inclusi. Rarescit igitur aër inter solida contentus, atque is qui in poris solidorum necessariò continetur. Nam & eosdem interrogare placet, si aër qui inter solida corpora affricata continetur, excluditur, quis aer est ille qui motu rarescit, & rarefactione incalescit? non is qui inter solida continetur corpora, quia nullus est, vt volunt, non etiam qui extra: nam qui lapides affricatos circumstat, parum admodum rarescit, parum quoque agitatur. Quod intelliges si duos lapides,

Motus causa caloris.

duabus

duabus manibus comprimens affrices, validè, aut ad cotem affricans gladium, superficiem læuem, ac tersam efficias. Neque etiam necessaria est libera ventillatio ad accendendum calorem: nam in ferri, aut lapidis partibus intimis calor accendi potest, sine libera ventillatione: ibidem enim contineri fracto ferro reperimus sine ventillatione libera: vbi verò contineri, ibidem quoque generari valebit. Ignis pariter generatur qui pruna est non flamma, ex ferri & lapidis collisione: cæterùm is semel genitus ex iliens abundè perflatur: flamma verò mediocri eget ventillatione tum ad generationem, tum ad conseruationem. Quod de sagittæ mucrone ferunt, alienum est ab experimento: ratio quoque ostendit, in aere mota infrigidari: calorem verò ex solidorum corporum confricatione, & collisione generari. Nemo autem mentis compos ignorat, quàm sit ludicrum putare, sagittam volantem, in suprema mucronis parte hærentem aerem secum trahere, neque ipsum peruadere, atq; retro dimittere. Calorem verò in solidis confricatis generari dicemus, pro ratione agentis, nempe motus & flabellationis, & pro ratione materiæ quæ calefieri debet, ventillatio verò vel maxima quæ ex confricatione, aut collisione solidorum procedit, non excedit modum in caloris generatione, neque etiam ignis prunę, si is generari debeat. De parua autem flamma de qua modò non loquimur, rectè dictum est,

Mollis alit flammam, grandior aura negat.

Cùm tamen, vt diximus, nunquam ex confricatione solidorum ventillatio, posset modum excedere. Iuuat quoque ad ignis generationem ex motu, materia, siquidem ex silice promptiùs ignis pro silit, quàm ex lapide arenoso, aut topho: ferrum præterea ignis non parum habet, & lignum plurimum, cui afficiatur terebra, Postremo dicemus ignem citiùs generari ex solidorum corporum violenta collisione, quàm admoti igne, quoniam ferè subitò collisio fit, ventillatio, & caloris accensio in parte quæ ex collisio ferro prosiluit: ignis verò ad motus sensim calorem inducit, ac formam sibi similem. Cùm verò dicunt, raritatem calorem afferre per accidens, commouere tamen vniuersales causas, quæ deinde veluti ad actionem adductæ per se calorem efficiunt, fateor ipsos viam inuenisse sibi veluti sacram quandam anchoram, ad quam confugientes, omnia naturalia problemata facile soluent. Cęterum quantum absit à veritate, raritatem adducere calorem, hinc constabit. Nam si raritas adduceret calorem, id foret, quoniam aer cùm rarescit, ad ignem propius accedit: ignis verò calidus est. At huic rationi pugnat experimentum, aer enim qui incalescit ex solidorum collisione, ad prunam, aut flammam contendit: sed flamma densior est multo ipso aere, ac multò magis solida, minúsque transparens: non igitur cùm rarescit aer ad flammam contendet: minimè verò ad prunam, sed potius cùm densatur. Docet id quoq; flamma candelæ, quæ cùm ab origine secedit, rarescens & attenuata in aerem migrat. Quòd si cùm rarescit non perinde ad ignem, non etiam tendet in caliditatẽ, veluti ad ignem necessariam, neque raritas adducet calorem, aut vniuersales causas ad eiusdem generationem. Sed rursus ad reliquas causas caloris exponendas accedamus. Animæ motione calorem generant, spiritu & sanguine copiosioribus, in partem aliquam commotis, & deinde ebulliẽtibus, veluti in ira. Motus autem dicti in agendis cõtinentur. Putredo calorem efficit, quoniam per ipsam putrescentiam alienam suscipiunt caliditatem. Hæc verò concitatur à causis calefacientibus per se: ab infrigidantibus ex accidenti: nam quæ calefaciunt putredinem inducunt, & quæ infrigidant calore natiuo rei dissoluto, pariter in causa sunt, vt subiectum à calore externo occupetur, & putrescat. Sunt autem ex his quæ calorem natiuum imbecillitant, & putredinẽ excitant, quædã internæ, quędam externæ: ac sunt, quædã in exterioribus, quędam in assumendis, aut excernendis, aut etiã in agẽdis. Magnæ enim corporis motiones, vt in corpore adfuerit apparatus morbosus, putredinẽ excitabunt: ambiens autem

Caloris causa anima motus.

calidus & humidus putredinem facit,& aſſumpta, & quæ nõ excernũtur,cùm calida & humida fuerint.Putredinẽ præterea, cum prohibitione calidi effluuij confundi magna ex parte teſtamur,quamuis effluuium calidum, aliquando prohibeatur citra putredinem,vt in cutis conſtipationibus paruis, aut parum durantibus,quæ diarias febres citra putredinem concitant.At verò calidum effluuium per putridos morbos cohibetur, éſtque hæc potiſsima ac magis propinqua cauſa putrefacientis caloris. Prohibita namque tranſpiratione,putredo oritur:prohibetur autem à cauſis externis, aut internis, externæ ſunt,quæ cutem conſtipant,& adſtringũt,de quorum numero ſunt infrigidantia,& ſiccantia,& quæ vtrumque efficere valent,vt aer frigidus, aqua frigida & aqua alluminoſa,& medicamenta ſimilis facultatis. Verùm hæ cauſæ inter exteriores recenſentur,ſed ex accidẽti calefaciunt. Sunt autem calida effluuia quæ cohibentur,per ſe morborum calidorum cauſæ,ac ſunt in numero excernendorum.Cohibetur quoque calidũ effluuium,ab internis cauſis, cum in venis & reliquis meatibus continentur multi,aut craſsi, aut lenti humores prohibentes excrementorum effluxum:hæc enim retenta putrent, & ſuccos in conſenſum ducunt. Hoc eſt cauſarum calefacientium genus à putredine ortum, & à prohibitione calidi effluuij, quamuis aliquando à cauſis calidis calorem diſſoluentibus natiuum,incipere poſsit putredo,ſine effluuij cohibitione.Adhęſus verò rerum calefacientium cum cauſis exterioribus annumeratur : exteriores namque cauſæ adhęrent, & appropinquant corpori, hæc ſunt,ſol,ignis,medicamenta,& balnea calida.Adiectio tamen calidę ſubſtantiæ,partem habet quæ attinet ad ea quæ aſſumuntur,partem ad ea quæ excernuntur.Vinum namq; calefacit,& calidos infert morbos, & alimenta ac medicamenta, validè calefacientia, & ſimiles potiones. Quæ autem iam ingeſta ſunt,& ſecundum naturam excerni deberent,ſi non excernantur, calidos pariunt morbos,veluti ſi poſtquam alimenta & potus plus bilis, aut ſanguinis quàm par foret generarunt,retineatur,cùm deberẽt excerni,& bilis ipſa quæ ſecundum naturam eſt purganda,ſi retinetur,eoſdem pariet morbos.Sed iam frigidorum morborum cauſas recenſeamus : nam & hæ in agendis exterioribus,& aſſumendis,& excernendis continentur. In agendis eſt motus corporeus,qui quamuis ab initio calefacit, vt diximus, ad finem vbi maior multo fuerit,diſſoluit,& infrigidat, vtrumque ex accidenti : calefacit enim articulos oſsium confricatione, & igneæ ſubſtantiæ ventillatione, & ſanguinis ac ſpiritus diductione,infrigidat verò diſsipato ſubiecto caloris. Id quoque à calidis medicamentis euenire videmus, quæ ab initio calefaciunt : verùm temporis proceſſu humore ſubiectáque ſubſtantia diſſoluta infrigidant. Obiicies tamen Galen. ſententiam ex lib.1.de Simpli.med.fa.capitulo tertio,qui docet medicamenta quæ per ſe talia ſunt agnoſcere : quoniam agendo ad finem vſque talia perſeuerant,ſed exercitatio,& calidum medicamẽtum, ad finem, (vt diximus) infrigidant: erunt igitur per ſe frigida. Cæterùm Galen. id tantùm voluit,ea eſſe talia per ſe,quæ id agendo ab initio ad finem vſque perſeuerant. Quòd ſi non perſeuerant, non perinde ſunt talia ex accidenti. Præter id quòd nemo rectè dixerit,motum ab initio per ſe calefacere, cùm id efficiat,ſolidorum confricatione & igneæ ſubſtantiæ ventillatione,atque deductione ſanguinis & ſpiritus : Infrigidat quoq; & nimium ocium,& in motibus animi mœror, calorẽ quandoq; cõcitat.Sed longa ſolicitudo & mœror,melãcholicos ac frigidos efficit:infrigidãt quoq; longus ſomnus, & immodica vigilia.In exterioribus,quæ corpori admouẽtur & eidẽ adhærẽt, quædã natura ſua infrigidãt,vt aer frigidus,& aqua,& medicamẽta,& venena ſtuporem inducentia.Quędam tamẽ ex accidenti infrigidãt,vt quæ calorem inducentia diſſoluunt internũ calorẽ,vt aer ęſtiuus,& ſolis calor,qui ſi ventriculũ attigerit,poſt cibũ, refrigerando coctionẽ impediet, & medicamẽta calida idem faciunt, ſic & frequẽs balneum. Infrigidãt quoq; ea quę aut poros occludũt, aut

Mor. frig. cauſæ.

eoſdem

eosdem immodicè aperiunt,quæ enim occludunt, ventillationem, & transpirationem prohibent:eget autem calidum actu ventillatione modica, extinguitur etenim flamma in angusto conclusa, & in loco paruo omni ex parte obturato quod calori nostro accidit:is enim vbi non ventilletur,extinguitur, vti in apoplexia,& similibus interceptionib.arteriarum,motu earum,aut thoracis cessante,vti vinculo adacto gutturi fieri videmus,vt totum refrigeretur: quòd si parti admoueatur, ipsam quoq; refrigerabit. Sic quoque partes refrigerantur sanguinis prohibita delatione:sed hæc vbi ob causam internã fiant, inter excernẽda annumerabuntur. Apertio tamen immodica exalationi parat & magnam recipit ventillationem,hæc vero bifariam refrigerat,tum per se,quia frigidus aer interna attingit, copiosior iusto, tum per accidens, quoniam mundificatione magna, materiam quoque calefactioni aptam, secum defert, eam videlicet quæ ad fouendum calorem est necessaria. Hæc etiam alia ratione,de excernendis sunt.In excernendis namque annumerãtur, quæ excernuntur,cùm retineri deberent,qualia sunt quæ diximus plus iusto transpirare, & immodicæ omnes bilis aut sanguinis euacuationes,sunt etiam quæ retinentur cum excerni deberent,vt pituita quæ corpus sua præsentia refrigerat,& eius atque aliorum tanta copia vt calorem extinguant.In eodẽ genere sunt,fumi crassi,& bilis ipsa,vbi immodico calore,calorem dissoluat,aut eundem copia opprimat:quod in morbis ab ipsa atque etiam à sanguine factis palam constat:ad finem namque ægri refrigerati moriuntur, aut dissoluto, aut extincto calore,calidi humoris.Assumenda verò sunt quæ assumuntur,& quæ non assumuntur:nam inedia,siue alimentorum defectus inter calidas causas ex accidenti annumeratur ab initio,quoniam ea ratione qua cibus non assumitur,calor inflammatur,eo modo quo flamma ignis, dum lignorum humorem vincit,se ipsam auget:Sed diutius alimento deficiente, idem subiecti, ac materiæ defectu dissoluitur,ac perinde morbi oriuntur frigidi.Frigida tamen quæ assumuntur,euidẽter corpus refrigerant,quædam per se, vti lactucæ succus, mandragora, & cicuta,& largus frigidæ potus, & alimẽta refrigerantia, & nimia alimentorum quantitas,vti lignorum viridium congeries flammam extinguit:calida quoque alimenta,aut medicamenta, vbi quis eisdem sæpius vtatur,refrigerant. Talia sunt alimenta aromaticis cõdita, aut eisdem in obsoniis mixta,& mellis longus vsus,atque vinorum antiquorum & valentium assiduus potus.Hæc enim quamuis ab initio calefaciant,ad finem calore dissoluto,morbos frigidos inducunt,vti paralysim, apoplexiam, tremorem,grauedines,& diuturnas distillationes in oculos,nares, & fauces, atq; thoracem.

Morborum siccorũ causæ.

Morborum præterea siccorum causas,eandem sequentes diuisionem venabimur.Nam quędam sunt externæ,quibus vires insunt exsiccandi cum corpori adhærent,quorum valentissima sunt, quæ simul calefaciunt, quandoquidem calefacientia humorem dissoluunt.Omnium exempla sunt,aer æstiuus,ignis, & balnea alluminosa,sulphurea, & quæ pororum efficiunt magnam apertionem,& aqua salita,& medicamenta exsiccantia, & frictiones ex oleis exsiccantibus,& sine ipsis,magnæ appellatæ frictiones,& vinculum parti adactum. In agendis sunt exercitationes longæ, quæ corpus dissoluunt, & duræ. Et nimium ocium exsiccat, dicente Platone,exercitatio roborat,quies verò colliquat & contabefacit.Ex animæ quoque actionibus omnes ferè exsiccant, vti ira,mœror,solicitudo,vigilia,dolor.In assumendis sunt alimenta calefacientia, quæ ex accidenti exsiccant, & exsiccantia, vt salsa, amara, & acria, & acerba,& alimenta quę dissoluunt plusquam reficiãt,& alimentorum inopia, ac fames, talia quoque sunt vina valida & medicamentorum potiones, & aer calidior iusto, qui inspiratur. Excernenda verò sunt, quæ non excernuntur, vt bilis retenta,& quæ adstringunt,& obstruunt meatus, ne sanguis ad singulas partes diducatur, quod à crassis humoribus sæpe fit, quandoque etiam adnato tuberculo in via.Hac autem ratione euenit,vt nonnullæ,partes arescãt,

& contabescant,sic etiam vbi plus æquo excernatur,vti multo sanguine digesto ob pororum raritatem,aut multo sanguine manifestè vacuato, aut multa pituita,aut magna seroforum humorum portione,aut etiam carne,& reliquis partibus absumptis,ob sensum effugientem vacuationem. Hæc autem est potissima & maxima siccitatis causa,cum loco dissoluti, aut alio modo vacuati, non succedit copiosa refectio.Qui vero existimat caloris naturalis actionem, quæ ad mortem ducit,morbos siccos efficere posse, fallitur quã maximè. Extrema enim siccitas,atq; mors hæc,citra morbum euenit,ac naturalis est.Humidorum morborum causæ in exterioribus sunt, quæ admouentur,& accedunt,vt aer humidus, & medicamenta talia,& frequens balneum, præsertim non longe à cibo, & quæ poros occludunt ex accidenti retento humore, humectant,talia quoque medicamenta & mollis frictio,& mediocris.Ad animæ & corporis actiones attinent,quies longa,& somnus, & animi tranquilitas.In assumendis sunt alimenta humectantia,& abundè sanguinem generantia, & vini dilutioris potio, & aquæ potio, quamuis hæc solidas partes non reficiat, & aer humidus,qui inspiratur & transpirat. De excernendis sunt magnæ bilis excretiones,& quæ immodicè refrigerant: quoniam ex accidenti humectant,& calida quæ diximus dissoluto calore morbos frigidos inferre: nam & hi cum humoris abundantia fiunt.Retentio quoq; multi humoris, vti pituitæ, aut sanguinis qui alias manifestè vacuari solebat, aut sensim per cutem digerebatur: vbi enim non euacuetur, corpus humectatione ægrotare cogit. Ab his 4.membris in quibus omnia causarum genera apud Gal. cõtinentur, sunt morbi:non hi vbi in parte præcipua consistant,aut magni fuerint,alios efficerent morbos vel similis,vel diuersi generis.Verùm morbi nõ sunt in assumendis,excernendis,agendis,aut exterioribus, quamobrem hæc causa addenda erit,Absoluta inuentione causarum morborum consistentium in simplici intemperatura,non erit difficilè inuenire causas compositorum morborum, hi tamen vbi cum humore fiant,quamuis possint à 4.causarum generibus euenire,vnum tantùm habent causarum genus immediatum,quod expectabit ad ea quæ excernenda sunt:quæ enim in exterioribus consistunt, & animi actiones,ac corporis,atque ea quæ assumuntur, valde mediatæ causæ sunt. Intemperantiæ itaque quæ sine humore fiunt, & compositæ sunt, causas etiam habent compositas,de his quas retulimus, cùm humore tamen in genere continentur tumorum: præter naturam, quamuis & sine tumore humor copiosus parti insitus compositam pariat intemperiem. Ex tumoribus itaque efficientibus intemperantias compositas, & inæquales, est phlegmone: hæc enim calorem & humiditatem habet, & humorem adiunctum: œdema verò frigiditatem & humiditatem cum humore, erysipelas calorem & siccitatem cum humore,& cancer frigiditatem cum siccitate, & humorem. Cùm autem intemperantiarum dictarum causæ præsentes adsint, & cognita eorum morborum natura cognoscantur,tumorum ipsorum generationis causas disquirere erit hoc in loco apprimè vtile. Tumores verò præter naturam bifariam generantur,congestione,aut defluxione, fit etiam vt quandoque mixtim generentur.Congeritur sanè humor multus in parte quapiam, aut quoniam improbè coctus non transit in substantiam partis, aut quoniam excrementum quod abundat ex proba coctione non excernitur. Quòd verò improbè transmutetur fit ob imbecillitatem nutritoriæ facultatis,aut quoniam quod trahitur,ineptum est alitioni,aut adeò multum,vt nec à valente facultate superari queat.Quod fit quoniã sensim aliunde mittitur, aut à parte trahitur: id verò ad calorem referendum est.Fit autem vt excrementum superetur, ab altrice facultate.simul cum alimento,sed deinde non excernatur,aut ob imbecillitatem expultricis, aut excrementi crassitudinem, aut multitudinem,aut lentorem: aut sensus partis hebetudinem, aut ob meatuum obstructionem, aut eorumdem conuiuentiam,aut malum partis situm, aut si plures ex prædictis

Morb. hum. causæ.

Morbi morborum causæ.

Morborũ compositorum causæ.

Tumorum causæ.

cau

cauſis ſimul iunguntur. Si tamen tumores defluxione generentur, cauſa erit in membro recipiente, aut in tranſmittente, aut in vtroq; . In membro tranſmittente eſt facultas quæ generat excrementum, & copia ipſius, aut acredo: & malitia, aut omnia ſimul cum robore expultricis, ſed meatuum amplitudo, viæ procliuitas, atq; reſpondentia & rectitudo maximè parant ad fluxionem: caput enim facilè mittit in palatum excrementa, & ventriculus vapores in caput, & iecur per narem dextram ſanguinis redundantias: accedit ad hæc partis mittentis acris ſenſus. In parte verò recipiẽte, fluxionis cauſę ſunt, calor, dolor, & imbecillitas. Calor enim vim habet trahendi manifeſtam, atque cùm pars incaleſcit, ſtatim ſanguine ipſam impleri videmus, & in ſumma omnis tractionis quæ à naturalibus cauſis fit & per ſe, inſtrumentum eſt, calor: dolor verò non equidem trahit, ſed concitat fluxionem, commotis partibus aliis ob dolorem, atq; trudentibus ſanguinem & ſpiritum vt auxiliares copias ad partem dolentem. Imbecillitas quoque partis ea ratione fluxionis cauſa fit, quoniam facilè admittit quod aliunde tranſmittitur. Accedunt autem partis laxitas, & ſitus decliuis, & meatuum per quos fit tranſmiſsio, amplitudo. Conducent etiam ad idem imbecillitas expultricis, quæ in aliam partem transfundere receptа excrementa nequit, & meatuum ad idem deſtinatorum angultia. In vtriſque itaque eſt robur tranſmittentis, imbecillitas recipientis, ſitus partium, & earumdem rectitudo: ex meatibus verò latitudo, eorum qui ſunt inter membra ipſa, & angultia eorum per quæ purgari debet membrum recipiens. De cauſis verò tractionum, & ea quæ fit (vt aiunt) à vacuo, in commentariis in librum ſecundum de Diff. fe. abundè diſputauimus, & parte ſecunda ſupra. De cauſis morborum in compoſitione deinde agendum, à morbis in formatione partium initium ſumentes. De morbis conſiſtentibus in formatione eſt deprauata figura, hanc autem deprauari contingit, aut in vtero, aut in partu, aut poſt ortum, & oſsibus adhuc mollibus, aut etiam iam obduratis. In conformatione, aut ob imbecillitatem facultatis formatricis, aut ſeminis inopiam, aut abundantiam, aut eiuſdem malam qualitatem, aut lentorem, aut nimiam tenuitatem, ſiue obtenuitatem, formationem & conſiſtentiam effugiat, aut ob craſsitudinem non extendatur. Iam etiam conformato fœtu figuram deprauari contingit, ob cauſam aliquam externam comprimentem. In partu quoque cùm aut ob magnitudinem, aut viæ angultiam prodire nequit, niſi obſtetrix manibus ipſum euellat: tunc enim figuram deprauari contingit. Poſt natiuitatem quoque ob cauſam externam, aut obſtetricum aut nutricum negligentiam, quia partes quaſdam validiùs ligantes comprimunt, alias laxiores permittunt & in ligatura diſtorquent, ac inæqualiter faſcias tendunt, aut manibus malè formant. Figuram etiam vitiant infantes ante tempus, mollibus adhuc membris incedere tentantes aut ſtare volentes, aut brachiis & manibus, validiùs quidpiam apprehendentes. Diſtorquentur enim crura, aut intrò, aut extrà, intrò quidem vergentibus genubus diſtractis pedibus, vaciæ fiunt: vbi tamen coniunctis pedibus ſeiungantur genua, vari dicuntur, grauitas quoque corporis ſiue ob carnium copiam, ſiue ob plenitudinem crura diſtorqueri cogit, ſic vbi brachiis & manibus quidpiam quod grauius ſit, leuare conentur. Dum verò membra adhuc mollia ſunt, externæ cauſæ facilè mutant figuram eorum: quo tempore nõ erit valde difficilè eandem reſtituere. Obduratis tamẽ oſsibus, ſi quod ipſorum frangatur, niſi à chirurgo debitè conformetur, natura figura membri vitiabitur, aut etiam ſi luxatam partem improbè reducat. Tumores quoque præter naturam figuram vitiant, & plenitudo, vt in elephantiaſi, & malo habitu, & per inflammationem, aut ſcirrhum, & relaxationem, qualis in facie, & conuulſionem, & morbus articularis antiquus manuum, & pedum, figuras deformat, & nimia extenuatione oculi excauantur, & aurium lobi inuertuntur, & naſus in extremis gracilis fit. Quibus quoque tabes aduenit, humeri alati fiunt. Vitiatur quoque

Cauſæ mor. in formatione.

Cauſæ mor. in figura.

figura à causa externa vulnerante cum partis abscisione, aut diminutione, & simili ligamenti vulnere, aut tēdonis, aut nerui, per transuersum discindente totum ipsum. Et cicatricis magnæ figuram deturpant, vti & calli ossa agglutinantes. Meatus tamen & cauitates ob similes causas in morbos incidunt, cauitates autem appellantur, cauæ corporis partes per quas nihil defertur secundum naturam, aut vbi deferatur, ingressus & egressus habet angustiores, reliquo conceptaculo. Exemplo sunt, thorax, & venter: per has enim partes nihil defertur, sed conceptacula sunt, alterum pulmonis & cordis, alterum ventriculi, intestinorum, iecoris, lienis, renum, & vteri, atque vtriusque vesicæ: tales sunt ossium cauitates, & cerebrum. Exemplum reliquarū sunt ventriculus cor & vesicæ ac vterus, quæ membra cauitatus habent, sed angustiores sunt ipsis ingressus, & egressus, capacitate. Reliquę corporis cauitates vię sunt, vti venę arteriæ, intestina, pori, nares, os, guttur, gula, & similia, vitiatur horum natura, aut defectu, aut abundantia, aut augustia, aut nimia patentia. Abundāt enim meatus, vbi pori fiant in parte plures: deficiunt, si plures ex naturalibus claudantur: ab ipsa namque natiuitate vidimus infantem cui anus nō patebat, hic non vltra diem vixit. Comprimuntur autem à causis quæ sunt extra eosdem, aut ab his, quæ in ipsis continentur, aut conuiuent, ab his quæ extrà sunt causis, vt laqueis, & fasciis, ab inflammationibus, & tumoribus præter naturam, aut adnata carne, aut callo, aut multo humore extra cauitatem ipsam fuso, aut etiam lapide, à quo prægnantis vterum, & infantem valde comprimi nouimus, & inflammatio, aut scirrhus iecoris comprimit septum transuersum, & minorem efficit cauitatem thoracis, & inflammatio vteri comprimit rectum intestinum. Similis est lōgus super membrum aliquod decubitus, & præsertim in lecto duro, & frictio dura, & aqua, balnei iusto calidior, aut frigidior, & simi lis aer, & medicamēta vires adstringendi habēria, aut infrigidantia. Hæc verò cauitates quoque reddunt angustiores, quæ sunt extra læsam partem: contraria tamen latos reddunt meatus. In externarum causarum numero sunt calefacientia, quæ etiam siccant, & medicamēta omnia quæ à Gal. anastomatica, & areotica appellantur: quia meatus aperiunt, & poros rarefaciunt, laxant etiam humida, & quæ imbecillam reddunt retentricem facultatem. In actionibus sunt motus, & exercitationes partium, quę meatus & cauitates ipsarum amplificāt, & valida expulsione frequenti, per eosdem facta, sicuti ocium, & motuum, atque expulsionum priuatio, tabem infert, & angustiam efficit. Constringuntur quoq; meatus facultate expultrice validissimè ad excernendum commota. At verò insufflatio, & vociferatio amplas reddit vias pulmonis, & cauitatem thoracis, & ocium partes reddit tabidas. In assumēdis sunt, multus cibus, & potus largus, quæ ventriculum extendūt, atq; intestina, sicuti ob contrariam causam cauitates, & meatus angustiores fiunt, & vehemēs ac magna insufflatio thoracem & pulmonem atracto aere amplificat, sic vti & copiosa sanguinis distributio, dilatat venas: sed hæc in agendis est. In excernendis verò sunt quantitas, crassitudo, & lentor eorum quę continētur in cauitate, aut meatu, sed quantitas prima ratione, veluti & lapis, pus, sanguis concretus, & callus, & tuberculum, meatus occludunt: conuiuent autem meatus nimia siccitate, vt in his qui labe premuntur, aut vetustate arescunt. Sunt autem morbi quidem morborum causæ, vt diximus: ex vulneribus namque partibus coalescentibus, aut post alia vlcera, meatus clauduntur, aut minores redduntur, sicuti ob nimiam contractionem, veluti in conuulsionibus, aut vbi pars distorqueatur: vasa enim quæ non rectà procedunt, omnino comprimuntur, & latera appropinquant, flatus verò meatus & cauitates dilatāt, & humores acres & humidiores cōtenti aut procedentes: tumores verò omnes quāuis annumerati sunt in causis extra patientē partem, cū humoribus extrà fusis, in numero excernendorum sunt. In summa Galen. inquit, cauitates aut meatus partium pereūt, aut vitiantur, ob diuersas causas: nā aut coalescunt, veluti in vlceribus

Causæ mor. in cauitatibus & meatibus.

car

carne nata,aut parte alteri adhærente, aut constipantur, aut à tumore penetrante cauitatem, aut meatum, aut obstruuntur, vti in crassis aut lentis humoribus,pure,aut sanguinis grumo,aut constringũtur à tumore in parte proxima,aut lapide,aut laqueo,aut adiacente corpore solido, & duro, aut causis refrigerantibus & adstringentibus occursantibus, aut in se resident ob humiditatẽ relaxata,aut nimia siccitate rugosa facta & cõtracta. Superficies quoq; vitiata de morbis est in formatione,vitiatur autem vbi immodicè exasperetur aut leuis fiat:exasperantur autem partes,quæ leues futuræ essent, ab humoribus quibus valida inest detergẽdi vis:tales siquidem humores aut similia medicamenta quandoque detersione abradunt,& exulcerant,& inæqualẽ efficiunt superficiem. Aspera igitur manent ossa improbè curata,aut carie exesa, & ab acribus humoribus exasperata,sicuti à causis externis,vti fumo,aut pulnere,oculi,aut pulmonis arteria,& guttur:lẽti autem & pingues humores immodicè leuigant superficiem internam membri in quo continentur, aut per quod defluunt. Morbi in numero fiunt aut deficiẽte parte quapiam, aut abundante:deficit autem pars à prima ipsa conformatione, aut post. A prima sanè conformatione ob defectum seminis, aut eiusdem ad extensionem ineptitudinem,aut prauam alicuius naturam,aut ob facultatis formatricis imbecillitatẽ, aut alicuius de naturalibus facultatibus, Aut ob putredinẽ quæ parti alicui aduenial in vtero quæ ipsam generari non permittat,aut genitã corrumpat. Idem facit humorum erodentium occursus, qui partem exedere possint. Post ortum quoq; ob putredinem,& erosionem corrumpuntur & minuuntur partes,aut arte chirurgica secantur,aut quapiam occasione occurrẽtibus quę partem abscindãt. Aucti numeri causæ quædam sunt quæ augmentũ partium quæ sunt toto genere præter naturam efficiunt, quædam partium secundum naturam. Partium quæ sunt toto genere præter naturã causa in materiã consistit,& efficiente,vti in lapide & suffusione,& prauis abscessibus,vti atheromata,steatomata,& melliceridesin his enim omnibus materia omnino præter naturam est: verùm aliquando secundum naturam existens,à calore vitiatur,aut frigore,& fit præter naturam, aliquando vtrunque ab initio accedit, vti cùm lapis in renibus gignitur, ex crassis humoribus à valido & exsiccãte calore renum,sic in tumoribus prędictis humor deprauatur à partis temperatura,aut aliunde talis defertur, aut vtrumque accidit. Cùm verò morbus in numero ex genere secundum naturam est,materiæ significat abundantiam, & robustam facultatem fuisse in causa:materia quidem vtilis est ex qua quod secundum naturam est conformatur:vires quoque robustæ ad eam conformationem exiguntur,vbi tamen numerus additus toto genere præter naturam est,materia vitiosa abundat, & in quibusdam eorum, virium robur exigitur, non conformantium,sed extrudentium. Neque putandum Galen.in omnibus quibus pars toto genere præter naturam addita est, voluisse asserere robur virium (quamuis vt robiq; valida esse vires dixerit) ad lapidis enim generationum non opus est eisdem,sed vbi id quod abũdat extruditur in partem quampiam: vt in atheromate,steatomate,& melliceride, de quibus Galen.exempla sunt lib.de Causis morborum,cum morbis in numero virium robur accedere dixerit. Magnitudinis causæ ad materiam & facultatem referuntur: nam vbi seruata naturali & debita figura,mẽbrum aliquod increuerit,copiã significat vtilis materiæ,& virium robur, quod si inualidæ essent vires membrum iusto maius solius materię quantitatem ostenderet,quod capitis magnitudo docet, quæ cum bona figura,à valente facultate facta est,cùm mala,à copia materiæ nequeunte facultate ipsam superare. Hæc à prima conformatione talia sunt, sed deinde ob tumores præter naturam vitiatur partis magnitudo à copia humorum bonorum,aut malorum,quos non superat probè natura,& in vlceribus caro excrescit, ob vtilis materiæ abundantiam, quam natura superans in id quod melius est,& naturę vim magis refert,commutat. Quantitas autem

Causæ mor. in superfi.

Causæ mor. in numero.

Causæ mor. in mag.

partis minuitur, ob plures causas, quas sicuti & magnitudinis auctæ facilè quiuis ad quatuor genera causarum, quibus ad inuentionem vtimur, reducet: omnes tamen ad facultatis naturalis imbecillitatem, & materiæ aut malitiam, aut abundantiam, aut inopiam attinent. Facultatis naturalis coctricis & altricis imbecillitas, causa est, ne alimentum quamuis vtile sit, in alendum membrũ transeat: idem facit imbecillitas trahentis, vbi nõ traxerit, quod reponendum foret. Hæc autem causa, materiæ inopiam habet adiunctam. Idem efficit retentricis imbecillitas: vbi verò expultrix excrementa non expellat, nutritio & auctio impedientur. Ad inopiam materiæ pertinet alimenti defectus, sicut ad malitiam, eiusdem malitia. Deficit autem alimentum, quoniam non assumitur, aut quoniam non coquitur, aut quoniam non deducitur ad partem: quod obstructiones quoque faciunt, vti facultatum trahentium, & expellentium imbecillitas: causæ verò immodicè dissoluentes & exsiccantes, humorem minuentes, membra minora reddunt, sicuti quæ secant, & putrefiunt, sed hæc figuram mutant, ac perinde ad numerum attinebunt. Sunt aliqua quæ comprimunt, refrigerant, & adstringunt, aut concluſam partem continent. Situs quoque partium vitiatur ob improbem structuram natiuam, aut ob causam morbificam, à prima namque generatione quidam habent ossium parua supercilia, aut latas capacitates, qua ratione aut facilè exiliunt ossa à loco suo, aut in eodem latiùs vagantur, quod pari ratione laxitas ligamentorum facere potest. Bobus namque hyberno tempore coxendix facilè excidit, tum ob humoris abundantiam, tum carnium defectum & ossium parua supercilia, vt Hippocra. testatur libro primo, de Articulis, & comprobat Homeri sententia. A causa verò morbifica fit, vt ab his quæ contundunt, frangunt, secant, aut erodunt, aut putrefaciunt, parte corrupta, aut dempta, aut contusa, pars altera è loco secedat. In vulneribus namque ventris, omentum excidere videmus, & rupto peritonæo, omentum decidit in scrotum, & quandoque inteſtina, fiúntque enterocele, & epiplocele, appellati morbi: In magna etiam concussione corporis, & casu, viscera situm mutare videmus, & anus laxitate decidit, ac vterus procidit, & quandoque in coxam vergit, ob humiditatis redundantiam, aut conuulsionem, vehemens quoque corporis motus membra è loco secedere facit. Continuitatis solutæ causæ sunt, animi actiones, vt motus vehementes, vociferatio, & insufflatio quæ venas & arterias pulmonis rumpere solent, sicuti & magna pondera leuare, aut gestare, quæ partes diuellendo aut comprimendo disrumpunt: quæ verò assumuntur, sunt in medicaminum numero, aut eorum quæ dicentur. Alia sunt quæ retinentur, aut excernuntur, vti bilioſa excrementa: at verò in causis externis sunt, quæ secant, vt ensis, gladius, quæ pũgunt, vt acus, quę mordent, vt canis, quæ contundunt, vt lapis, si corpus pulset, aut à corpore pulsetur, similes autem ictus cùm ad ossa peruenerint, eadem frangunt. Talia sunt contundentia omnia, vt validè prementia, vti ligaturæ fortes, fibras quoque neruorum & musculorum auellunt, quæ vehementer distendunt, sicuti & ligamenta disrumpunt: erodunt autem medicamenta, quæ erodendi vim habent, quæ aut septica à putrefactione, aut caustica ab vstione dicuntur, sic etiam ignis, soluunt quoque continuitatem quæ poros valde aperiunt, aut meatus plus iusto dilatant. Quæ assumuntur medicamenta, sunt calore, aut simul calore & siccitate erodentia, aut cum humiditate putrefacientia aut asperitate & duritie inter deglutiendum, aut pòst vulnerantia. Quæ verò retinentur, ea sunt, aut medicamenta cum vasa penetrant, aut alimenta in prauam versa naturam, & vim vrendi, exedendi, aut putrefaciendi nacta, quæ carnem exulcerant, neruos putrefaciunt, aut ariditate disrumpunt, aut ossa carie absumunt, quandoque parti hærentia, quandoque per ipsam procedentia. Non erit tamen difficile ex his quæ diximus, compositorum morborum ex diuersis generibus causas inuenire. Neque etiam difficile

Causemor. in suu.

Causæ vnitatis solutæ.

erit

erit inuenire causas specierum morborum, quas accidentarias diximus. Nam si morbus magnus dicitur, ex affectus magnitudine, qui nouerit causas quæ affectum ipsum facere possunt, intelliget quoque magnam causam magnum facere posse eius generis affectum. Si enim solutio magna eò dicitur, quòd magnum locum occupat, ea erit magnæ solutionis causa quæ magnam partem diuidit, sic etiam si magna intemperies, morbus magnus est, causa quæ intemperiem efficit, vbi magna fuerit, magnum morbum in ea specie gignit. Cùm itaque febris continens inter magnos censeatur morbos, atque is causam habeat sanguinem, plurimum sanguinem eum efficere posse putandum est, quantus vasa omnia & potissimum magna occupare valeat, paruum verò contrariæ causæ efficient. Quòd si morbi breuis aut longi causas inuenire velis, hac via eas facilè assequeris. Morbus breuis aut longus est, qui breui, aut tardè ducit hominem ad mortẽ, aut à natura & arte vincitur, quod ad celeritatem morbi attinet. Ille igitur qui facilè & breui vincit aut vincitur, breuis, contrarius longus, ac si causam adhuc habuerit præsentem, ille erit breuis aut longus, cuius causa facilè aut difficile vincit, aut vincitur. Quòd verò facilè vincatur, aut non, ad virium robur & imbecillitatem, & ea quæ ipsam iuuant aut eidem obsunt, & ad causæ magnitudinem, & paruitatem, & præparationem, ac rebellionem, referri debet. Corporis quoq; dispositio ad causæ dissolutionem facit, nam rarus corporis habitus parat, & densus impedit. A facultate tamen simul & morbi causa, si morbus lethalis est, & facultas valida, diutinus erit: quoniam tardè superabitur causa, sic vbi facultas imbecilla est, & morbus salubris, quoniam tardè superabit causam. Contraria fient si facultas valida sit cum morbo salubri, aut imbecilla cum morbo lethali: hæc enim morbos efficient breues. Benigni autem & maligni morbi, causas habẽt, quæ praua symptomata ac pernicioſa efficiunt, aut secus. Sanguis namque ex natura sua benignus humor est, & benignos solet parere morbos: bilis verò præsertim atra & exquisitè talis, malignus & pernicioſus. Sunt autem morbi quidam maligni, quorum tota malignitas ex parte oritur patiente, non ex natura causæ, veluti vulnus inflictum parti præcipuæ, aut iuxta articulos, & inflammationes ac vlcera partium præcipuarum, maligni morbi sunt: verùm ob causæ naturam magis aut minùs tales fient. Nam inflammatio cerebri à sanguine facta, minus maligna est, quàm à bile: communis autem & sparsim inuadentis morbi causæ facilè inueniuntur. Nam causæ quæ omnibus communes sunt, morbos efficiunt communes: quæ verò non, minimè: causa verò communis est aer qui inspiratur & transpirat, & cæli aspectus, & aquæ quæ bibuntur, aut alimenta quæ eduntur. Peculiares verò causæ sunt, in singulis temperaturis, ætatibus, habitibus, & viuendi norma, quæ morbos diuersos afferunt hominibus. Morborum præterea factorum, & fientium causæ longè dissident, nam factorum nulla est causa antecedens, sed præfuit, ac morbum perfecit. Fientium tamen causæ sunt morbificæ, quæ nondum morbum in habitum perduxerunt. Morbi proprij aut sine causa sunt, aut causam habent internam, aut externam, sed quę parti morbum inferat per se, ita vt morbus ipsius, ab alterius partis morbo non pendeat. Per consensum namque morbi causas habent, magnitudinis affectus partis primario affectu laborantis, aut præstantiam ipsius, connexionem, & propinquitatem. Siquidem magnæ inflammationes ventriculi septum transuersum comprimunt, & delirij causæ sunt, non tamen paruæ. Iecore verò laborante inflammatione, aut obstructione, non traducto alimento, partes corporis contabescunt: quoniam non transmittitur, quod à nobili illa particula transmitti deberet, sic etiam vbi multam bilem mittat, quam mittere nõ deberet, sic vbi neruis opticis ad cerebrum obstructis læditur oculorum videndi facultas. Connexione partium laborat cerebrum, ventriculi morbis consentiens, & neruo digiti puncto, conuellitur totum brachium. Fiunt autem morbi tales in vniuersum

Causæ accidẽtalium specierum.

Benigni & malig. mor. causæ.

Communes morbi & sparsi quas habent causas.

Morborum factorum et fientium causæ.

a cauſa morbum alteri parti prius inferente, aut inſtrumentis quarundam partium: at verò quantum agat propinquitas notum eſt. Quòd vero morbi continui ſint, aut intermittant, id copia cauſæ facit, & ipſius præparatio, & locus in quo continetur, aut diſpoſitio partis à qua mittitur. Vbi enim materia morbi tota in parte laborante contineatur, nec diſformis fuerit, morbus continuus erit, intermittet autem, vbi aliunde inæqualiter deferatur, aut non ſimiliter affecta fuerit, ſic vbi pauca ſit, ita vt citius diſſoluatur, quàm alia ad morbum faciendum accedat. Diſpoſitio quoque partis à qua generatur, & mittitur, quæ non generat, aut mittit perpetuò, nec ſimili copia ſemper aut ſimili diſpoſitione, ſed ad tempus aceruat, intermittentes efficit morbos, ad quos non parum conducit victus deterior, aut melior: nam deterior cauſam auget, à qua membrum materiam morbo ſuppeditat, & debita victus ratio eandem minuit. Quoniam verò morbi intermittentes acceſsiones habent, cauſas intermiſsionis, & reditus acceſsionum dicemus conſiſtere in membro mandante, generante, & in ſuſcipiente, ad quæ accedunt cauſæ externæ augentes, aut minuentes, & quæ aſſumuntur, & quæ retinentur, excernenda, & animi motus: nam ſubitus terror, aliquando quartanam ſanauit. Exquiſiti verò morbi à nothis ſimplicitate cauſæ, & affectus diſtinguuntur. Tertiana etenim exquiſita à ſola bile flaua fit, notha verò à bile mixta alteri humori: ob affectus verò cõpoſitionem morbi potius compoſiti, quàm nothi appellantur, contrarij ſimplices, vti phlegmone commixtum habẽs eryſipelas aut œdema, qualis affectus phlegmone eryſipelatodes, aut eryſipelas phlegmonodes appellatur. Cauſis itaque commixtis ſimplicium morborum, commixti ſiuè compoſiti oriuntur morbi, aut ex diuerſis morbis in vno genere, aut ex morbis diuerſorum generum. Morbi verò qui temporum conſtitutionem ſequuntur, cauſas habent temperaturas naturales, aut aduentitias temporum, quę in ambiente aere conſiſtunt, ſexuum morbi in maribus & fœminis ſimiles ſunt, in partibus patientibus diuerſi. Qui verò ætates ſequuntur, à temperaturis ipſis ortum habent, & à victu quo homines per eaſdem ætates vtuntur, & ab excrementis à prima generatione contractis: ex morbis namque infantium & puerorum, quidam naturalem temperaturam ipſorum ſequũtur vti febres, calore nequeunte humorem vincere, & conuulſiones ob neruorum imbecillitatem. Quidam ſequuntur malum victum, vti oris vlcera ob lactis acrimoniam, & lapis veſicæ ob cruditates ortas ex intempeſtiuis exercitatſonibus, & ciborum aſſumptionibus: variolæ autem excrementorum à prima generatione contractorum copiam & malitiam ſequuntur magna ex parte. Diurni tamen morbi cauſam oſtendunt calidam, nocturni frigidam. Morbi tamen ſalubres & lethales cauſas habent: vehemens namque cauſa quæ vires ſuperat, morbum efficit lethalem. Quæ verò talis eſt vt à facultate aliqua, via & ratione ſuperari poſsit, ſalubris eſt. Rurſus ſalubris ſigna habebit, quæ docebunt facultatem morbum tandem ſuperaturam: lethales verò ſigna habebũt, quæ oſtendent cauſam ſi quæ adſit, ſuperaturam morbum. In ſumma, cauſæ validiſsimæ atque malignæ, lethales pariunt morbos, contrariæ ſalubres: grauiſsimæ verò, aut ſecus ad facultatem conferri debent, vt tales dicantur. Siquidem ex collatione facultatis & morbi magnitudinis, & malignitatis præſagia ſperandæ ſalutis, aut mortis elici debent. Morbi verò qui ex additione fiunt, cauſam habent, ſubſtantiam, quantitatem, aut qualitatem additam. Quòd ſi nihil horum additum fuerit, morbus omnino ex ablatione factus dicetur, quoniam nulla facta additione, ſola bona ipſa conſtitutio ablata eſt, quam reſtituere oportet, aut ſimul etiam ablata eſt ſubſtantia, aut quantitas. Hac diuiſione vſus eſt Hippoc. cùm lib. de Flatibus dixit: Medicina eſt adpoſitio & ablatio: ablatio quidem, eorum quæ excedunt, adpoſitio verò eorum quæ deficiunt: qui autem iſtud optimè facere poteſt, is optimus medicus cenſebitur, quantúmque quis ab hoc præſtando deficit, tantùm deficit quoque ab

Exquiſiti morbi.

ipſa

ipsa arte. Cùm autem dixisset contraria contrariorum esse remedia, si morbus aliquis neque additione, neque ablatione fieret, non esset in adiectione, & ablatione, tota ars comprehensa, nec in eis actionibus complementum artis medicæ factiuæ. Cùm enim pars locum suum amittit, aut membrum simplicem vnitatem, hæc ablatio est, non substantiæ aut quantitatis, sed naturalis constitutionis quam medicus adiicere & restituere tenetur: diminuta autem magnitudine præter natiuam constitutionem, quantitas aufertur, atque ambo hæc à medico sunt adiicienda.

De Generibus Symptomatum. Cap. III.

SYMPTOMA Vox Græca est, quæ casus Latinis, aut concasus, aut accidens dicetur. Quod igitur ad aliud sequitur, aut ex alio cadit, ipsius Symptoma iure appellabitur. Sed inualuit vsus, vt tantùm id appellauerint medici Symptoma, quod præter naturam in humano corpore cõtinetur, atque comprehendit vox hæc morbos, causas morborum, & eorum accidentia, sed deinde magis propriè, & vt Galen. dicere solet, speciatim, Symptoma, id significat, quod præter naturam continetur in humano corpore, & neq; morbus est, neque morbi causa. Nam constitutio corporis præter naturam à qua actiones per se vitiantur, morbus est: quod morbum infert, ipsius causa: quod verò morbũ sequitur, Symptoma: quod verò causam morbificam sequitur, aut morbus est, aut Symptoma, vt probabimus, vti si humor bilios us in caput raptus inflammationem efficiat, siue erysipelas, quam delirium sequatur. Humor sanè causa est intemperantiæ calidæ, hæc verò delirij. Nec tamen putes, omnia morbis superuenientia Symptomata esse: nam bilis porraceæ de venis excretio, morbo accedit, non tamen sequitur ipsum, neque Symptoma est, sed naturæ opus: si opportunè excernatur, nempe coctionis signis apparentibus. Quamuis tamen ipsa excretio bilis porraceæ, naturæ actio sit, excreti ratione, Symptoma accedit, nempe excrementi mutatio, in id quod præter naturam est: verùm vbi expultrix impetu quodam immodicè sanguinem vacuaret, esset sanè excretum præter naturam quantitate, & excretio Symptoma morbi. At verò in iis quæ menstruę non sunt, vbi osculorum venarum apertione fiant, quamuis naturæ functiones sint in tempore factæ, partis tamen cuius meatus aperiuntur, morbus accedit, & excrementum toto genere præter naturam est, quæ namq; sanguinem excernit bene valentibus nobis. Quæ igitur morbos sequuntur, Symptomata sunt ea ratione: nam & bilis porraceæ excretio in tẽpore facta, quamuis à natura fiat, qua parte ad actionem attinet, quantum ad id quod euacuatur, spectat, Symptoma est, nempe excrementi mutatio tota substantia, & colore: verùm excretio ipsa quæ Symptoma non est, morbum non sequitur. Mutatio verò excrementis, quæ Symptoma est, morbum sequitur. Rigor autem tussis, sternutamentum naturæ opera, siue functiones sunt, sed à Galen. 2. de Causis Symptomatum, inter Symptomata recensentur, non sui ratione, sed causarum irritantium, quæ præter naturam sunt. Sequntur quoque morbos quandoque morbi alij, qui Symptomata priorum morborum appellantur, vti diminutio corporis, per atrophiam, quæ obstructionem iecoris sequitur. At verò ex his morbis qui alios sequũtur, illi qui nondum facti sunt, sed adhuc fientes, ita vt primo morbo sublato, statim auferantur, meritò inter Symptomata recensentur: quoniam morbis sublatis auferuntur, vti obstructio venarum iecoris, quæ sequitur compressionem, ab inflammatione ipsius factam. Qui tamen ablato morbo adhuc manent, hos non propriè Symptomata appellari volumus, veluti abscessus, qui post febres fiunt: nam finita febre adhuc manent. Quæ enim propriè Symptomata morborum sunt, eorũdem vt vmbra sequuntur. Sunt autem Symptomatum in vniuersum tria genera: aut enim læduntur actiones, aut mutantur excrementa, aut coporis qualitates: *Sympt. tria genera.*

ex

ex his autem sola actionum læsio, insigne Symptoma est, & immediatè morbum sequitur, atque est morbi propria differentia, quæ morbum à sanitate separat: quoniam morbum diximus esse constitutionem corporis præter naturam, quæ actiones primò lædit. Quòd autem excrementorum mutatio morbum sequatur, læsa actio est in causa, qua interueniente, alia duo Symptomatum genera sequuntur. Dejectio etenim quæ multam continet pituitam, in morbis, cruditates sequi solet, ac diminutas coctiones. Diminuta verò actio, læsa actio est, quę intemperiem frigidam sequitur. Sic etiam in leucophlegmatia color totius albicans, alteratricis facultatis actionem læsam sequitur, hæc verò frigidam intemperiem. Ac perinde fit, vt actio læsa primum Symptoma sit, ad quod alia sequuntur, atque meritò dici deberi excrementorum mutationem, & qualitatum corporis, Symptomata Symptomatum, potius quàm Symptomata morborum. Nec tamen quoties actio læditur, excrementa aut qualitates mutantur, vt læsa visoria facultate ob defectum visorij spiritus, visio læditur non mutatis qualitatibus, aut excrementis. De actione itaque læsa primo loco agamus, tum quòd ipsa dignior aliis sit, tum quòd ad ipsam alia sequantur, aut ad morbum, sed ipsa interueniente. Actiones autem in humano corpore quædam sunt animales, quædam naturales. Animales quædam sunt sentientes, quædam loco mouentes. Sentientes rursus quædam sunt internæ, quædam externæ. Naturales verò sunt pulsatilis, atque irascibilis, altrix, & generatiua. Autrix verò vis, eadem cum altrice Symptomata patitur. Interiores sentientes sunt, imaginatiua, cogitatiua, & memoria: exteriores sunt, visiua, auditiua, odoratiua, gustatiua, & tactiua. Motiua vnum tantùm habet genus, quod variis instrumentis exerceri valet. Vitalis facultas duplex est, altera quæ dilatat cor & arterias, altera quæ eadem contrahit. Altrix quatuor vtitur facultatibus, attrahente, retinente, coquente, & expellente, quę singulis insunt membris humani corporis, atque in quibusdam binæ singularum specierum. Generatiua siue procreatrix facultas, testibus insidet, ac semini demandatur: quemadmodum verò intellectus voluntatem habet adiunctam, ita sensus voluptatem, siue appetitum sensitiuum, & vitalis facultas habet iram & mansuetudinem, & naturales facultates, appetitum prosecutionis, aut fugæ: siquidem omnes animæ facultates, per ordines animatorum, appetitum habent immixtum, in quo singulas actionum læsiones de quibus agemus, recipere fas est. Has omnes & singulas earum, vno trium modorum lædi contingit, vti Galen. vult, aut quoniam exerceri non queunt, vti in omnimoda priuatione, aut quoniam difficulter: id verò est aut diminutè lædi, aut deprauatè, vti in coctione: quædam omnino non fit, vt coctionis defectus Græcis, ἀπεψία: quædam verò fit, sed remissa: atque id quoniam tardo motu, aut quoniam nunquam finem assequitur primum motum appellant βραδυπεψίαν, id est, tardam coctionem: secundum dicemus deficientem, aut diminutam coctionem. Quòd si id quod coquitur, corrumpatur, aut vstum, aut putrefactum, aut in prauam aliquã naturam versum, ea erit actio corrupta, quam Gal. δυσπεψίαν, appellat. Sunt itaque actionum læsiones in triplici differentia, aut enim omnino aufertur actio, aut diminuta exercetur, aut deprauatur. At verò si quis his tantùm tribus læsionum speciebus vtatur, non omnes læsiones actionum reperiet, sed aliquas prætermittere cogetur. In tractrice enim facultate, si omnino non trahat, ablatio erit, si remissè trahat & tardè, diminutio actionis erit: si verò inter trahendum palpitet membrum, ac veluti conuellatur, deprauata actio erit. In his tamen tractio iusto vehementior, per quam plus quàm decet trahitur, nullo modo comprehenditur. Rursus generatio plurimæ bilis naturalis, quæ possit nutritionem manifestè lædere, læsa actio est, sed non ablata, aut diminuta, neque corrupta: si quidẽ non transit chylus in ea actione in aliquam prauam naturam, & à natura nostra alienam, quod in Galeni exemplis videtur ad corruptam actionem necessarium. Prętera somnus longior

Actio læsa primum Symptoma.

Actionum differentiæ.

Læsionum differentiæ.

Obiectiones contra Gal.

gior debito in nullo generum læsionum actionum comprehenditur. Præterea pulsus iusto frequentior læsa actio est, non tamē ablata, diminuta, aut corrupta. Rursus sternutamentum inter Symptomata numeratur a Galen. sed neque est actio ablata, diminuta, neque corrupta, sed de genere motionum quas natura ad excrementa pellanda instituit, in qua nullus adest error. Decet igitur viam aliquam inuenire, qua in generali diuisione omnes actionum læsiones comprehendantur. Actio verò omnis à debito modo deflectere potest ob vitium intrinsecum, aut extrinsecum. Intrinseca motioni sunt tempus, & modus, extrinseca obiectum, & spatium, ac terminus in actionibus quæ per spacium fiunt. Tempus actionis diuiditur in celeritatem, & tarditatem, longitudinem, & breuitatem, continuitatem, & interruptionem, modus in contentionem, & imbecillitatem. Obiectum aut est quod mouet, aut quod mouetur, spatium aut in quo fit motus, aut per quod fit motus: terminus est ad quem finitur motus. Exempla omnium, in celeritate aut tarditate, si cibus è ventre ante tempus trudi incipiat, & trudatur, aut tardiùs iusto trudi incipiat, & trudatur. In longitudine & breuitate, vt in longioribus, aut breuioribus somnis, & vigiliis, & pulsuum quietibus. Interrumpitur quoque localis motus in tremore, & quidam sunt pulsus, quorum distentio interrumpitur, aut quiete, aut constrictione. In modo delinquitur ob imbecillitatem, vti si ad limites debitos non pertingat ob langorem visus, ad quod etiam vitium in spacio accedit, aut coctrix moderatam alimenti quantitatem non superet, aut alter se sine robore moueat. In vehementia verò an actio aliqua vitiosa esse possit, non satis constat. Galen. namque lib. 2. de Causis Sympt. rigorem, tussim, & sternutamentum, naturæ functiones esse dixit, sed reduci ad Symptomata, & eisdem annumerari: quoniam à causa irritante procedunt, quæ præter naturam est, & vitium extrinsecum est in obiecto. Maniacorum verò & phreniticorum motus, vitio carere notum est, quandoquidem eos valentissimos esse testatur Galen. lib. 3. de Causis sympt. In quibusdam verò omnino peccatur contentione, vti cùm retentrix validissimè retinet, & plus iusto, & expultrix impetu excernit, vsque ad vasorum compressionem, & plus quam pro ratione causæ excitante ad expulsionem. In obiecto præterea mouente vitium adest, cùm carbones appetūtur, & cùm quidpiam imaginamur per deliria, & cùm vapores oculis immissos videmus, per suffusiones & similes dispositiones, & cùm sonitus auditur intra aurem. Peccatur autem in obiecto moto, si coctione alimētum vitietur, aut si trahatur malum & vitiosum, aut si bonum excernatur, aut malum, sed ante coctionem. Fit autem aliquando magna humorum excretio, atque vitium, id ad obiectum mouens & irritans referendum est, quod mouens est, atque deinde motum. In spatio delinquitur in quo motus fit, vt in magnis, aut paruis pulsibus, aut respirationibus. In spatio per quod, si sanguis in inflammationibus lienis per narem dextram excernatur, aut si bilis quæ per intestina excerni debet, ad vrinam transferatur, aut in dysenteria bilis multa ad intestina pellatur. In termino verò delinquitur, si excrementa trudantur in partem aliquam nobilem, quod sæpe fieri videmus, aut aliàs læsam. Fit autem quandoque vt actio omnino pereat, vt in apoplexia sensus & motus, & in caro imaginatio, & in quibusdam lienteriis coctio. Nullus tamē iure hanc nostram methodum inueniendi læsas actiones omnes temeritati adscribet, quam non eo animo induximus, vt aut quidpiam à Galen. autoritate detraheremus, qui nobis est omnis bonæ doctrinæ magister & autor, aut lectores à lectione libri de differ. sympt. auerteremus: sed quoniam nobis ea via ab actionum essentia, quæ motus est, desumpta facilis visa sit, ad omnes læsas actiones comprehendendas: liberum autem est & mihi quæ vera videntur, affirmare, & lectoribus singulis probè perspectis meliora eligere. Sed iam læsionum genera per singulas actiones facultatum persequamur, exemplis euidentibus ex quibus procedemus ad cognitionem passionum, atque patien-

Actionum læsarum generalis inuentio.

tium partium, ab internis animæ actionibus exorsi. Imaginatio siquidem læditur, cùm omnino non valet munus suum efficere, vt in ea dispositione quam caron appellant. Aut in modo delinquit, si imbecilla fuerit, vt in veterno, aut in obiecto delinquit, cùm imaginatur quæ non sunt, vt in delirio, sicuti cùm phrenitici mouent manus ad venandos culices, quos adesse imaginantur. Si verò quis validius imaginetur, & diutius imaginando perseueret, læsio ad tempus referetur, & ad obiectũ mouens, quod vel nolentibus se offert. Hanc autem actionem nemo dicet ablatam, diminutam, aut corruptam. Duo priora nota sunt, postremum autem hinc constat, quòd Galen. læsionem corruptam, imaginatione & cogitatione appellat diliriũ. Is verò qui validis imaginationibus, aut cogitationibus diutius vel nolens detinetur, veluti in literarum studio, & eorum quibus insudauit aliquando, nullatenus delirat. Neque tamen est à ratione alienum, vt in eadem actione bifariam erretur. Apud Galenum enim diminuta atq; corrupta læsio erit, vbi quis patiatur veternum, atque deliret. Cogitatio verò quandoque ablatione læditur, quæ amentia dicitur, aut imbecilla exercetur, vt in stultitia, quod vitium est in modo. Aut vitium circa finem contingit, vt in delirio, siquis filium suum cognitum innocentem, interficere decreuerit. In tempore autem & obiecto peccatur, si quis vehementibus cogitationibus implicitus, diutius detineatur. Memoria quoque aliquando deletur, vt in lethargo, vitium autem eidem accidit in modo, vbi ob retentionis imbecillitatem pauca retineat, aut breui rerum simulacra ab eadem deleantur, quod peccatum in tempore quoque alia ratione continetur, quoniã breuior iusto est eius actio. Ad potissimum & primum sensitiuum, quod sensum communem appellant, & nos non alium quàm cerebrum esse supra statuimus, attinent somnus & vigilia, in quibus defectus siue priuatio accidit, & vitium temporis, si plus iusto quis vigilauerit, aut dormierit, aut minùs, vitium quoque in tempore aderit, si quis inter vigilandum feratur impetu quodam in somnum, ita vt vigilia somnum, & somnus vigiliam interrumpat vti per somnia. Docuit autem Galen. lib. de Differ. sympt. harum internarum actionum vitia distinguere exemplis. Theophilus namque medicus læsa imaginatione, saluam habebat cogitandi vim: is enim alioqui prudenter differebat, & præsentes agnoscebat exactè: tibicines tamen imaginabatur in angulo cubiculi, quosdam stantes, quosdam sedentes, canentes atque pulsantes, quos expelli clamabat. Erat autem id probæ cogitationis indicium, cùm noxia propulsare cõtenderet, & prudenter differeret. Is verò qui cum lanifici puero domi continebatur reseratis ianuis, singula vasa cognoscebat & suis nominibus nuncupabat, quod indicium erat, sanam esse in ipso imaginationem. Cæterùm ob læsionem cogitatiuæ cuius munus est prudentia, & quod melius est eligere, eadem vasa per fenestram proiiciebat, alioqui vtilia si seruarentur. Memoriam verò sine his lædi Thucydidis testimonio probat, ex lib. 2. belli Peloponnesiaci desumpto, qui ex peste magna seruatos multos dixit, rerum omnium immemores, ita vt neque suos ipsorum familiares agnoscerent. Si verò peritus philosophus Galen. exempla consideret, apertè reperiet læsæ imaginationis indicia ex læsis sensuum externorum functionibus desumi. Nulla etenim alia ratione imaginandi vim Theophilo medico læsam esse probabat, quàm quòd tibicines in angulo cubiculi esse arbitraretur, quod auditum lædi per consensum palam ostendit. Præterea inquit, se ipsos videre putabat: ad visoriam igitur facultatem læsio perueniebat, ac perinde cum læditur imaginatio, læsio alicui sensui externo communicatur, & vapores à cerebro ad ipsum deducuntur. Atque impossibile reputamus, lædi posse imaginandi vim, quin sensus aliquis exterior aut plures consentiant. Hæc etiam fuit in expositionibus libro primo. Prog. nostra assertio. Ad quam comprobandam accedit quod Galen. lib. quarto. de Locis pati. de se ipso refert, deliraſſe quidem, salua cogitandi facult. & delirij speciem ad imaginandi vim

An læsa imaginatiua, sensus aliquis exterior, necessariò ledatur.

referre

referre volens, festucas atro colore narrat se putare ex cubili eminere, quam lęsionem ad visum perduci constat. Præterea eodem loco distinguens phrenitidem quæ oritur à læsione cogitatiuæ facultate ab alia, quæ oritur ex læsione imaginatiuæ, inquit: Quippe sunt phrenitici quidam qui de eis quæ oculis offeruntur, rectè (quantum ad sensitiuam notitiam pertinet) iudicãt. Alij rursus cogitatione quidem falluntur minimè, sensibus tamen difformiter mouentur: sunt præterea qui simul & sensus & cogitationis vitio laborent. Vides quo loco ex sensuum difformi & vario motu imaginationem lædi agnoscit Gale. perpetuum reputans sensuum deprauatos motus læsam imaginationem concomitari: nam in secundo membro huius sententiæ de læsa imaginatione loquitur. Rursus nulla alia ratione quis suadere valebit imaginandi vim lædi, nisi sensationes sensuum exteriorum adeò læsas esse probet, vt cogantur eadem causa ægrotantes in actiones aliquas prorumpere, quæ & sensus externos & imaginationem lædi simul ostendant. Cùm enim Theophilus clamabat, se audire ac videre quæ non erant, existimabat: & Galen. festucas colligens eas se videre reputabat, quoniam per phrenitidem vapores à cerebro ad oculos feruntur, qui speciem ferunt externorum visibilium, quæ tamen non sunt, sed veluti per suffusiones crystalloidi humori offeruntur, & per ventriculi cruditates, & pulmoniam, & febres acutas. In capitis autem doloribus & phrenitidibus, libro primo Prog. commen. 19. inquit Galen. At per vehementem capitis dolorem quemadmodum & per phrenitidem, præ capitis repletione perueniens aliquis humor in oculos, eadem accidentia committit. Nullibi itaque inuenies signum traditum apud Galen. læsæ imaginationis, præter ea quæ à sensuum externorum actionibus læsis desumuntur, siquidem hi imaginationi statim consentiunt. Sed fingamus modò momum aliquem contradicentem, sitq; ex nostris auditoribus, qui citra omnem contumeliam vt par est, nobiscum de hac re differat. Hic dicet, dubiam sibi videri assertionem, nec satis tutam. Nam sit aliquis dormiens, qui interim delira insomnia patiatur, & sanus adhuc, tibicines intra cubiculum imaginetur, huius imaginandi vis aberrat, non errante visu, neque vt causa accedente visus errore, siquidem is clausis oculis, & dormit, & somniat, non ergo perpetuò verum, vt læsa imaginatione sensus alicuius externi actio lædatur. Præterea delirare phreniticos sæpe videbis, clausis oculis, circa visibilia. Quòd si fuligines ad oculos missæ errandi causam præberent, nihil tale eis eueniret clausis oculis: nam & suffusionem patientes à muscarum visione liberantur clausis oculis. Præterea phrenitici nonnulli amittunt amissa visoria facultate qui adhuc quasdam referunt visiones, quæ tamen potest quis pati sine visu, patietur absque visus læsione. Ad quod accedit quòd cùm anima vehementibus imaginationibus distrahitur, nõ sentit dolores: nimirum igitur si non senserit imaginatio affectus oculorum per phrenitidem. Præterea sensibilia exteriora primùm à sensibus externis percipiuntur, deinde imagines rerum mittunt in phantasiam, sed non contra: igitur phrenitici non sentient sensu externo, quæ in phantasia sunt, & non extra: quæ omnia quamuis indigna sint vt nos ab hoc docendi cursu retardent, coacti tamen, vti in similibus absoluendis dubiis, dicere aggrediemur. Aristo. lib. de Insomniis, dixit phantasma in somno, insomnium est, igitur phantasiæ opus, insomnium est, phantasia verò est motus factus à sensu actu, sensus igitur exteriores consentire in somno actu necesse est. Licet enim non videant aut audiant, vt in vigilia, nonnihil tamen perpetiuntur, dicente Aristo. loco citato: at in somno positum est, neque videri quicquam, neque audiri, neque omnino sentiri: non igitur quamuis nihil tunc cerni atque sentiri verum sit, tamen nullo modo sensum affici, verum non est, sed & visum & cæterorum sensus pati aliquid contingit: nam singuli horum in somno principem sensum haud magnopere secius quàm in vigilia: non sic autem vt in illa, formis sensilibus impetunt, feriunt, & lacessunt.

Planè Ariſto. hoc in loco in ſomniantibus ſenſus externos phantaſiam commouere affirmat: fit autem quoniam vapores & ſpiritus ſimul cum ſenſoria facultate ad organum ſenſus deducuntur, & imagines rerum prius ſenſatarum perferunt, quas imaginatiua ſeruauit: nunc verò & ſenſibus exterioribus ipſas tradit, & ſe ad eas conuertit. Perperam igitur errat, qui putat in ſomno ſenſus externos omnino feriari in ſomniantibus: ſed exiſtimet ab externis cauſis non mutari actu, aut ſi mutetur non eſſe hæc ſomnia, per quæ externos ſenſus phantaſiam ad præcognita mouere actu neceſſe eſt, neque ſi aliter fieri euenirет, læſio foret imaginatiuæ, ſed cogitatiuæ facult. aut eiuſdem opus. Quod etiam eodem loco Ariſt. teſtatur cap. 3. dicens: ſimul ac autem reſedit ac diſcretus ſanguis eſt, in his quæ ſanguinem obtinent, incolumes ſenſorum motiones, quæ à ſingulis ſenſibus tranſmittũtur grata ſomnia faciunt, & apparere quidpiam ac videre per ea quæ à viſu deferuntur, videre, per ea quæ ab auditu, audire, & pari modo per ea quæ à cæteris ſenſuum officinis mandantur, ſentire: eo enim quòd motiones à ſenſibus ad principium ſentiendi perueniunt videri videre, audire & ſentire neceſſe eſt. In phreniticis autem de quibus modò loquimur, id intelligere oportet, quod modò Ariſto. docet palam, facultatem ſentientem, à cerebro ſenſibus externis mitti cum ſpiritu, & vapore ita confuſis, vt imaginatio circa ſenſibilia illius ſenſus aberrare cogatur, imaginibus rerum oblatis in vaporibus: clauſis autem oculis phrenitici aberrant, ſed minus quàm apertis, quoniam apertis magis conuincuntur ad putandum res viſas exterius eſſe, & perinde commouentur ad eas colligendas, aut venandas, clauſis autem cùm ad cryſtallinum humorem perducantur vapores cum animali ſpiritu, magines rerum interius fiunt, quæ actu, vt Ariſt. dixit, imaginatiuam facultatem mouent, ſic etiam ſi ad auditum deferantur vapores cum animali ſpiritu & facultate auditoria, audient internorum ſonitus, quos cùm exteriores putent, & imaginatio valde læſa ſit, commouebuntur validè, niſi cogitatiua reſiſtat, prudentia & iudicio continens hominem ne in falſa ducatur, & eis ſuccumbat. Hæc ſatis nota ſunt, ſicuti & quòd ſuffuſiones patientes clauſis oculis non liberantur à viſionibus, ſed non tantùm offenduntur: nam & pueros videmus in tenebris clauſis oculis terreri ob viſa quæ in oculis fiunt, ſic & melancholici, ob nigrorum vaporum copiam qui in cerebro phantaſiam lædunt, & ad oculos tales ducuntur, quamuis neque ſimile ſit, nam in ſuffuſis imaginatio læſa non eſt, quæ in phreniticis ducit oculos adhuc clauſos, in cõſenſum. Quòd ſi aliquem ſenſu priues vt viſu, viſoria tamen facultas per neruos deducta ad oculos, cum vaporibus, viſiones ſuſcipiet & phantaſiæ eas demandabit. Imaginatio quoque non diſtrahitur interim dum homo delirat, ſed ad ſenſus externos, & eorum immutationes ſe conuertit. Vltimo loco adducta ratio facilè ſoluitur: nam ſecundum naturam ſe habentibus ſenſibus, atque in vigilia ita fit, vt ſentiantur quæ extrà ſunt, & à ſenſibus externis primò: verùm in ſomno phantaſia poteſt ſenſus externos mouere, cùm eis rerum ſenſibus ipſis perceptarum imagines mittit, quas rurſus vt præſentes concipit, tanquam externas atque præſentes. In phrenitide verò phantaſia idem poteſt facere quod in dormientibus per inſomnia, idem quoque in aliis imaginationis læſionibus. Adde firmiſsimam comprobationem. Nam in ſomnio quæcunque concipiuntur tanquam præſentia ſe offerunt, imaginatiuæ facult. & phrenitici quorum imaginatio læſa eſt, ſingula aut præſentia fingunt, cùm tamen verè abſentia ſint. Cuius rei vnica tantùm cauſa eſt, atque ipſa euidens: quoniam cùm ea quæ imaginantur, omnia ſenſibus externis communicentur, & quæ ipſis offerũtur, vt præſentia ſint, fit vt veluti præſentia ſint, quæ ſomniamus, & ea circa quæ phrenitici læſa imaginatiua delirant. Quòd ſi quando dormientes, veluti collecto animo, ſomnient ſe ſomniaſſe, aut quidpiam tale, id opus cogitatiuæ facul. eſt, diſcernentis ac iudicãtis. Præter hæc in ſenſibus exterioribus læſio-

nes

nes reperies,nempe priuationem, vt in ſuffuſionibus amborum oculorum,& & cæcitate,aut læditur viſus in modo,cùm imbecillus eſt: quoniam verò non pertingit debitam diſtantiam, in ſpatio peccat actio. Peccat vero circa obiectum,aut quoniam quæ interius ſunt, veluti exteriora concipit, aut quoniam prope ſita confuſè agnoſcit.Auditus tamen quandoque aboletur,quandoque in modo delinquit ob imbecillitatem,quandoque in cognitione obiecti aberrat,aut internos ſonitus exteriores iudicans,aut propinquos ſonitus confundens.Olfactus ſimili modo quandoque aboletur,quandoque imbecillus eſt,& in modo deliquit,quandoque in obiecto, cùm internos concipit odores, aut eoſdem confundit internos externis. Siquidem in naribus internum habet odorem fœtidum, externa adhuc odorata fœtida iudicat. Guſtus tamẽ quandoque in modo læditur, ob imbecillitatem guſtatoriæ facultatis, quandoque in obiecto errat, & decipitur iudicans omnia vno ſapore prædita eſſe quem continet,vti amarum,vbi bilis ad linguam defluxerit,quæ aliquando deguſtatur nulla cauſa externa accedente,quod fit vbi lingua non ſit omnino infecta: nam vbi talis fuerit,aliquo externo egebit commouente.Ac perinde nonnulli vinum dulce,amarum iudicant, & ſi ante vini potum amaritudo non ſentietur,quoniam agebat commotione bilis. Tactui verò læſiones accedunt, perit enim aliquando,vti in apoplexia:omnia tamen membra tactu priuari, ita vt tangendi vis pereat viuente animali:fieri nequit. Sed fiet vt læſo inſtrumento non ſentiat animal: quoniam animal tactu definitur, ſiue ſentiendi potentia: omnes autem ſenſus perire continget, tactum autem minimè : læditur autem in modo,quoniam imbecillus eſt,vt in ſtupore: circa obiectum verò, quando errat,vti cum calidum frigidum iudicat,& contrà, quod fit tactus inſtrumẽto valde in aliquod extremorum labente.Qui enim valde caliduseſt,parum calida iudicat frigida,&qui valde frigidus eſt,parum frigida iudicat eſſe calida, & neruus carne & cuti nudatus à moderatæ qualitatis obiectis exaſperatur & dolet.At verò de dolore nondum conſtat,an inter læſas actiones ſenſus tactus recenſeri debeat.Nam Galen.lib. de Symp.diffe. poſtquam læſiones ſenſuum omnium ablatas,diminutas,& corruptas de more narrauit,tactum dixit inſigne quoddam Symptoma pati,præter reliquos ſenſus, nempe dolorem, quamuis etiam dolor in aliis ſenſibus fieri ſoleat,vbi à vehementibus ſenſibilibus organũ ſenſus alicuius exterioris moleſtetur.In viſu namque vehementes ſplẽdores viſum offendunt,& triſtitiam inferunt, in auditu ſonitus rauci, graues,inæquales & validiſsimi,vt tonitrus:In olfactu, odores praui:& acredinem quandam præ ſe ferentes: in guſtu ſapores amari, & acres, atque mordentes:in tactu verò notiſsimus eſt dolor, qui & aliis ſenſuum organis communicatur.Dolor itaque nulla actio læſa eſt, quarum Galen. meminit. Sic & libro ſecundo, de Locis pati.capitu.3.dolorem à reliquis læſis actionibus ſeparauit.Præterea dolor non eſt actio diminuta,aut ablata, non etiam corrupta apud Galen.qui actionem corrumpi docet, vbi in diuerſam naturam mutetur,vt cùm appetitus,ad carbones conuertitur,quod tamen in dolore non fit, quo nullum diuerſæ naturæ à tangibilibus deprehenditur, ſed calidum, aut frigidum,aut aliquod tale,aut ex noſtra docendi via,neq; peccatur in obiecto mouente,neque in moto,neque etiam imbecillitate aut vehemẽtia delinquit, aut in tempore peccat,aut omnino deletur.Preterea nullum peccatum ineſſe videtur illi actioni,qua obiectum oblatum, quale eſt tale deprehenditur omnino,& quale ab organo temperati ſentiri debet.Sed in dolore cauſa calefaciens,aut infrigidans, aut vrens, aut ſecans,vbi offerantur, tales iudicantur, quales ſunt: Nulla igitur læſio in dolore adeſt.Præterea in appetitu canino,in obiecto peccatur,quoniam plus iuſto appetitur,& in tractione vbi plus æquo traxatur, at in dolore quod vehemens eſt, & intenſum, tale iudicatur: non erit igitur in intenſione vitium. Nos equidem parte prima doloris naturam explicuimus latè,atq; eiuſdem cauſas retulimus. Cùm autem ibidem dictum

Guſtus læſiones.

Tactus læſiones.

Dolor an ſit læſa actio

sit,dolorem actionem sensus esse,& notum sit eam sanis hominibus nõ adesse, sed à morbosis causis excitari,erit quidem præter naturam,nõ autem morbus aut causa:igitur Symptomatis annumerabitur. Non est tamen affectus corporis,neque excrementum:cogemur igitur ipsum inter læsas actiones collocare.Quidam hoc dubium soluentes dixerunt, dolorem non attinere ad sensum sed ad appetitum sensitiuum, atque esse tristitiam, quæ sequitur sensum rei contristantis.Cùm autem hæc modum excedit,læsa actio dicetur,veluti & fames canina, quamuis per ipsam nihil præter naturam appetatur, læsa actio est,quia iusto vehementior,ita tristitiam,quæ dolor est apud ipsos, quia maior est multo per dolores quã esse debeat sanis hominibus,morbosa erit, & morbos indicabit,ac dicetur actio læsa intensione.Hæc autem in læsa actione est, qua intentione peccatur,veluti diminuta.Quamuis enim Galen.præter ablatam actionem,& corruptam,ferè semper diminutæ, in alio membro exempla apponat,intẽtione aut remissione vitium accidere intelligemus. Verùm cùm ipsi Galen.sententias saluare conentur, & ad eiusdem mẽtem singula pertractare,longissimè aberrãt:vt enim parte prima docuimus, Galen.dolorem tristem sensum appellat,nõ ipsam tristitiam.Quòd si vt ipsi volunt, dolorem tristitiam quis existimare velit,adhuc dubiũ indissolutum relinqueretur. Nam de eadem tristitia quærerem, in quo genere læsarum actionum ipsam constituent, cùm per eam fugere tantùm contendat,qui dolore afficitur,atq; id pro ratione doloris: qui verò pro ratione causæ tristitiam inferentis tristatur, & fugere cupit, nihilo magis læsam edit actionem, quàm qui causa non valde contristante accedente parum tristatur,& parum fugere cupit,præter id quòd de sensu rei dolorem inferentis idem omnino dubium relinquitur. Nam is solutæ continuitatis aut malæ temperaturæ symptoma est, quapropter ipsum collocare teneris in aliquo symptomatum genere, non tamen in alio quàm genere læsarum actionum.Bifariam igitur errant, tum quòd dolorem dicunt esse tristitiam,tum quòd ipsum nõ separant à læsis actionibus, sequentes Gal. Quòd si quis omnimodo Galen. mentem seruare voluerit,dolorem vt ipse à læsis actionibus seiunget, atque dicet, dolorem non esse actionem læsam, sed signum atque symptomata sequens morborum, quod ab actionibus desumitur:siquidem dolor à morbis fit,& morbos ipsos ostendit,estque actio,siue passio sensus,ac perinde signum morborum,aut symptoma eorumdem, quod in actione consistit,non læsa actio.Ea quoque ratione Gal. dolorem à læsis actionibus separasse dicemus.Quidam etiam aduersus hæc obstrepit dicens:Si dolor symptoma est, quod morbum sequitur, & morbus omnis lædit actiones, erit hæc læsa actio. Nam actiones quæ morbos sequuntur,læsæ sunt. Fallitur tamen,quoniam non omnes actiones quę morbos sequuntur:lęsæ sunt quamuis omnis morbus actiones lædat. Intemperies namque iecoris inæqualis, valde calida,dolorem efficiens,sanguinis lædet generationem, quod ad morbum est satis,quamuis dolor non sit lęsa actio:dolor autem ostendet intemperiem eam habere magnitudinem, vt actiones lædere valeat, & in morborum numero reponi debeat.Idem intelliges si musculus tali intemperie laborauerit:lædetur enim nutritio,quod ad morbum est satis. Nos tamen nostram sequentes diuisionem læsionum actionum, dicemus, dolorem, sensúmve causæ contristantis,in numero esse læsarum actionum,& in tempore consistere:peccat etenim in tempore,celeritate, dicente Platone, Pathos præter naturam subitò & affatim ingruens dolorem infert, hoc est tristem sensum: est igitur actio vitiata in tempore,sic etiam in vehemẽtia,nam hac ratione omnem naturalem sensionem excedit,quoniam affatim occurrit obiectum. Neq; obstat quòd sensus causæ doloris efficientis fiat pro ratione causæ doloris, & quoniam causa celeriter imprimit,celeriter sentitur.Nam sensatio quæ celeriter fit & plusquam pro naturæ modo, quamuis causæ respondeat, læsa est. Excretio namque alimenti mordentis à ventriculo ante tempus coctionis, siue

Dolor actio læsa non est, sed symptoma in actione consistens.

Dolor læsa actio est.

ob

ob acredinem alimenti,siue ob sensus partis acrimoniam facultas expultrix concitetur,eiusdem læsa actio est,quamuis pro ratione mordentis causæ fiat. Sic etiam quamuis dolor sensus celer sit, & rationi causæ mouentis respondeat,læsa nihilominus actio est,celeritate peccans.Præterea doloribus omnibus inest peccatum in obiecto, quod actioni extrinsecum est: actiones enim quæ à cautis præter naturam irritantur,symptomatis annumerantur.Sed obstrepet sic aliquis,si cui stuporem patienti causa dolorem excitans admoueatur,tardè ac lentè ipsam sentiet,pro ratione causæ, quapropter quamuis sensatio hæc naturalibus tardior non sit,inter læsæ actiones recensebitur.Quòd si minus celeriter ac vehementer quàm pro ratione causæ sentire malum est, contrarium erit bonum:id verò est, celeriter admodum causam doloris sentire.At vtrumq; eorum malum erit, quorũ alterum à facultate oritur, nempe tardè sentire,alterum ab obiecto:id verò est celeriter sentire, & cum magna contentione.Cuius rei exemplum adhibere placet. Si cui offeratur lucidum valde splendens,id remisse videre,& tanquam parum immutans malum erit: Videre tamen id quale est,nõ caret noxa. Taxabis fortè nostram diuisionem, quoniam ipsius membra confundi videntur, siquidem dolorem diximus esse læsam actionem, in tempore & in obiecto, non igitur duo illa membra, læsio in tempore,& læsio in obiecto seiuncta sunt:verùm nos tempus cum obiecto non confundimus. Cæterùm in eadem actione vtrumque vitium reperiri posse fatemur,vbi actio eadem est, vitia verò diuersa. Eandem tamen actionem multifariam vitiari posse Galen.quoque concedere tenetur.Posset enim quis imbecillam habens videndi facultatẽ,incidere in phrenetidem, aut scotomiam,cuius vitio diminuta erit,atque corrupta, & coctio ventriculi potest vitiari intensione,& in prauam naturam mutare cibum. Sic & iecur bilem multam celerrimè generare, & ipsam porraceam, aut æruginem. Fit etiam vt trifariam peccetur apud nos,vti si quis causa dolorifica accedente in obiecti cognitione decipiatur : erit enim vitium in tempore, modo,& obiecto.In actionibus verò facultatis secundum locum mouentis vitia fiunt, vt ablatio: & in tempore ob tarditatem,in modo ob imbecillitatem: tremor verò ad temporis intermissionem spectat.Conuulsionem ego sanè morbum in figura dicerem & symptoma mouendi impotentiam,non corruptam actionem,motus autem conuulsiuos, in temporis intermissione vitiari.Galen. tamen contrarium docet.In facultatis vitalis functionibus pulsus adest abolitio, quædam simpliciter,vbi pulsatilis vis pereat : quædam non simpliciter, vti cùm intercadit:tempore verò peccatur, vbi celerior fiat,aut tardior pulsus. Quòd si in quietibus peccetur,vitium erit longitudinis,aut breuitatis, qui pulsus frequẽtes aut rari dicentur.Si peccatur in modo,imbecillitate cognoscetur, & pulsus obscuritate. In spatio verò vitium est magnitudinis, & paruitatis : pulsus magnus enim & paruus ad spatium conferuntur: vitia tamen inæqualitatis,& perturbationis ordinis ad easdem referemus læsionum differẽtias. Nam inæqualitas aut erit in magnitudine, & attinebit ad spacium, aut in vehementia quę attinet ad modum,aut in celeritate & tarditate,quæ attinebit ad tempus, sicuti & inæqualitas temporum quietis, à quibus sumimus longitudinem & breuitatẽ. Pulsus autẽ tremulus peccat intermissionibus temporũ : syncope tamen subitus virium casus est. Easdem ferè differentias in respirationibus inuenire licet,quæ animalis facultatis loco mouentis sunt actiones. Irascibilis facultatis actiones vitiantur, si quis plus iusto irascatur, aut tristetur, aut alio animi pathemate corripiatur: vehementia namque ad modum : facilitas incidendi in eadem,& perseuerantia,ad tempus attinent.Tardiùs verò in eadem incidere & parum affici,aut mores compositos & rationis constantiam ostendet,aut vitiatam actionem. Eisdem autem animi perturbationibus modicè affici contra stoicorum opinionem vtile est, & à natura datum. In naturalibus verò facultatibus læsiones prædictis generibus comprehendes.Sunt autem

Læsio motus facul.

Facul. vitalis symp.

Irascibilis symp.

Facult. natu. symp.

autem, vt parte prima docuimus naturales facultates quatuor: attractrix, retentrix, coctrix, & expultrix, quibus appetitus adiunctus est. Hunc autem in ventriculo manifestè cognoscimus, atque ad ipsum attinentes noxas, in aliis tamen partibus quibus appetitus naturalis solus inest, eius munus coniectura assequimur, non euidentia: agnoscimus tamen euidenter aliarum facultatum functiones. In ventriculo itaque appetitus alimenti quandoq; perit, quandoque celeriter concitatur, quandoque tardè: quod vitium ad tempus attinet, quemadmodum vbi incœpta actio celeriter aut sensim exerceatur, aut vbi actio breuis, aut diuturna fuerit. Peccat etiam in modo vbi vehementior fuerit, aut imbecillior: circa obiectum verò vbi carbones, aut gipsum appetat. Cùm enim eidem insit appetere quæ reficiant decipitur appetens, ea quibus nulla inest reficiendi vis: deceptionis tamen internam habent causam à qua commouentur ad appetendum ea quibus à praua affectione præsenti liberentur. Hanc dispositionem appellant picam, aut malatiam, qualis prægnantibus accidit: vehementem verò appetitum, caninam appetentiam. Tractricis tamen ventriculi munus aufertur quandoque, nonnunquam tempore vitiatur, vt celeritate & tarditate, quia segnius exercetur, aut quia tremulis motibus, atque interruptis, quandoque in modo, vt si languida tractio fiat, & sine contentione, aut debito vehementius, ita vt quę cõtraria & noxia sint trahat, quod in aliorum membrorum tractionibus sæpe fit, atque in obiecto peccabitur. Retẽtricis facultatis munus aut perit, vti in lienteriis, aut tardè se ad retinendum aut comprimendum cibum colligit, aut pauco tempore aut plus iusto retinet, & in apprehensionibus ciborũ quæ cum saltu, aut tremore fiunt, in tempore peccatur. Aut in modo delinquit, quoniam cum vehementia, aut imbecillitate retinet iusto maioribus: aut in obiecto peccat, quoniã pro bono malum retinet pertinaciùs. Coctricis verò munus, aliquando omnino deficit, vbi alimentum crudum descendat. Tempore delinquit, si tardè coctio perficiatur, in modo verò si cum cõtentione maiori, aut imbecillitate fiat. At verò adcontentionem & imbecillitatem actionis sequitur, vt actio tempus mutet celeritatis, & tarditatis: quoniam in naturalibus actionibus, vbi alia paritatem seruauerint, celeritas actionis sequitur excessum agentis facultatis, & ipsius vigorem, ita vt proportio celeritatum in motibus sequatur proportionem proportionum potentiarum agentium ad obsistentias. In obiecto vitium coctricis se ostendit, quoniam corrumpitur, & loco chyli generandi prauus aliquis, & à natura alienus succus generatur. Expultrix quoque peccat, si non excernat omnino, sed posset id vitio retinentis fieri, quoniam hæc duæ facultates vitia habent consentientia. Peccatur præterea in tempore si celerius aut tardiùs iusto, & si pauco tempore excernat, aut diutiùs excernendo tardetur, aut cum tremore & intermissione: frequens enim deiectio vigilias, & febres affert. In modo si cum magna contentione, ita vt extremè comprimatur, aut imbecilla fuerit expulsio. Ad spacium per quod, pertinet si excrementum quod deorsum mittendum foret, sursum vomitu mittat, aut per læsam partem, superiorem aut inferiorem. Ad terminum verò, si excrementa ad caput mittat, aut partẽ aliam nobilem. In functionibus naturalium facultatum singulorum membrorum læsiones fiunt, similes eis quæ dictæ sunt de ventriculo, atque ipsi ventriculo nihilominus eueniunt, vti similari parti, cùm igitur singulæ partes ali debeant, vbi non fungãtur muneribus ad id necessariis, atrophiam patientur. Sunt autem necessariæ alimenti attractio, retentio, alteratio, & expulsio. Quòd si facultas tractrix quæ singulis partibus insita est, alimentum non trahat, membrum non aletur. Sed in modo peccat, si trahat languidè, & sine contentione. In tempore si trahat intermisso motu, aut etiam tardè: in obiecto, si prauos quoque succos trahat, ob hanc autem causam cacotrophia sequetur, si superentur: si verò non, atrophia. Quòd si alimentum attractum non retineatur, aut in modo peccetur, ita vt imbecilla fiat retentio

Læsæ actiones singulorũ membrorum.

tio, ſicuti vbi iuſto vehemẽtius, & diutius retineat, in tempore & modo peccat, aut in tempore, interrupto motu, atque atrophia ſequetur, & conſumptio, aut tarda & debilis nutritio. ſi tamẽ alteratricis, ſiue nutricis facultatis lædatur actio, aut omnino peribit: eſtque atrophia, & tabes, aut improbè alimentũ mutat, idque tardè, quod ad tempus ſpectat, aut cum langore quoque quod attinet ad modum. Quam ob rem non integrè aſsimilatur, & ſequuntur vitiligines & alphi, aut peccat in obiecto, quoniam ipſum corrumpit: inde verò ſequitur, vt non alatur membrum, ſiue ob prauam partis temperaturam fiat, ſiue ob ſucci tracti malitiam. Fiet autem quandoque, vt pars iis de cauſis malè alatur, eritque cacotrophia. Fieret quoque trophia, vbi alimẽtum quod traheretur, bonum eſſet, & quantitate moderatum: verùm expultrix ipſum excerneret antequam mutaretur: læſa enim expulſio eſt in tempore, ſi celerius aut tardiùs fiat & diutiùs expellendo perſeueret, aut interrupto motu id faciat, vt in rigore, qui etiã contentione peccat. Aut peccatur imbecillitate, aut in via, quia excrementa acria per læſam partem mittuntur, aut ſeroſa per ventrem, aut ſanguis redundans in liene per narem dextram, aut abundans in iecore per ſiniſtram pellatur. In termino verò ſi excrementa mittantur in aliquam nobilem partem, vt cùm poſt febres fit phrenitis, aut hæc poſt pleuritidem. Peccatur itaque in nutritione vbi deſit, aut vbi tarda & imbecilla fiat, aut vbi obiectum corrumpatur, ſiue praua caro generetur in partibus carnoſis, in quibus Gal. aduertere præcipit, an calor mutetur, vt in leucophlematia, & leuce, ac vitiliginibus. Nam ſi id ob humorũ malitiam eueniat, expultricis læſio eſt in cauſa, Sed licebit quoque id ad attrahentis errorem in obiecto referre. Si tamẽ ſine vitio humorum color partis mutetur, ad coctricem membri referri debet. Hæc altrix ſiue alteratrix eſt, quæ nutritionem efficere valuit, non tamen aſsimilationem. Generandi vis quandoque deeſt, veluti cùm non demandatur ſemini à teſtibus, aut traditur quidem, ſed ob imbecillitatem omnino actione priuatur, aut operatur, ſed cum langore & tardè. Ac peccat in obiecto, ſi loco embryi carnem informem confecerit, quam mollam appellant. Secundum ſymptomatum genus attinet ad corporis affectus mutatos, qui ſenſibus exterioribus obiiciũtur, vt viſui, auditui, olfactui, guſtui, tactui, & figura in his, vt commune ſenſibile recẽſetur à Galen. ad finem libri de cauſis ſympto. A viſu colores mutati deprehenduntur, vti in leuce, vitiligine & morbo regio, & in tumoribus partium exteriorum. Nam phlegmone partem reddit rubeam, œdema albicantem, eryſipelas palidam, cancer nigram, vti & quidam abſceſſus à quibus extremæ partes denigrantur, ad auditum ſpectant ſonitus, & ſtrepitus, qui fiunt commotis flatibus, & ructibus, aut eiſdem excluſis ab inteſtinis, & ventriculo, & voces mutatæ vt raucæ, aut clangentes, aut inæqualiter intentæ, aut tremulæ, & murmurili, & ſtridores morbos ſequuntur. Ad olfactum attinent, praui odores qui ex corpore manant, aut exſpiratione, aut tranſpiratione, quæ per cutim fit, & flatus, qui ructu excernuntur, corruptionem oſtendunt, in acidum, aut fuliginoſum odorẽ, aut aliquem alium, cuius naturam, qui laborat refert ipſum rei alicui fœtidæ conferens. Si verò per inferna flatum demiſerit, eidem committet medicus odoris exactam cognitionem. In ſaporibus verò ſunt quidam, qui occaſione ſentiuntur ab eo qui laborat, veluti cùm ſudanti gutta aliqua in os delabitur, quam iudicat dulcem, aut ſalſam, ſic & ſapores linguæ: ſentit enim in ipſa dulcem, aut amarum, aut ſalſum ſaporem. Ad tactum qualitates illæ ſpectant, quæ à temperamẽto qualitatum, aut earumdem diſtemperie manant, vt durities, & mollities: ſic vbi cutis aut laxa valde, & rugoſa, aut dura & intenta reddatur. In tertio genere ſymptomatum, ſunt quæ excernũtur aut retinentur, vbi à debito modo deflectant, quantitate, qualitate, aut tota ſubſtantia. Hæc eſt generalis excrementorum habẽda ratio, quæ ex cognitione eorum quæ ſecundum naturam ſunt, pendet. Nemo enim agnoſcet excrementum à natura deflectere, niſi præno-

Sym. incor. affect.

Sympt. tertiũ genus.

uerit naturale. Deinde verò quod in vniuersum de excremẽtis dicitur, in singulis excremẽtorum generibus considerãdum, vt in deiectionibus, vrinis, sudoribus, vomitibus, & sanguinis menstrui vacuationibus, & ex naribus profluuio, quamuis ex his quædam toto genere præter naturam habeantur, & alia ratione naturæ functionibus adscribantur. Quantitate itaque deflectit deiectio, cùm copiosa admodum descẽdit, aut cùm vel non descendit, vel pauca, pro ratione ciborum assumptorum. Quæ verò incursibus bonis succedit abundans, symptoma est, non quidẽ excretio, sed quod excernitur. Excretio namq; cùm tempestiuè fit, opus naturæ est: quod verò excernitur, semper est præter naturam in quantitate, si quantum diximus fuerit. Qualitate deiectio vitiosa est si valde flaua, aut alba, aut valde fœtida, aut calidior & acrior, aut frigidior. Sic etiam si crassior multo, aut tenuior: tota verò substãtia peccabit, si humor aliquis corruptus à natura valde alienus excernatur, vti porracea bilis, aut æruginea, aut si sanguis, aut pingue, aut intestinorum ramentum. Verùm mollities, durities, crassitudo, & tenuitas deiectionum, ad qualitatem referentur, vel si crassitudinem, & tenuitatem, substãtiam, vt medici dicas, substantiam considerandam statues, præter quantitatem, qualitatem, & quam dicũt totam substantiam. Solent enim & Gal. & reliqui quod tenue aut crassum est, appellare substantia tenue, aut crassum. Quapropter melius erit, hęc ad qualitatem excrementi in diuisione Gal. reducere. Sed simile exemplum in vrinis apponamus. Vrina qualitate mutetur cùm calorem mutat, in album, aut nigrũ, aut alium medium, à natura alienum: sic etiam si longè crassior: aut tenuior, fuerit, aut calidior, & mordẽs, vt in quibusdam vrinæ difficultatibus. Quantitate verò, si pauca, vti in febribus quibusdã, & obstructionibus, vt lapide obstruẽte, aut quantitatem excedat, vt in diabete, siue vrinæ profluuio. Quòd si pingue, aut pus mingatur, tota substantia mutata erit, quemadmodum in sanguinis mictu: Ischuria verò, siue vrinæ retentio, læsio actionis est expultricis facultatis, quæ docet symptoma esse alterius symptomatis causam, & morbum quædam sequi symptomata, non immediatè, sed aliis symptomatis interuenientibus. Nam lapis obstruẽs munus expultricis læditi læsionẽ hanc sequitur vrinæ mutatio in quantitate. Rursus iecoris frigida intemperies vitiat coctricem, hæc crassos humores generat, quorum distributio est difficilis, ac vitiatur expulsio: hac vitiata, tertiũ sequitur symptoma: nempe atrophia, hanc quandoq; sequetur coloris corporis mutatio. Videbitur autem alicui differentias excrementorum non omnes cõtineri in quãtitate, qualitate & tota substantia: nam si ante coctionem humor pituitosus in febre quotidiana excernatur, & quantitate, & qualitate moderatus, pro morbi & humoris peccantis ratione, non erit peccatum in quantitate, aut qualitate, aut tota substantia: ergo cũ in tempore vitium sit, id aliis tribus addendum erit. At verò cùm humor aliquis ante coctionem excernitur, duplex adest vitium, alterũ in actione, quod attinet ad tempus, siquidem excernit facultas quod excerni nõ deberet, & est peccatum in excremẽto, quod attinet ad hoc tertium genus symptomatũ, id verò peccat qualitate: vt enim in expositionibus lib. 2. prog. docuimus, cum Hippo. dixit. Si qualia oportet purgari purgentur, qualitas coctionem quoq; comprehendit; quod igitur coctum non est, qualitate vitiosum erit. Esset quoque symptomæ quamuis id excrementum coctum foret, quatenus quantitate à naturæ modo deflectit, non tamen symptomatica vacuatio, sed naturæ opus. Cùm autẽ crudus humor excernitur, symptoma est, in excremento cõsistens, & symptomatica vacuatio. Non itaq; functionem à symptomate omnino separare oportet: quandoque enim coincidunt, veluti in decretoriis sanguinis vacuationibus: illæ enim functiones, & naturæ opera sunt: symptomata verò quæ non ad læsam actionem attinent, sed ad excrementi naturam: nihil autem impedit excretionem esse opus naturæ, & excretum esse symptoma toto genere præter naturam. Quin & Gal. lib. 2. de causis symp. cap. 3. tussim, sternutamentum, &

Excrementorum vitium à quibus sumatur.

Symptomatica vacuatio differt à symptomate.

rig

rigorem,naturæ functiones appellat,&eadem inter ſymptomata recenſet,vti & vomitum,cap.4.non ſui ratione,ſed cauſæ irritantis & cogẽtis ad motum. Et lib.de Diff.ſymp.ad finem,non ſatis aptè colligit, cum conaretur probare excrementa quantitate,qualitate aut tota ſubſtantia à natura varia,non perinde inter ſymptomata recenſenda, neque aliquam functionem eſſe læſam,ſi prædicta vacuatio excrementorum in tempore fiat. At verò quid vetat actionem ipſam functionem eſſe,& excrementũ eſſe ſymptoma,cùm peccet quantitate,aut qualitate,aut tota ſubſtãtia? nihil ſanè. Cùm igitur aliquod mutatũ in tempore excernitur,ipſum ſymptoma eſt,& excretio,naturæ functio.

De cauſis ſymptomatum, Cap. IIII.

ANTEQVAM ſingulorum generum ſymptomatum cauſas referamus,expedit generali methodo perquirere, à quibus cauſis ſymptomata procedere poſsint,vt vniuerſalibus inuentis,facilè ad eorum,quæ inferiora ſunt,cognitionẽ deueniamus: cùm igitur ex dictis conſtet ſymptoma corpori præter naturam euenire,& id quod præter naturã à cauſa ſecundum naturam nõ fit, ſymptomata omnia à cauſis præter naturam procedere palam fiet. Sunt autẽ præter naturam in humano corpore,morbus, cauſa morbifica,& morbi ſymptoma,ab his igitur ſymptoma omne naſci neceſſum eſt. Sed nondum ex hac ratione conſtat an ex omnibus procedere poſsit,an ex his quidẽ,non tamẽ omnibus. Gal. enim.lib.de Diff.ſymp.cap.4.& rurſus quinto,omnium ſymptomatum cauſas morbos eſſe teſtatur. Comprobat eam ſententiam, quòd læſa actio omnis à morbo procedit:læſam autẽ actionem ſequuntur alia duo ſymptomatum genera, ac perinde omnia ſequuntur morbos. Verùm huic Gal.ſententiæ, quædam obſtare videntur,quæ experimentum docet. Qui enim valido incutitur terrore,is tremit ſpiritu vitali ad ſcaturiginẽ reuocato:ſed tamẽ nullum morbũ ibidẽ adeſſe fateberis. Præterea ſi ſpiritus diſſoluatur, aut afficiatur praua qualitate,ſyncope ſequetur,& functionũ abolitio,ſed citra morbũ: illæ namq; cuius ſpiritus diſſoluuntur,nullum morbum inſtrumentorũ patitur, nõ etiam vitiatur temperatura.Simplicium namq; tẽperatura,in ſolidis conſiſtens partibus,ab ſpiritu atq; eius temperamento longè diuerſa eſt. Præter id quòd ſi ſyncope intemperiem ſequeretur,cùm magnitudo affectus cauſæ magnitudinem ſequatur,ſyncope non niſi poſt maximam intẽperiem ſequeretur:quę tamen non apparet in prædictis affectibus. Rurſus ſtomachi dolor, & ſingultus ſenſus eiuſdem partis acredinem ſequuntur,vt Gal.quoq; teſtatur li.1.de Cauſis ſymp.ſed ſenſus acrimonia morbus non eſt,non igitur omnia ſymptomata ſequuntur morbos.Rigor quoq; à cauſa mordente, & irritante fit ſæpe, nullo morbo accedente,ad quem referri poſsit,ſed ſolo humore acri, per ſenſibiles partes impetu delato,aut frigido quopiã ſubito occurrẽte. In vertigine quoq; ſpiritus in gyrum fertur,quod ſymptoma nullum ſequitur aut ſimplicium,aut inſtrumentorum morbum.Illi verò qui amore correpti,nec dormiunt,nec aſſueta peragere valent,neq; cibos coquere, hæc ſymptomata & alia ſine morbis patiuntur:neq; enim in ſimplicibus aut inſtrumẽtariis morbum inuenies, nam ille contrariis curari poſſet:non autem dices quæ ſint ea quibus morbo illi medendum eſt. His tamen rationibus Gal. ſententiam integram ſeruare volentes,facilè reſpondebimus, referentes morbos, à quibus omnia ſymptomata prædicta oriuntur. Nam is qui terrore incutitur, duos morbos patitur, quorum alter in temperatura conſiſtit, nempe extremorum refrigeratione, quæ non parum ad tremorem efficiendum conducit,alter attinet ad temperaturam cerebri,quod pariter refrigeratur, recurrente ad cor ſpiritu, qui ſolet delatus ad cerebrum ipſum calefacere.Accedit ad id ſymptoma generandum defectus ſpiritus & animalis facultatis,quæ duo ſolent per neruos in membra deduci,quibus deficiẽtibus actiones aut perire,aut deteriores fieri neceſſe eſt,

An omne ſympto. naſcatur à morbo.

Quod pariter ſequentem rationē ſuperius adductam ſoluere valet. In magnis namq; ſpirituū diſſolutionibus, corpus refrigeratur. Neq; tamē putamus eas fieri poſſe in perpetuis pręcipuis partibus, quas neceſſe eſt diſtēperari. Sequitur quoque ſpirituū diſſolutionē refrigeratio, quā ſequūtur ſymptomata reliqua. Sequitur autē magnitudo ſymptomatis, affectus magnitudinē, nā in ſyncope quæ ſequitur diſſolutionē ſpirituū, nō ſola pręcedit diſtēperies, ſed etiam defectus inſtrumenti ad actionē neceſſarij: is vero defectus magnus eſt, ad quē ſyncope ſequitur. Quod verò de ſenſus acredine diximus, notū eſt, acrē ſenſum dolorē nō efficere, niſi cauſa moues accedat: ipſa verò accedente, quāuis adeò validanon ſit, vt aliis dolorē inferre poſſet, huic tamē cui dolorē infert, adeò vehemēter imprimit, vti quę validiſsima ſunt, aliis qui mediocri ſentiēdi acumine præſtant. Quæ tamen validiſsimam vim immutandi habent, talibus ablata, inferunt inæqualem intemperiem, aut continui ſolutionem, ſubito, & affatim: igitur quæ modicè alterare poſſunt aut continuum ſoluere, ſi eis qui acerrimum ſenſum habent, offerantur pariter aut inæqualem intemperiem, aut ſolutionem vnitatis ſubitò & affatim inferent. Hæc verò morbi ſunt, quapropter non fiet ſymptoma id ſine morbo. Rigor verò à cauſa mordente, aut ſubitò refrigerante factus, cauſam etiam habebit intemperiem, quæ à cauſa fit. Vertiginem præterea patientes aut frigidam intemperiem cerebri patientur, aut meatuum obſtructionem, aut vtrumque, à craſſa pituita & ſimilibus vaporibus. Si tamen à ventriculo ſymptoma id originem trahat, ibidem morbus aderit. Is verò qui amore æſtuat, primū calore immodico cordis affligitur deinde quoq; exuritur ſanguis, qui ad cerebrū cū fuligine ductus ipſum diſtēperat, & in melancholiā morbū deducit. Hęc autem cōtrariis curantur, maximè verò his quæ animi efficiunt tranquillitatē, & ipſum ab omni cura laxant. Quamuis tamen horū ſymptomatū morbos inuenire, à quibus procedant, nō ſit difficile: quædam alia ſunt quæ nullatenus ad morbos reduci queunt, veluti ventris fluxus qui fit expultrice facultate redundantiam malorū humorum excernēte, ſine dolore aut læſione alia, quod ſæpe ſine aliquo morbo fit. Nam & medici, ineunte vere, ſimiles redundātias purgare præcipiunt, ne ſic affecti in morbos incidant. Illi igitur nondum ægrotant, dum id ſymptoma ſponte agente natura patiūtur quod ad excremēti mutationē attinet. Quin & ſi medicamenti vi idem humor ducatur, ſymptoma in excremēti mutatione conſiſtet, nullo morbo præſente. Præterea ſi quis non valde robuſtus aut ſenex, cētum paſſuum curſum celerrimè peragat, ad finem nec ſtare, nec ſe mouere valebit, nullo morbo præſente. Præterea ſi cui cibus corrumpatur in ventre, quoniam aptiſsimus eſt corruptioni, ſine ventriculi prauo affectu, ſymptoma fiet, ſine morbo, quod non morbum, ſed morbificam cauſam ſequitur. Id mihi ipſi euenit ſardinas ſalitas edenti. Sic etiam ſi craſſus, aut frigidus cibus aſſumatur, qui à moderato ventriculi calore vinci nequeat, hæc diminuta, aut ablata coctio erit, abſque morbo, quæ cauſam morbificam, ſiue præter naturam ſequetur, nō aliquem affectum morboſum, haud aliter, qui rhabarbarum bibit, vrinam valde mutatam colore mingit, abſque morbo. Adde quod Gal. ipſe quamuis aliâs ſæpe dixerit omnia ſymptomata morbos ſequi. libro de Sympt. cauſis. capitulo primo, inquit: E contrario autem ventriculo ipſo haud quaquam affecto, animans non concoquit, aut propter ciborum potionúmq; immodicam quātitatem, aut prauam qualitatē, aut quia intempeſtiuè, aut non recto ordine ingerūtur, aut excrementū inutile, aut ſomnū breuē. Quo in loco vitiatæ coctionis cauſas reddit. Sunt igitur, ſi velimus veritatem ipſam amplexari, ſymptomatum cauſæ, morbi, aut cauſę præter naturam, aut ſymptomata, & hæc aut præcedente morbo, aut etiam ſine ipſo, ſed non abſque cauſa morbifica. A morbis ſanè ſymptomata procedere notius eſt, quàm vt noſtra egeat demonſtratione. A cauſis morbificis, hoc eſt, quæ morbos efficere ſolent, conſtat ſymptomata fieri, vti ciborum in ventriculo ingeſtorum quantitate, aut

qua

qualitate, aut naturæ, siue totius substantiæ malitia, à quibus eruditates, aut corruptiones procedunt: sic & ab humore irritante, nares internas, sine morbo sternutamenta excitantur. Præterea siquis sanus adhuc, sanguinem redundantem habuerit, atque ipsum aut per nares excernat, aut per ventrem, id symptoma erit, ad excrementa attinens, sed sine morbo. In excretione per ventrem nemini dubium est. Quod verò ad fluxum ex naribus attinet, quāuis dicas apertionem vasorum esse necessariam, nihil refert: nam hæc non est morbus, quem sequatur expulsio sanguinis: quandoquidem antecedebat omnino expultricis actio eius quæ in venis residet, sanguis verò motus, vasorum ora aperuit, vomitus præterea dulcis pituitæ, symptoma est, quod sola antecedit pituitæ redundantia citra morbum: est autem hæc causa præter naturam apud Gale. 3. de Causis sympt. Sequuntur quoque symptomata quædam ad alia symptomata, & morbo præcedente, aut etiam sine ipso. Præcedente morbo, vti color albicās in leucophlegmatica, qui sequitur nutritionis vitium, hoc autem morbum, in carne frigidum. Atrophia verò symptoma est, quod sequitur defectum digestioni alimenti, qui fit ratione obstructionis vasorum. Vomitus verò sequitur eruditates ciborum, quas fieri diximus citra morbum, sed non citra morbificam causam. Haud secus si quis interdiu apud pulchras fœminas lasciuè confabuletur, deinde dormiens, nocturnam pollutionem & insomnium patietur, quæ duo symptomata sunt, sed ambo sine morbo fient, frequens quoque sternutatio, in missione pennæ aut cuiusuis titillationem efficientis intra nares concitata, post cibum, ipsum commouendo coctionem impedit, & aliquando ad vomitum ducit, ac sequitur vomitus aut cibi eruditas ad sternutamentum, & sine morbo excitantur. Diximus tamen symptomatum tria esse genera, quorum causas seiunctim referre oportet, posteaquam omnium eorum generales causas tradidimus, à læsis actionibus initium facientes. Sunt autem causæ læsarum actionum in eis, à quibus cùm secundum naturam se habent, perficiuntur. Cùm enim hæc secundum naturam se habuerint probè procedent actiones, atque eisdem à natura deflectentibus, actiones lædentur. Procedunt autem actiones probè à facultate, instrumento, & obiecto, facultas animum indicat, & temperamentum solidorum membrorum. Instrumentum quoddam est vniuersale, quoddam peculiare: obiectum finem indicat, & scopum. Horum exempla notissimam efficiunt doctrinam. Animalis facultas tactum in extremis digitorum perficit. Facultas sanè in cerebro existens, ab anima initium habet, & natiuo cerebri temperamento. Hæc ad neruum mittitur, vtitur autem ad actionem spiritu animali, vt instrumento præcipuo, & vniuersali, & neruo vt minùs præcipuo ac peculiari, deinde ad tactionem accedit obiectum, quod sensum tactus mutat, neque adeò sensim, vt mutatio sensum effugiat, neque adeò subitò & affatim, vt dolorem efficiat. Sed dubitabis: non enim hæc tria tantùm ad actionem videntur necessaria, neque etiam ab eis tantùm procedent delicta, aut ab eisdem desumentur. Nam præter facultatem, instrumentum, & obiectum, pariter accedit medium, quo vitioso existente, vitiari continget actionem, veluti in prædicta tactione, si caro aut cutis externa distemperatur, aut alia ratione prauè afficiantur, lædetur tactus, & victus actio læditur, in aere nebuloso. Præterea causæ sine quibus non, ad actionem sunt necessariæ: nam coctio non exercebitur, nisi alimenti tractio præcedat: ciborum quoque præsumptio ad somnum est ordinata, sine qua vitiosus erit somnus. Vsus præterea ad actiones exigitur: nam pulsus distentio non fieret, nisi vsu refrigerationis præcedente: nec constrictio, nisi præcedat fumorum mordentium copia. Accedunt tempus & spacium, & modus, quibus fiunt actiones, & sine quibus fieri non valent, nam actio omnis in temperie fit, & quædam quoque in spatio, & cutis raritas sudoris causa est, quæ non est facultas, instrumentum, neque obiectum. Hæc tamen facilè quiuis agnoscet, contineri in vno trium generum causarum, quæ

Symptomata alia symptomata generant.

Actionum læsarum causæ.

Dubium.

actiones efficiunt,& vitiant. Nam ſpacium, per quod tactus exercetur, internum eſt medium, atque id ad inſtrumentum attinet, quo tactio fit. Sicuti in oculis cornea membrana medium internum videndi eſt, per quod ad chriſtal loidem deferuntur colorum ſimilitudines:eſt tamen videndi organum.Dicemus quoque ad tangendum medium quod inter tangibile & neruum in corpore exiſtit,organum eſſe minùs præcipuum:magis pręcipuum vero ex membris inſtrumentariis, ad tangendum quidem neruum, ad videndum chriſtalloidem. Quamuis tamen dictum ſit neruum & chriſtalloidem ad prædictas actiones eſſe inſtrumenta præcipua:Galen.animalis facultatis præcipuum inſtrumentum eſſe ſpiritum dixit,lib.3.de Locis pati.cap.5.& lib.de Cauſis reſpirationis inquit:oportet omnino ſpiritum aut animæ ſubſtantiam eſſe,aut primum vtique ipſius inſtrumentum.Veruntamen noſſe oportet, quòd ex inſtrumentis quædam mouentur & mouent, quædam mouentur, ſed non mouent, veluti in curru,equi mouentur ab auriga habenas compeſcente, aut laxante, ſed deinde mouent: currus tamen mouetur omnino, non tamen mouet,ſic & oſſa humani corporis inſtrumenta ſunt, ad incedendum neceſſaria quæ mouentur, non tamen mouent: muſculi verò mouentur & mouent. Ad localem igitur motum, accedunt facultas, ſpiritus,muſculi, & oſſa, facultas eſt præcipuum agens, ex inſtrumentis & mouentibus: ſpiritus eſt magis præcipuum, minùs verò muſculus,oſſa inſtrumenta ſunt mota,non mouentia: ſic in viſione facultas eſt præcipuum agens, inſtrumentum mouens & motum eſt ſpiritus viſorius, qui magis præcipuus eſt quocunque inſtrumento moto non mouente,quoniam vim habet efficiendi.Ex inſtrumentis verò motis non mouentibus, præcipuum eſt chriſtalloides humor: minùs præcipua ſunt, cornea, & humor aquoſus, in pupilla contentus. In tactu quoque facultas, vis præcipua agendi eſt,inſtrumentum præcipuum agendi vniuerſale animalis ſpiritus, ad certum ſpacium delatus, ex inſtrumentis motis non mouentibus, neque coagentibus:præcipuum eſt neruus, reliquum caro & cutis. In viſu tamen præter medium intrinſecum, eſt aliud medium extrinſecum nempe aër: verùm id à Galen. videndi inſtrumentum appellatur, quod tale eſſe dicit, quale neruus tactioni. In auditu tamen & olfactu medium externum exigitur, ſed id non valet actionem vitiare, niſi quoniam vitiat obiecti actionem, ſiue immutationem, quod ad obiectum ſpectat. Si namque medium eſt longum, aut craſſum, aut nebuloſum, faciet vt obiectum non valeat, aut malè, immutare facultatem,ſed hæc obiecti ſunt defectus,aut proprij aut acceſſorij. Nemo tamen læſam actionem viſus dicet, quoniam non videt, aut malè videt colorem poſitum in aere nebuloſo, aut loco diſtantem:idem in percipiendo ſono dicemus. In guſtu ſaliua medium eſt quod ſecũdum naturam ſe habens non mutat nec vitiat actionem: præter naturam verò ſimul cum obiecto mutat,& obiecti rationẽ habet,veluti ſaliua amara, quæ amara facit omnia apparere. Attractricis facultatis opus cauſa eſt ſine qua non, ad coctionẽ neceſſaria,verùm cùm hæc læſa actio fuerit, ſi non trahat, læſiones eius in facultate inſtrumento & obiecto inueniemus.Coctricis tamen læſio in obiecto conſiſtit, ob ipſius defectum, ſine cibo quoque præaſſumpto aut ſomnus non conciliatur, aut malè. Sed cùm ſomnus verè actio non ſit, non omnino eaſdem habebit læſionum cauſas. Verùm hunc defectum ad obiectum referimus: nam alimenti vapor ſuauis cùm offertur, animalis facultatis vias obſtruit & ſomni cauſa fit. Pulſuum verò diſtenſiones & contractiones, vſum exigunt tanquam obiectum, in quod contendunt, atq; ſcopum, & finem quod abiicere conantur,aut quod adiicere contendunt. Nam in diſtentione facultas conatur calorem abundantem amouere,ac frigiditatem inducere,in contractione verò, fumos prauos à corpore pellere & à moleſtia leuari. De ſpacio diximus, in obiecto, aut inſtrumento contineri. Tempus verò non eſt de cauſis quæ actiones vitiant, quamuis vitia in tempore fiãt, & circa tempus,ſed ob cauſas alias quas tribus

membr

membris comprehendimus. Quòd autem cutis raritatem ſudor ſequatur, vitiũ inſtrumenti eſt, quod ad retentionem minus laxum exigitur, omnes itaque cauſas læſionum in actionibus, ad tria tantũ genera reduci, & in eiſdem collocari fateri oportet, nempe ad facultatem, inſtrumentum, & obiectum. At verò operæ precium mihi videtur exemplis oſtendere, cauſas quas diximus actiones vitiare. Coctio ventriculi aliquando vitiatur, quod fieri non aliter contingit, quàm læſa facultate aut inſtrumento, aut obiecto. Facultas naturalis eſt, atque ventriculo inſita, quæ in qualitate temperamenti ventriculi ſita eſt. Hanc autem lædi contingit, variata temperatura, quo in loco ſuccedit cognitio cauſarum morborum. Temperatura namque à cauſis internis, aut externis mutatur. Nec tamen coctio ſimili modo læditur ad omnes mutationes temperaměti, licet ad finem omnis diſtemperies vitiet propriam functionem: cùm enim mutatur ad frigiditatem, valde coctio lædetur & faciliùs: quòd ſi ad calorem mutatio fiat, non adeò facilè vitiabitur coctio, ſic etiam mutato temperamento ad humiditatem, non adeò facilè læſio accedit, vti mutatione facta ad ſiccitatem. Inſtrumentum verò læſum non paruas affert coctioni læſiones. Eſt autem præcipuum inſtrumentum & generale (quoniam ad omnes coctiones expoſcitur) ſpiritus vitalis, & natiuus calor, quibus deficientibus coctio deficiet, ventriculus quoque ipſe inſtrumentum eſt peculiare coctioni deſtinatum. Spiritus vitalis & natiuus (generalia & communia omnium naturalium actionum) vitiantur, vbi non perueniant ad ventriculum aut in parua quantitate: id verò quoniam generãtur in corde, ſed in pauca quantitate, ita vt non ſuperſint, qui ad ventriculum tranſmitti debeant, aut corrumpantur: aut generantur abundè, ſed non mittuntur, aut quoniam via eſt impedita, aut quoniam recurrunt, vti in doloribus & animi deliquiis, & aliis pathematis, & ſolicitudine, & literarum ſtudio, impediunt autem ſpiritus & caloris trãſitum cauſæ morborum in via. Minùs præcipuum inſtrumentum, ſed peculiare eſt ventriculus ipſe, qui coctionem vitiabit, vbi læſus ſit: læditur tamen vt organicum membrum: nam vt ſimilare vitia patitur, ad temperaturam attinentia, quæ facultatem mutant, aut præcipuum inſtrumentum, nempe natiuum calorem & ſpiritum: vt organicum verò morbos patitur in compoſitione, à quibus actiones ventriculi lædi valẽt, quos in præſentiarum referre eſſet inutile, idem vnitatis ſolutiones efficere ſolent. At obiectum ventriculi coctionem ſæpiſsimè vitiat, ſine læſione facultatis aut inſtruměti, ac ſine morbo quopiã, vti probauimus, aut etiam cum ipſo. Etenim ſi cibus copioſior ſit multo, quàm vt à facultate modicè ſe habente ſuperari queat, coctio vitiabitur, quandoque omnino ablata, atq; fiet ab obiecto læſio. Sic vbi quis nullo ordine ſeruato cibos ingeſſerit, aut intẽpeſtiuè, aut vitioſi ſint, aut excrementum eoſdem corrumpens aliunde accedat, obiectum coctionẽ lędet. Quòd verò coctio ſine retentione fieri nequeat, ad obiectũ eſt referendum, quòd cibũ facultas non coquat, ſi nõ admittat coctionẽ, quiete: vigilia nihilominus coctionem impedit, ſed id facultas efficit, quæ per ſomnũ validior eſt, & eo deficiente imbecillior. Attẽperatur enim venter ſomno, & inſtrumentũ vniuerſale, quod eſt ſpiritus, & natiuus calor, in ſomno accedunt ad perficiẽdam coctionem ventriculi, & in vigilia diſcedũt. His ſanè cauſis ſimul accedẽtibus maximæ læſiones fient, & functionũ abolitiones. Nec tamen ad læſiones actionum in diuerſis generibus pares habẽt vires morbi omnes: nam naturales functiones quàm maximè vitiat temperaturarũ mutatio, præſertim ſi facultatem offendat, nam coctio, tractio retentio, expulſio, & generatio, temperamentum ſequuntur partiũ in quibus exercẽtur, & à quibus manãt. Animalis verò facultatis actiones, quàm maximè vitiantur ob inſtrumentorũ vitia, non ſic mutatione temperamentorum (quãuis hac de cauſa variari cõcedamus cum Gal. li. 3. de lo. pa.) Notum etenim eſt, functiones animales parum læſas eſſe in hecticis, in quibus tẽperamentũ valde mutatum eſt, ſpiritus tamẽ diſſolutionẽ, ſtatim ſequuntur animi deliq

Cauſarum ladentium actionem exemplum.

Ventriculus.

Actiones non vitiantur ab omnibus morbis pari modo. Sympt. fac. anim.

deliquia,& casus animalis facultatis,ac eiusdem functionum abolitio, hoc est vitium instrumenti præcipui. Pariter quoque si instrumenta non præcipua sua ratione laborent, vti si nerui obtruantur, aut per transuersum secentur, functiones animales eius partis omnino peribunt, aut totius si præcipuæ partis fuerint meatus qui obtruuntur, visoriæ quoq; facultatis actio læditur,læsa ipsa facultate,aut eiusdem instrumento: aliquando verò obiecti ratione. Facultas quandoque deficit aut quoniam non valet in origine, languente cerebro,vti in senibus & quibusdam ægrotis, in quibus ob morbos cerebri in temperatura,aut compositione,aut continui solutione: facultas animalis læditur & spiritus dissoluitur ac minuitur, qui est sentiendi præcipuum instrumẽtum, aut quoniam quamuis in cerebro vis animalis abundet, non mittitur in oculos obstructis neruis visoriis. Aut læditur visoria facultas distemperato oculo, præsertim crystallino humore, hoc est vitium in organo præcipuo videndi: distemperies verò octo generibus continentur, aut fortè humor prædictus: sedem mutat, aut minuitur quantitate, quæ dispositio defectum sequitur vitrei humoris, deinde ariditatem, & atrophiam ipsius. Læditur tamen quandoque visio non læsa cerebri facultate,aut eiusdem spiritu, neque læso primo organo,sed læsa via,nempe foramine rhagoidis,vbi immodicè claudatur,aut dilatetur,aut disrumpatur, aut vitietur humor qui natura ibidem continetur crassior factus, vti in suffusionibus, qua ratione visorij radij non facilè penetrant,aut diminuatur, quo fiet vt concidat cornea ac comprimat rhagoidem, & chrystalloidem: fiet quoque vt minori interuallo visibilia pertingat visus, aut externa alterent chrystalloidem. Cùm autem cornea membrana facultati & obiecto ea parte quæ pupillæ respondet interiaceat, expedit vt naturalem seruet perspicuitatem, qua amissa visus læditur: amittit autem ipsam ob intemperiem arescens & rugosa facta, aut si crassus aliquis humor substantiæ ipsius infarciatur (quod in albuginibus fit) aut vngula adnascatur. Obiectum autem actionem vitiat, vbi splendidissimus color, aut alter multo splendore suffusus oculis offeratur, nullo morbo inducto in oculo. Hinc fiet vt oculus lædatur in essentia, aut ex accidenti: in essentia, vbi distemperetur ita vt vitientur actiones. Ex accidenti verò, aut propter causam quæ continetur in ipso, vt crasso aliquo humore, aut suffusione, aut ex accidenti propter causam quæ non continetur in ipso. Atque id bifariam, aut quoniam non transmittitur ad ipsum quod transmitti deberet, vti cùm non transmittitur à cerebro facultas oculo: aut quoniam transmittitur quod transmitti non deberet, vti cum à ventriculo, aut aliunde mittitur vapor in oculos ac efficit visiones, eis quæ in suffusionibus fiunt similes. Priorem magis propriè læsionem per consensum & absolutam appellat Galen. quoniam maximè propriè consensus fit sola compassione: quod verò ab alio membro aliquid suscipit, iam quodammodo laborare per se dicetur, non compati alteri solummodo. Constat autem omnino vitiatarum actionum, veluti & symptomatum omnium causas esse morbos, aut causas præter naturam, aut symptomata, quæ morbos sequuntur,aut sine morbis fiunt. Læsas autem actiones vitium accipere à facultate,instrumento,aut obiecto. Habemus etenim præter iam dicta familiare exemplum in sensu tactus: siue enim omnimodo auferatur,siue imbecillus fiat, siue celeritate & contentione eius actio vitietur, vt in dolore, necessum est in aliquo trium dictorum, vitium consistere: si enim facultas non transmittatur, aut imbecilla, tractus lædetur. Non mittitur tamen ob vitium cerebri, quod multis modis vitiatur, vt temperatura, aut compositione, aut vnitatis solutione. Quòd si læsa actione tactus vitium in cerebro nõ consistat, disquirendum,an instrumentum vitium patiatur. Præcipuum tamen animæ instrumentum est spiritus, qui non mittit, aut paucus, & ad pauciſsimum spacium. Aut vitium est in instrumento non mouente, atque ex eisdem præcipuo: id verò est neruus factorius, qui multifariam læditur, aut intemperie, aut

Visus læsi causa.

Visus generalis læsiona.

Actionum vitiatarum causæ generales.

Tactus læsi exempla.

Digitized by

aut ſoluta continuitate, abſciſo neruo, aut ipſo patiente obſtructionem, aut compreſsionẽ, aut contructionem: hoc vero aut ab humore intarcto, aut inflammatione, aut callo, aut ſcirrho, aut quouis tumore iuxtà ſito. Quod facit etiam laqueus comprimens, aut ſuper partem decubitus, aut à re quapiam dura aut graui facta compreſsio. Læditur autem quandoque actio ſine his, quæ læſio inſtrumento minùs præcipuo, quod medij rationem habet, reſpondet, veluti cùm cutis externa, aut caro diſtemperatur, aut obduratur & calleſcit aut dempta eſt, ita vt ſine medio neruus à tangibilibus immutetur, aut pori plus iuſto rareſcant. Ex his enim fit vt ſenſus hebes reddatur, vt in ſtupore, aut ſenſus acrimonia ſuperabundet, & ob leues admodum cauſas dolore afficiatur: læſio itaque ob ſenſus acrimoniam ad inſtrumentum referri debet. Læditur autem tactus obiecti ratione in doloribus: per eos enim tactio celerior, & vehementior iuſto fit, ob vehementiam obiecti mouentis. Eſt autem obiectum propinquum, quod immediatè ſentitur in doloribus, nempe intemperies inæqualis, aut ſolutio vnitatis, dum fiunt. Remotum verò obiectum eſt, quod intemperiem efficit, aut vnitatem ſoluit. Vehementia igitur obiecti imprimentis id efficit ſymptoma, quod nos in læſis actionibus ſuprà locauimus. Sed putabis doloris obiectum actionem non vitiare, niſi vitiato prius inſtrumento, ac perinde eam læſionem actionis ad inſtrumentum eſſe referendam. Verùm quamuis læſio inſtrumenti mediet inter cauſam remotam doloris & ſenſum, quoniam tamen obiectum propinquum generationem & celeritatem mutationis habet, ab obiecto remoto, cuius actione ceſſante ſtatim ceſſaret dolor, etiam ſi obiectum propinquum præſens maneret: tota mutatio dolórque ipſe, & actionis vitium, ad obiectum refertur, quod extra inſtrumentum cõſiſtit. Quamuis tamen inſtituerim generalia tantummodo in hoc loco docere, illuſtrioris doctrinæ gratia exempla apponere decreui, vt in eis lectores exerceantur: atque vnum hoc in functionibus pulſatilis facultatis. Hæc ſanè in corde & arteriis exercetur, atque medicus arteriam tangens, vbi pulſum vitioſum reperiat, id vitium inquirere tenetur, quod in facultate, inſtrumento, aut obiecto reperiet. Sunt enim tres cauſæ quæ pulſum continent, quæ ſecundum naturam ſe habentes pulſum complent: his verò vitiatis aut aliqua earum pulſus à naturali variabit, & vitioſus fiet. Si ita pulſus afficiatur à naturali varius, vitium id omnino manabit à facultate, aut inſtrumento, aut obiecto à debito modo declinantibus. Facultas vitalis ſiue pulſatilis à corde manat, inſtrumenta ſunt arteriæ, obiectum ſiue vſus eſt duplex, alter diſtentionis, nempe refrigerare calorem qui perpetuò accreſcit, niſi ventiletur: conſtrictionis vſus eſt fumos prauos in arteriis, & cordè genitos à corpore pellere. Facultas actionem exerçet, inſtrumentum conſentit, vſus vrget. Quòd ſi pulſum aliquem naturali minorem reperias, & vſus non eſt diminutus, calore videlicet aut moderato manente, aut aucto vitium ad facultatẽ referendum, aut ad inſtrumentum. Quòd ſi inſtrumentum, nempe arteria dura non fuerit, aut intenta, aut vehementer laxa. Facultatis vitium erit, aut quoniam non valet, vt in langoribus, & diſſolutionibus, & alimenti inopia, & magnis exercitationibus, & ſyncope: hæc verò ob intemperiem cordis. Aut non deeſt quidem in origine verùm non effunditur, aut pauca & imbecilla, atque id propter ſpirituum paucitatem, non enim effunditur facultas vitalis ſine ſpiritu & natiuo calore, quamuis ipſa per arteriarum ſubſtantias procedat, aut malè traducitur, aut meatus impeditus eſt obſtructione, compreſsione, conſtructione, aut conniuentia, aut ſectione. Horum cauſæ ſunt multitudo, & craſsitudo humorum, adſtrictio, refrigeratio, tumores, calli, tubercula, & laquei, & grauia ac dura opprimẽtia: aut recurrit is in animi pathematis, aut transfunditur in partem dolentem, ſi quæ dolet: fiet tamen in facultate vitium, aut in eſſentia, aut quoniam grauata eſt: eſſentiã mutant temperamentorum mutationes, grauant ipſam multitudo, & craſsitudo, ac lentor. Quòd

Pulſus læſionum cauſa.

si valente atque transmissa abundè facultate, pulsus iusto minor fuerit, vitium ad instrumentum, aut vsum siue obiectum referendum erit, si tamen vsus manet, vitium est in instrumento, quoniam durum est, aut immodicè laxum aut oppressum. Durum fit siccitate, aut refrigeratione, aut vtroque, aut tensum est inflammatione, aut scirrho, laxatur nimia humiditate. Opprimitur carne, aut tumore quopiam adiacente, aut multitudine humorum. Si tamen pulsu existente paruo, facultas constauerit, & instrumentum vitio careat, obiectum vitiatum erit, nempe vsus diminutus. Talis autem fit dissoluto calore natiuo, & spiritu, quod multis causis fieri conspicimus, quas retulimus inter causas frigidorum morborum. Quòd tamen causæ internæ aut externæ pulsum mutent fieri nequit, non mutata vna harum trium causarum. At verò hæc omnia latissimè traduntur à Galen. lib. de Causis pulsuum. Non tamen videtur à ratione alienum exercitationis gratia quorumdam symptomatum, peculiares causas disquirere, & iam inuentas docere, à syncope initium facientes. In syncope sanè vires non tantum desunt, sed subitò cadunt. Quod fieri nequit ob temperaturæ, ac facultatis mutationem, quemadmodum neque apoplexia: mutatur enim facultas in essentia, mutato temperamento: cùm autem subitò cadant vires, ac rursum breui reparentur, notum est nec syncopem nec apoplexiam à mutato temperamento oriri, sed ob vitium in instrumento. Nos tamen hac in re veritatem ipsam sectamur non aliorum placita. Concidunt autem vires aut animales, aut vitales, ob morbum, aut damnum in instrumento potissimo animæ, aut in minus præcipuo. Præcipuum autem instrumentum spiritus est, quem dissolui aut corrumpi subito contingit, magna aliqua facta euacuatione sanguinis, aut ventris fluxu: aut sudore, aut ob alimenti inopiam, quo accedente reparatur, aut corrumpitur ob veneni occursum, aut pestilentis aëris, aut fœtidi, aut ob corruptionem humoris, aut excrementi, aut partis corporis in veneficam naturam, has omnes, virium concissiones appellant medici, quoniam per eas facultas à potissimo priuatur instrumento, concidunt quoq; vires subito in animi turbationibus, quod accidens non nisi ad spirituum dissolutionem, aut eorumdem suffocationem reducetur. Instrumento verò non præcipuo læso subitò concidere vires notum est, facta obstructione, sic etiam arteria per transuersum secta. Cùm autem humor obstruens partem aliquam, vti neruorum originem, subitò dimoueri possit, aut si alter initio arteriarum includatur: subitò concidere vires, ac subitò reparari contingit. Fiunt autem huiusmodi obstructiones, à crassis, & lentis, & multis humoribus, aut compressis vasis ipsis, à causis quas compressiones, & obstructiones facere posse diximus. Tussi tamen, sternutamentum, horror, rigor, vomitus, nausea, ructus, singultus, pandiculatio, oscitatio læsæ actiones sunt, à causa præter naturam siue obiecto concitatæ, natura verò conante quod præter naturam est excernere. Tremor immixta actio est animæ facultatis, & causæ præter naturam, veluti & quidam alij motus interrupti & torpidi, de quibus est (pulsus tremulus. Conuulsio tota à causa præter naturam pendet, sicuti & palpitatio. Tussis à causa fit grauante siue comprimente, partes thoracis & pulmonis, aut easdem mordente, aut ab inæquali intemperie partium earumdem, in quibus est aspera pulmonis arteria. Est autem omnibus excretionibus commune, vt facultas excernens ad eas excernendas commoueatur, quoniam grauant, aut quoniam mordent, aut quoniam à natura sunt aliena. Nam sternutatio, à causa concitatur interna narium membranas irritante, & titilationem commouente. Rigor verò à causa mordente celeriter mota per sentientes corporis particulas, quam calidam aut frigidam esse contingit. Differunt tamē rigor inæqualis sensus, & horror motu & magnitudine causæ. Humor enim paucus sed quietus inæqualem sensum efficit, motus autem, horrorē, copiosus verò ac motus, rigorem, qui est totus corporis inæqualis concussio, ac conquassatio. Concussio autem hæc naturalis facultatis expultricis

Syncopes causæ.

Spiritus mora.

Symptomata à causa præter naturā orta.

Tremor.

Rigor.

pultricis est munus. Accedunt autem ad rigorem efficiendum humor mordens,& motus,& ipsius humoris copia, & facultatis robur,aut imbecillitas, à quibus vehementissimi rigores concitantur, si accesserint simul excrementi mordacitas,& copia,& celer motus eiusdem, atque virium imbecillitas, contrariæ causæ aut non efficient rigorem, aut minimum, mediæ verò medium.

Vomitus. Vomitus à causa concitatur, mordente, aut grauante, aut à quibusdam cibis ingestis, aut succis, qui à tota substantia ventriculo aduersantur.

Nausea. Nausea vomitum antecedit, vti tussim, πάρχυσις: est autem hic, motus faucium ad screationem cum raucedine.

Nausea causa. Cùm igitur causa mouens ventriculum continetur in cauitate antecedente nausea, vomitus sequi solet: cùm verò excrementum internæ membranæ ventriculi hæret,nausea fit cõmoto ventriculo ad expulsionem,ea nõ sequuta,concitatur quoque nausea sæpissimè his qui pingue ali quod ingesserunt, iam finita coctione. Tunc etenim pingue hærens interius ventriculi ori,talem inducit affectum, qualẽ satiatis,pinguia oblata inducere solent, id itaque sex aut septem horis à cibo experientur, maximè si interim ventriculus refrigeretur.

Ructus. Ructus fit excernẽte natura substantiam flatuosam quæ in ventriculo continebatur.

Singultus. Attinet cum his ad naturalem expultricem ventriculi singultus, vehementer ipsa commota ad expellendum causam nocentem,fitq; omnino conuulsionis modo,aut ab humore quopiam concitante facultatem ad excretionem,aut tali flatu, fibris ventriculi infarcto, éstq; singultus à repletione procedens.

Pandiculatio. Altera tamen species fit, arescente ventriculo vti & sicca conuulsio in neruis.

Pandiculatio fibricitantium. Accedit tertia singultus species,quę à mordentibus causis concitatur vti pipere,& vino,aut à causis non valde mordentibus ex natura sua,sed quæ in ventriculum acri sensu præditum,aut abrasum,exesum, aut vlceratum, inciderunt. Pandiculatio fit cõmotis musculis ad excludendum flatum, siue excrementi vaporem, fit quoque natura conante celeriorem & vehemẽtiorem alimenti diductionẽ per corpus, qua in re membrorum tractrix ab animali facultate musculorum iuuatur. Sic etiã incipientibus accessionibus pandiculantur ęgri,vt animali facultate cooperante iuuentur, ad excrementorum expulsionem extra vasa:quòd si vapor in musculis temporalibus & masticatoriis contineatur, oscitationem mouebit.

Tremor. Tremor in laborantibus à facultate & morbosa causa fit, non aliter quàm sanis & valentibus hominibus vbi pondus magnum gestare conentur humeris superpositum: hi enim inter incedendum tremunt, conante facultate onus gestare, maius quàm pro viribus, dum tamen vires contendunt pondus ferre à pondere grauatæ vincuntur,sed rursus receptis viribus ad actionem redeuntibus, pondus vincunt. Quod senibus ipsis in suorum corporum delatione contingit. In ægrotis verò id symptoma cõspicitur, cõtendente animali facultate loco mouente,partem aliquam transponere,aut in loco aliquo pendẽte firmare: tunc etenim grauitate superante pars deorsum fertur, sed rursus receptis viribus, atque ad membri transpositionem aut in loco fixionem redeuntibus, eam mouent, aut firmant, & eleuant. Erunt igitur potissimæ tremoris causæ quæ facultatem languidam reddunt, & quæ grauitatem addunt, ita vt membra mouere nequeat veluti sani solent. Imbecillam verò reddunt facultatem frigida intemperies qualis senibus adest,& causę grauantes,vti succorum nimia redundantia,aut crassi humores,aut lenti, & impedientes delationem facultatis animalis, qui ipsam minorem reddunt. Quod etiam facit nonnunquam nimia humiditas neruos laxans, quam dispositionẽ sequitur stupor, & quandoque paralesis.

Conuulsio. Conuulsio talis membri contractio ad originem est,nobis inuitis facta,qualis valentibus aliquando fit. Nolentibus tamen tales fiunt membrorum ad originem cõtractiones, quales in citaræ fidibus:hæ verò si intentæ diutius permaneant,cùm conuelli nequeant,vtrinque ligatæ,siue ob aëris humiditatem, siue nimiam siccitatem, disrumpuntur. Musculi tamen & nerui, cùm non sint ita ossibus alligati,vt nullatenus cogi possint, non rumpuntur,

ſed ad originem deducũtur, ſiue à nimia humiditate impleantur, ſiue à vehementiori ſuccitate corrugentur. Nemo autem eſt qui nõ nouerit tertiam conuulſionis ſpeciem neruis aduenire ſimilem ſingultui, venienti ob morſum, partibus ad originem vſque conſentientibus. Quemadmodum comitialem morbum ſæpe concitatum videmus, nõ primaria ipſa in capite affectione, ſiue per eſſentiam laborante, ſed ſecundaria & per conſenſum: ſunt autem horum affectuum cauſæ quæcunque neruos implentes, ipſos reddunt breuiores, de quorum numero ſunt tumores præter naturam, & craſſi humores, ſiccę tamẽ conuulſiones ab his proueniunt cauſis, quæ morbos ſiccos efficere valent. Tertia tamen ſpecies à cauſis mordẽtibus fit, & ab his quæ cerebro tranſmittere valent craſſos vapores, aut acres & mordentes, aut à nerui punctura.

Conuulſionis 3. ſpecies.

Palpitatio.

Palpitatio à craſſo vapore fit implente partem aliquam, quæ diſtinctionem & motum diaſtoli ſimilem pati poteſt, quales ſunt genæ, palpebræ, aut mẽbranis circumſepta loca, vti vetica, inteſtina, & ventriculus, flatus itaque craſſúſve vapor intercluſus ipſam diſtendit, quæ ſtatim concidit, & rurſus diſtenditur, ídque fit donec vapor in cognatum aerem expiret, interim tamen pars dilatatur vapore ingrediente: ſed in partem proximam ipſo tranſmiſſo fit cõtractio, & rurſus ipſo redeunte diſtentio. Hinc nota erit cauſa, & ſymptomatis generatio. Secundum ſymptomatum genus ſuprà ſtatuimus corporis affectus, quos à morbis mutari contingit interueniente actionum læſione, ſed vitiantur quandoque ſine morbis, non tamen ſine læſis actionibus, quas ſuperius docuimus, nonnunquam abſq; morbis lædi. Quod ſi affectus corporis vitiati læſas actiones ſequuntur, qui generali methodo inuenire voluerit cauſas vitiatorum affectuum, eas omnes reperiet in cauſis læſarum actionum, has tamen contineri diximus in facultate, inſtrumẽto, & obiecto, quas modo pariter cauſas vitiatorum affectuũ ſignamus. Cùm enim corporis color vitiatur, vt in icterico morbo, bilem redundantem intelligemus ſanguinem, ſi rubeus fuerit color, pituitam, ſi albus, melancholiam, ſi niger. At verò ſi color albidior apparet, vitium aderit in obiecto: quoniam humor pituitoſus vbi copioſior ad membra deferatur, ſuperari à facultate nequit. Aut erit vitium in facultate partis, nequeuntis ſuperare quod iuſtum eſt, ſed id inconfectum relinquit. Aut aderit vitium in inſtrumento, ſi refrigerato habitu corporis, ſanguis intrò recurrat extremis exanguibus relictis. Color etenim pallidus in cute apparet, aut multa bile ad cutem transfuſa, quod vitium in expultrice contingit: eſt namque error in termino: foret enim hæc per ventrem excernenda. Aut vitium eſt in inſtrumento, vbi ob cutis conſtipationem, quæ refrigeratione, aut alia cauſa facta eſt, excrementũ id non trãſpirat. Aut eſt vitium in facultate altrice coquente, quæ ſanguinẽ corrumpit, aut vitium in obiecto, quoniam bilis multa domari, ac ſuperari, & diſcuti nequit. Licebit autem volenti in ſingulis exerceri, inuenire affectuum omnium vitiatorũ cauſas in tribus prędictis generibus. Fœtor etenim à corpore expirãs, vitium in obiecto ſignificat, ſi excrementum vitioſum ſit, & quod naturam ex cibis contraxerit ad putredinem aptam. Aut fiet ob vitium in inſtrumento, ſi membrum in quo ſuccus, aliàs bonus continetur, meatuum anguſtiam, aut obſtructionem patiatur, ſine his quoque ob vitium facultatis putredo incipit, nequeunte natura ſuccos gubernare digeſtione, & coctione. Sonus quoque mutatur, cùm flatus per inteſtina deuoluitur & cohibetur, aut ob copiam ipſius, aut imbecillitatem facultatis expultricis, aut inſtrumenti anguſtiã. Sed iam ad tertium ſymptomatũ genus tranſeamus, quod in excrementorum vitio conſiſtit, quod læſas actiones ſequi ſuprà diximus, & ad læſarum actionum cauſas omnino, eas quæ vitiant excrementa reducemus, erúntque excrementorum vitiatorum cauſæ generales inuentæ, quas ſeiunctim licebit in omni genere excrementorum inuenire. Nec tamen has tantùm generales cauſas exercitatus aſſequetur. Sed peculiares ſingulorum veluti à Gal. ſummo medicinæ parẽte in libris de cauſis ſymptomatum, miro

Symptomatum ſecundi generis cauſa.

Excrementorum vitiatorum cauſæ.

modo

modo inuentæ sunt. Porrò expedit vnico coryzæ exemplo excrementorum mutationẽ in causas generales deducere, deinde vero quandã alias excrementorũ mutationes, ad peculiares & proprias causas viq; percurrẽtes trademus. Si namque à capite per nares excrementum pertenue, ac multum distillauerit, vitium erit in obiecto, vbi humor in caput ascendat tenuior iusto, & copiosior, ita vt vinci nequeat à facultate naturali, adhuc constante. Quod alia ratione ad læsam actionem membri tranimittentis referri posset. Aut id excrementi genus sequetur læsionem in instrumento, vbi videlicet caput refrigeratum sit, modum tamen facta distemperie: frigiditas vero humorem ante coctionem exprimat, & cuti adstricta impediatur, serosi & aquosi humoris transpiratio: quod etiam remisso calore sequitur. Neutra tamen harum causarum accedente, vbi cerebri facultas concoctrix, imbecilla fuerit, idem continget. Nec tamen negamus plures ex his causis adiungi posse, ac simul accedere, multo ac seroso excremento ascẽdente capite refrigerato, & languente coctrice facultate ipsius. Quoniam tamen ab initio diximus symptomata omnia generalissimas causas habere morbum, causam præter naturam, & symptoma. Notum est in præsenti exemplo, tenuis excrementi causam aut esse causam ipsam quæ superari non potuit, aut morbum cerebri: is verò fiens erat intemperies, cùm nondum variare valebat facultatem, cùm verò ipsam vitiare valebat, ac imbecillam reddere, facta accessit quoque meatuum angustia. *Coryzæ exemplum.*

Expedit præterea, vt exemplis quibusdam doceamus, excrementorum mutationem, ad postremas & minimas vsque causas deducere, ac primum in deiectionibus. Mutari sanè cõtingit deiectiones quãtitate, qualitate, aut tota substantia, sicuti & excrementa omnia, & hæc aut læsa facultate, aut instrumento, aut vitiato obiecto. Fit itaque vt deiectiones tempus anticipent, aut postponant, aut frequentiùs, aut rarius solito descendant, aut quãtitate variæ sint à natura, superabundantes, aut diminutæ, aut erunt qualitate vitiosæ, aut tota substantia variæ, vti cruentę, aut pingues, aut ramẽtosæ. *Deiectionum vitiatarum exẽplum.*

Diximus tamen in excrementorũ mutationibus, considerandum opus, siue excretionem, & id quod excernitur. Quamobrem ex differentiis prædictis, quæ sumuntur à celeritate, & tarditate, & frequentia, ac raritate, inter læsas actiones reponuntur, ad tempus attinentes, vitiantur enim actiones celeritate, & tarditate longitudine, ac breuitate, continuitate & intermissione: id tamen quod excernitur quantitate, qualitate, aut substantia. Hæc vbi quis in deiectionum mutationibus probè nouerit, similia in reliquis excrementorum generibus facilè assequetur. Quòd si deiectio tempus anticipet, læsa actio erit, quæ vitium assumet ex facultate, instrumento, aut obiecto. Facultatis etenim retinentis actio vitiosa est, si alimentũ non retineat ac complementũ coctionis, atq; si diutius retineat, sic etiã ad læsam actionẽ attinere notissimũ est, si deiectio tẽpus anticipet, quoniã ab expultrice ante tempus excernatur. Gal. porrò lib. 3. de causis symp. deiectionẽ, quæ tẽpus anticipat, aut postponit, & frequentẽ, ac rarã inter symptomata attinentia ad excrementorum mutationem recensẽt. Cùm tamen ipse lib. de Diffe. symp. cap. 4. inter læsas actiones expultricis facultatis ventris, symptoma id annumeret, dicens: Motus verò quasi deprauatus est quum vel properat ad actionem, antequam perfecta sit coctio, vel tardat, vel cessat etiam perfecta coctione. & rursus lib. eodem capitulo quinto, inquit: At ea quæ præter naturam vel retinentur, vel excernuntur à corpore, partes differentias prima sectione diuiduntur. Vel enim tota substantia, vel qualitate, vel quantitate, à naturali habitu recedunt. Constat autem eam deiectionem quæ tempus anticipat, aut postponit, aut quæ rarius, aut frequentiùs succedit, hac ratione nullum tale vitium quantitatis, qualitatis, aut totius substantiæ ostendere: possent enim ob vitium facul. euenire. Quod itaque tempus aut anticipet, aut tardet, siue à facultate, siue ab instrumento, siue ab obiecto ortum habeat, ad actionis læsionem referri debet, sic & quæ frequentiùs, aut ra-

rius ſuccedit, vitia verò in quantitate aucta, aut diminuta, aut qualitatis depraua-
Ciborum deſcenſus celeris & tardi cauſa tione, aut totius ſubſtantiæ mutatione, in ipſis ſunt excremẽtis. Aut teneretur quidem Gal. conſiderare in excrementis præter quantitatem, qualitatem, & totum ſubſtantiam, tempus, quinimo & locum per quem excernuntur. Cùm itaque celerius deſcendit deiectio, aut ventriculus à cibis grauatur, & id aut quoniam quantitate abundant, aut quoniam quantitas maior eſt, quàm pro viribus ventriculi, aut quoniam ventriculus mordetur, & id aut ob ciborum acrimoniam, aut vẽtriculi ſenſum acrem: morſu namq; accedente, protinus facultas expultrix alimentum excernit, nõ expectata coctione: quòd verò mordetur aut ad obiectum, aut ad inſtrumentum attinet. Ciborum quoque natura, celeris deiectionis cauſa eſt, vbi cibi viſcidi ſint, & humidi, maximè ſi motus corporis accedat: nam is alimẽta deſcendere facit, niſi vehemens adeò fuerit, vt in corpus ipſum digeri cogat. Efficit autem viſcidus cibus prima menſa aſſumptus, vt libricitate inteſtinis inducta, alij etiam cibi eoſdem ſequantur. Tardatur autem ſupra conſuetum excrementorum deſcenſus per ventrem, propter robur retentricis facul. aut imbecillitatem expultricis ventris, & inteſtinorum, aut ob ſenſum hebetem eorumdem. Tum etiam ob ciborum paucitatem: qui enim pauci ſunt, cùm non grauant, non etiam pelluntur ea ratione. Præterea ciborum natura idem efficit vbi fuerint acerbi, aut auſteri. Accedit ad tardem deiectionem efficiendam, præſertim ſi dura fuerit imbecillitas muſculorum ab dominis; idem quoque fit ob dolorem in eiſdem partibus, aut conſentientibus: nam & hac ratione minimè audent muſculos comprimere ad deiectionis expulſionem. Pari ratione in doloribus ad thoracem & ſeptum tranſuerſum attinentibus, cùm non audeant ægri magnas efficere reſpirationes, deiectio deſcendit tardè, quoniam motu reſpirationis
Reſpiratione fex deorſum per ventrem, mittitur. conſtrictione ſepti tranſuerſi & abdominis, toto vitæ decurſu fæx ventris & inteſtinorum deorſum pellitur. Quam cauſam demiſsionis fæcum potiſsimam eſſe, minùs præcipuam verò compreſsionem, per fibras inteſtinorum factam, exiſtimare decet. frequentius ſolito deiectio ſuccedit aut ob imbecillitatem, quæ intemperiem ſequi ſolet, aut ob morſum. Morſus autem fit à qualitate ciborum, aut quoniam medicamentum cibis miſcetur, aut quoniam corrumpuntur in ventre, aut quoniam venter ſenſu acri prẽditus eſt, aut inteſtina, aut ob vlcus eorumdem, aut excrementorum aliunde venientium, aut ibidem genitorum acrimoniam. Relaxatio quoque muſculi claudentis anum frequentes & inordinatas efficit deiectiones. Rarius deſcẽdit deiectio ob alimentorum paucitatẽ, & magnam diſtributionẽ, & diſsipationem alimenti, aut ſenſum hebetẽ. Paucæ tamẽ & quãtitate diminutæ pro quãtitate eorũ quę aſſumpta ſunt, deſcendunt deiectiones, quoniã vehemẽs fit diſtributio, ita vt totus fere humor alimẽti aut diſſoluatur, aut in ambitũ corporis digeratur, aut quoniam aliqua eius pars in cæco inteſtino cõcluſa retinetur. Deiectio verò copioſior quàm pro ratione ciborum aſſumptorum, ſuccedit, tum ob paucam diſſolutionem ac diſtributionem, tum etiam ob confluxum excrementorum ex vniuerſo corpore, aut aliqua particula in ventrem. Mutantur etiam à naturalibus deiectiones qualitate, vt colore, odore, & caliditate, aut frigiditate, tenuitate, & craſsitudine, mollitie, & duritie: hæc verò aut ob naturam ciborum, aut ventris & inteſtinorũ temperaturam, aut ob humores & excremẽta, aut aliunde confluentia, aut in ventre & inteſtinis genita, ſed hæc intra ſpeciem naturalium deiectionum intelligenda ſunt, nam quę tales non fuerint, alienæ tota ſubſtantia dicuntur, quales ſunt porraceæ, nigræ, pingues, ramentoſæ, cruente, aut purulente. Porraceæ ſine febre generantur in ventre, ex corruptione ciborum eius naturæ: cum febre in venis generatur bilis porri colorem referens, ex bilis flauæ vſtione. Nigræ ab atra bile fiunt, quæ ſi exquiſita fuerit toto genere præter naturam erit, & bilis aut ſanguinis aſſationem ſignificabit, atq; calorem vrentem. Pingues colliquatione fiunt. Ramentoſæ,

ab

ab acribus excrementis per ventrem descẽdentibus procedunt,quæ intestina abradunt:cruentę verò fiunt quandoque natura sanguinem excernente, iudicationis modo, cùm abundat per interualla temporis, quod fieri solet dimisso diutius assueto exercitio, aut parte quapiam mutilata. Aut excernitur sanguis splendens ad nigredinem tendens,qui vstionem ostendit,& splẽdore subnigricante agnoscitur. Aut similes sunt deiectiones loturæ carnis, quæ indicant sanguinem aquosum inconfectum,qui ob iecoris imbecillitatem talis redditur. Fit quandoq; vt natura validè commota, à causis mordentibus, excernat expultrix,reliquos humores,ac deinde sanguinem ipsum, sicuti & vbi biberit quis superexpurgans medicamentum, hic autem sanguis probè coloratus est,& aliquando solus,aliquando cum reliquis humoribus exire conspicitur. Succedunt nonnunquam cruentę deiectiones, cùm dolor pauca quantitate,mordacibus excrementis mixtæ,& ramentis, & pinguedini intestinorum & quandoq; puri,aut ichori,quæ vera ipsa disenteria est,nobis intestinorum difficultas. Erúntque quinque deiectionum cruentarum genera. Purulentæ verò fiunt aut genito pure in intestinis, aut aliunde transmisso, & hæc aut ab vlcere,aut rupta suppuratione.

DE GENERALI MORBORVM NOTITIA, ET MEDENDI METHODO, PARS SECVNDA.

De generali morborum notitia, Cap. I.

EX His quæ à nobis de morbis, causis, & symptomatis dicta sunt,non paucam vtilitatem ad morbos agnoscendos colligemus,neque ad hoc tantum, sed etiam ad inueniendas patientes particulas. Nec refert dicere quàm vtilis sit hæc doctrina his qui ad artem curandi ediscendam se accingere volunt,nec quã fuerit hæc generalis pars artis à multis omnino prætermitta qui ab initio suorum operum nulla vniuersali consideratione habita morborum,causarum,aut signorum,statim nobis morbos partium singularum curandos proponunt. Quidam verò quamuis non proposuerint morbos partium in initio suorum operum curare, nihil tamen generale ad eam rem necessarium præfati,quod peculiare est,aggrediuntur docere:quãobrem coguntur sæpe in ostendendis morbis signa confundere,nunc quidem diuersis morbis communia,nunc verò vnius morbi propria,communibus, quod nõ parum lectores confundit,& turbat.deinde verò curationem aggressi vniuersali medendi via incognita, omnia sibi obscura & difficilia videntur,& probatione carentia. Nos sanè hac de causa signorum generalem doctrinam tradere instituimus antequam curationem generalem, aut particularem persequamur. Signum autem in omnium philosophorum consensu id appellatur, quod sensui oblatum ducit in rei obscuræ cognitionem, veluti in medicina rubeus color facici sanguinem subesse demonstrat. Docuerunt autem medici corporibus signa suę de nominationis impartiri, vt ex signis corporum naturas assequerentur. Cùm autem corpora quædam sint sana,quędam ægra,quędam neutra,sic etiam signa appellauerunt sana quæ corpus sanum ostendunt, ægra quæ ægrum, neutra quæ neutrum. De signis sanis & neutris suprà non pauca tradidimus,nunc verò signa ægra percurrere est in animo. Sunt tamen ex signis tam sanis,quàm ægris,quàm neutris, quædam demonstratura, quæ docent præsentem corporis statum, sanum, ægrum, aut neutrum: quædam prognostica quæ ostendunt futurum statum, quædam memoratiua quæ docent præcedentem:quamuis artis prognosticæ munus sit non tantum futura prædicere, sed præsentia, & præterita nondum sensu cognita. Decet autem non modò morborum naturam ex signis tenere, sed etiam patientes partes, & morbi

Signum quid.

Signorum diffe.

In morbis considerada.

& morbi causas,& effectus,& fines,& tempora, & magnitudinem, & morem. Morbi namque natura ex propriis notis agnoscitur, veluti phlegmone, ex dolore, calore, tumore pulsu,rubore & tensione. Pars laborans agnoscitur, quoniam dolor punctorius,membranas affici docet,& furfures qui cum vrina minguntur sine febre, in vesica morbum esse, causæ morborum deprehendunt si quis cognita febre repetente per tertium, bilem esse morbi causam agnouerit,& morsum oris ventriculi, à bile procedere intellexerit,fines quoque morborum assequetur ex notis quæ ostendent ipsos esse salutares aut lethales,quæ ex pulsibus,& vrinis præcipuè sumuntur:in quibus enim vrina cocta est & pulsus constans, agnoscimus futuram salutem, contrà verò in quibus hæc longè à natura absunt. Effectus sunt læsæ actiones, excrementa, & qualitates.Rursus signa notanda,quæ docent quod morbus cum crisi aut sine ipsa finem est habiturus, aut quòd coctione sensim finietur, & qua via crisis futura.Nam morbi magnitudo & motus celeritas crisim docent, locum verò morbi natura,& pars patiens, & imminentia symptomata, quorum omnium latam fecimus expositionem,in libris prognosticorum. Tempora morborum notæ quædam ostendũt,vti quòd morbus in principio existit, aut in augmento,in statu,aut inclinatione:cruda enim excrementa principium, parum cocta,augmentũ,probè & integrè cocta statum,& quantitate diminuta inclinationem demonstrant. Morbi quoque essentia seipsam suámq; magnitudinem & magnitudinis tempora pandit:ad quod accedit signorum propriorum magnitudo.Longitudo ac breuitas ex notis temporum morborum venãtur:nam qui morbi in statu,aut inclinatione sunt, non longè absunt à fine, nec longi deinde sunt futuri,sed ad longitudinem morbi assequendam ex causę natura procedimus,& ætate,temperatura,& anni tempore. Morem morbi siue benignitatem & malignitatem ex signis salutaribus & lethalibus (quæ signa coctionis non sunt)agnoscemus, quorum non pauca in libris prognosticorum ab Hippo.tradita sunt,vti quæ à facie sumuntur, respiratione, mentis turbatione,& extremorum refrigeratione,aut liuore. Sunt etiam morborum signa quædam cõmunia, quædam propria, quędam inseparabilia, quędam propria & inseparabilia,communia pariter,aliqua inseparabilia sunt. Signa communia sunt quæ in morbis diuersæ naturæ reperiũtur,vti dolor capitis, aut vrina alba:Propria verò sunt quæ vni tantùm generi affectus conueniunt,vti respiratio magna & frequens,quę calorem indicat in partibus thoracis:sed tamen signa propria,quædam separari possunt, vti pulsus serratus inflammationum est proprius,verùm ab ipsis quandoque separatur, vt in pulmonia. Dolor autem lateris pungenti similis morbo laterali proprius est, & inseparabilis adiungimus autem plura ad vnius signi constitutionem : nam dolor pungenti similis communis est membranosis partibus, vt autem ipsum proprium efficeremus,addidimus,lateris : nam & Galen. vbi signum aliquod proprium inseparabile facere voluit, dixit febrium putridarum signum proprium & inseparabile esse vrinam ab initio crudam, aut obscurè coctam, sic etiam dolor lateris morbo laterali est proprius:cùm verò additur purgenti similis inseparabilis redditur. Sũntque hac eadem ratione cõmunia quædam sed inseparabilia signa, vti dolor, is enim communis est multi morbis, sed à morbo laterali,& quacunque inflammatione inseparabilis. Propria signa morbo coapparent,sed communia post apparent quædam, quæ ob id mox apparentia dicuntur, veluti in morbis venosi generis vrinæ coctio.At verò ex eisdem communibus signis quæ mox apparent,sunt hæc ἐπιγινόμενα, quædã sunt veluti propria morbo, quædam omnibus morbis communia, quasi dicas quædam esse quæ peculiariter in eo morbo considerantur,quædam quæ in omnibus aduertenda sunt:in morbo namque laterali sputum, signum commune quidem est, verùm vt peculiare considerantur: vrina verò non tantùm communis nota est:sed neque peculiaris nota habetur ex ipsa in laterali morbo. Sunt etiam

Signa propria & cõmunia.

signa

signa quædam παθογνωμονικὰ, id est passionis significatiua, quæ passionem indicant, & ex pluribus coniunctis passio exquisita constituitur, vti ardor & sitis incompescibilis, hæc enim simul non tantùm indicant febrem ardentem, sed etiam exquisitam, quod neutrum per se faceret, sic & dolor lateris pungenti similis, cum difficultate respirationis, febre continua, & pulsu serrantis speciem referente, & tussi, signa sunt pathognomonica, passionem exquisitè constituentia. signa verò συνδρομικὰ, morbo assident, veluti quod ad iugulum dolor ascendat, aut ad hypochondria descendat. Quamobrem coguntur medici ad constituendam & ostendendam aliquam passionẽ exquisitè, signis propriis & communibus vti: præsertim cùm non tantùm passionem docere conantur, sed passionis speciem, & partẽ patientem: inde enim fit vt euidentior habeatur morbi notitia: non enim indicarent communia signa certum aliquod, nisi propria adiungerẽtur. Id profectò nos in singulis morbis ostẽdendis faciemus, vbi prius ad institutum reuersi generali docendi via referamus, à quibus genera omnia signorum desumenda sunt, vt nullum eorum quæ ad morborum consequutionem & integrã notitiam sunt necessaria, nos fugiat. Porrò quæ nobis aliqua ratione aliàs occulta erãt, deinde patẽt, aut ex se ipsis, quoniam sese nobis offerunt, aut ex aliis. Ex se quidẽ idẽ est quod ex propria substãtia, siue essentia, siue natura, vti sextus digitus, cuius cognitio ex substantia propria habetur, magnitudo namque eius, color atque figura, se offerunt visui, itaq; nõ ex aliis quàm ex sibi insitis accidẽtibus, rem ipsam agnoscimus. At verò ea quorum substantia non patet ex se, sed ex aliis ipsam assequi opus est, veluti humorum qui in intimis corporis partibus concluduntur, atq; omnium morborũ internarum partium, quorum naturas & sedes Gal. in libris de locis patientibus, docere contẽdit, ex duobus generibus signorum inuestigandа veniunt. Duabus liquidem viis, atq; iis tantùm Arist. vsus est, ad quod uis demonstrandũ, à causa nempe & effectu. Incognitos igitur morbos & patientes, partes inueniemus, aut ex semetipsis, nullo signorũ genere adiuti: quod enim seipso cognosci valet, non est cur aliunde veniat perquirendum, præsertim, cùm signa sensibus externis oblata, rei obscuræ faciant cognitionem, & ad incognita nos signis vtamur, signa verò ad occultorũ assequutionẽ sumemus, ex causis, aut effectibus, quamuis ex aliis quæ minorẽ fidem quàm hæc facere possunt, quandoq; medici ad morbos & partes ægrotantes inueniendas procedant, hęc sunt similia, & dissimilia, quibus vtitur Hip. li. 1. prorheticorum. Talia quoq; sunt quæ admota iuuãt, aut nocent. Summatim igitur dicemus viam omnem ad morbos & morbidas partes assequẽdas, sumi ex essentia, aut causis aut effectibus, ex similibus & contrariis, ex iuuantibus & docentibus. Ex propria substantia seipsam ostẽdit phlegmone, manus aut cruris, ex causis, vti solis ardor: is enim ostendit caput præcipuè offensum, & in prima accessione redundans bilis ostendit tertio die futuram similem accessionem tertianam. Ex effectu, calor mordens atque acris bilis ostendit abundantiam, & linguæ nigredo febrem ardentem, & tinnitus aurium flatum. A similibus, nam tertiana existimatur febris quæ æstate aduenit aut iuueni, quoniam in hoc tempore, & hac ætate febres tertianæ fiunt, veluti vbi similes morbi populariter grassentur. A dissimilibus si tẽpore calido generantur morbi calidi, dissimiles erunt qui generantur tẽpore frigido, & facies sanis valde dissimilis, est valde mala. Ex his quæ iuuant aut nocent, qui enim à calido iuuantur, calidi nõ sunt: sed frigidi morbi, & qui à calido noxam suscipiunt, frigidi non erunt, sed calidi, dum ægrotant: dum verò sani sunt, si calidis modicè ablatis iuuantur, sunt calidi: frigidi verò, qui à frigidis medicis quoq;. Medicus itaq; ad ægrum vidẽdum accitus, cuius morbus intimas occuper sedes, hunc seruabit ordinem. Morbi genus considerabit imprimis, deinde speciem, deinde locum affectũ, deinde magnitudinem affectus, & morem, deinde tẽpora, & fines. Hæc autem assequetur ex causis & effectibus, & similibus ac dissimilibus iu-

παθογνωμονικὰ.

Signorum generalis inuentio & agnoscendi via.

Via omnis perquirẽdi incognitum

Ordo in agnoscendis morbis.

uantibus & nocentibus, veluti si morbus lateralis ei offeratur, primùm agnoscet inflammationẽ esse, nõ quidẽ ex ipsa re quæ sensui occulta est, ac perinde tota res agenda est coniectura, sed ex causis, & aliis dictis. Causæ quidem tumorũ cõgestio, aut fluxio: hæc verò inflammationis, si à sanguine fiat, ex quibus genus & species constabunt. At verò fluxionẽ efficiunt membra mittentia robusta, & recipientia imbecilla, mittũt autem mẽbra, quæ redũdant quantitate, aut qualitate molestant: redundãt autem ob præcedentem victum, in toto corpore, in parte tamen ob partis generantis prauum affectũ: accedunt ad hæc tẽpus, ætas, sexus, naturalis tẽperatura. Ex effectibus inflammatio dignoscitur, calore, & dolore: febris namq; accedit, & quoniam pars dolet, ob doloré difficilis respiratio, tussis ob pondus illatum, & pulsus durus, tensus, & serratus ob partis distentionẽ. A similibus cognoscetur, quoniã is morbus endemius est, aut talis eo tẽpore per populum grassatur, aut æger quotannis eo morbo laborare solet. A iuuantibus verò, quoniã vt Hipp. docuit primo libro de Ratione victus acutorũ, fomentis tentare decet: si namq; ipsis iuuatur, indicat aut flatũ esse, aut paucum humorem subesse. Si verò talia nocẽt, inflammatio significatur. Partem verò patientẽ, ex dolore facilè medicus assequetur & ex doloris natura, quoniam punctorius membranas indicat patientes: dolor verò effectus est inflammationis. Nec tamen notitia causarum affectuum parum ad partis affectæ cognitionẽ, conducet, nam distilationes à capite solent in mẽbranas thoracis deferri, & calidæ potius quã frigidæ, & quod partes supernæ aut infernæ, consentiant, mẽbranam esse partem quę laborat indicat. Quòd verò febris morbum sequatur, indicat partem laborantẽ propè cor sitam: similia quoq; conducunt: nã æger simili morbo laborare solet, idem tunc putandum erit. Magnitudo affectus ex causarũ & affectuum magnitudine constabit, magnæ enim causæ, vti copiosus sanguis, magnos efficiunt effectus, veluti inflãmationis. Accidentia verò quæ effectus morbi sunt, hoc idem magnitudine sua indicabũt: quod facit magna inspirãdi difficultas, & magnus dolor, ac magna febris. Morem autem pariter ostendunt causę: nam si sputum fuerit nigrum, quod humore mistũ causam esse inflammationis docet, mali moris morbũ indicat. Sed hæc per effectus maximè agnoscuntur. Effectus verò sunt, symptomata superuenientia, attinentia ad faciem, & extremas partes & decubitum, appetentiã cibi, & mentis constantiã, & pulsus bonitatem, aut malitiam, quorũ omnium magnam partẽ. Hipp. in prognosticis & aphorismis edocuit. Tempora quoq; ex causis dignoscuntur: nam morbi qui fiunt frigidis temporibus ætatibus, & regionibus, longiores sunt, contrarij breuiores. Præterea effectus hæc eadem docẽt: si namq; excrementa cocta fuerint, præsertim sputum, morbus citò ad statum & finem perducetur, sin minùs, tardè: singula quoq; tempora constabunt, nã dum sputum aut non excernitur, aut crudum est, initium morbi lateralis habetur, dum partũ coctum apparet, augmentum dum valde coctũ, status, dum cũ coctione quantitate minuitur, inclinatio. Eadem suis mutationibus indicant febris & dolor. Conducit quoq; ad tempora cognoscẽda natura morbi cùm iam cognitus fuerit acutus: is enim 14. diebus iudicatur. Ad finem autem attinent, longitudo & breuitas, salubritas, & insalubritas, an etiam cum crisi finiẽdus morbus sit, an sine ipsa, quæ etiam futura sit crisis species, qua die, quaque diei hora. Longitudo, & breuitas, ex morbi natura constabunt, temperatura ęgri, anni tempore, & circuituum incrementis, præterea & ex mox apparentibus signis, quæ omnia Hippocrat. recensuit Aphorism. 11. sectio prima. Agnoscimus tamen salubritatem ex signis ab Hip. traditis in libris Progno. In eorum numero sunt notæ coctionis: coctiones enim crisis celeritatem & securam sanitatem ostendunt. Ad salutem quoque prænoscendam vires, morbo conferre conuenit, atq; coniicere an sint supra morbum, an contra, vires autem sunt vitalis, quæ ex pulsu cognoscitur, naturalis ab excrementis, deiectione, vrina, & sputo, animalis ex sensu & motu. Conducit præterea non parum ad salutem prædicendam cognitio, moris

mor

morbi,& magnitudinis cauſæ facientis ipſum,ſiquidem cauſam morbi, quam præcedentem appellamus,ſuperare debet natura antequam ad ſalutem æger perducatur.Multa deinde ſunt quæ poſſunt, cauſarum magnitudinem oſtendere,de quibus non nulla diximus ſuprà. In eorum numero recenſenda venit morbi congruentia, per morbos enim congruentes minus periclitantur ægri, quàm per minimè congruentes, quod ad magnitudinem cauſæ tanquam ad ſignum referri debet: ſignificat enim morbus non congruens maiorem cauſam acceſsiſſe ad eius generationem: maior namque cauſa eſt quæ poteſt frigidam temperaturam in febrem deducere, quàm quæ calidam. Ac proinde Hippocrates Aphoriſmorum 34. Sectione ſecunda, rectè dixit: In morbis minus periclitantur quorum naturæ,aut ætatis, aut cõſuetudinis,aut anni temporis magis congruit morbus,quàm vbi nulli iſtorum congruit. Per naturam autem inquit Galenus intellexit eam quæ ex primis elementis oritur temperaturam.Ipſe quoque eodem loco obiicit aduerſus Hippocrat. ſententiam. Nam à ſimilibus concitantur morbi, ſoluuntur autem à contrariis: tertiana igitur hyberno tempore genita faciliùs ſoluetur, coadiuuante aeris temperatura eiuſdem ſolutionem.Cæterùm quod Hippo. ſcripſit ſigni rationem habet, generari enim tertianam hyberno tempore maiorem cauſam acceſsiſſe ſignificat,quàm ſi æſtate genita foret, in ratione tamen cauſæ non eſt dubium, ambientis frigiditatem prodeſſe poſſe, ad curationem magis, quàm eiuſdem caliditatem,foret autem minimè periculoſa tertiana, ſi calido tempore fieret,deinde mutato tempore,breui accederet frigiditas ipſis ad curationem.Obiicit deinde quod Hippo. dixerat libro eodem Apho. 40. raucedines & grauedines in valde ſenibus non maturari:cùm tamen morbi hi videantur congruentes ſenibus.Ac reſpondet, valde ſenes imbecillam habere facultatem,ac perinde non maturari in ipſis grauedines,aut raucedines.Præter id quòd non eſt idem morbum aliquem non admittere maturationem, & periculoſum eſſe,ratio eſt, quoniam ſunt nonnulli morbi, quibus ægroti temporis curſu commoriuntur.Tertiò obiicit quod ab Hippocra.dictum eſt, libro primo,de Mor.pop.in prima aeris cõſtitutione.Et maximè moriebantur, quibus natura vergebat ad phthiſim, illis enim, vt conſtat, magis congruere videtur phthiſis,quibus natura vergit ad ipſam.Neque id obſtat ſententiæ Hip. quem diximus per naturam intellexiſſe primam ex elementis temperaturam non corporis conſtitutionem & formam,de qua loquitur lib. primo, de Mor. pop.Sed rurſus dicet aliquis,non eſſe neceſſariam Hippocra, ſententiam adſtringere,nã de morbis in cõpoſitione verũ etiam habet: vbi enim in homine parato ad phthiſim,& non parato,æquè graues morbi fierẽt,in parato faciliùs curaretur,quoniã à minori cauſa fieret.Hæc verè repugnãt, hos morbos eſſe æquè graues,& in corpore parato faciliùs curari: quoniam morbi curatio fit ſpuitione,& quamuis in prædicto cauſa ſit minor,ea tamen ratione æquè grauem efficit morbum,quia difficilius expurgatur thorax, id verò eſt difficilius curari. Quapropter fieri nequit, quin morbi qui æqua facilitate curantur, æquè graues ſint,& æquè graues æqua facilitate curantur. Rectiùs tamen diceres ex paratis ad phthiſim plures mortuos quàm ex aliis,quoniam omnibus erat vna communis cauſa, nempe aer ambiens, non ergo ſignificabat, in paratis fuiſſe minorem cauſam,quod ad leuandum periculum erat neceſſarium. Præterea dices in phthiſi eſſe vlcus & intemperiem, quorum neutrum congruit anguſtiæ thoracis & prauæ compoſitioni, à quibus toto genere differunt.Sed rurſus obiiciet aliquis:Si æger incidat in ſiccam conuulſionem, quæ neruorum paſsio eſt, magis per ipſam periclitabitur quàm per humidam, & ſicca magis neruis congruit,quoniam neruorum temperatura ſicca eſt. Idem dubium eſt de pulmonia:nam calida magis congruit pulmoni, ſed difficilius curatur quæ fuerit biliоſior.Dubium hoc apertè diſſoluimus in annotationibus noſtris in commentarium 34. libro tertio Progn. Quo in loco oſtendimus

Morbi congruentes an ſint minus periculoſi.

Hippocra.& Galen.in commentario præcitati Apho. non velle conferre naturam vnam duobus contrariis morbis.sed vnum morbum duabus contrariis naturis: conferebat enim febrem ardentem hyberno & æstiuo tempori, & raucedines ac grauedines valde senibus, & in aliis ætatibus constitutis. Non igitur neruus vnus sicco & humido morbo laborans conferendus, periculi ratione,sed neruus siccior & humidior,natura,siccæ conuulsioni, ac inuenies siccam conuulsionem in sicco neruo minùs malam,& à minori causa factam, & pulmoniam biliosam,in pulmone biliolo minùs malam,quàm in pituitoso. Hanc fuisse mentem Hippocra.& Galen. nos patefecimus iunioribus medicis,qui eiusdem ignorantia & multa verba inutilia effundebant, & à veritate longè aberrabant, nec inde magnam gloriam meruisse putamus, sed quantam res parua expoſcit.Qui multa his meliora,& summopere ad artis propagationem & studiosorum vtium,conducentia scripserimus, & publicè docuerimus,& eos ipsos qui nos turpibus verbis prouocare conantur, sed frustra. Rursus addes,neque hanc distinctionem esse necessariam, quoniam quamuis natura vna diuersis conferatur morbis, vera erit sententia Hippocra. vbi reliqua æqualia fuerint,nempe morbi magnitudo,& virium constantia. Si ergo duo morbi fuerint magnitudine æquales, natura æquè periculosi,cum eadem virtute, tutius est in simili quàm in dissimili esse constitutum. At verò cùm contrarij morbi,non sint æquè periculosi, vbi fuerint magnitudine æquales: siquidem calidi sunt magis frigidis, & sicci magis humidis natura periculosi, fiet vt hæc in cassum dicta sint, & rursus sit ad nostram expositionem redeundum,pedibus manibúsque, nam ea est quam Hippocra. & Galen. voluerunt. Superuacaneum tamen erit plures paginas implere verbis tum turpibus, tum sententiarum vacuis: neque enim deessent nobis verba, nisi deesset animus, quem composuisse prius decet eum qui munus instituendi adolescẽtes scribere decreuerit.An tamen morbus crisi sit finem habiturus, ipsa morbi magnitudo ostendet,quæ ex causis & effectibus apparebit, & motus celeritas, qui effectus est morbi,his deficientibus,si salutaris morbus habetur ex aliis, coctione finietur.Sin minùs, tabe sentim peribit æger: species tamen crisis ex accidentibus vt effectibus cognoscitur, his videlicet quæ imminentem ostendunt iudicationem:fluxum etenim sanguinis narium ostendent, capitis dolor,visus hebetudo,&pulsus temporum,reliqua à Gal.libro tertio,de Crisibus habentur.Quòd siquis diem ipsum finis consequi voluerit, id ex motus celeritate & accessionum repetentia assequetur: horam autem ex hora vehementioris afflictionis, omnia verò ex causis & effectibus,& morbi sensui subiecti ex substantia, siue essentia innotescent.In natura siue essentia morbi considerandum temperamentum, compositio partium, & vnitas, quoniam in his tribus generibus omnes morborum substantiæ continentur. In causis considerãtur externæ,vt aer,tempus,anni,cæli status,& regio, & quæcunque externa corporis statum mutant, vt venena & medicamenta, & balnea, quæ assumuntur, vti aquam frigidam bibisse, refrigerationem indicat ventris, & intestinorum. Internæ verò causæ sunt morbi, causæ morbificæ, & animæ actiones, aut passiones. In effectibus sunt symptomata omnia, vti læsæ actiones, à quibus procedit medicus ad cognoscendam passionem, & patientem particulam: si namque mouendi actio vitiatur aut in parte fient, aut in toto corpore, si in parte, illius partis vitium erit, aut nerui deferentis facultatem ad ipsam: si in toto corpore vitium motionis adfuerit, originem neruorum læsam esse necesse est: idem in facultate vitali fiet,si in pulsu vitium reperiatur. Dolores verò euidentem notitiam præbent, patientis partis,tum ex se,tum etiam ex proprietate. Affectus præterea corporis vitiati,morbos docent,& partes laborantes: tinnitus namq; aurium,aures laborantes monstrat, & rubedo maxillarum pulmonis inflammationem, & ructus vt sonitus,ventriculi vitium,& fœtor respirationis,vitium in pulmone,

aut

Scribere.

aut ore, aut naribus, & expiratio exuflando emissa, calorem partium thoracis, & cordis. Duritiesque ac mollities, vti si durum se offerat hypochondrium phlegmonem, aut scirrhum ostendet, idem docet apparens tumor, in eis partibus. Excrementa quoque quantitate, aut qualitate, aut tota substantia vitiata passionem docent, vti vrina nigra vitionem, aut refrigerationem, & subrubra serum sanguinis redundare. Partem vero patientem docet excrementi proprietas: nam cùm carunculę minguntur, vitium in renibus est, nępe vlcus. Cum furfures sine febre, aut cocta vrina, a vesica descendunt. Hæc est excrementi substantia. Quantitas idem docet. Nam si multus sanguis mingitur, in renibus vena rupta significatur. Ita ab excremento desumimus quantitatem, substantiam & locum in quo aut natura, aut præter naturam contineri solet. Tempus quoque partem indicat patientem: nam vbi præcedente dolore intestinorum, paulo post sequatur deiectio, morbus in intestinis inferioribus indicatur, vbi maiori interposito tempore sequatur, indicabitur in superioribus. Modus quoque non parum indicat: nam si pus cum vrina valde subactum descendat, a renibus erit, si parum, à vesica: & si ramenta, pus, aut sanguis cum deiectione valde mixta excernantur, in superioribus intestinis labor adest, si parum, in inferioribus, & si pus sine vrina mingatur, signum est vlceris vesicæ. Rursus si sanguis vomitu excernatur, à ventriculo exit: si tussi, ex thoracis, & asperæ arteriæ, & pulmonis partibus, si excreatu, ex faucibus. Locus præterea indicat, nam si fæx ore vomatur, tenuiorum intestinorum ostendit inflammationem, atque obstructionem, & serosi excrementi copia per cutim emissa, in ambitu corporis adesse vitium ostendet: vbi verò per thoracis vulnera aer emittatur, vulnus penetrare membranas agnoscimus: & vbi per ventris vulnus chylus exierit, agnoscimus, vulnus ventriculum penetrasse: docet id non tantùm locus, sed excrementi substantia, & proprietas. Ordo quoque excernendi, locum patientem ostendit, nam si pus ante vrinam exeat, in pene labor est, & si sanguis ante deiectionē exierit, in recto intestino est passio. Excrementorum præterea retentio indicat in ea parte morbum consistere, à qua excerni deberet. Sic enim vrinæ retentio laborem significat in vesica, aut renibus, & fæcis retentio laborem intestinorum. Qualitatem quoque excrementi considerare monuimus, vti colorem & odorem. A similiſic agnoscemus patientes partes, si alter qui hoc victu vsus est, tertiana laborauit, aut idemmet præterito anno, tertiana indicabitur. Rursus si alter similem dolorem in illis passus tandem lapidem cum vrina misit. Rursus si mortuo homine, atque secto qui antè laborabat, eum morbum præcedentibus certis signis patiebatur, signum est hunc, qui talia habet signa, similem morbum pati. A iuuantibus si qui dolorem patitur, in partibus lumborum & ventris, deiectione iuuatur & sanatur, in ventre labor erat, si multa crassa vrina micta, aut tandem lapide, & arenulis excretis liberatur, renalis erit morbus. Præterea si qui pus mingit iniectis in vesicam per syphonem iuuatur, in vesica vlcus est. Quòd si is qui tussit, sputi reiectione iuuatur, in partibus thoracis morbus est, si verò aut non spuat, aut non iuuetur sputo reiecto, in partibus circum thoracem quibus thorax consentit, labor erit.

De generali morborum curatione. Cap. II.

HABITA Prius signorum notitia, ac deinde integra morborum, causarum, & symptomatum cognitione, medicus duas hypotheses imprimis sibi proponet ad morborum curationem exequendam. Prima est ea tantum seruanda esse, quæ secundum naturam sunt, quæ verò præter naturam, abiicienda. Secunda est, quæcunque abiicienda sunt, contrariis egere: quæ verò seruanda, similibus: quoniam contraria, contrariis curantur, & similibus conseruantur. Corruptio enim motus est, qui de contrario fit, & in contrarium, & simile seruat, ac minimè mutat. Propterea

rectè Hippoc.dixit: Medicina eſt adiectio, & ablatio, adiectio eorum quæ deſunt, ablatio eorum quæ abundant. Approbat hanc ſententiam Galen. 11.lib. de Metho. med. Hæc medicina curatiua eſt, quæ contrariis exercetur: cùm itaque omnis artis actio, curatióve, additione, aut ablatione fiat, omnes morbi fient adiectione, aut ablatione: aut minùs rectè. Hippoc.lib.de Flatibus dixiſſet, medicinam eſſe adiectionem, & ablationem, ac curationem fieri per contraria: nam morbi, qui nec additione, nec diminutione fierent, nec adiectione, nec ablatione curarentur. Eſt itaque partis artis curatiuæ potiſſimum dogma, contraria contrariis curantur. Totius verò artis primum atque potiſſimum eſt. A ſimilibus, & diſſimilibus, à maximis, & à facillimis, & his quæ omnibus, omnimodo nota ſunt: hoc enim dogma eſt primum partis artis diagnoſticæ, ſed diagnoſtica prima eſt totius artis: primum igitur dogma ipſius, totius artis erit principium. Sed conaretur aliquis probare non omnia curari contrariis. Nam febris ardens curatur bilis euacuatione, verùm hæc non eſt contraria febri. Rurſus febris lenta vbi vehementiùs accendatur, curatur: ſed magnus ardor non eſt minori contrarius: præterea ſubitus terror curat quartanam. Præterea Hippoc. dixit 4. ſectio. aphor. 58. Febre ardenti laboranti, rigore ſuperueniente ſolutio: rigor autem non eſt febri ardenti contrarius. Rurſus dolor magnus curat minorem, cui contrarius non eſt: rurſus vomitus curat vomitum, & fluxus ventris fluxum. At verò Hippoc. per contraria ea intellexit, quæ ab Ariſto. in prædicamentis appellantur oppoſita, qualia ſunt quæcunque morbis curandis proficiunt: nam bilis euacuatio abundantiæ bilis, à qua fit febris ardens, contraria eſt. Febris quoque vehemens concitat naturam ad coctionem, & euacuationem humorum facientium febrem: quin imo nulla febris à materia curatur niſi materia ablata aut correcta, ac deinde accedente calore natiuo, qui cõtrarius eſt calori præter naturam, vt medium extremis, & euacuatio repletioni contraria eſt. Terror quartanam curat, accenſo interius calore, ac deinde diſſoluto, aut euacuato humore. Rigor verò non curaſſet febrem ardentem, niſi humoris ſequeretur euacuatio ſudore, aut alia via, & magnus dolor minorem curat, in contrarium diſtracto humore faciente dolorem atque ipſo animo. Fluxus item fluxum curat, copia cauſæ ablata, ſummatim itaque cum Galen. 11. Metho. dicemus, morbos quoniam affectus conſiſtentes ſunt, oblatione contrariorum curari ſymptomata verò quoniam in fieri habent eſſentiam, curari ſublatis morbis, aut etiam in contrarium facta mutatione, vti impotentia mutata in potentiam, & fluxu in retentionem, & in cauſis abundantia in defectum, & contrà: nihil enim modo refert, contrarium aut oppoſitum dicere. Cùm igitur quæ præter naturã ſunt, abiici debeant, ſunt autem hæc morbus, cauſa, & ſymptomata, hæc omnia contrariis egebunt. Curantur autem hæc quandoque à natura, quandoque ab arte, quandoq; ab vtroque, ſiue morbi, ſiue cauſæ, ſiue ſymptomata fuerint. Morbi quidem à natura curantur, vbi parui admodum fuerint, neque egeant ope medici, vt Galen. ait lib. primo de locis pat. Quidam etiam magni ſunt, quibus valde vtile foret medici auxilium, ſed adhuc ſine ipſo liberantur: ſunt autem tales qui coctione egent, & alteratione. Docent id bruta, & plantæ, quorum morbi ab interna facultate curantur. Quoſdam autem morbos curat ars, natura nullatenus adiuuante, vti oſsium exarticulationes, quandoquidem ſola manus opera valet os in locum ſuum reducere, lapidem quoq; magnum de veſica ſola ars educere poteſt, & ſola artis opera labia vulnerum valde diſtantia coniunguntur, ligatura, & ſutura, carnem quoque vlceribus ſupercreſcentem ſola ars curat. Efficit præterea natura quędam opera, ſed iuuatur ab arte, vti carnis in vlceribus generationem, hoc enim in naturę opus eſt, ſed iuuatur ab arte, ſarcoticis medicamentis. Ad oſsium verò fractorum conſolidationem accedunt ars, & natura: ars quidem, ligatura, medicamentis, calli generatione. Cauſæ quoque morborum abiiciuntur, & quandoque emendantur

Contraria non curãtur contrariis.

Cauſæ quæ morbos omnes curant.

tur, à natura, aut arte, aut vtroque: crudi namque humores sæpe à natura superantur, & coquuntur, aut semiputridi corriguntur, aut putridi superati, & victi à corpore pelluntur, sine artis adminiculo. Ab arte similiter causæ externæ semouentur, vti sagittæ, & spiculæ, & laquea, & pus ex tumoribus suppuratis cùm non rumpuntur, à natura, ars sectione educit, aut vlcione, & partem demortuam in gangrena abscindimus arte. Quasdam autem causas curant, ars & natura, vti humores crudos, qui à natura coquuntur, & iuuatur ab arte modicè calefacientibus, atque simul pellunt prauos humores coctos, vti adhibito purganti medicamento trahente, & irritante naturam, ipsa verò expellente. Symptomata præterea curantur quædam à natura, vti capitis dolor à causa frigida, sanguine & spiritu calidis in ipsum transmissis, & somnum conciliat, qui dolorem sedat, & validè trahentia membra fluxum sanguinis reuocant in partem aliam, & ipsum curant. Ars verò dolorem curat inducto stupore, & fluxum sanguinis reuulsionibus, & adstrictionibus, sic secta magna vena, adacto laqueo & quandoque subitò incusso terrore: ambo tamen curant stuporem ab obstructione, ars his quæ deobstruunt adhibitis, natura verò ad partem mittente facultatem motricem, aut factoriam. Antè verò quàm medicus morborum curationem aggrediatur, nonnullas quæstiones, sibi in animo proponat oportet, nec enim decet temere & in cõsulto (quamuis prægnito morbo) eius curationem tentare, si enim morbum, aliàs leuem, remediis curandum suscipiat, quem sola natura nullo ferè labore curasset, iniurius naturæ fit, & quandoque opus eiusdem impediens, maioris morbi aut alterius causa erit, sic etiam vbi lethales morbos sibi curandos proponit, remedia, & artem ipsam infamat. Quamobrem vt plures sibi proponat quæstiones ante omnia oportet. Prima est, an agere debeat aliquid medicus, an secus; nam paruissimi morbi medici ope non egent, & lethales solis præsagiis sunt relinquendi. Secunda deinde sequitur quæstio circa quam medicus considerat, quid agendum sit, an videlicet quidpiam addendum, aut detrahendum: nam si id quod præter naturam accedit ex redundantia fiat, detrahendum erit, si ex defectu, addendum quod deficit. Sequitur autem consideratio generis, & speciei detractionis, aut additionis, veluti quòd qualitas, aut quantitas, aut substantia addenda, sic & detractio eius quod abundat fiet, aut alteratione, aut euacuatione, aut manus opera species quoque euacuationis hoc in loco consideranda, an sang. missione, an purgatione, sudore, vrina, menstruis, aut hæmorhoidibus. Habito genere atque specie eius quod agendum est, tertia succedit quæstio: nempe qua materia id sit agendum, quibúsve instrumentis. Cùm enim detrahendum est aliquid sudore, scire oportet, an balneis, aut medicamentis epotis eliciendum: si verò purgatione, scire cõportet, quibus medicamentis fieri possit, quod volumus an his quæ bilem, an his quæ pituitam, aut alium humorem purgant, & si repellendus qui in partem decumbit humor, quibus medicamentis, & si pus educẽdum ab inflammatione, an ferro secanda, aut igne. Quæ enim per alimenta non curantur, medicamenta curant, quæ medicamentis non curantur, ferrum curat, quæ ferro non curantur, ignis curat, quæ igne non curantur, immedicabilia esse existima, & si virium subitus lapsus reparandus, an per solida, aut per liquida alimenta, & vbi somnus conciliandus, an alimentis, an medicamentis, & aut bibitis, aut exterius admotis. In his igitur genus & speciem considerabimus, in quibus est qualitas remedij, nempe quod remedium calidum esse debet. Succedit deinde quæstio quarta, hæc est de quantitate remedij. Decet enim ciborum quantitatem definire vbi per cibos aliquem defectum reparare instituimus, & vbi alterandum quantitas virium medicamentorum metienda. Formam remedij quinto loco sequitur, nam cauteria quædam sunt oblonga, quædam lata, quædam alia figura, & linamenta quædam concerpta, quædam contorta, & superponenda sunt vnguenta, cerota, emplastra, aut embrocæ, & purgatoria

Quæstiones considerandæ ad medẽdi rationem.

quædam

quædam sunt solida, quædam liquida. Sexta deinde quæstio aduertenda, de modo quo remediis vti oportet, an ligatura validiùs sit comprimenda, an corpus confertim, an sensim vacuandum, an subitò calefaciendum, aut infrigidandum, aut humectandum, aut exsiccandum. Dicente Hippoc. ad extremos labores extremè exquisita remedia optima sunt. Quam sententiã libro quinto de Metho. med. Galen. explanat, & confirmat. Ad quæstionem de remedij quantitate spectat vires nosse remediorum, ad hanc verò modus quo vires sint admouendæ, an simul omnes. Deinde septimo loco occasio siue opportunitas (quam Hippoc. καιρὸν appellauit) accipienda, quoniam hæc præceps est. Etenim si cùm sanguinis missio conuenit, omittatur, interim verò vires deficiant, peribit occasio mittendi sang. & Hippoc. incipientibus morbis si quid videtur, mouendum, quoniam turget, mouere præcepit, iam verò consistentibus abstinere, & in febribus intermittentibus, occasio adhibendi alimentum est iam finita accessione, aut longè ab initio sequentis. Octaua quæstio est, qui ordo seruandus, tum remediorum, tum etiam curandorum morborum: si namque sanguis mittendus, venter verò purgandus, à sanguis missione incipiendum, si repellentia admouenda sunt fluente sanguine, atque mittendus sanguis, à sangui. miss. inchoandum, & vbi vniuersalibus & particularibus remediis vti opus est, vniuersalia præcedant oportet. Quòd si diuersi morbi curandi sunt, intelligere oportet à quo curatio incipienda, & cui prius remedia adhibenda. Nona quæstio locum quærit cui admouenda remedia, veluti delirante homine, anteriori capiti repellentia admouemus, & in febribus ardentibus refrigerãtia thoraci, & suppuratos tumores parte decliuiore secamus, & fluente sanguine in partem inflammatam, venam in aduerso loco secamus, & quæ redundant vomitu, fluxu ventris, aut alia via euacuamus. Quatuor ex his quæstionibus animaduertendas docet Galen. ad initium libri de Arte curatiua ad glauconem: eam scilicet quæ inquirit quantitatem, qualitatem, modum, & occasionem: & lib. Artis me. capit. 89. in materia cuius euacuatio facienda est, considerat quantitatem, qualitatem, & modum. lib. verò 3. de meth. me. admonet medicum vt citò, iocundè, & tutò agat, quę ad modum attinent.

Indicationes omnes quatuor capitibus comprehensæ.

Sed rursus hæc paucis quibusdam capitibus comprehendamus. Omnes sanè agendorum indicationes à quatuor desumuntur, nempe ab affectione, corpore affecto, parte affecta & caulis exterioribus, cùm perseuerant. A quibus tanquam à fontibus, tota medendi ratio manat. Neque difficile futurum existimo, vt artifex omnium morborum remedia catholica consequatur, si fontibus his adinuentis, per singulos aquæductus (quos docebimus) diuisionibus artificiosis, ad finem vsque procedat. Nulla etenim via est ad inuentionem rerum, aut vbertate fœcundior, aut claritate perspicacior, aut facilitate propensior ea, quæ diuisione peragitur. Quamobrẽ singula capita prosequamur per membra secantes, ab affectione auspicati. Corporis constitutio sana est, ægra, aut neutra, quæ verò insunt, aut secundum naturam afficiunt corpus, aut secus, & hæc aut sunt non naturales affectiones, aut præter naturam. De morbosis affectionibus, & indicationibus: quæ ab ipsis sumũtur, prius agamus acturi deinde de his quæ insunt naturaliter, aut à natura recedentes, morbosæ nondum sunt, cùm eas quæ ab affecto corpore sumuntur indicationes trademus. Sunt in numero affectionum præter naturam, morbus ipse (qui magis propriè affectus est) causa, atque accidens, singula membra percurremus, si prius de indicationibus, coindicationibus, & repugnantiis, quædam breui comprehendamus, nam hæc ab affectione, corpore affecto, & parte affecta sumuntur. Præterea & à caulis internis, & ab externis, & ab accidentibus morborum. Dicuntur autem indicantia, quæ per se docent & insinuant, quid agendum sit. Coindicantia sunt, quæ idem ex accidenti docent, ac commostrant. Repugnantia sunt quæ indicanti, contrarium per se, & immediatè docent. Correpugnantia sunt quæ ex accidenti indicanti repugnant, quate-

Indicantia & coindicantia. Repugnantia & correpug.

nus

nus repugnanti accedunt. Indicat porrò sangui. esse mittendum plethora, coindicat tẽpus veris, repugnat imbecilla facultas, correpugnat ætas pueritiæ. Sed quomodo ab affectione indicationes sumũtur, deinde dicamus. Indicat porrò affectio sua natura & per se, sui ablationem, sicuti causa, quæ affectionem producit: aut quæ ipsam producere proximè parata est, sic & symptoma. Affectio verò genus, siue speciem, siue naturam dicit, & magnitudinem comprehendit, ac periculum. Hæc autem affectio aut morbus in simplicibus ac primis particulis, aut in compositis ex eisdem, aut in vtrisque consistere potest. Si morbus simplicium est, aut est simplex aut compositus, & aut solus, aut cum alio complicatus. Smplex morbus in temperatura facilem habet curãdi viam, contraria adhibita qualitate, numeris in vtrisque consideratis, quandoquidem morborum curationes quas per cõtrarium fieri diximus, æquis numeris exerceri debere Galen. testatur, vti si membrum à sua naturali temperatura decem numeris labatur ad frigiditatem, medicamentis egebit decem numeris ad calorem labentibus, & si lapsum fecerit corpus à naturali temperatura ad caliditatem, numeris. 10. medicamentis egebit ad curationem. 10. numeris labentibus ad frigidum, sic & in omnibus laplibus intelligendum est. Nihil autem prohibet, vbi compositę fuerint distemperaturę, pari modo fieri, vt si corpus ad calorem & siccitatem. 10. numeris labatur, medicamenta offerenda sunt ad frigi. & humi. decem numeris labentia. Quòd si decem numeris labatur corpus ad calidum, quatuor verò ad siccum, medicamẽta erũt decem numeris frigida, & quatuor humida admouenda. Hæc ex Gale. Sed dubitabis fortè quare curationes præcipit Galen. contrariis æquis numeris perficere, cùm tamen quæ paris numeri sunt, aut non se ipsa mutabunt, vbi agendi & patiendi vires habuerint æquales, aut vbi se inuicem mutent, neutrum deducet reliquum ad perfectionem, sed ambo ex actione debilia manebunt, & minora quàm ab initio, quapropter fiet vt medicamentum, decem numeris calidum, corporis decem numeris frigido admotum, ita à corpore repatiatur, vt ad finem nequeat corpus sanitati restituere. Præterea vbi corpus decem numeris ad frigidum labatur, optimè curatio perficietur medicamentis duodecim numeris ad frigidum labentibus, hæc enim validiora sunt corpore, & quę ipsum sanare promptè valebunt. Nec refert quòd hæc aliquando valeant in contrarium lapsum ducere corpus, quoniam lapsu eiusdem sunt maiora: artifex enim peritus, cùm assequutus fuerit finem, non est cur amplius prædictis medicamentis vtatur. Posset quoque cùm corpus iuxta suam deduxerit temperiem, statim vti paulò minoribus, & morbo æqualibus: sic enim fiet citò, iocundè, & tutò curatio: quas optimas curandi rationes testatur Galen. lib. 12. de Methodo med. Quinimo nihil prohibere videtur, quo minùs morborum curationes per minores numeros perficiantur, nam & si medicamentum minoris numeri sit, poterit tamen maius repassionis ratione mutare: siquidem dum validiùs agit in id quod minùs est validum, ab eodem quoque repatitur, & ita sæpe repetito eo medicamento fiet, vt corpus sanitati restituatur. At verò in curationibus, non tantùm contendunt medici sanitatem restituere, sed cum modo, & citò. Cum modo sanè: nam plurimum atque repentè vacuare, aut replere, aut quouis modo alterare, & omne nimis naturæ est inimicum. Et quoniam quæ validè alterant, periculum est ne contrarium inducant affectum: citò tamen multis de causis desideratur. nam qui curari cupit, citò quoque curari cupit, & vt sanitate fruatur, & breui à morbo liberetur, præsertim si cum dolore morbus est, aut cum periculo. Ex his nota euadit Galeni mens, nempe curationem quæ adactis paribus numeris exercetur, optimam esse. Quæ nec adeò tardè fit, vt quæ per minora, neque adeò vehementer, & subitò, vt quæ cum maioribus numeris. Prior enim valde tarda est, & posterior iusto celerior, cùm verò similia potentia & numeris admouemus, quamuis interim à corporis affectibus vires amittant, reiterabimus medicamentum, quod cùm

Affectio considerãda ad med. methe.

Morborum curationes an æbeant æqui numeris fieri.

recens accedat, vires integras habens, & affectum paulò minorem inueniat, ipsum deinde mutans ad finem perducet. At quamuis hoc sit vnum ex Galen. placitis, nihil vetat quominus (cum reuerentia tanti viri à quo ferè omnia artis præcepta, diligentissimè elaborata accepimus) quæ nobis ad artis propagationem vtilia videntur, referamus. Asserit itaque Galen. lib. tertio de meth. med. & libro Artis med. cap. 89. morborum in temperatura consistentium curationem, contrariis esse exercendam, quæ paria numero graduum sint cum morbo, ita vt distemperies calida, quatuor numeris, medicamentis frigidis quatuor numeris curetur, & sic in reliquis omnibus. Atque lib. tertio de Simpli. medi. facult. cap. 12. probat curationem distemperantiarum non esse exercendam, aliis quàm medicamentis paribus numeris in contrarium labentibus. Quæ enim temperata sunt, nec magnopere iuuant, nec lædunt, calidos aut frigidos morbos. Quæ verò contraria sunt, sed minora, iuuant quidem, sed non persanant, nec ad temperamentum ducunt, vti cùm tepida frigidis affectibus admouentur. A maioribus autem lædetur affectio, nam si affectio parum calida sit, & ad tepiditatem inclinet, omnino à frigidis lædetur: sperandum enim est à talibus medicamentis corpus non tantum ad temperamentum deducendum, sed etiam in contrarium, ac refrigerandum. At verò quæ æqualia fuerint ad temperamentum deducent corpus, ac morbum curabunt. Exemplum autem adducit. Si enim aquæ frigidæ tepidam admisceas, non efficies eam temperatam, sed frigidæ calidam simili mensura admiscere debes, si aquam facere contendis temperatam. Docet itaque eo modo ad temperamentum deduci corpus paribus numeris, quo aqua temperata fit, ex frigidissima, & calidissima. Nos verò de sententiæ vtilitate, & exempli vi differamus. Quod enim præcipit curationem per æquos numeros fieri, si semper seruandum foret, omnes curationes æqua celeritate complerentur, vbi namque paria paribus conferantur, pares erunt agentium & patientium proportiones, & pares immutandi celeritates. Quòd si auctis numeris minui proportiones obiicias, fiet vt maiores morbi, minori celeritate curentur, verùm vtrunque est à ratione alienum, siue æqua celeritate morbos maiores & minores, siue maiori celeritate minores, curandos instituas, siquidem morbi maiores celeriùs curari expoſcunt, à quibus maius imminet periculum, & qui plus ægros molestant. Dices fortè, in morbis celerem curationem desiderantibus, satis fieri si remedia frequentius repetantur, aut maiori quantitate adhibeantur, verùm duo obstant, primum, quòd si idem aut simile medicamentum, millies offeras, neque proportionem causæ, nec motus celeritatem augebis. Secundum, quoniam, vt dicemus, ex Galen. doctrina sequitur, nullum medicamentum esse bis admouendum, nec simile. Præterea quæ paris numeri sunt, sed quantitate maiora, vti celeriùs sanant, ita periculum afferunt lapsus corporis in contrarium affectum, quod quàm maximè vitare contendit Galen. Sed rursus dicet aliquis, non sequitur, paribus numeris exercentur curationes, ergo pari proportione, ac motus celeritate: nam pares numeri lapsus facti, magis obsistunt, quàm similes fientes, ac perinde si frigidam intemperiem factam, & fientem paribus numeris cures, celeriùs fientem mutabis. Quantum autem valeat solutio hinc accipies, sume duas distemperantias fientes, alteram magnam febrem ac vehementissimam, alteram paruam, & remissam: has verò sublata prius causa sanare tentabis, oblatis frigidis aduersus id factum, hoc est productum, quod remansit. Nonne maiorem calorem maiori celeritate mutare contendes, à quo maius imminet periculum? Id verò fortè conuenire negabis, ac dices naturam non ferre subitas mutationes, neque ad naturalem dispositionem. At contrarium Galen. exercet, qui libro 9. de Method. med. in continentibus febribus ad animi deliquium sanguinem mittere præcipit, vt inde corpore subitò refrigerato restituatur sanitas. Deinde si paribus celeritatibus magnum & paruum morbum cures, maiorem tardiùs

Morborum curationes disparibus numeris.

tardiùs curabis, maiores autem & acutiores morbos tardiùs, lentos verò citiùs ad ſanitatem perducere, nequaquam conuenit. Præterea omnes factas diſtemperies æqua celeritate curabis: nam ratione facti eſſe pariter obſiſtunt, & gradibus ſimiles gradus opponis. Rurſus ſi non liceret diſtemperiem frigidam magnã & factam maioribus numeris curare, id eſſet, aut quoniam celeres mutationes non fert natura, aut quoniam immineret periculum tranſitus in contrarium lapſum. Primum autem non obſtat, quoniam ſi à paribus numeris intra menſem curatur, ſi à maioribus curetur intra viginti dies, nemo iure dicet hanc repentè factam mutationem. Secundum autem non fiet, nam ſemel ad ſanitatem deducto corpore, abſtinebimus à medicamentis, aut iuxta ſanitatem deducto, æqualibus vtemur numeris. Sed rurſus dices non licere ante tempus præfinitum morbos curare, ſed longos morbos diutius ſpectare, breues citius mutare: verùm id longè abeſt à rerum notitia, nam in morbis materialibus in quibus coctio ſperatur, decet ſpectare ſtatum veluti præfinitum tempus. Hi tamen morbi non ſunt qui propriè curantur, ſed potius præſeruatione, & cauſæ ablatione egent. Nos de morbis in temperatura loquimur, factis aut ſaltem productis, quos nemo dicet præfinitum tempus habere. Hectica etenim quod habet tempus quo ipſam amouere ſit opus, & in quo ſit auxiliis parcendum? Aut fortè dicet aliquis incommodam eſſe curationem hecticæ febris, quæ hebdomada præcedenti primum factum eſſe habuit, ſi medicus tentauerit ipſam omnino ſanare ſex dierum ſpacio, quo nondum acutas febres ſanare ſolemus, aut ſi hecticam quæ quatuor menſibus vexat, tentaueris viginti diebus abiicere. Nullum ſanè limitem habent definitum morborum in temperatura curationes, nam febres fientes ardentiſsimas, ſi intra diem ſanaueris, nihil obeſt. Hecticas celerrimè curare expedit dum tamen vires obſiſtant lapſui in contrarium, quod eſt in refrigerando periculum: id verò fiet, ſi cùm ſenſim mutas (ſic enim fieri debet) ſemel ad temperamentum reducto corpore, à refrigerando abſtinueris. Sed rurſus ad inſtitutum redeamus. Apud Hippocrat. ſanè ad extremos morbos extrema exquiſitè remedia optima ſunt: quæ verò extrema ſunt, breui ſanitatem efficiunt, in aliis autem morbis qui lento motu incedunt, libro quinto de Metho. med. Galen. permittit a leuioribus inchoare. Præterea eodem autore, libro tertio de ſani. tuenda. qui longo tempore generantur affectus, longo tempore curari debent, qui verò breui, breuiter, non igitur omnes æqua proportione cauſæ curari, & æqua celeritate deſiderant, ſed maiores & periculoſiores, & natura acutiores, citiùs aliis. Præterea libro ſeptimo de Metho. med. maius eſſe in infrigidando periculum, quàm in calefaciendo refert: quod non alia ratione verum eſt, niſi quoniam ex refrigeratione timetur magis lapſus in contrarium, & frigidam diſtemperiem, caloris natiui ſtinctione. Quod ſi ita eſt, expediet profectò, vbi duo æquales diſtemperies factas paterentur, aut fientes, alter calidam, alter verò frigidam, minoribus numeris, & minus validè refrigerare, quàm calefacere, & minori celeritate, vt tutius ad finem perducatur alteratio. Præterea loco eodem exſiccandi, & humectandi tempora maiora eſſe, quàm refrigerandi & calefaciendi, dicit. Quapropter expediet ſanè maiori proportione cauſarum humectare, aut exſiccare, quàm calefacere, & infrigidare, vt decenti temporis interuallo corpora ad temperamentum deducantur, non enim ſperabitur deductio corporis in contrarium, cùm motus adeò lentus ſit, vt medicus adhuc parum exercitatus agnoſcat opportunitatem obſtinendi à remediis, iam curato morbo. Præterea ſi omni intemperantiæ æqualia remedia ſunt adhibenda, non completa curatione remedium primò adhibitum, ſecundò aut tertiò admouendum non erit. Sed deceret, quoties accedis ad viſendum ægrum, medicamentum in aliud mutare. Cùm enim medicamentum primò admotum aliquam efficiat morbi diminutionem, medicamentum ſuperius manebit & maioris numeri, ac perinde aliud æquale morbo ſubrogare

loco eius opus erit, & id perpetuò, ac sine mora facere, quod est absurdum: dum enim versus sanitatem mutatur temperatura, cùm non maneat in eodem statu, neque remedium erit idem adhibendum. Decet igitur primùm periculi magnitudinem metiri, atque ea ratione remedia maiora, aut æqualis numeri, aut minoris admouere. Cùm enim ex mora periculum imminet, maioris numeri remedia competent. Cùm verò tempus concedit, æqualia, aut minora satisfacient. Atque cùm ex maioris numeri admotione nulla mutationis celeritas iusto maior, periculosa, ac naturam perterrens speratur, maiora numero adhibebimus, quod maximè alterandi ratione morbis humidis, & siccis curandis conuenit: vbi tamen singula ad vnguem examinare velles, quid prohibet corpora distemperata, cum morbo sui generis ægrotant, maioris numeri contrariis vti? Quamuis enim supra suam naturalem distemperiem, parum in contrarium ducerentur, id non tantum malum non esset, sed vtile satis, ad temperamentum proprius accedere. Si namque calidum corpus in primo ordine febre corripiatur, deinde ex vsu medicaminum frigidorum maioris numeri, quàm febris sit, non tantùm curetur, sed etiam calorem supra temperamentum amittat, quid inde mali sequatur, tuipse dixeris? mihi namque vtilissimum videtur. Quòd verò Galen. voluit à minoribus non sanari morbos, non omnino constat. Si namque calido morbo quatuor numeris frigida medicamenta duobus numeris admoueantur, aliquem calorem corrumpent, atque efficient morbum tribus numeris calidum, admoueatur igitur secundo, & minuet rursus morbum ad secundum, & ita ad finem morbus ducetur, repetito medicamento. Quin & natura, siue temperatura, corporis sani, morbos paruos sanat, quoniam temperamentum distemperantias paruas curat, & sanitati corpora restituit, nedum medicamenta, quæ in contrarium labentia, valentiora sunt. Exemplum autem Galenus quo vtitur ad idem probandum, inualidum est: dixit enim aquam frigidam calidæ mixtam non ipsam attemperare, nisi paris numeri fuerit: verùm aliter se res habet, nam si aquæ calidæ sex numeris, vnciarum octo, misceas aquam eiusdem quantitatis, tribus numeris frigidam, eam efficies minus calidam, sit iam quinque numeris calida, adiiciatúrque rursus par quantitas aquæ tribus numeris frigidæ, fiétque minus calida, ac tandem simili aqua frigida adiecta, totus calor abundans, aquæ calidæ, corrumpetur, & temperata manebit. Quòd si deinceps frigidam adiiceres, in frigidam temperaturam eandem deduceres. Fiet igitur pari modo in laborantibus: quamuis enim si distemperantiæ calidæ sex numeris, medicamentum frigidum tribus admotum, ipsam non attemperet, sæpe tamen repetitum ad finem non tantùm attemperabit: sed corpus in contrarium deducet. Probè igitur morborum curationes quas lentè perficere conamur, per minora fient, in calidis, & frigidis distemperantiis, in humidis verò & siccis æqualibus, & paulò maioribus. Erit autem in his permutationibus hoc præ omnibus considerandum, an morbus celerem exposcat curationem, & pro ratione vrgentiæ, & periculi, numeros plures, aut pauciores contrariæ qualitatis adhibebimus, vt citò, ac cum modo curatio fiat. Per modum autem nihil aliud volumus, quàm quod in adagio habetur, σπεῦδε βραδέως hoc est, festina lentè. Magnus etenim affectus, magna eget reparatione, quæ magno remedio fit, magnum autem remedium dicitur, quod in specie sua magnum est, vti magnus calor, magna siue pluris minui frigiditas. Dicitur quoque magnum remedium, quod magnas habet vires, qualia sunt quæ parum alterant, quoniam sæpe repetita magnam curant affectionem, quamuis sui generis affectionem magnam creare non possit, quoniam morbus, non postulat magnam affectionem cõtrariam generari, sed magnam præsentẽ demi, atque id, dum magnis, & paruis, & æqualibus auxiliis fieri possit, an cum maioribus, aut in minoribus, aut æqualibus fieri debeat, non docet morbi magnitudo, sed periculi magnitudo, sed obiicies Hipp. sentent

Morbi quibus numeris curari debeant.

ſententiam qui ſecunda Aphoriſm. Sect. inquit: Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet, quæ vero breui, breuiter. At quæ longo tempore extenuantur, in maiori periculo ſunt ablumptis, non tantùm ſpiritibus & carne, ſed ſolidis ipſis particulis, vt Galen. in commenta. teſtatur, verumtamẽ quamuis magna conſumptio, & periculoſa ea ratione celere remedium expoſcat, facultas id nõ permittit: vbi namque ſimplici alteratione corpus ſanitati reſtitui deberet, maiora adhiberemus auxilia, & quæ citò ſanitatẽ reſtituerent, cùm tamen nõ tantùm alterare ſit opus, ſed ſubſtantiam deperditam reficere, virium actione opus erit: hæ verò cùm per longas extenuationes, & morbos factos, languidæ ſint, nõ niſi longo tempore refectionem perficere valebunt: hæc tamen non eſt à morbo indicatio, ſed à viribus: vires autem, & partis principatus, & eius ſenſus cõſideranda ſunt, an conſentiant, repugnent, aut correpugnent. Quoniam verò compoſiti morbi magna ex parte cauſam habent, & cum humore fiunt, vbi morbi cauſam habuerint, qua ratione curari debeant, dicere expedit. Cauſa namque vt vnum eorum quæ præter naturam ſunt, ablationem deſiderat, ac indicat ſicuti & morbus primum ſui ablationem, deinde contrariorum oblationem, deinde potentiam oblati, deinde modum quo offerri debet. Quemadmodum & ſymptomata, vbi moderationem, & ablationem expoſtulent, adhuc præſente morbo, ob ipſorum magnitudinem. Hæc etenim tria, vt quæ præter naturã ſint ablationem, & curationem indicant. Morborum autem cauſas habentium, curatio, natura rerum id docente, à cauſæ ablatione eſt incipienda. Quòd ſi ipſa ablata, nihil effatu dignum productum relinquatur opus naturæ, prætermittendum, quæ paruos affectus, vel ſeipſa ſola, perſanat. Si tamen aliquid mentione dignum relinquatur, id adhibito contrario curandum eſt. Cauſæ verò curatio (liceat modò curationem, ipſam cauſæ correctionem, præparationem, aut euacuationem appellare) euacuatione, coctione aut correctione fit, cruda enim cauſa coquitur, & deinde alit, ſemicorrupta corrigitur, valde corrupta, ſemel ſuperata à natura, deinde pellitur, fluxu ventris, vrina, ſudore, vomitu, fluxu, menſtruorũ, aut hæmorrhoidibus, aut inſenſili diſcutione, ſed fit quandoque vt morbum curantes augeamus cauſam, aut vt cauſam curantes, augeamus morbum, veluti ſi à frigidis humoribus & craſsis oriatur febris. Qua in re quid agẽdum ſit intelliges, ſi enim morbus non valde vrget, cauſa primùm dimouenda, quamuis cum morbi augmento. Sublata namque cauſa facile erit deinde morbũ in totum auferre. Quòd ſi morbus valde vrgeat, ac velis ipſum curare aucta cauſa, quamuis morbum interim minorem reddas, ad finem aucta cauſa, ad portionem morbũ efficiet. Si verò à cauſæ curatione incipieres cum morbi augmento, demeres quidem cauſam & morbum, atque hominem de medio tolleres. Quamobrem optimum conſilium erit, ab eo incipere, quod cauſæ rationem habet: nam quod vrget, atque id ſine quo alterum curari non poteſt, rationem habet cauſæ ſine qua non, nec tamen reliqua negligenda. Vbi verò multę cauſæ complicentur quæ non eandem poſtulent curationem, ab ea incipere oportet, quæ natura prior eſt, & quæ fuerit inuentione reſolutiua poſterior. Quæ enim poſtremò inuenta ſunt, prius exequi debent. Sunt autem cauſæ quandoque eius naturæ, vt nihil prohibeat eas ſimul auferre. Si tamẽ duo affectus complicentur, vbi ſeiuncti fuerint, ac minimè conſentiant partes laborantes, nihil prohibet ſimul vtriuſque perſequi curationem, veluti ſi phlegmone in pede conſiſtat: & in oculo ſuffuſio, aut vulnus in capite, & ſcirrhus in liene. Sunt autem quandoque morbi iuxtà poſiti ac conſentientes, ita vt remedia vni morborum adacta, alterum mutent neceſſariò, & mala inuicem compatiantur. Quandoque verò ſunt morbi compoſiti, & eandem omnino partem infeſtantes. Quòd ſi iuxtà poſiti ſunt, aliquando curatio vnius nihil nocet alteri, atque poterunt ambo ſimul curari, aut etiam ſe iuuant, & remedia vtriq; adhibenda erunt. Si remedia vnius alteri nocent,

Morborum compo. curatio.

Morborum cauſas habentium curatio.

Indicationes contrariæ à cauſa & morbo.

Affectuũ complicatorum curatio.

& non possunt admoueri vni, sine alterius læsione, vti si ventriculus frigidus est, iecur verò calidum, & ambo expoſcunt curationem, calida frigidis miſcenda erunt, ſicuti ſi iecur obſtructionem patiatur; & ventriculus cæliacum morbum: adſtringentia etenim, quæ ventriculus expoſtulat, iecori nocent: immiſcenda itaque erunt adſtringẽtia cum his quæ ab obſtructione liberant, quæ nulli eorum ſatis valida erunt, vbi affectiones magnæ fuerint, ac perinde difficilem admodum curationem admittent. Minores tamen affectus curantur, quoniam cùm extremę contrariæ vires medicaminum miſcentur, ad medium ducuntur: medium verò valde ſiccam diſpoſitionem humectat, & valde humidam exſiccat: quod extremis affectibus valde imbecillum erit auxilium.

Affectuum compoſi. curatio.

Hac medicamentorum mixtione vtemur, in morbo laterali cum ſputo ſanguinis. Quòd ſi affectus compoſiti fuerint, ſiue eãdem partem infeſtãtes, nonnunquam eiſdem remediis iuuantur, atque eorum curationem ſimul aggredimur, vti ſi in parte quapiam adfuerint vlcus & intemperies humida: medicamenta namque exſiccantia vtrique erunt ex vſu, ſi tamẽ vlcus cum phlegmone carnem infeſtet, vlcus quidem exſiccationem expoſcit, phlegmone verò ſuppurationem, & humectationem, & attemperamentum. Cùm igitur morbi duo ita componuntur, remedia contraria expoſtulantes, hęc duo aduertenda ſunt, quod ſine altero curari non poteſt: vbi enim quiuis ſine alio curari poſſit, incipimus ab eo quod magis vrget ea in morborum, & ſymptomatũ compoſitionibus admouemus, quæ Galen. apertè docuit, libro tertio & ſeptimo, de Metho, medendi. Vti ſi cum vlcere cõiungatur, fluxio, aut phlegmone, aut intemperies, vbi aliquod horum diuerſum ab vlcere expoſcat remedium, ab eo inchoandum, quoniam ſine eius curatione vlcus curari non poteſt. Semper autem incipimus à cauſa, vel efficiente, vel ſine qua non vel ab vrgenti. Sicca enim exiſtente intemperie, nequit vlcus curari, ante eius curationem. Neque ſi cum phlegmone iũgatur, ante curationem phlegmones, ſordes vlceris detergente, habent enim rationem cauſæ ſine qua non, conuulſio vulnus ſequens vrget, ita vt neruum per tranſuerſum ſecare cogamur. Ex vrgentibus eſt morbus à quo maius imminet periculum: id verò oritur ex morbi magnitudine & partis affectæ præſtantia: & cum partibus maximè præcipuis conſenſus. Ex ſymptomatis verò vrgentibus ea ſunt quæ præcipuis partibus & viribus earumdem, valde nocẽt, vt magnus dolor à cauſa frigida, quem curamus ſtupore inducentibus, & animi deliquium cum febre, vini potu. Quæ de morbis compoſitis & iuxta poſitis diximus in omni morborum genere vera ſunt. Vbi verò morbus partium inſtrumentariarũ fuerit, is oppoſitione curabitur. Morbus enim in numero partium quę ex ſanguine ortum habuerunt, reparari poteſt, ſi diminutio ſit, ſi tamen ex ſemine fuerint ortæ, non reparantur, aut portio parua, de venis paruis. Aucta verò pars, aut medicamẽtis, aut manus opera demetur. Magnitudo quoque emendari poteſt, paruitate procurata, vti paruitas, procurata magnitudine, alimenti copia, frictionibus, & balneis. Situs verò reſtituitur, arte reducto oſſe in locum ſuum, & inteſtinis ab ſeroto in peritoneum. Superficies quoque aſpera læuiganda, & læuis aſperior reddenda, figura læſa emendenda, & meatus valde laxi adſtringendi, & valde adſtricti laxandi, & obſtructi deobſtruendi. Conceptacula præterea plena vacuanda, & valde vacua implenda. Morbus verò vnitatis ſolutione conſiſtens, ſi ſimplex fuerit, ſola eget partium ſeparatarum vnione, ſi compoſitus eſt cum morbo in numero, aut intemperatura, is prior ſanandus. Si namque pars deſit ſiue caro, ſiue cicatrix, addenda erit, ſi intemperies, mutanda. In carnoſis itaque partibus coalitus ſimplici exiſtente vulnere. Quòd ſi ſolutio magna fuerit primò labia ſunt adiũgenda, ſecundò talia ſeruanda, tertiò cauere ne quid interueniat, quartò temperaturam partis ſanam ſeruare oportet. Quòd ſi cum partis amiſsione fiat, caro reficienda, & cicatrix obducenda, & interim, ſi fluxio, tumor, aut intemperies accedat, primò curanda, ſi ſordes, detergenda. In oſſi-

Morborum partium inſtrumentariarum curatio.

Vnitatis ſolutæ curat.

bus

bus tamen, fracturæ interueniente callo agglutinantur, si desit pars, non reparatur in adultioribus: in pueris verò fit vt partes sine alterius substantiæ interuentu coalescant, & vt paruissima pars restituatur. Nerui per transuersum scissi, non assolidantur, & punctura sedantibus dolorem eget, & his quæ tenues ichores à neruis purgant, & educunt, nempe aperientibus, & exiccantibus, & vulnus dilatandum, si vires ferant, quandoque ob dolores, & conuulsiones, semidiscissos neruos, & punctos per transuersum secamus. Hi etiam affectus omnes, vt de temperaturis diximus, ex magnitudine ostendunt remediorum vim, & ex periculo citum expostulant auxilium. Ex his manifestum quantum conducat affectus cognitio ad quæstiones absoluendas, quas medicus considerare debet ante morborum curationem. Si namq; affectus cognoscitur sua ipsius substantia, statim ostendet an quidpiam agendum sit, & quid agendum, & qua materia, & quantitas, ostendet potentiam remedij, & ex vtroque reliquæ quæstiones soluentur. Quòd si affectus non constauerit se ipso, ad eius cognitionem & inuentionem signis vtemur, quæ sumentur, vt diximus, à causis, effectibus, & similibus, & iuuantibus, & horum contrariis. Quoniam autem morbus per se agendi præbet insinuationem indicans apellatur, apud Galen. secundo libro, de Metho. med. dicentem, indicationem esse agẽdi insinuationem, lib. tamen de optima Secta, indicatio est, comprehensio iuuantis, simul cũ cẽprehensione nocentis, nõ expectato discursu, aut ratiocinio. & libro nono, de Metho. med. primam & maximam indicationem ad curationem dixit contrarietatem, ac si diceret, primam esse, qua morbus indicat contrariorum exhibitionem, nam ex indicationibus aliis, prima à viribus desumitur, quæ curatrix, non est, vt Galenus ibidem inquit, sed conseruatrix, quoniam à viribus hæc est insinuatio desumpta, vt eas seruamus, quibus seruatis vita permanet, & sine ipsis persseuerare nequit, vires autem præcipuè alibi à nobis sunt abundè relatæ. Curatrix itaque indicatio prima à morbo desumitur, qui cùm præter naturam sit, auferri debet, ablatio verò contrariis fit, vt per similia, conseruatio. Contraria igitur indicat morbus, vt tale expoſcens remedium. Genus tamen morbi ostendit remedij genus, species verò speciem, & quantitas quantũ efficere debet remediũ, siue quanta esse debeat remedij potentia. Quod verò cum hac aut illa celeritate, non ad morbi magnitudinem spectat, sed ad periculum, & virium firmitatem, hæc enim est de modo suprà habita quæstio. Febris etenim, quæ distemperies est, si sex numeris caloris constet, quoniam distemperies est remedium alterans expoſcit, quatenus verò calida est distemperies, indicat frigidum debere esse remedium. At verò quatenus sex numeris constat, remedium expoſcit, quod sex numeros caloris demere valeat, sunt autem ad id valentia remedia quæ numero maiora sunt, & quædam minora, atque æqualia: quo autem horum vti deceat, periculi magnitudo indicabit viribus consideratis: quibus accedunt partis principalis & ipsius sensus. Quòd enim celeriùs aut cum mora curari debeat morbus, ex periculi magnitudine mensuramus. Huic autem curationi vti & aliis plurimis, aliquando vires repugnare & contra indicare notum est, vt valde celeribus refrigerationibus, quæ non sine periculo exercentur. Præterea alia est quæstio de remedij quantitate, hoc est, quanta esse debeat remedij potentia, ab ea quę quærit, quomodo remedium sit assequẽdum, quáve celeritate: ab alio igitur quantitas indicatur, ab alio modus: quãtitas autem remedij eius quod est præter naturam, siue quantitas eius quod agi debet, siue quantitas potentiæ agendi, ex morbi quantitate sumetur, primò & immediatè: quoniam magnus morbus magnum esse id quod auferri debet, primò & per se indicat: docet quoque secundò quantitatem potentiæ auxilij. An tamen magnum debeat esse remedium, in suo genere, ad modum attinet, quod ex periculo agnoscimus. Id quidem est, an id quantum quod auferri debet, citò an tardè auferre opus sit. Anve potẽtiam commutandi in sanitatem totam simul offerri an sensim conueniat. Ac perinde magnitudo morbi potentiam auxilij,

quant

quantúmque demi, quantúmque ad ſanitatem vſque ſit reponendum, indicat, quantum autem medicamentum, cuiúſve numeri ad id aſſequendum offerri debeat, periculum monſtrat. Sed neque id tantùm, verùm etiam partis ſenſus, & partus principatus, vbi aliquid ab ea vacuari debeat, oſtendunt, an confertim id faciendũ ſit, an ſenſim, & cum minoribus medicamimũ numeris. Morbus porrò cùm ſe offert, vnum per ſe, & potiſsimum indicat idque primo loco, deinde alia ſecundò, quoniam plurimas continet rationes. Prima itaque eſt qua quidpiam præter naturam exiſtit, cui ſtatim accedet prima hypotheſis ſuprà habita, quæ inſtituit quod ſecũdum naturam eſt, ſeruari debere, auferri verò quod præter naturam: primum igitur ſui indicat ablationem, ſecũda hypotheſis ſequitur, quę docet contraria contrariis iuuari, ac perinde contraria eſſe offerenda. Deinde ex genere morbi indicatur genus contrarij, & ex ſpecie, ſpecies, ex magnitudine vis remedij innenitur, ex periculo vero numerus adhibendus, ſiue modus conſiderandus, deinde accedet conſideratio formæ remedij temporis, loci, & ordinis, quæ ex tempore, & loco morbi ſumuntur, ex ordine morborum, aut eorum quæ cum morbo iunguntur, ordo agendorum, & forma morbi, qua forma remediũ ad uberi debeat, vti in vlceribus linamẽta, & fiſtulis liquida ſunt iniicienda. Idem quoque in cauſis morbificis & accidentibus agendum indicatur, tanquam ab his, quæ corpus præter naturam afficiunt. Quæ verò præter naturam ſunt corporis cõſtitutiones, ſui indicant ablationem, ſed diuerſa quidem ratione: læſæ namque actiones per ſe primò & ſua ratione. Morbus per ſe, ſed tamen ea ratione qua per ſe actiones lædit, per ſe itaque indicat ſui ablationem, id eſt ex natura ſua, ſed non primariò: cauſa verò per ſe ipſam indicat, quod agendum eſt, hoc eſt, ex ſua natura, non tamen per ſe, id eſt primò, ſed ea ratione qua morbum efficit, qui actionem lædit. Quemadmodum enim ſanitas ob actionum integritatem expetitur, ita morbus ob earumdem vitium propulſatur. libro decimoquarto, de Method. med. Corpus autem affectum ſecundo loco conſiderandum venit, in quo ſecundum naturam multa ſe offerunt, quæ quoniam talia ſunt, ſeruari poſtulant. Hæc ſunt, vires ægri, temperatura, ætas, ſexus, cõſuetudo, quæ vitæ quoque inſtitutum comprehendit, & habitus. Quæ omnia propria ſubſtantia agnoſci debent, & ex cauſis, & effectibus oſtẽdentibus ſtatum naturalem corporis. Naturalis verò ſtatus ſuam poſtulat conſeruationem, vti is qui præter naturam eſt de quo diximus, curationem, atque remedia. Pari quoque ratione media corporis conſtitutio quæ neutra dicitur, partim conſeruationẽ, partim curationẽ: qua parte enim pro naturæ modo ſe habet, ſeruari debet, qua verò extra naturæ modum conſiſtit, curari his quæ cauſam auferunt. Præcautio ſanè neutris corporibus atque ægris communis eſt, ſed diuerſam partem artis habent adiunctam. Neutra corpora quę in morbos incidere parata ſunt, cauſæ egent ablatione, ne incidant in eos. Hæc quatenus cauſam quæ præter naturam eſt aufert, curatio, non ſatis propriè dicitur, quatenus verò id quod futurum eſt præcauet, præcautio, aut præuiſio dicetur, ſequitur hanc cuſtodia natiuæ diſpoſitionis. Præſeruatio igitur, & conſeruatio eis debetur, ſed non ſimiliter affectis, nam præſeruamus corpora ſana, ſed ægrotare parata, conſeruamus ſana non parata ægrotare. Aegris verò per morbos fientes præſeruatio conuenit, ſed hæc cum curatione coniuncta eſt, non cum conſeruatione conſtitutionis corporis. Nam morbis fientibus ablatio cauſæ propria eſt, vt præuiſione hac, futurum prohibeamus ne fiat, reliqua verò corporis conſtitutio, non ſeruanda, ſed contrariis curanda venit, niſi à natura curetur: vtrobique eſt ablatio cauſæ, ſed in neutris cum conſeruatione, in ægris cum curatione, quoniam neutra diſpoſitio in ſanam mutatur, & fiens præcedit factam, quæ remanet. De præſeruatione corporum neutrorum decidentiæ & refectione eorum quæ reualeſcunt, ſuprà diximus, nunc verò de indiciis ſumendis ab his quæ ſecundum naturam ægrotantibus inſunt, agamus. Primum verò

Morbus, cauſa, & ſympto. per ſe indicãs.

Læſæ actiones per ſe primò indicãs ſui ablationem.

Corporis affecti conſideratio.

Præcautio quibus debetur.

Indiciaque ſumuntur ab his quæ ſunt ſecundum naturam.

loc

locum tenent vires, vitalis, naturalis, & animalis, sed inter has vitalis prior: cùm potissima medici intentio sit vitam seruare, hãc præcedit nutritio, sequitur sensus & motus. Vires & naturalis constitutio corporis, non tantùm plus aliis, quę sunt secundum naturam seruari exposcũt, sed per se id indicant: reliqua verò, horum ratione: ita vt non propriè indicantia dici debeant, sed coindicantia. Indicant sanè vires per se suam conseruationem verùm ætas, sexus, consuetudo, quæ vitæ institutum comprehendit, quoniam vires ostendunt quantum valeant, quantúmque seruari debeant. Præterea indicant vires secundò alimentorum exhibitionem, quando conseruatio aliter fieri non possit. Prima enim artis hypothesis docuit, quæ secundum naturam sunt seruare, & secunda similibus id fieri debere, similia sunt & familiaria nobis, alimenta. Neque aliter morbus primam præbuit indicationem ablationis, sicuti & causa, & symptoma, & secunda contrariorum oblationem, virtus verò sui conseruationem primò, secundò similium oblationem: si quidem indicantia coindicantibus conferas, primum locum indicantia habent dignitate, coindicantia, secundum. Si vires indicantes, cum materiali morbo indicante conferas, contraria indicare agnosces, sed vincit indicatio quæ à viribus sumitur, indicationem quæ sumitur à morbo, dignitate: quæ si conferas, appellabis indicantes vires conseruationem, contra indicantem morbum, sic ablationem & remedia indicare morbum vires contraindicare, atque naturalem constitutionem, dices. Indicant vires conseruationem, ac perinde Galenus 9. methodi, indicationem à viribus conseruatricem, ac vitalem, non curatricem esse dixit, à morbo verò indicationem, curatricem, sed indicant vires alimentorum exhibitionem, repugnant, siue contraindicant remediorum oblationi, quæ non sine virium læsione fit. Indicat morbus remediorum oblationem, repugnat ac contra indicat exhibitioni ciborum, ratione causæ. Quæ secundum naturam sunt, alia à viribus eisdem coindicant, morbis verò correpugnant, quandoque, sed vbi conferantur ea quæ à viribus sumitur indicatio, & ea quæ à morbo, longè dignior est quæ à viribus sumitur, & reliquis omnibus indicationibus præferenda. Nam in summis morborum vigoribus, & in accessionum initiis, in quibus maximè morbus cõtraindicat, cibos exhibemus, vt viribus indicantibus subueniamus, sed tamen per sanitatem omnes indicationes vnà conueniunt in virium tutela, quibus vita cõstat: per morbos tamen non ita, sed ab ipsis indicationes remedia exposcunt, quæ multum, aut parum, aut nihil ferè lædunt: proinde aut eas amplexabimur, aut fugiemus, aut modũ seruabimus. Cúmque vires cibis seruari postulent, morbus autem alimentorum exhibitioni repugnet, fit quandoque vt vincente dignitate, indicatione quæ à viribus sumitur, quantitate vincat ea quæ sumitur à morbo contraindicatio, ita vt eam sequi debeat medicus, veluti in ardentissima febre, ac summo vigore ipsius, viribus non valde deiectis, minus dignam indicationem quæ à morbo sumitur, quoniam quantitate maior est, sequimur, alia prætermissa. Numerus quoque indicantium, & coindicantium aduertendus, nam multæ indicationes minores dignitate, & quantitate, eas quæ pauciores sunt, digniores tamen, atque maiores, aliquando vincunt, atque singula in singulis perpendenda. Fit enim quandoque vt morbus indicet refrigerationem, sed non valde: quoniam magnus non est, erit quidem hæc indicatio dignior contraindicationibus & correpugnantiis, quæ ab ætate, temperatura, & anni tempore sumuntur, verùm hæ aliquando cogent, vt temperatis vtamur, vt Galen. libro octauo, de Metho. med. dixit: nam & hæc seruata natura morbo curando proficient: temperatura præterea vt naturalis constitutio seruari exposcit, atque genus temperamenti, genus eius quod seruare ipsam debeat indicat: calida namque temperatura sana, non tantùm indicat sui conseruationem, sed ea ratione qua calida est, calida indicat esse offerenda. humida verò temperatura naturalis, sui conseruationem indicat, quòd verò in specie humida est, hu-

Vires morbis in indicando conferuntur.

Indicatio à temperatura.

midis esse seruandam insinuat,& sic reliquæ temperaturæ. Causæ quoque sanitatis eadem ratione indicant conseruationem, vt causæ morbosæ ablationem,& naturalia accidentia sui indicant conseruationem,vti praua symptomata moderari,per se postulant.Decet autem naturalem temperaturam diligenter examinare, quoniam per morbos quàtum alterare opus sit, aut quando ab alterando cessare, nunquam medicus adsequetur, nisi ipsam quanti sit caloris,frigidis,humiditatis, aut siccitatis agnouerit, ne fortè lapsum vnum curantes,corpus in contrarium lapsum ducamus. Cæterùm parte prima docuimus temperamentorum omnium notas. Naturalis verò corporis habitus, non indicat,sed indicationi quæ à viribus sumitur,coindicat, vbi rarus habitus, quoniam per ipsum vires facilè dissoluuntur, coindicat ciborum exhibitionem,viribus indicantibus,& correpugnat causæ morbi indicanti euacuationem. Eandem seruat rationem sexus. Masculi siquidem natura, calidiores ac sicciores fœminis sunt, Hæ verò humidiores & laboris impatientes. Et post decimumquartum annum, multos sanguine abundantes. Aetas quoque naturalis est, & quoniam per eam quandoque facilè vires dissoluuntur, viribus coindicat similium oblationem, & alimentorum exhibitionem. Ab ætatis verò temperatura,natura indicatur alimentorum,quatenus ea naturalis est constitutio corporis, quam seruare contendimus. Repugnant autem hęc morbo,à quo alterationes indicantur,& aliquando coindicat,veluti cum morbus refrigerationem exposcit & ætas est frigida & indicationibus quæ à causis sumuntur, quæ euacuationem postulant, correpugnant viribus repugnantibus,quatenus habitus & ætas,quæ facilè dissoluantur,natiuam habent euacuationem, & non facilè ob vires admittunt aliam. Consuetudo quoque aduertenda:nam qui potui aquæ frigidæ assueuit, faciliùs fert per febres, frigidæ potum, & quæ consueta sunt paruã, aut nullam inferunt alterationem, & quæ euacuant purgantia medicamenta, vbi cõsueta sunt,minus euacuant, aut corpus mouent. Quod si consuetudo dispositionem ostẽdat,quæ ex causæ alicuius vsu frequenti relicta est,vti temperatura accititia indicabit sui conseruationem,ea ratione eam quæ sumitur à consuetudine indicationem, aut repugnantiam dicemus:si tamen nihil aliud præter causarum vsum nos docet non indicat,sed coindicat sanitati,vti aliquãdo coindicat morbis,veluti consuetudo parcè viuendi,correpugnat viribus exposcentibus alimẽtum, quibus repugnat causa morbi, éstque consuetudo hac ratione, idem quod vitæ institutum.Sed etiam consuetudo lautè epulãdi, coindicat viribus exposcentibus alimentum, & correpugnat causæ morbi.Atquæ vt Hipp.inquit, Victus humidus omnibus febricitantibus competit: maximè vero pueris, & qui tali victu vti consueuerunt.Quo in loco à morbo indicationem sumpsit ad curationem quæ per contraria exercetur,ac quoniam morbus siccus est febris,humectantia præcepit,ætas quoque coindicat,quoniam humida est,& quæ secundũ naturam sunt,seruari debent.Est quoq; secundum naturam consuetudo, atque seruatur similium oblatione.In febribus itaq; ætas humida,& consuetudo humectantium ciborum,coindicabũt febri humidorum exhibitionem.Sed morbum dicit Gal.lib.8.de Metho.med.semper indicare contraria: consuetudinẽ similia,ætatem & temperaturam, non simpliciter similia, sed vbi temperata fuerint:vbi verò distemperata,non nisi cum consuetudine.Itaque si quis puer & natura humidus, siccis assueuerit,sicca exposcet, si humidis, humida,in eis nihil indicante tẽperatura. At verò nos natura indicare similiũ exhibitionẽ, ætatem,& consuetudinẽ coindicare dicemus, ac nihil prohibere,quo minùs ætas & temperatura naturalis, quamuis temperata nõ sint,similia desiderent, & si consuetudo non accedat, adhuc interim dum homines ægrotant. Nam consuetudo accititiam inducere solet dispositionem. Sed accititia dispositio naturalẽ non vincit indicandi potentia: quãuis igitur non consentiat consuetudo,nihil vetat temperaturam sibi similia exposcere. Præterea quamuis indic

Ætatis indicatio.

Consuetudinis ratio habenda.

Temperatura & ætas sine consuetudine indicant, cõtra Galen.

dicium. Sumptum à consuetudine vincere deberet id quod sumitur ab ætate, natura, non ob id ætas & temperatura naturalis suam amittent naturam, petitum, & inclinationem, quæ ad similia est. Quamuis enim præsente febre im temperatura sicca, humida exhibenda sint, neglecta indicatione quæ sumitur à temperatura naturali, adhuc tamen temperatura ipsa simile exposcit, sic etiam quamuis consuetudo contraria naturæ sit, & consuetudo indicando vincat naturam, nihilominus temperatura similium præbebit indicationem. Præterea si puer febricitet, assuetus tamen siccis alimentis, notum est huic deberi victum humectantem, vincente indicatione, quæ sumitur à morbo, repugnantiam, quæ sumitur à consuetudine, atq; eo dato nemini dubium est, puero illi victum deberi humidiorem, quàm iuueni febricitãti assueto siccis alimentis, vbi pares fuerint febres. Cæterùm ea humectantia maiora, non febris ratione, sed ætatis ei debetur: igitur ætas indicat repugnãte consuetudine. Adde quod si ætas pueritiæ, repugnante consuetudine, non indicaret ætatis ratione humectationem, pares exposcerent humectationes, iuuenis & puer dicti: quapropter cùm puer ad humiditatẽ similem illi quę à iuuene postulatur, perductus foret, amplius humectandus non esset, quod nõ conuenit. Quamuis igitur non consentiat consuetudo, ætas & tẽperatura similia exposcent: dubium tamen videtur, vbi corpus calidum & corpus frigidum naturali temperatura talia similibus febribus corripiãtur, & reliquis omnibus paribus, cui debeantur remedia frigidiora. Dubium autem esse posset, vbi calidus & frigidus paribus febribus vexarentur, quantum tactus indicare posset: quod fieri nequit, nisi frigidus maiori vexetur febre, quoniam longiùs aberit à naturali temperie. Si namque calorem præter naturam æqualiter excedẽtem temperaturam mediam in vniuersa substantia qualem temperaturam tactus indicantis esse decet, patiantur, longè maior morbus frigidi corporis quàm calidi erit. Aut dubium erit de calido & frigido corpore æquali mensura labentibus à natiua & propria temperie. Has duas febres dispares tactus indicabit, & calidi corporis maiorem: atque erit sanè, ipsis à temperamẽto proprio ad calidum pariter labentibus, maior febris calidi corporis: quoniam parua latitudo caloris addita calido corpori, ipsum in febrẽ deducit, frigidum verò nõ nisi magna: quapropter dum pari mensura labuntur, maior erit febris calidi corporis, minor frigidi, & tactus eas dispares indicabit. Tertiò conferri poterunt, vbi verè pares febres patiantur, quod fiet, vbi frigidum corpus à proprio temperamento longiùs recedat, vt enim dixi, non quiuis calor corpori additus, febrilis est, sed qui ad læsionem actionum ducere valet, lęditur autem pauciſsimo addito calore corpus calidum, ita vt ferè omnis calor additus febrilis sit, corpori verò frigido multus calor addi potest, absque febre, ac longè maior, si ad æqualem febrem cum calido corpore deduci debeat. Galen. libro octauo, de Method. med. duo proposuit corpora disparis & contrariæ naturæ, febricitantia paribus febribus, quas intelligere oportet pares esse lapsus à naturalibus, & propriis temperaturis, quoniam à febribus cõmunem ambobus corporibus vult esse indicationem: non esset autem cõmunis indicationi si pares essent lapsus. Calido igitur & frigido corpore, paribus lapsibus vexatis, frigidiora frigido debentur, coindicante tẽperatura, morbo: idem etiam dicemus consuetudine ætate & anni tempore coindicantibus, aut singulis, aut omnibus. At verò contrarium ratio probare videtur: nam si calidus & frigidus pares lapsus patiuntur, pars distemperantiæ erũt abiiciendæ, atq; æqua celeritate: paria igitur exposcent remedia. Id verò non confutat assertionem, nam calidum corpus tribus numeris, si aliis tribus labatur ad calorem, temperatis restitui debet apud Gal. quamuis aliis fieri posset vt diximus: verùm corpus frigidum tribus numeris, si in febrem incidat, aucto calore tribus aliis numeris, aut paulò pluribus, medicamentis egebit sed numeris frigidis: pari nempe mẽsura in contrarium labentibus à natiua corporis temperie: frigidiora itaque frigido deberi

Dubium.

Febrientibus calido & frigido, cui debeantur frigidiora.

notum est,& Gal.sententia vera in prædicto sensu. Si verò calidum corpus & frigidum ita febricitent,vt tactus calores pares iudicet,vera quoq; in ea dispositione erit Gal.sententia,frigidiora deberi frigido corpori:magna enim eget caloris corruptione,& magna frigoris restitutione corpus frigidum à natura non adeò calida,quod paruo lapsu in magnã incidet febrem.Postremò febres calidi & frigidi corporis,æquales dicemus,vbi pares fuerint calores febriles, quod fiet in lapsibus disparibus,nã si ad pares calores febriles deduci debent, calidum & frigi.corpus,maior erit lapsus frigidi,quamuis tactui pares nõ sint, quoniam si frigido corpori paruus calor addatur, non statim calorẽ febrilem patietur: calidũ autem statim febri corripietur. Vbi igitur calores febriles pares fuerint, maior est lapsus frigidi corporis. Quòd si plus est quod corrumpi debet,maiori opus est emendatione,& restitutione, & valentiore auxilio, ad curationem frigidi,quàm calidi corporis. Interim itaq; dum æger laborat copia,indicatio ablationis à morbo sumetur,appellamus autem morbum,quandoque ipsam morbi causam,quemadmodum Gal.quoq; dicere solet morbum crudum,aut coctum, cùm tamen sola morbi causa sit quæ coquitur. Huic verò contraindicant vires,quæ sui indicant cõseruationem.Temperatura quoque suam indicat conseruationem,atq; aut coindicat,aut contraindicat morbo,ætas quoque & consuetudo, sexus, & vitæ institutum coindicant, aut correpugnant morbo,sicuti & aer ambiens,cæli status,& ars,de quibus dicemus. Cùm autem coindicant hæc augent indicationem quę à morbo sumitur,cùm verò contraindicant aut correpugnant eandem minuunt, in quibus, vt diximus,numerus,magnitudo, & dignitas indicationum perpendenda sunt, vt id quod reliqua vincit,sequamur,reliquis posthabitis,non tamen omnino negletis, quandoquidem vbi à reliquis vincantur,adhuc ab eorum potẽtia aliquid detrahere valent.A viribus etenim indicatio ciborum exhibẽdorum sumitur, repugnat morbus: quapropter quamuis cibus ægrotanti offerendus sit, is minori quantitate offeretur,quàm si morbus non adesset.Præterea indicat morbus,sanguinem esse mittendum,repugnant vires:sed nõ adeò valde vt vincãt indicationem quæ à morbo sumitur,mittemus porrò sanguinem, verũ minori quantitate quàm vires non repugnarent, idem de ætate dicemus, hæc enim quandoq; correpugnant aduersus morbum quatenus indicat facultatem non posse satis ferre missionem sanguinis,atque fiet, vt quamuis vincat indicatio morbi non tamẽ ea copia sanguinis mittatur, quæ morbi ratione expetitur. Conducit autem cognitio constitutionis,secundum naturam corporis patientis, ad cognitionem quantitatis morbi,siquidem eò morbus maior est,quò longius ab eo quod est secundum naturam secedit, vel etiamsi non totus lapsus morbus sit,totus tamen se offert auferendus.Inde verò fiet vt conducat ad inuentionem potentiæ remedij: facultas enim sæpe ferre non potest eam remedij potentiam,quam exposcit morbus.Indicant autem vires,sui conseruationem ex naturali corporis constitutione,seruantur autem alimento, agnoscimúsque inde,alimentum esse adhibendum,& ex quantitate lapsus virium, quantitatem alimẽti:occasio verò à facultate,indicatur, sed interim plus aut minùs repugnat morbus:nam cũ vires languent,nõ valde,quamuis in summo morbi vigore postulent alimentum,repugnante morbo declinationem eligimus ad alendum,quo tempore minùs repugnat morbus. Quo modo fit, vt indicante morbo purgandum esse corpus aut sanguinem esse mittendum, ægro verò ob alimenti inopiam,spirituum dissolutionem,& virium langorẽ id non patiente,reficiamus priùs corpus,deinde reparatis viribus purgemus,aut sanguinem mittamus:sunt autem quædam quæ secũdum naturam sunt,sed coindicant,viribus aut coindicant morbo, aut correpugnant viribus, aut correpugnãt morbo. Cùm enim vires alimentũ exposcũt,ætas puerilis coindicat, habitus durus correpugnat morbo: Morbus autẽ humidus indicat exsiccationẽ, ætas verò sicca coindicat,habitus autem mollis correpugnat.Magna igitur interest

Indicationes à viribus,& morbo.

Cognitio naturalis constitutionis quantũ conferat.

tereſt noſſe corporis affecti vires, tẽperaturam, ætatẽ & conſuetudinẽ, ſexum, & victum. Partis quoque affectæ conſideratio habenda, ad morborũ curationem, & victus inſtitutionẽ, tertio loco, quam Gal. li. 9. de Meth. med. in corporis temperamento comprehendit: & rurſus eius meminit. Pars autem affecta oſtendit nobis temperaturam, principatum, formationem, ſitum, & ſenſibilitatem. Temperatura quidem partis patientis ſui indicat conſeruationem, dum ægrotant homines. Quòd ſi inter curandum paulùm ipſam in meliorem transferas ſtatum, nihil mali feciſſe putato. At hæc quandoque morbo coindicat, quandoque eidem repugnat, veluti vbi pars quapiam natura ſicca, vti cutis, aut neruus vlcus patiatur, morbus exſiccationem indicat; partis verò temperatura coindicat, ſi tamen vlcus in carne conſiſtat, morbus expoſcit exſiccationem, repugnat tamen partis temperies, fit quoque vt ex his quæ ſunt ſecundum naturam, aliquod coindicet morbo, aliquod verò correpugnet, vti cum corpore ſicco exiſtente natura ſua, caro vlcus patiatur, tunc enim vlcus poſtulat exſiccationem, coindicat naturalis corporis temperies, correpugnat temperies partis. Temperies itaque partis quantum alterare deceat oſtendit, nempe donec talis ſtatus reſtituatur parti, qualis præfuerat in ſanitate. Partis verò principatus inde ſumitur, quod officium ipſius pluribus ſit commune, aut ſibi tantùm proficuum. Quæ enim officium commune habet, magna eget conſeruatione, multo ſpiritu, & copioſo calore natiuo, ac perinde, ſi vti deceat medicamentis relaxantibus & diſcutientibus humorem contentum in parte præcipua, ea cum his immiſcenda ſunt, quæ vires habeant roborandi partem, veluti cum humorem in corde contentum diſcutere opus eſt, aut in iecore, aut in ventriculo, quorum functiones communes ſunt, & in totius animalis vſum. Sed inter hæc cordis vires primo loco ſeruandæ, ſecundo iecoris, tertio ventriculi, & poſtremo cerebri, cuius vires, ad vitam non alia ratione neceſſariæ ſunt, niſi quatenus reſpirationem efficiunt venarum, quoque & arteriarum thoracis, cordis, renum & vtriuſque veſicæ, munus cõmune etiam eſt & ad vitam neceſſarium. Pulmonis tamen & aſperæ arteriæ & faucium, miniſterium potius eſt, quàm officium, atque perinde ab his, & muſculis, & carne quantum opus fuerit vacuabimus, non omnino neglectis partium viribus, ab aliis verò quantum ſine manifeſta læſione fieri poſſit, ita ſenſim vacuabimus. Quòd ſi partes aliis quoque facultates tribuant, tantùm eas ſeruare oportebit, quantum ad diſtributionem facultatum operibus cõuenientem ſint ſatis. Partis igitur principatus oſtendit, an confertim fieri debeant euacuationes, an alter modus habendus. Verùm cùm intemperiem curare proponimus, nihil obſtat quominus parti præcipuæ, ſicuti & non præcipuæ remedia ad portionem corrigendæ intemperantiæ admoueamus. Formatio verò partium non parum conducit ad curationem: nam ipſa docet quàm habeat pars facilem & paratam, ad euacuationem excrementorum viam. Ventriculus namque vomitu promptè vacuatur, præſertim eius ſupremapars, nec difficilè per inteſtina totus venter, & præſertim pars ima, ſicuti & inteſtina omnia, & iecoris pars caua: gibba verò promptiùs per vrinam, niſi magna craſſorum humorum copia id impediat: tunc etenim facilior erit euacuatio per ventrem, & inteſtina. Idem de renibus euacuandis dicemus, quamuis promptiùs adhuc per vrinam, quam gibbæ partes iecoris vacuentur, veſica verò vnicam tantùm habet manifeſtæ vacuationis viam, quæ per vrinam fit, quamuis copioſi admodum ſint humores in ipſa recepti. Quod verò Galen. lib. 7. de meth. med. veſicam multo humore refertam, per ventrem purgandam eſſe voluit, ſi de humore in ipſa contento loquatur, id nõ probamus, quinimo, fieri nequit, vt humor veſica contentus, ad renes, & ventrem deducatur, ſi tamen de redundante humore in iecore & toto corpore, interim dum veſica humore redundat. Gal. ſermo fuit, rectè quidem is purgatione ducetur, antequam veſicæ euacuationem tentemus. Verùm hæc purgatio à partis formatione nullate-

Partis affectæ cognitio habẽda.

Temperaturam lapſam inter ægrotandũ, in melioremmutare nihilnocet, cõtra Gale.

Partium principatus conſiderandus.

Partium formatio cõſideranda.

Veſica multo vitioſo ſucco refertapurgationem non indicat contra Galen.

nus. Verùm hæc purgatio à partis formatione nullatenus oſtenditur, aut indicatur, vt Galen. dixit: Cerebrum hac ratione per nares & palatum, & pulmo per aſperam arteriam expurgantur. Docet itaque partis formatio locum, & formam, quoniam liquida eſſe oportet, quæ in veſicam, inteſtina, & vterum iniiciuntur, & ordinem: nam clyſteria non ſunt à cibis adhibenda: ſitus autem partis comprehendit connexionem & rectitudinem: conducit autem eius cognitio ad inuentionem vehementiæ remedij, formæ remedij, & loci. Partes etenim in ſumma ſuperficie ſitæ, facilè aut attemperantur, aut euacuantur. Quum verò in profundo ſitæ ſunt, aut longè à loco cui medicamenta ſunt adhibenda, non decet parum valentibus remediis vti, ſed longè valentioribus, ac coniicere quantum amittere debeat de virium robore in itinere, atque id totum addere viribus medicamenti, veluti ſi ventriculi calefactio medicamento ſuperpoſito fieri deberet, cuius vis duos numeros contineret: vnum tamen in via amiſſurum putamus, tribus numeris calidum ipſum admonebimus; ſi tamen medicamentum bibendum detur nihil tale addere opus eſt: ſed vbi aut iecur curare proponimus, aut pulmonem, per ebibita id faciemus. Præterea ventriculo accommodata ſunt quæ bibuntur, inteſtinis quæ clyſteribus iniiciuntur, locum autem cui admoueri debeant remedia partis, ſitus oſtendit: iecore namque laborante, remedia admouemus dextro hypochõdrio, laborante liene ſiniſtro. Formam quoque medicamenti ex partis ſitu deſumimus: cùm enim parti alicui in profundo ſitę admouere volumus medicamẽtum aliquod, liquidum ipſum paramus, vti quæ in vterum, veſicam, aut inteſtina ſunt iniicienda. Connexio verò partium docet qua parte vacuandum. Iecoris enim gibbas partes per vrinam euacuamus, ſimas per ventrem, ſic etiam iecore laborante, aut aliis ventris & thoracis partibus ſecamus venam cubiti internam, laborantibus renibus, veſica, vtero, pudendis, venas quæ ſunt in malleolis, laborante autem capite, externam cubiti venam incidimus. Rectitudo ſimili modo methodum medendi docet, quandoquidem dextris partibus laborantibus, venas dextri lateris ſecamus, & laborantibus ſiniſtris, ſiniſtri. Secus verò partis acrimonia, medicamentorum vires docet, atque eorumdem naturam, & modum. Pars etenim acri ſenſu prædita non fert ſubitam, alterationem, ſi quidem quæ validè abradunt, detergunt, aut exedunt, magnos inferentia dolores, vires imbecillitant: vires igitur talibus medicamentis repugnant, correpugnat autem partis ſenſus. Ad hæc cùm deceat curationem citò, tutò, & iocundè fieri, decet vitare quæ dolorem inferunt, vt iniocunda. Quòd ſi partis ſenſus hebes fuerit, acria medicamenta facilè, & ſine moleſtia feret, ita vt confertim detergere eam, & rodere liceat. Ex his quæ à partis patientis habentur conſiderationibus quædam coindicãt morbo, quædam correpugnant: nam partis principatus, cùm non admittit confertam euacuationem ob vires, quæ neceſſariæ ſunt, morbo correpugnat, coindicat autem viribus. Temperatura partis quandoque repugnat morbo, quandoque coindicat ipſi. Formatio non coindicat morbo, aut repugnat, ſed morbus cauitatis iecoris ex humore indicat vacuationem: craſſus autem & multus humor exigit, atque indicat, vt morbi cauſa, purgationem, ac locus morbi indicat locum, non curationem, aut vacuationem, ſed locum curationi & vacuationi aptum. Sic & veſicæ formatio non indicat euacuationem humorum contentorum in ipſa per vrinam, medicamentis vreticis, ſed medicamenta euacuantia à cauſa morbi expetuntur, indicátque cauſa morbi euacuationem: locus autem ſiue forma loci indicat locum. Situs verò, ſi in partibus proximis ſit, morbo neque coindicat, neque repugnat, ſi in diſtantibus, coindicat morbo, ſi namque morbus calefactionem indicat, quod vehementiùs calefaciendum ſit, coindicat atque docet. Præterea ſitus locum remedij indicare valet, ſicuti connexio & rectitudo. Partes autem intermediæ, quandoque repugnant, quæ non ferunt auxiliorum violentiam. Partis ſanè ſenſus acris

Situs partium.

Partium cõnexio conſideranda.

Partium rectitudo cõſideranda.

Partis ſenſus conſiderandus.

acris,de correpugnantibus morbo eſt:nam vbi morbus magnam deterſionem expoſtulet, aut rotionem,ſenſus autem acris partium fuerit, vires non admittent remedium,ac morbo repugnabunt, ſenſus autem acris partium correpugnabit. Sed iam ad quartum conſiderandum accedamus. Decet quoque eorum quæ extrinſecus accedunt ſingularem habere cõſiderationem, cùm perſeuerant, quoniam hæc quandoque coindicant viribus, quandoque morbo. Galen. profectò ſolius aeris nos ambientis conſiderationem habendam admonuit nono libro de Metho.med. quo in loco tria conſideranda dixit, nempe morbùm, naturale corporis temperamentum, quod naturam appellat, & aërem ambientem. Nos de morbo & corporis temperamento,& his quæ corpori natura inſunt,diximus,modò de aëre ambiente,& his quæ exterius accedunt dicemus: de quibus omnibus ſolum aerem conſiderandum duxit Galen. & rationem adiunxit, ſi quidem alias omnes materias in noſtra poteſtate eſt eligere, aut fugere neceſſum eſt autem præſenti cæli ſtatu vti, aliquam igitur præbet coindicationem: ſi namque morbo ſimilis fuerit, morbo coindicat, atque docet ablationem ſui, & correctionem: ſi tamen morbo contrarius, talis erit ſeruandus, temperatus autem aer ſimilium exhibitionem deſiderat, diſtemperatus contraria ex ſe coindicat: ſed qui ſimilem habet morbo temperaturam, materia morboſa erit, ſi contrariam, materia medicamentoſa. Si igitur aer ambiens frigidus fuerit, & morbus calidus, minùs per medicamenta refrigerare opus erit, coadiuuante frigiditate aeris eorum actionem, ſi verò aer calidus ſit,remediis opus erit adhuc maioribus, vt nõ tantùm morbo offeramus contraria,ſed etiam aeri,à quo ineuitabiliter mutamur.Ab aliis tamen vti balneis,medicamentis, cibis,& potibus, neque indicationes,neque coindicationes, aut repugnantiæ, aut correpugnantiæ ſumuntur: quoniam ea omnia fugere licet, nihilominus cauſas omnes non naturales,quàm maximè decet conſiderare vt fugiendas,aut ſequendas, & ſeruandas: aeris autem temperies quantum valeat morbos curare, aut augere, docuit Hippocr. cùm dixit, Mutationes temporum potiſsimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes, frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. Quòd ſi tempora morbos pariunt, poterunt partes augere, comprehendit autem aer nos ambiens, anni tempus, cæli ſtatum, & regionem, & habitationem, ab his enim aer mutatur, atque hæc mutato aere corpus mutant. Sed obiicies, non tantùm aerem eſſe ineuitabilem, ſed & cauſas quæ inopinatè accurrunt, vt caſus, ictus, vulnus, ab enſe, gladio, lapide. Præterea aer nos ambiens vitari poteſt, vbi calido tempore æger ſe ad ſubterrama tranſferat loca, & aer habitationis emendari facilè poteſt. Præterea cauſas omnes non naturales ineuitabiles eſſe dixit libro Artis medicinalis, cap.85.quoniam nulla eſt ratio vitandi aerem, cibum, potum, ſomnum, vigiliam, motum, quietem, & animi ſymptomata: ſiquidem ſine his vita ſeruari non poteſt. Sed intereſt, quoniam cauſæ aliæ ab aere in genere ineuitabiles ſunt, in ſpecie tamen euitari poſſunt:nam hic aut ille cibus, hic aut ille potus, vitari poſſunt: ſiquidem à nobis ipſis offeruntur: verùm cibus omnino vitari non poteſt,nec potus, nec ſomnus, & reliqua,aerem autem hunc aut illum vitare non poteſt, per regiones,& cęli ſtatus,nam temporis temperiem mutare nequimus,nobis etenim nolentibus occurrunt. Emendatur porrò domicilij aer, qui ægrum alterat. Sed id eſt quod aer agendum expoſcit, ſine quo neceſſariò mutaſſet, atque ea ratione de coindicantibus, aut correpugnantibus eſt. Præterea ſomnus, vigilia, motus, & quies, de cauſis externis non ſunt, neque animi accidentia: potus autem & cibus mutari poſſunt, etſi non corrigantur, quia ex cauſis externis ineuitabilibus toto genere, quæ nobis volentibus offeruntur, nobis etiam volentibus mutabuntur, aer tamen mutari in alium nequit, ſed potius is corrigendus,aut remediis adhibitis,aut in alium locum tranſlato ægro. Transferre autem ipſum in aliam regionem, aut non licet,aut ſi liceat

Exteriora conſideranda ad curationem.

Cauſæ non naturales conſiderandæ.

Cauſæ non naturales an omnes ſint ineuitabiles.

hæc

hæc est aeris indicatio, & loca subterranea aerem habent insalubrem, & qui non transpirat. Quia igitur aer seipso occurrit, vel nolentibus nobis, cibus autem & potus volentibus nobis, ab aere indicationem sumendã dixit, quoniam aliquid agendum ostendit: cibus autem & potus ex se nihil indicabunt, qui vbi non offerantur à nobis, non etiam mutabunt nos: causæ verò quæ inopinatè occurrunt, vitari aut mutari non possunt, & ita eorum non est disciplina. Pendet itaque tota medendi methodus, atque quæstionum omnium præhabitarum dissolutio, ex præcognitione quatuor horum quæ diximus. Sed iam ad minus generalia his transeamus, in quibus primum locum tenebunt pulsuum & vrinarum cõsiderationes, sequuntur febrium curationes. Ante verò quàm febrium curationem aggrediamur, & generalem victus institutionem trademus. Cùm enim pars artis factiua comprehendat, medicamentorum exhibitionem, victus institutionem, & manus operam, pars hîc tradita generalis medendi methodus est, quæ medicamentis perficitur, generalis victus institutio quæ per alimenta fit, tradetur ante curationem febrium peculiarem, & loco suo, tertia quæ manus opera perficitur. Modò verò morborum singularum corporis partium curationem tradamus ordine, auspicantes à capitis morbis. Quæ enim ad febres pulsus, & vrinam attinent, partim scripta à nobis in aliis operibus sunt, partim etiam Deo summo maximo concedente scribentur.

DE

DE CVRATIONE MORBORVM SINGVLARVM PARTIVM CORPORIS PARS TERTIA.

DE MORBIS CAPITIS, SECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

MORBORVM *Differentiæ quædam à partibus patientibus ſumuntur, qua ratione phrenitis, pleuritis, ophthalmia & cholica diſtinguuntur, & quamuis diſtinctio hæc in generalibus, & eſſentialibus morborum differentiis comprehenſa non ſit, nulla tamen videtur ad compendium accommodatior, & ad euidentiorem aſſequutionem omnium corporis morborum. In quibus ob loci ſitum primum quoque locum capitis morbi ſortientur. Horum quidam in externis, quidam in internis ipſius partibus fiunt, in externis puſtulæ, achores vulnera, atque tumores, quibus accedunt furfures, pediculi, & capillorum vitia. Quidam ſunt oſſium capitis morbi ad compoſitionem, temperaturam, & vnitatis ſolutionem attinentes. Quidam membranas quæ intra, aut extra caluariam ſunt, occupant, quidam ipſam medullam, quam encæphalum, noſtri verò cerebrum appellant. Præterea ex his quidam conſiſtunt in temperatura cali. frig. humi. aut ſicca, & facta, aut fiente, cum humore, aut flatu, aut ſine ipſo, & humor aliquando mordet, aliquando grauat, aliquando vnitatem ſoluit, quandoque obſtruit, & flatus diſtendit. Morbi verò in compoſitione tumores ſunt, obſtructiones venarum, arteriarum, aut ventriculorum cerebri, partium & totius magnitudo, & numerus, capacitas, & figura, aut totius capitis, aut partis. Vnitas ſoluitur à cauſa interna, aut externa, ex quibus ſunt vulnera, vlcera, contuſiones, membranarum diſruptiones, oſſium fracturæ, colliſiones, concaſſationes, cerebri concuſſiones. Quidam etiam ex capitis morbis fiunt per eſſentiam, quidam per conſenſum, conſentit autem maximè ventriculo, iecori, lieni, & vtero: & toti corpori. Indicia vero ſumentur à temperaturis, coloribus, doloribus, tumoribus, animalibus, actionibus, & excrementis quæ per os, nares, aures, & oculos excernuntur. Ad horum curationem ſicuti & aliorum omnium procedemus primò eſſentiam morbi, de quo agendum eſt, exponentes, deinde cauſas, deinde ſigna quæ morbum atque morbi ſpeciem oſtendant, deinde curationem trademus.*

De Alopecia, Caput primum.

Alopecia.

CALVITIVM, Alopecia, & ophiasis voces sunt à causarum diuersitate, aut figura depilationis desumptæ. Nam si pili decidant ob alimenti inopiam & aridit atem, caluitium dicitur, si verò ob humorum vitium, alopecia. Quòd si partes glabrescant, serpentum modo, ophiasis dicetur. Alopecia verò ea ratione dicta est, quoniã vulpes quas Græci ἀλώπεκας nominant, in eum morbum frequenter incidunt: decidunt autem pili vna duarum causarum, aut ob alimenti defectum, aut ab eius malitiam: quemadmodum & plantæ omnes, si quidem ad earum alitionem nihil penè refert, vel alimentum deficere, vel prauum suppeditari. Perpetuò autem ita euenit vt plantæ non irrigatæ humore arescant, contabescant, & pereant: idem autem patiantur si vrina, lixiuio, aut muria irrigentur. Caluescunt quoque homines in senectute, & per atrophiam, ob alimoniæ penuriam: cùm autem prauis succis imbuti fuerint, alopeciam, aut ophiasim patiuntur. Cùm igitur vitiosus humor in causa fuerit, eius naturam agnoscere conuenit, colore partis: nam si pituita fuerit, pars albicans reddetur, ac si hæc salsa fuerit, furfures à parte decident, & pruritus accedet, si bilis abundat, pallidior reddetur, si nigrior, melancholia excedit. Accedit ad eorundem humorum dignotionem victus præcedens, & naturalis temperatura, & ætas. Collocabitur æger in aere temperato, cibos accipiet boni succi, vt carnis gallinarum, perdicum, fasianorum, caporum, aut etiam verueces, elixas. Calidis succis redundantibus abstinebunt ab his quæ calefacere possunt, vt melle, pipere, & à salsis, eisdem; aut salsa redundante pituita, sic etiam ab omnibus acribus abstinebunt. Potus erit aqua aut vinum album valde dilutum, frigida verò existente cacochymia, calida admiscere cibis, quæ prædiximus licet, & cibis recitatis vti. Potu tamẽ vini, aut meracioris, aut natura validioris. Vtentur exercitationibus, aut frictionibus post corporis purgationem, ventris etiam deiectio procuranda, & clysteria inicienda validiora & acriora. Somnus moderatus procurandus.

Alopecia curatio.

Curatio verò incipiet ab his quæ humores ad purgationem parant, vti, aqua mulsa, & ad tenaces humores acetũ mulsum cum decocto radicum apij valet. Ad bilioſos humores siropus acetosus cum decocto eupatorij conuenit. Ad melancholicos siropus de fumaria, & aqua instillatitia lupulorum. Bilioſos rursus humores purgabimus, pilulis aggregatiuis, aut dictis, sine quibus pituitosos per hieram diacolocynthidos, non est autem hæc hiera Archigenis, vt quidam putat, sed hiera Rufi, vt Paulus lib. 3. cap. 15. dixit cuius descriptionem habet Actius. lib. 1. ser. 3. Melancholicos verò purgabimus cum confectione Hamec, aut pilulis de fumaria. Post purgationem verò apophlegmatismi, siue masticatoria ex vsu erunt, ex sinapi & masticbe, aut ex masticbe, macere, & staphide agria, aut conformatis pastilis, quorum vnum masticãdum suscipiat, aut in linteo obuoluta eadem masticet, & saliuam expuat, deinde topica admouenda quæ detergant, ac discutiant. Abradendum tamen imprimis caput, deinceps linteo asperiore fricandum, si namque pauca frictione præcedente cutis rubescat, speranda salus futura propè, si verò non nisi post longam frictionem rubeat, difficile sanitatem assequetur. Post frictionem verò liniendapars oleo laurino, & pice liquida, aut sulphure, spuma maris, & oleo laurino, aut puluis baccarum lauri, seminis nasturtij, & adianti inspergatur. Allium quoque agreste prodest, si eo pars fricetur. Validius remedium est sinapy cum aceto mulso & erucæ semẽ, & sinapy pari mensura cum melle. Validius adhuc thapsiæ succus cum cera & oleo, aut cera & rosaceo, & adhuc magis validum puluis thapsiæ, qui si cutem exurat, & exulceret, cum adipe anserino excipiendus & liniendus, aut cum cera & rosaceo, vehementius medicamentum est euphorbium cum oleo laurino aut oleo antiquo. Sed cauere oportet cutis

vlcera

vlcera, & eroſiones & magnas exuſtiones: vidimus enim non paucos ex vſu medicamentorum validorum deductos in perpetuum caluitium & ad mortem vſque remanſiſſe imberbes, cum hiſce remediis vtimur, in aere calido æger collocandus eſt. Valet ad alopecias ſtercus muris cum melle aut pice liquida, & puluis radicis veratri albi, & nigri & ſemen naſturtij pari mentura, cum pice & oleo laurino, & arundinis radicis cortex vſta cum axungia leonis, aut ipſa axungia per ſe, aut axungia pardali, aut hienæ, aut vulpis pinguedo, cinis quoque radicum & foliorum ficus accommodantur, & veratrum album cum aceto. Præterea radix ciclamini elixa in aceto malaxata & illita, aut ſicca & vſta inſpergatur, & ſuccus cepæ, ſuccus raphani cum melle, & aſphodeli radix vſta poſt frictionem partis inſpergenda, & cepæ cortice integenda: aut ſcilla pars ſcalpenda, aut mirrha, ladanum cum oleo veteri miſcenda & pars eiſdem perfricanda. Aut recipe ſucci cepæ ſucci ſcillæ vtriuſque ʒ.ß. olei laurini ʒ.iij. axungiæ anatis ʒ.j. bulliant ad cõſumptionem ſuccorum, & ad finem adde cineris radicum ficus, & ſeminis naſturtij pulueris, vtriuſque ʒ.j. abraſam partem atque ſcalptam hoc medicamento linire conuenit. Decidunt autem pili caluitij modo ob alimenti inopiam, & cutis raritatem, cui malo bifariam ſubuenitur, nempe corporis refectione, & cutis denſatione, reficitur autem corpus non tantùm alimentorum exhibitione, quæ bonos ſuccos generunt, & abundè, ſed etiam adhibitis frictionibus, quæ alimentum ad cutem deducant. Quæ tamen vim denſandi cutem habent, modicæ facultatis eſſe decet: nam quæ validiora ſunt, non tantùm alimenti tranſpiratum inhibent, ſed repellunt compreſsione, atque membri conſtrictione humorem exprimunt. Euenit ſæpius morbus hic his qui è morbos conualeſcunt, præſertim autumno. Poſt Gale. tamen, à quo ſententiam deſumpſit Aetius inquit: itaque neque expertus ſum, neque mente concipere poſſum aliud præſtantius fore medicamentum, ad defluos pilos, eo quod ex ladano, & oleo lentiſcino paratur. Si tamen lentiſcinum non adfuerit, immaturo oleo vtendum eſt. Cinis quoq; ſambuci cum roſaceo & cera capillos deciduos reparat, & verbenaca recta viridis cum radice infundatur in oleo omphacino ac pluribus diebus inſoletur, deinde coletur, & oleo pars liniatur. Quòd ſi viridis nõ adfuerit ſicca cum radice trita ac cribrata oleo inſpergẽda. Præterea ſi chimolia terra oleo miſceatur ad ſordium ſpeciem præſtantiſsimum erit medicamentum.

Pilorum decidentia curatio.

Vt pili decidant.

PENITVS Pilos ſtirpat, hepar thynni putrefactum, rurſus lachryma hæderæ cum ſucco brioniæ liquata, & vrticæ ſyluiſtris ſemen cum oleo, ſangnis veſpertilionis, ſangnis ranæ, tithymali ſuccus cũ oleo & vino in balneo, & ſuccus ſarmenti qui diſtillat dum vritur. Rurſus radix bulboſa hyacinthi cum thure & amygdalis amaris, addito oleo malaxanda & linienda.

De Furfuribus & prurigine. *Cap. II.*

PRVRITVS Capitis concitatur, & furfures in eodem abundant ob prauorum ſuccorum redundantiam, ſæpius tamen ob ſalſam pituitam, & ſeroſos humores appellant: eum morbum græci, pitiriaſim. Quam ob rem curatio eiuſdem morbi poſt debitam victus inſtitutionem, quæ bonis alimentis, & vini diluti potu albi, aut de illana conſtat, corpus purgandum, pro ratione peccantis humoris, & præparatione habita, vt in præcedenti capite ad alopecias conuenire diximus. Deinde diſcuſſoriis medicamentis loco admotis, vtemur frictionibus, & reuulſionibus auertentibus humores malos in partem aliam, & adſtringentibus mixtis digerentibus, ac diſcutientibus, vt humorum fluxum inhibeant, roborata parte. In cum vſum prodeſt primùm caput abluere lixiuio ex cinere ſarmentorum vitis, tertio autem die ſequenti abraſo capite farina ordei, farina lupinorum cum

Furfures capitis.

Digitized by Google

decocto radicum cucumeris siluestris admoueantur, aut chimolia, sulphur, argenti spuma cum aceto liniantur, aut farinæ ordei, farinæ fabarum, farinæ lupinorum singularum ʒ.j. fellis bouini aut suilli ʒ.ß. aceti ʒ.iiij. misce. aut succus scillæ assatæ cum oleo & aceto, aut sulphuris & chimoliæ vtriusque ʒ.ij. succi betæ ʒ.ij. misce. aut detonso capite satisfaciet decoctum lupinorum & radicis brioniæ, aut decoctum radicis cucumeris syluestris. Victus autem conuenit ex alimenti boni succi minimè flatulenti, nec crassi. Abstinebunt itaque à carnibus bubulis, ceruinis, caprinis, bulbis, fungis, tuberibus, belariis & oleribus: mel & cuminum condituris addenda: non est cur vinum nigrum & dulce concedatur, vbi copia adfuerit albi tenuis. Modicè congruunt exercitationes, & somnus, & animi tranquillitas, & lotiones, potius in frigida, quàm in calida aqua.

Furfuribus cap. victus.

De Morbo pediculari. Cap. III.

Pediculorum cura.

PEDICVLI Ex calida & humida materia generãtur, putrescente in poris cutis, vbi igitur humores eius naturæ ad cutem trahantur non discussi, in pediculos transibunt. Quod faciunt caricæ, quæ calore suo deducunt succos dulces & putredini paratos, ad cutem, & pediculorum materiam augent. Quamobrem medicamenta quę huic morbo accommodantur vires discutiendi habere debent, & altiùs inuadendi cutis poros, vt in profundo collectos succos dissoluant, validiora quoque erunt, quàm quæ ad furfures tradita sunt. Quamuis ea quæ ad furfures valentiora sunt, his quæ humores ex quibus pediculi generantur, discutiunt, æquiparentur. Habent hæc vires exiccandi, adstringendi, & discutiendi. In quorum sensu est staphis agria, cuius accipienda pars vna, sandarachæ pars media, nitri sexta pars cum aceto linienda, aut staphidis agriæ ʒ.j. sulphuris ʒ.ß. olei ʒ.ij.ß. aceti ʒ.j.ß. aut succi foliorum hederæ ʒ.ij. mellis. ʒ.ß. fiat linimentum, aut veratri albi ʒ.j. alumunis ʒ.ß. dilue in oleo & aceto, aut staphidis agriæ & aluminis vtriusque ʒ.ß. seminis tamarisci ʒ.ij. fellis bouis ʒ.iij. aceti & olei laurini vtriusque ʒ.j.ß. Partes in quibus pediculi affatim generantur liniendæ, & si pilos habuerint priùs tondendi, aut radendi. Idem faciet decoctum lupinorum & foliorum hederæ cum aceto, sale, aut nitro, sulphur quoque his & aliis medicamentis immiscendum. Succus etiam mercurialis cum aceto, & oxylapathi radix in oleo elixa.

De Achoribus siue vlceribus capitis manantibus. Cap. IIII.

Achores.

VLCERA Capitis manantia, quæ græcis achores dicuntur, satis nota sunt, quæ pustulas sibi quandoque adiungunt ac comprehenduntur in genere tumorum præter naturam, in quibus foramina multa sunt continentia humorem lenem, viscidum, non crassum, sed fit quandoque à biliosis succis, & acribus, quandoque à salsis, & sæpe substantia mediocribus, & si quandoque fiat vt retenti crassescant: adsunt pruritus & inflammatio. Hunc affectum appellãt Hispani tinna: quoniam foramina ipsi adsunt, vti & pannis à tinea per foratis, & exesis: victus eis conuenit, ex alimentis boni succi carnibus pullorum, gallinarum, pauonum, veruecis, cum succo arancij, aceto, aut petroselino salsamento, potus aqua cinnamomi, aut vinum album aquosum. Abstinebunt autem à salsis, acribus, & his quæ crassos ac glutinosos generant succos. Modicis vtentur crurum frictionibus, & exercitationibus, & si venter retineatur mollibus vtentur clysteribus, & ab ira abstinebunt. Decet etiam ante aliam curationem corpus præparare aceto mulso, deinde purgare pilulis aggregatiuis, aut sine quibus, aut sero lactis cum epithymo sæpe sumpto. Sunt autem non pauci quibus ante purgationem conuenire sanguinis missionem nouimus, qui eo auxilio in sanitatem restituti fuerint. Localibus deinceps adhibitis remediis sed

Tinna.

Achorum curatio.

sine

sine his magnis remediis non multi liberati sunt solis topicis, vbi passio parua esset. In magnis itaque achoribus si opus fuerit imprimis sangui. mittemus, deinde purgatione vtemur, per ea quæ diximus, & per os & nares pituita purganda. Topica verò remedia facultatem habere debent discutientem, detergentem, & reprimentem, quæ abraso capite, sunt admouēda: de quorum numero sunt, spuma argenti, sulphur, chimolia terra, pōpholyx, myrrha, acatia, thus, malicoriū, cortex pini, folia myrti, folia lauri, baccę lauri, succus rubi folia eiusdem, loliacea farina, lentes, fœnogræcum, adiantum, rosæ, folia rutæ, lupinorum farina, aut eorumdem decoctum, succus plantaginis, oleum rosaceum, myrtinum, vinum myrtites, acetum, ladanum, sepum, pix, & similia. Quoniam verò cum vlceribus capitis manantibus nonnunquam adiungitur inflammatio & dolor, expedit dolores mitigare ante vsum eorum quæ digerendi ac reprimendi facultatē habent, veluti farina fœnogræci cum rosaceo, aut farina fabarum cum vino & rosaceo. Mitigata tamen inflammatione admouebimus medicamentum quod recipit spumæ argenti, thuris, vtriusque ʒ.iij. sulphuris. ʒ.ij. rosacei ʒ.iij. aceti ʒ.vj. bulliant donec sordium specie consequantur. Nuces quoq; mansæ & superpositæ valēt, aut cum aceto tritæ. Aliud vnguenti pompholygos ʒ.ij. olei myrtini ʒ.j. ß. chimoliæ. ʒ. iij. liniatur caput, & linteum aceto madefactū superponatur. Aliud vnguenti lithargyrij, vnguenti pompholygos, vtriusq; ʒ j. pulueris rosarum, myrti, acatię, singulorum ʒ.j. aceti acerrimi & olei myrtini, vtriusque ʒ.ij. misce lento igne. Aliud optimum. Nucum rancidarum ʒ.j. sepi hircini, piscis, vtriusque ʒ.j. ß. sulphuris, foliorum rutæ, vtriusque ʒ.ij. olei myrtini ʒ.ij. omnia lento igne misceantur, postquam in mortario probè malaxata & mixta fuerint, deinde hoc medicamine caput vngendum, aut in sacculo ex linteo detrito mittendum, & calefaciendum ita vt resudet è linteo, & eodem fouendum caput, hoc sæpe probaui. Aliud probatissimum, quo innumeros sanaui præcedente purgatione, olei myrtini ʒ.vj. aceti acerrimi ʒ.ij. pulueris foliorum myrti. ʒ.iiij. sulphuris, lithargyrij, vtriusq; ʒ.j. misce: ante id verò oportet caput abradere, & abluere lixiuio, aut decocto lupinorum. Aliud succi foliorum myrti, succi plantaginis vtriusque ʒ.iij. farinæ lentium, pulueris myrti, acaciæ, thus, singulorum ʒ. ij. olei laurini & aceti, vtriusque ʒ.ij. misce, & abraso capite linies.

Medicamenta local ia ad achoras.

De dolore capitis, Cap. V.

CAPITIS dolor symptoma est in læsa actione consistens, obiectum habet immediatum, intemperiem inæqualem, aut vnitatis solutionem, ac perinde intemperies facta dolorem non efficiet in parte in qua est, quoniam non mouet, neque alterat, partem verò proximam mouebit, non tamen efficiet dolorem. Fiens autem intemperies causam habet externam, & euidētem, aut abditam. Causa prægressa est sol, refrigeratio, ebrietas, ictus. Abditæ sunt aut plenitudo, aut bilis, aut pituitæ, aut melancholiæ redundantia. Aut etiam fiet per consensum à ventriculo, aut iecore, aut liene, aut toto corpore, & quandoque est febris, accidens, de quibus agendum, à dolore incipientes, qui ab intemperie calida oritur sine causa abdita.

De capitis dolore, à calore.

DOLOR Cap. græcis κεφαλαλγία dicitur, atq; est morbi symptoma: morbus autem est aut vnitatis solutio, aut intemperies, aut vtrumq; Intemperies aut est calida, aut frigida: humida autem & sicca dolorem non efficient: quoniam affatim ingruere non possunt, nisi calor siccitatem inferat: fiunt autem calida & frigida cum humore, aut sine ipso. Calida intemperies sine humore magna ex parte à solis ardore oritur, hic enim caput imprimis calefacit, & animalē spiritum agitat, turbat, & cōfundit. Græcis

Digitized by Google

ἴνακνοις, appellatur: his caput tactu statim sentitur calidum, & frons, atque in oculis aruditas, & squalor, oculi rubent, & iuuantur ægri frigidis medicamentis. Id namque ad affectuum cognitionem non parum conducit, his qui aliis notis nondum abundè cognouerũt morbi naturam, quam nos agnoscendam docuimus suprà, à causis, effectibus, iuuantibus, & nocentibus & à similibus. Huius morbi curationem facilè assequemur victus ratione refrigerante & medicamentis eiusdem generis admotis capiti. Aerem itaque calidum vitabunt & solem, eligent autẽ frigidũ qui natura talis sit, aut arte talis paretur ventilabris, fontibus machinatis & euripis, & aquarum frigidarum insperſione, vt aquæ instillaticiæ rosarum, & aceti, & aquæ puteanæ frigidæ, inspergantur rosæ, violæ, & nimpheæ flores, & eadem naribus admoueant: deuitent motum, iram, & omnem animi turbationem, & strepitum, & clamorem, coitum, balneum, & vini potum, atque lactis, somno, quiete, tranquilitate, vtentur & alimentis refrigerantibus vt lactucis, intibo, portulaca, ordei ptisana, ouis trem ulis, cũ succo limonis, aut arancij, aut pulli carne elixa cum eisdem succis, columbarum verò carnem neque pullorum suorum laudo in hac doloris specie, quamuis in dolore cap. ab ebrietate Galenus columbarum pullos concedat, cùm melius habent, & Alexander alas eorum. Intellexi namque experimento harum auium carnem tardè coqui, & prauum succum præstare, & cap. dolorem efficere, vt libro secundo, diximus. Ventris onus assueto deponant tempore, ne fumi accedentes caput impleant. Medicamenta refrigerantia anteriori capiti admoueantur, sincipiti nempe, quę à radice pilorum vsque ad commissuram coronalem pertingant, qua parte facilè vires medicamentorum intra caput penetrant, posteriori tamen capiti admota inutilia sunt, & frigida, neruos lædunt, temporibus quoque admoueantur. Est autem ab omnibus primo loco laudatum rosaceũ probè paratum. Optimum autem est, quod ex omphacio fit, valentius est quod ex rosaceo & aceto paratur, quod recipit rosacei partes quatuor, aquæ instillatitiæ rosarum partes duas, aceti partem primam. quòd si acetum cum rosis prius paretur infusis per aliquod dies antè, adhuc validius erit. Valent ad idem succus violarum & portulacæ nimpheæ, & his magis succus solani, sed is speciem infert stuporis. Quòd si vaporum assensum pertimescat, succum polygonij, mali punici acidi, vuę acerbę admiscetis, aut emplastrum ex mica panis & rosis, mentha, & pulegio, cum posca. Ea verò quæ stuporem inducunt, vti opium, & mandragoram, vitabis, nisi vigiliæ valde instauerint, tunc etenim compositis narcoticis vteris. Ceratum quoque parat Alexander, magni momenti ad eos capitis dolores, qui à calore orti perseuerant. Excera sæpe lota & rosaceo additis inter conficiendũ aceto & succo portulacæ, aut solani, aut perdiciacidis, est id simile cerato, refrigerati Galen. id verò vti & alia cerata & emplastra, siue quęcunque solidiorem formam habent admouenda, sunt abraso capite, calui tamen facilem admittunt refrigerationem, etiam si vis refrigerantium magna non sit, liquida verò, ad cutem detonso capite admouenda. Si tamen ardore sedato dolor cum grauitate quadam relinquatur, camemelinum oleum ex vsu erit, aut solum, aut rosaceo mixtum, ad portionem refrigerationis, & discutionis plus camemelini aut rosacei addẽtes. Composita medicamenta in Epithematum forma hæc erunt cùm parùm refrigerare velis, rosacei ʒ.v. aceti rosarum ʒ.j. aquæ instilaticiæ rosarum ʒ.ij. cũ modice refrigerandũ est rosacei ʒ.iiij. succi portulacæ. ʒ.ij. aceti rosarũ ʒ.j. si plus rosacei ʒ.iij. succi portulacæ. ʒ.ij. succi solani, & aceti rosarũ vtriusq; ʒ.j. si stuporẽ inducere velis, rosacei ʒ.ij. vnguẽti populeonis ʒ.j. inunge tẽpora & nares: reliqua omnia, ab stupefaciẽtibus, infrigidata admouenda: infrigidẽtur verò aut in aqua frigida puteorũ, aut fontium, aut in niue.

Caput abradere.

De dolore capitis à refrigeratione.

HABET dolor capitis à causa frigida, ab ambiente nos aere ortum, ferè semper, docet hunc affectum tactus, nam caput frigidum sentitur ab ægro, quan

quandoque etiam à medico,& dolor acrimoniam non habet adiunctam, neq; grauitatis sensum,quamuis non longè pòst impedita excrementorum dissolutione,& eruditatibus sequentibus,grauitas sequatur, facies aut albicans est, aut subpallida,& auctis excrementis facies impletur, vt in solis vstione calor, squalor, & collapsus accedunt.Hic morbus rarò fit sine pororum cõstrictione & meatuum angustia.In eius curatione aer ab initio attemperandus, si frigidus fuerit & hyberno tempore ligna odorifera, & herbæ, in cubiculo comburantur,vt calendula,rosmarinum,sabina,& cupressus & odoratis igni admotis suffumigetur.Sunt autem odorata styrax,& belzuinum.Poma quoque odorata parantur ex styrace,ambra,& moscho, alimenta sint boni succi, vti gallinarum caro, aut perdicum, turturum, & auium paruarum, & carnes cum melle & aromatibus paratę,quem cibum Hispani appellant adobado,vinum sit tenue aquosum.Motu vtantur non valido & frictionibus,& summo moderato,ad vigiliam potius declinantes. Medicamenta calefacientia eisdem admoueantur exterius, vti oleum irinum calidum, aut rutaceum. Quòd si opus fuerit eidem addendum euphorbium,aut potius oleo de euphorbio vtendum, aut irino addendum piper. Accomodatur ab initio quod recipit olei laurini ʒ.vj.olei nardini ʒ.iij.serpilli triti ʒ.ij. validius est, olei rutacei ʒ. vj. laurini ʒ.ij. styracis ʒ.ij.validius ahuc,olei rutacei,& laurini,vtriusque ʒ.iiij.euphorbij ʒ.ij. odoratis præterea dictis internas nares linire decet.

De dolore cap. cum plethora.

PRAEDICTI dolores ab intemperie orti causam abditam habent,aliquando sanguinem,aut omnes humores auctos ad portionem, quæ dispositio plethora dicitur,aut vnus tantum abundat,vti bilis aut pituita. Plethora verò solius capitis dicetur, si solum caput eam omnium humorum redundantiam patiatur,quemadmodum totius, si in toto corpore fuerit. Causæ plenitudinis illæ sunt, quæ bonos succos ac multos congerunt. Agnoscitur rubore faciei, & oculorum,& temporum pulsu, & venarum tensione. Redundante quidem sanguine,aut omnibus simul humoribus,aer attemperandus ad frigiditatem, & siccitatem, arte paratis fontibus, inspergere quoque oportet aquam frigidam,& acetũ,& violas,ac rosas,& vitis folia,& hęderæ capreolos.Erit autem cibus lactuca, intibum: portulaca,& ius pulli cum succo arancij, aut limonis. Potus sit aqua hordei,aut aqua fontis feruefacta. Quiescant ita vt animo & corpore ocientur,&omnem strepitum & importunas deuitent confabulationes, ventrem habeant lenem,aut clystere paretur,ex decocto maluarum,violarum hordei,& saccharo,Somnus sit moderatus,& à somno sequãtur frictiones.Si prædicta plethora totum corpus teneat,sanguinem quamprimùm mittemus,secta vena cubiti media pro plethoræ magnitudine, & virium robore. Si tamen solum caput occupauerit,venam cubiti externam secare decet, ac deinde exterius medicamenta adhibere,capitis calorem attemperantia, quibus vis discutiendi sit mixta, ex rosaceo & aceto cum menthæ succo, aut ex rosaceo & camemelino,& pauco aceto,neque his valde frigidis,& quę in cap. de dolore à solis æstu dicta sunt.Si verò post sanguinis missionem humor aliquis redundans relinquatur,præsertim bilis, vt in sequenti curabitur capite.

Capitis dolor à plethora.

De dolore capitis ab humore bilioso.

QVEMADMODVM in generali medendi methodo diximus, vbi intẽperies causam habuerit,à causæ ablatione incipere oportet curationem: vbi igitur cap. dolor à bile procedat ipsam prius ad purgationem parabimus. interim quoque expectabimus à natura factam coctionem: coquitur autem facilius si per medicamenta eius feruor attemperetur, cui negotio aptissima erunt medicamenta quæ vna ipsum attemperent & attenuent, siquidem omnium humorum præparatio ad purgationem attenuatione fit.Causę sunt quę

Doloris capitis à bile curatio.

bilem

bilem augere valent: signa verò sunt ardor capitis, & pallor faciei, & extenuatio ipsius, quandoque oris amaritudo, & vigiliæ magnæ. Præparetur imprimis aer refrigerantibus, fontibus, aquarum inspersionibus, & herbarum & florum, vt violarum, rosarum, nimpheæ. Potus sit aqua fontium, cibus sit lactuca elixa cum aceto, aut endiuia, aut cucurbita, aut pisces, vti troctæ, aut barbeli, aut ex marinis ostrea, aut saboca cum succo arancij. Quod si vires roborare sit opus, holera cum carnibus elixãda, & post holerum esum parum pulli edet cum succo arancij, aut limonis. Somnus longus concilietur, & quies seruetur, & à purgatione frictionibus vtatur: clysteribus opus habebit, nisi venter largiùs fluat. Clysteria conficiantur ex maluarum, violarum & hordei decocto, cum saccharo & oleo violaceo, aut rosaceo. Præparabitur humor siropo acetoso: in fœminis, siropo de endiuia cum aqua instillatitia cicorij, aut eiusdem decocto. Purgabitur deinde bilis assumptis à leui cœna, quinque transactis horis, pilulis aggregatiuis, ponderis ʒ.j. aut ℈.ij. aut summo manè potionem bibẽt quæ recipiat, electuarij de succo rosarum ʒ.ß. aut paulò plus, dissoluti in decocto prunorum, violarum & hordei, aut rhabarbari. ʒ.j. infundantur in aqua endiuiæ per noctem, manè verò coletur, & in expressione dissoluantur elect. de succo rosarum ʒ.ij. Bolum autem sic parabunt. Medullæ casiæ fistularis, & elect. de succo rosarum vtriusque ʒ.ß. cum saccharo fiat bolus, aut boli duo, aut ex solo elect. de succo rosarum, cum saccharo bolus vnus.

De dolore capitis ab humore pituitoso.

Dolor cap. à pituita.

SI capitis dolor à pituita ortum habuerit, causæ præcedent ipsam augentes, vti alimentorum frigidorum vsus, & cruditates, somnus longus, & ocium. Aderũt, frigiditas capi. & sensuum, hebetudo, & motuum pigritia, & grauitas capi. & oculi intumescent, ac similes fient facie & oculis, iis qui malum corporis habitum patiuntur, & quandoque excrementorum narium & oris natura & copia idem ostendet: à calidis iuuabuntur. Ad horum & aliarũ morborum cognitionem non parum conducunt tempus, & ætas. His parandus est aer calidus, vti in dolore à refrigeratione capitis diximus, cibi erunt carnes assæ, præsertim passerculorum, & turturum, atque hæ cum pipere & sale edantur. Potus sit vinum album tenue, modicè dilutũ: somnus sit moderatus, nam longus auget pituitam, & breuis cruditates, & excrementa. Modicè exercitentur, & tricentur, clysteribus validioribus vtantur, vt decocto betæ, & mercurialis, cui addatur mel & hiera picra & sal. Aut sic. Decocti mercurialis, pulegij, & stœcados lib.j.ß. mellis ʒ.ij. hieræ picræ ʒ.ß. salis ℈.j. fiat clyster: aut loco hieræ recipiat pilularum aurearum ʒ.ß. aut elect. indi minoris ʒ.ij. Deinde ante purgationem vtatur siropo de stœcade, aut siropo de quinq; radicibus cum aceto, & fœminæ eo vtẽtur sine aceto, & aqua instil. stœcados, aut fœniculi, veluti siropi stœcados ʒ.ij. aquæ fœniculi ʒ.iij. deinde caput purgetur cum pilulis cochiis ponderis ℈.ij. aut ʒ.j. Sic etiam cum pilulis aureis, vbi non velis adeò valenter purgare. Aut purgetur bibito summo manè pharmaco, quod recipiat electuarij indi minoris ʒ.ß. in decocto stœcados, origani, & pulegij. Purgabitur autem non semel, sed sæpius. His peractis, frictionibus brachiorum & crurum, ac totius corporis, à capite incipientibus vtatur, & gargarismatis ex aceto mulso, & aqua fœniculi, aut siropo scilitico, cum aqua instill. stœcados. Masticatoria verò sint qualia in cap. de Cæphalea dicentur. Per nares errhinis appellatis vtatur, quorũ leuissimum est aqua mulsa absorpta per nares, validius est aqua mulsa cum succo betæ, validius quoque est ex solo betæ succo, aut mercurialis. Capiti quoque saculi parentur ex floribus stœcados, camomilæ, maioranæ, & roris marini, mosco, & ambra additis & odorabunt, calida illa odorata, quæ in capit. de dolore capitis à refrigeratione diximus. Transacta quoque purgatione conuenit sumere aromaticum rosatum, aut pliris narcoticon, cum pauco vino, parum diluto.

De

De dolore capitis ab humore melancholico.

HVMOR melancholicus ſua frigiditate ac ſiccitate capitis dolores efficit diuturnos: agnoſces affectũ ex colore faciei ſubnigro, capitis grauitate, & paucis excrementis, & corporis extenuatione, & vigiliis & triſtitia, ac ſolicitudine, & quoniã præceſsit vſus eorũ quæ aceruare poſſunt humorem cum, & talis temperatura, & ſubſiſtendi ætas. Conueniet aerem calidum parare, ſed nõ valde: cibus ſit caro veruecis, aut imbecillioribus caro gallinæ elixa, cum borraginis foliis, & abſtineant à carnibus ſalitis, & melancholicis. Potus ſit vinum album modicè dilutum, non vetuſtum, nec vinoſum, quale eſt vinum album à ſancto Torcatio, aut vinum acorpa vnius anni album. Dormiãt diutius, & modicè fricentur & exerceantur & excrementa vrinæ, & ventris probè expellant, aut clyſteria eiſdem iniiciantur ex maluarum decocto, aut iure carnis & oleo & ſaccharo. Humor purgationi paretur aqua mulſa, aut ſiropo boraginis & ſtœcados, cum aquis inſtill. eorumdem: deinde caput purgabitur pilulis alfeiaret appellatis, aut pilulis de fumaria, aut pharmaco ſequenti. confectionis hamec. ʒ.ß. in decocto prunorum, ſene, & glycyrrhizę. aut ſene & florum epithimi: ei verò qui aſſueuit caput per interualla abluere, conducet ipſum irrigare decocto capitis arietis cum camemelo, & floribus boraginis, & ſtœcados. Quædã alia in hunc vſum, capite de melancholia dicentur. *doloris cap. ab humore melancholico curatio.*

De dolore capitis per conſenſum à iecore.

CONSENTIT Caput partibus inferioribus ac fiunt dolores trãſmiſſis vaporibus à iecore, aut ventriculo, aut liene. Si à iecore ortum habuerit, quoniam iecur calidum eſt & ſanguinis, & bilis fumum trãſmittit capiti, ſigna aderunt, quæ oſtendent iecoris calidam intemperiem, & caput tenſionem ſentit, aut acredinem cum dolore. vbi ſanguinis redundantia adfuerit, venam cubiti dextri internam ſecabimus. Redundante tamen bile, ipſam purgabimus, rhabarbari, aut tamarindorũ infuſione. Decet tamẽ ad iecur totam conuertere curationem adhibitis refrigerantibus. In cibis erunt lactuca, & endiuia, & cicorium & cucurbita & deſuper miloplacunta ſine aromatibus & ſuccus mali punici parum acidi, & caro pulli cum lactucis elixa, addito ſuccoarancij, aut vuæ acerbę, & poſtrema menſa parũ mali citrei. Bibet æger aquam frigidam: quam ſi ferre nequeat, vino pauco miſcebit. Exterius tamen ceratum refrigerans Gal. apponatur iecori, quod ſæpius mutetur, aut vngnentum roſaceum ſuperpoſito epithemate, ex aqua inſtill. endiuiæ & cicorij, cum pauco aceto, & vbi plus refrigerare opus fuerit, ſantalorum puluerum addemus. Clyſteria quoque refrigerantia eiſdem iniicienda. *doloris cap. per conſenſum curatio.*

De capitis dolore per conſenſum à ventriculo.

FREQVENS admodum eſt capitis dolor ortus à ventriculo: magnus etenim eſt horum duorum membrorum conſenſus, tum per communes neruos, tum poſitu, ac rectitudine, vbi itaque humor aliquis vitioſus præſertim acris in ventriculo contineatur, qui à ſe vaporem mittat, is caput ſtatim offendet. Aderit autem in ventriculo morſus, nauſea, in appetentia, atque ex inedia morbus deterior reddetur. Quandoque etiam oris amaritudo accedet, præterea oculorum tenebroſitas, ex vſto humore, & ante oculos fient apparentiæ. Cùm igitur is in ore ventriculi conſiſtit, vomitu ducetur, ex aqua tepida, aut aceto mulſo tepido, aut ſimul addito ſeminis rafani decocto. Si in ima parte fuerit, tum clyſteribus, tum etiam potu caſiæ fiſtularis, ex eius medulla bibita ʒ.j. in decocto prunorum. Si tamen fibris ventriculi fuerit infarctus cùm pilulis de hiera purgabitur. Quòd pituitam admixtam habuerit, ſic etiam hieræ purgabitur, aut ea quæ ad clyſteria paratur, cuius ʒ.iij. in decocto ordei & violarum diſſoluantur aut in abundantia pituitæ diſſoluantur in ſex ʒ. aquæ mulſæ. Deinde verò oleo melino, aut etiam nardino roboretur venter,

Cibus sit beta elixa cum aceto, aut lactuca, sic etiam parata. Aut panis in iure pulli, addito succo vuæ acerbæ, aut arancij, aut vbi vires exigant, caro pulli elixa, deinde inspersо succo arancij, aut limonis: sint alimenta boni succi, sed paucæ quantitatis. Potus autem sit aqua ordei: aut vbi æger ipsam non ferat, vinum modicè austerum, probè dilutum. Frons verò & facies posca lauentur, Galen. libro secundo, de Comp. med. per locos, in dolore cap. vitio ventriculi concedit palmulas: cũ tamẽ antè ad capitis dolores ab ebrietate denegauerit easdem, quoniam habent efficacem proprietatem inferendi capitis dolorem, quamuis in vtroq; dolore vaporem ascendẽtem supprimere oporteret: quamobrem damnandæ mihi videntur. Gal. autem dicens eas nõ solas, sed cum pane concessisse, panis autem earum noxam emendat: aut dulces negauit, austeras non satis maturas concessit.

Palmulæ in capit. dolore.

De cap. dolore à vini potu, & ebrietate.

Ebrietas.

VINVM suapte natura in caput rapitur in vaporẽ versum: quapropter quod vinosum fuerit & in calidum ventriculum inciderit capitis efficiet dolorem, & quandoque turbata mente, ebrietatem. Præsertim id accidit, quibus caput imbecillum est, & quibus paruum, & quibus angusta est anterior ipsius pars. Vinum tamen dilutum magis inebriare testatur Aristo. 3. Probl. sectione. quoniam magis obstruit & tardiùs dissoluitur. Quòd verò vult aquã attenuare vinum, & ipsum citiùs deferre, nõ placet: nõ enim aqua deducit vinum, sed contrà, vinum quoq; dilutum copiosiùs ingeri à quibusdam, verum est. Deceret sanè hos abstinere omnino à vini potu, minimè verò potare vina valentiora, præsertim vinum à sancto Martino, quod omnium eorum, quæ noui, citissimè & validissimè caput tẽtat, neruos, & articulos, qui cinnamomi bibent decoctum. Quòd si à vino abstinere nolint, procurandum vt capita eorum à dolore præcaueantur, & ipsi ab ebrietate, aut curandi erunt cùm in ipsam inciderint, Præcauentur, si vino bibito brassicæ caulem viridem superesitent, aut succum mali punici, aut cotonei acidioris & acerbioris. Est quoq; præstantissimum ad præcandam ebrietatem, præbibere olei ʒ. ij. licet enim deinde citra ebrietatis periculum, vel integrũ vini dolium bibere. At verò posteaquam in ebrietatem & capitis dolorem inciderint, causa facilè agnoscitur: nam si æger cap. dolens mente adhuc constat, ipse refert vini potum præcessisse, si tamen non constat, ipsum delirium cum motus imbecillitate, & tremore, & eiusdem circumactione, & præsentium relatu deprehendetur. Oportet autem præ aliis vinum vomere, nisi prius coquatur, deinde hederæ corimbos malaxatos fronti ligare, aut brassicam elixam edere, aut eãdem calidam malaxatam fronti & temporibus circumligare, aut rosaceo aceto, & succo brassicæ frontem & tempora madefacere, deinde dormire, & à somno carnem pulli elixi, aut eius alas, cum succo arancij edere, aut vitellos ouorum cum succo limonis, ac desuper succum mali punici, aut mali cotonei, turdus quoque bonus cibus est eisdem, non tamen laudo pulloscolumbinos, quòd prauum succum generent, ac capitis dolorem. Alexander tamen columbarum concedit alas, & Gal. columbarum pullos. Pira quoque in hunc vsum accomodantur, & poma austera, & ex piscibus saxatiles. Bibent aquam, aut cinnamomi decoctum. At verò cùm melius habuerint, & eorum vẽtriculus aquam non fert, vinum pauciferum bibent, album, aquosum. Cùm autem inualescunt, frontem & tẽpora vnguentis odoratis linienda, veluti oleo de styrace, & belzuino, & galia.

Ebrietas præcauetur

Pulli colũbini ebrietatis nocent.

De capitis dolore ab ictu.

Cap. dolor ab ictu.

CAPITIS dolor ab ictu quandoq; concitatur: is verò aut simul vulnus efficit, aut solam contusionem, sed contusio quandoq; læsionem intulit pericranio, ob quem timetur inflammatio, aut malum ad intimas peruenit membranas, aut sola ipsa caro patitur. Si ictus cum vulnere factus est, vulnus cu-

ran

randum labiis commissis & agglutinantibus adhibitis, atque his quæ inflammationem prohibeant, & doloré mitigant. Quando igitur inflammatio membranæ timetur, atq; hæc non patet, sanguis mittendus est, secta vena externa cubiti patientis lateris, & caro ac pericraneum secanda, & si sanguis ibidem effusus, aut concretus fuerit, craneum detergendum, & si cõfusio aut fractura in craneo se ostendat, curãda, veluti si ab initio ob ictum mẽbrana vulnerata esset. In quem vsum laudatur rosaceũ cum farina milij arida, aut calaminthæ succus instillatus, deinde rosaceum & adeps suilla sine sale, aut rosaceũ cum vnguento terapharmaco, aut melle, & caput ac neruos custodire valde. Hi verò à carnibus, & vino abstineant, præsertim se febris accesserit. Potus sit aqua hordei, aut cinnamomi sit ventriculus si imbecillus. Cibus verò pauci nutrimenti & boni succi, vt vitelli ouorum, aut lactucæ elixæ, aut cucurbita, aut panis lotus, aut panis in iure pulli, aut pira assa in cineribus, aut ignis verratur, & eius loco pira apponantur in foco, & cooperiantur olla, aut sartagine ærea deinde sartagini aut ollæ ignis acceruetur moderatus, ibidem namq; veluti in paruo clybano probè assabuntur. Si tamen contusio sine vulnere fiat, ac velimus prẽcauere inflammationem mẽbranarum, rosaceum pauco aceto immixtum admouebimus: vbi tamen non timeatur inflammatio, contusam carnem oleo dulci tepido fouebimus, aut etiam camemelinum miscebimus, lana & oleo calenti fouentes partem. His omnibus conuenit aerem attemperare, ventrem lenem habere, quiescere quoque in loco parum lucido, & dormire, & crurum frictionibus vti.

De dolore cap. in febribus.

CAPITIS dolor cum febre, aut est signum decretorium, aut symptoma consequens febris magnitudinem, & vehementiam. Vbi signum sit decretorium, nullo opus est remedio, nam quæ ipsi medentur, futuram impedient iudicationem, si sanguinis fluxus è naribus speretur: nam si dolor capitis adfuerit in febribus cum morsu oris ventriculi & oculorum tenebrositate, quamuis frigida admoueamus & repellentia capiti, non impediemus vomitum, si tamen adfuerit capitis grauitas, & vasorum tensio, & pulsus temporum, & oculorum hebetudo, abstinebimus ab his quæ refrigerant caput, & repellunt, præsertim si præfuerint coctionis notæ, si tamen ob febris vehementiam, & malitiam vaporis peccantium humorum in caput ferantur, coadiuuante capitis imbecillitate, præter corporis euacuationem, pro ratione peccantis humoris fronti, & temporibus, & cõmissuræ coronali, rosaceũ admouẽdum cũ pauco aceto, aut etiã addita aqua instillatitia temperuiui, aut portulacę. Quòd si vigilię acceſſerint timebitur futura phrenitis, aut paraphrenitis: quamobrẽ prædicto remedio instandũ, & decoctũ papaueris misc̃edum, & interim cordis calor tẽperandus. Aer quoq; attemperãdus, & venter leniẽdus. Placet porrò hoc in loco meminisse eorum quæ capiti noxia sunt, quorum catalogum Gal. scripsit. Nocẽt quidem nõ tantùm in capitis doloribus, sed in omnibus affectibus in ipso subortis viticis semẽ, absinthij succus, lactis potio, glandes quercinæ oliuæ nigræ, arbuti fructus, eruus, myrrha, thus, hederæ capreoli. Mentem quoque turbant iunci odorati semen, crocus, peucedanum, cyclaminum siccum, vino potum, stirax modicus potus morositatẽ soluit, multus autẽ turbulẽtos somnos efficit. *Capiti noxia.*

De dolore capitis antiquo, siue cæphalea, & hemicrania.

CAEPHALEA capitis dolor est inueteratus, qui aut perpetuò & sine intermissione affligit, aut repetit per interualla, & quibusdam ordinatè, aliis nullo seruato ordine: vexat autem validè ægrotantem, & non paruum periculum minatur, & vigilias affert, & ex doloris diuturnitate viriũ dissolutionem. Commouetur cæphalea aut iam commota excãdescit, audito strepitu, & vini potu, odoribus, & lucis splendore. Oritur id malum ex inflammatione mem- *Cephalea.*

Cephalea causa.

branarum capitis præsertim pericranei,& fibrarum quibus appensa est cerebri crassa membrana,aut obstructione impediente humorum per caput liberam delationem:aut distētione quæ à flatu fit,aut acrimonia,& aut vaporum & humorum ascendentium ad caput,aut ibidem genitorum,ob malam qualitatem quæ in capite consistat: aut oritur ab intēperie calida capitis trahente ad se ab imis partibus excremēta,aut ab imbecillitate,frigore,aut calore contracta, qua cogitur caput aliorum mēbrorum excremēta susscipere.Si inflammatio fuerit,grauitas aderit cū tentione,& pulsu,& ardore,erit autē inflāmatio non exquisita,alias nō foret diuturna cæphalea.Obstructio à crassis fit humoribus,atq; hi cū dilatantur,incalescentes & putrescētes dolores efficiunt pariter quoniam alios in putredinem ducunt,quāuis ipsi non putrescant,quoniam eorum ductū & digestionem impediunt: humores autem qui nō gubernantur à natura,facilè putrescunt.Ac sentitur grauitas,distentione mixta:flatus verò distentionē efficit, sine grauitate.Quod si distētio ab acri fiat vapore,cùm distentione morsus & acrimonia sentietur.Si verò calor capitis ad se deduxerit excrementa,ardor capitis aderit,& acria excrementa aut aliunde deducentur,aut deducta corrumpentur,ac sentietur pauca grauitas, morsus autem,& acrimonia vehemens,præsertim si malum mēbranas inuaserit, quæ si internæ fuerint,radicibus oculorum malum impartietur,externè tamē malum extra caluariam ostendēt,& ad frontem & supercilia extendetur, & siue cæphalea,siue hemicrania in ea parte fuerit tactu vel leui, dolor augebitur,& sæpe extra humores,aut pustulæ erumpent. Si tamen imbecillitas sequatur frigidam intemperiem,senim excrementa frigida accrescēt & grauitatem cum sensu frigoris inferent, atque hi à frigidis lædentur, faciem autem habebunt decoloratam, & oculos subtumidos, & lingam albicātem. Hemicrania verò dolor capitis est per interualla repetens, mediā capitis partem occupans, sicuti & ouum aut clauus à partis patientis figura & magnitudine nomen assumentes.Hispani omnes has differentias appellant vno nomine,axaqueca, fit sanè hemicrania ab eisdem ferè causis à quibus cæphalea, vbi causa dolorem efficiens vnam capitis partem molestauerit.At verò hæc magna ex parte oritur per consensum: frequentiùs sanè quàm cæphalea. Per consensum autem facta hemicrania oritur à ventriculo,aut iecore,aut liene, aut in fœminis lactantibus ab ipsis mammis, vbi lac aut retineatur, aut putrescat. Ab his enim partibus ascendens vapor capitis mēbranas distendit, & quandoque mordet etiam.Siue igitur humor,siue vapor,siue latus partē infestet,eis notis deprehēdetur,quas cæphaleam ostendere diximus.In cæphaleæ curatione decet aerē attemperare pro ratione causæ facientis ad calidum aut frigidum, & pari ratione in cibis victum instituere,boni succi alimentis, & quæ facilè coquantur, & aquam bibent, cum cinnamomo, aut fœniculi semine feruefactam. Quiescent autem in loco obscuro. Quòd si in toto corpore sanguis redundauerit, sanguinem mittemus, secta vena media, deinde manente copia in capite, secabimus externam, & si pars vna patiatur dolorem, eius partis.Perseuerante verò huius generis malo, frontis venam secare, aut narium internam,erit vtile.Interim quoque clysteribus vtemur validioribus, ex decocto betæ,& mercurialis,cum hiera picra,& sale,aut etiam electuarij indi.ʒ.iij.Frictiones etiam cōuenient & capiti admotum rosaceum,cum camemelino, aut camemelinum ipsum cum succo menthæ aut serpylli,aut eisdem tritis. Si tamen in vniuerso corpore bilis redundauerit, attenuandus erit humor, & coctione apparente purgandus,pilulis aggregatiuis, aut cochiis, aut electuario de succo rosarū in decocto prunorū,& florum violarum,clysteria erunt refrigerātia & capiti rosaceū cū camemelino admouebitur:& si amplius discutere velis,addes succū menthæ aut serpylli.Crassis autem succis & excremētis cephaleam aut hemicraniam efficientibus,humorē in primis parabimus siropo de stœcade, & aqua mulsa,aut etiā aceto mulso, nisi malum membranas mo-

Cephalea signa.

Hemicrania.

lest

leſtauerit,cum aqua inſilla.fœniculi, aut ſtœcados, aut eorumdem decoctis. Deinde caput purgandum pilulis cochis, aut aureis, aut bibent, electuarium indum diuolutum in decocto anifi. Fœniculi,& ſtœcados.Apophlegmatiſmi fient ex aceto mulſo cum decocto origani & pulegij, aut ſiropus ſcilliticus cum decocto origani & thymi gargarizandus. Errhina fient ex aqua mulſa & ſucco beteę,abſorptis per nares. Maſticatorium fiet ex melle toſto & puluere maceris, & pirethri, aut ex ſucco porri, caput quoque liniendum oleo camemelino,& anethino,& ſucco pulegij,aut ſucco menthæ, aut ſerpylli,aut pulegij coma in oleo anethino fricta, & emplaſtri forma appoſita. Si verò à flatu oriatur malum,euacuato humore,à quo flatus leuatur,bis in die medicamentum diacuminum, aut diamſum, aut pliris arcoticum ſumendum, & paucum vinum,nec validum, ſuperbibēdum, aut ſacculi ex ruta,aut ſtœcade, aut cumino, & aniſo tritis, calidi admouendi capiti. Quòd ſi imbecillitas ab aliqua intemperie oriatur, intemperies contrariis curanda, & deinde caput roborandum alimentis boni ſucci,& amygdalato,& ex auelanis toſtis in iure carnis pulte facta dormituris ingerenda,aut ſi manè ingeratur,ſuperdormiāt.

Cæterùm hemicrania vbi à plethora naſcatur, ſanguinis miſsione curanda, vt de cæphalea diximus, latere patiente conſiderato, aut ſi prauus humor redundauerit, is quoque purgandus deinde capiti admouenda remedia, ſed orto morbo à ventriculo vomitus ſolet ſponte ſuccedere,aut arte prouocetur ex decocto ſeminis raphani tepido.Si iecur in cauſa fuerit, curatio proceder, vt diximus de dolore capitis per conſenſum à iecore: ſi à liene id vacuandum & curandum: capiti verò admouentur oleum anethinum cum ſucco ireos, aut oleum irinum cum ſucco menthæ,quoniam decet per hæc remedia caput roborare,atque vbi valde frigidus fuerit morbus, poſt humoris vacuationem conueniet, anethini olei ʒ.vj. ſucci ſerpylli ʒ.ij.euphorbij ʒ.j. liniatur pars dolens, calente medicamine. Laudatur etiam ſtercus columbinum cum melle, oleo laurino, & pauco aceto. Præterea radicis cucumeris aſinini minutatim inciſæ ʒ.j. abſinthij ʒ.ij. bulliant in aqua & oleo, deinde caput decocto foueatur: abſinthium verò & radix cucumeris malaxata parti admoueantur. Maſticare autem conuenit pyrethrum, aut nucem aromaticam, cum ſtaphide agria & pauca cera, & ſaliuam emittere, & gargariſmata conficere ex aceto mulſo cū puluere pyrethri,& ſtaphis agriæ. Si ex lactis corruptione naſcatur, lac emulgendum, & camemelinum oleum admouendum mammis, quod excrementa diſſoluet,& attemperabit partem: & victum inſtituemus,& redundantia euacuatione curabitur,& intemperies contrario. Id quoque non prætermittendum, nos quandoque cæphaleas & hemicranias inexpugnabiles curaſſe ferro cadēti,ſimul tribus exuſtionibus factis, in commiſura coronali.

De Phrenitide. Cap. VI.

PHRENITIS Vox Græca eſt, Latinis vſurpata ob inopiam vocum, neque enim alia voce exquiſitè eius morbi eſſentiam poteris oſtendere: eſt namque membranarum cerebri inflammatio, hæc autem tumorem, diſtemperiem, & accidentia comprehendit: ſiquidem non ſolam mentis læſionem ſignificat, aut delirium, ſed eum qui ab inflammatione membranarum cerebri fit. Paulo & & Actio teſtibus.Gale.in commentariis 1.libri prorrheticorum inquit: Hipp. lib.3.de Morbus pop.omnes eos phreniticos appellat, qui perpetuò delirantes febricitant. Hæc autem ſententia duo ſignificat: nempe perpetuò delirare, & perpetuò febricitare. At verò vt Gale. lib.4.de Præſagitione ex pulſib.docet, cerebrum & eius tenuis membrana, ita compatiuntur, vt altero inflammato, reliquum inflammari ſit neceſſum. Itaque ſiue intemperiem ſolam, ſiue etiam cum fluxione patiantur,alterū alteri omnino conſentit,id quod craſſæ membranæ, ob diſtantiam non conuenit, quamuis & per magnas diſtemperantias, & fluxiones hæc etiam cerebro conſentiat ſæpe, cerebrum quoque *Phrenitis.*

inflammari posse eo loco concedit. Vidimus tamen in capitis vulneribus ad membranas cerebri peruenientibus, crassam membranam inflammatam, & ob tensionem non pulsare, nec tamen delirare ægrotum, quoniam non compatiebatur cerebrum. Habet sanè phrenitis differentias, quarum quædam sumuntur ex causis, quædam ex affectibus, à quibus morbi omnes deprehenduntur, præsertim vbi essentia non patet, vti in generali signorum doctrina tradidimus. Causæ quæ inflammationem efficiunt, sunt sanguis, bilis flaua, aut atra vitione genita: mitior est, quæ à sanguine fit, quam risus comitatur: deterior quam bilis flaua generat, cum rixa & iracundia: pessima omnium quæ ab atra bile, veluti & humor, humore est deterior, atque habet hæc furorem implacabilem comitem. Paulus has tantùm tres causas phrenitidis scribit. Galen. tamen lib. 3. de Locis. pa. cap. 5. sicuti & Alexander, cap. de phrenitide, tres causas scribunt. Hæ sunt, bilis pallida, bilis flaua, & flaua præustata quam Paulus dixit in atram degenerare. Præterea vt Paulus mitiorem statuit eam quæ à sanguine fit, ita Galen. & Alexander, eam quæ à pallida bile fit. Verum Galen. lib. 4. de Præsagitione ex pul. à pallida cerebrum non perinde inflammari ob tenuitatem asserit. Quamobrem quatuor statuemus phrenitidis causas, sanguinem, pallidam bilem, & flauam, & atrem ex flaua vitione genitam. Galen. quoque lib. 4. de Præsagitione ex pul. cap. 8. à sola intemperie cerebri calida, delirium fieri testatur, & libro 3. de locis. pa. cap. 5. inflammatis neruis, vel solo calore in cerebrum ascendẽte, sequi delirium affirmat. libro tamen 7. Aphor. comm. 9. ad imbecillitatem facul. sequi delirium affirmat, verùm hæ omnes παραφροσύναι sunt, non verè phrenitides, siue cerebri inflammationes, sicuti neque deliria, quæ sequuntur febrium magnitudinem, & vigorem, aut pulmoniam, aut ventriculi inflammationem. Cùm autem delirium perpetuò accedat phrenitidi, veluti ipsius effectus, delirium autem contingat læsa imaginatione, aut cogitatione, inde phrenitidis sumẽtur differentiæ, tanquam ab effectibus ostendentibus affectam partem, aut facultatem. In quibusdam itaque phreniticis læditur imaginatio, in aliis cogitatio, in aliis vtraque. Exempla harum differentiarum habentur à Galen. vt enim refert lib. de Differ. sympt. Theophilus medicus prudenter differebat atque, præsentes exactè cognoscebat, quæ ostendebant adhuc cogitationem constare: verùm tibicines in angulo cubiculi tibia canentes, atque pulsantes esse putabat: quod læsione docuit imaginationis, quam delirij speciem sibi ipsi euenisse testatur li. 4. de Locis patientibus. Cùm enim æstate ardenti febre laborasset, festucas atro colore in cubili, & flocos in vestibus eminere putabat, quos tentabat colligere, audiuit autem amicos id dicentes, atque intellexit se facere quod alij referebant: cùm autem constaret in ipso rationalis facultas, hoc est cogitandi vis, rectè inquit, dicitis, quapropter auxilio estote, ne me phrenitis arripiat: ex quibus verbis intelligere licet Galen. nondum phrenitide laborare, sed prædicta delirij specie: erat autem ob febrem paraphrenitis orta, auxilium enim expostulasse refert, ne in phrenitidem incideret: non igitur laborabat phrenitide. Lædi autem cogitationem non læsa imaginatione contigit ei qui Romæ cùm lanifici puero domi obseratis ianuis continebatur, vt locis citatis Galen, retulit: is enim singula vasa suis nomenclaturis probè nominabat: interrogabat autem transeuntes, an iuberent vt ea proiiceret, atque ipsis plaudentibus, omnia proiecit, ac deinde puerum: is sanè læsam habuit cogitandi vim, salua imaginatiua, qua singula cognoscebat, & propriis nominibus nuncupabat, quod pariter ipsum sanam habere memoriam testatur, sicuti & quod Theophilus singula quæ acta erant ab assistentibus inter ægrotandum, reualescens narrabat. Sunt autem innumeri phrenitici qui læsam habent vtranque facultatem, quas non contingit lædi nisi memoriæ læsio accedat, veluti magna existente cerebri læsione. Sunt autem diuersa signorum genera, quædam enim antecedunt, quædam ipsam comitantur, & passionem præ-

Phrenitidis causarũ differentia.

Phrenitidis sig.

sentem

sentem ostendunt, in diuersis temporibus diuersa. Gale. etenim lib. 5. de Locis patientibus, phrenitica signa esse dicit, quæ phrenitidem ostẽdunt, antequam inualescat. Patiuntur statim febrem continuam: nam est acutus morbus, ex his qui exquisitè tales sunt, apud Hippoc. lib. 1. de Ratione victus acutorum. vigiliæ quoque antecedunt: cùm verò dormiunt manifestis imaginibus turbantur, ita vt ex eis quidam clament, & exiliant. Quibusdam adeò magna accedit obliuio vt matellam petentes deinde meiere obliuiscantur, aut iam excitati postquam minxerint non reddant matellam ministro: respondent præterea cum tumultu, & temeritate, præter consuetum. Dolor quandoque occiput infestat. Paruo vtuntur potu, & multis ex eis vinum expostulant: rapitur enim calor in caput atque perinde ventriculus refrigeratur: is verò parum amat bibere, atque potius vinum quàm aquam. Galen. sanè lib. Prorrhe. comm. 16. exponẽs sententiam autoris, qui dixerat, phrenitici βραχυπότας, hoc est parum bibentes, citat sententiam ex 3. de mor. pop. quo in loco parte prima in historia Hermocratis Hippoc. inquit: siticulosus non ad modum, quem dixerat habere linguam exustam, & Galen. in commen. inquit: Ex tali autem lingua, talique febre, si non vehementer sitiuerit, ex duobus alterum indicat, vel læsam ægri mentem, vel naturalẽ ventris facultatem, qua maximè cibos appetimus, cadaueratam. Est quoque eorum respiratio magna & ex longis interuallis, atque hæc non omnino præsentem ostendit phrenitidem, sed iuxta phrenitidem, vti Hipp. primo lib. Prognosti. dicit, & nos latè sententiam exposuimus: inquit enim. Magna respiratio & ex longis interuallis, παραφρονίην δηλοῖ, hoc est, iuxta phrenitidem siue paraphrosinem, ostendit. Est autem nota hæc delirantium propria: quoniam si respiratio magna est, & ex longis interuallis, mens turbatur, non tamen si mens turbatur, atque præsente phrenitide, statim decet magnam esse respirationem, & ex longis interuallis: etenim vt loco citato abundè docuimus, si pleuritis accedat, & phrenitidi coniungatur, respirationi eis affectibus complicitis succedet pro ratione vincentis, siquidem vincente phrenitide fiet magna respiratio, & rara: vincẽte tamen pleuritide, fiet parua & frequens, ipsi tamen simili modo infestantibus, fient nunc pro alterius ratione. Non etiam omnes talem habentes respirationem phrenitici sunt, sed delirant tantùm: quamobrem id signum neque proprium est, neque inseparabile phrenitidis. Proximè verò ad phreni. accedentes oculi squalidi vehementer fiunt. Alter eorum fundit lachrimas, intentè aspiciunt, & lemæ in oculorum angulis apparent, venulæ eorumdem implentur, & stillæ sanguinis narium sequuntur. Per id sanè tempus nihil sani habent, quod ad prudentiam spectet, floccos euellunt, & festucas colligunt, febris nõ continua modò, sed etiam arida eos infestat, quæ nullam effatu dignam recipit mutationem, qualem in deliriis sine phrenitide fieri videmus: in illis namque febre ad vigorem deueniente, delirant homines, febre verò declinante resipiunt, in quibus repentè deliria eueniunt, non vti vera phrenitis, quæ sensim aduenit, & augetur. Hæc eadem perseuerant cum phrenitide, & lingua salebrosa fit, & procedente malo pro ira & furore, mœstitia succedit, & mente ferè priuantur, vix respondentes, aut sentientes, ob neruorum, imbecillitatem tremunt. His febris minor redditur languente calore natiuo, & oculi valde prominent, & pulsus paruus durus, cordosus & languidus fit. At verò quoniam inflammationem, quæ in septo transuerso continetur, delirium sequitur vehemens, & continuum, decet hunc affectum à vera phrenitide separare: in phrenitide namque vigiliæ, dolor capitis, atque ardor vehementiores sunt, quàm in septi transuersi inflammatione. Præterea oculorum venulæ rubent, & guttæ sanguinis instillant in phrenitide, non tamen in septi transuersi inflammatione, neque in hac adeò perpetuum est delirium, vti in phrenitide sicuti & insepti transuersi inflammatione hypochondria calent magis, dolent ac conuelluntur, & respiratio non semper est magna, & ex longis interuallis, sed quãdoque parua

Nota distinguentes phrenitidẽ ab inflam. diaphragmatis.

parua, & frequens, si tamen pituita, bili aut sanguini admixta fuerit, non exquisita erit phrenitis, & cum vigiliis somnus immiscebitur, ita vt vigilantes in somnum vehementius agantur. Arabici dixerunt subet, sahari, vigilis coma, siue coma non soporiterum appellatur, in victus institutione aerem domicilij parare ita oportet, vt temperatus sit: nam nimis frigidus dissolutionem excrementorum impedit, & calidus caput implet. Aetius æstate frigidum præcipit parare. Neque etiam, vaporosus esse debet, non valde lucidus, minimè tamen tenebrosus: nam lucidus valde, aut picturis variegatus mentem distrahit, & spiritum dissoluit, obscurus tamen, rerum cognitionem suspendit. Areteus considerare præcipit, nam si in luce efferuntur, & quæ non sunt cogitant, & cernunt, & nouas imagines accipiunt, in obscuro locandi sunt: si verò non, in lucido: solent enim in luce resipere, & insaniam placare. Ingrediantur quoque ad ipsum visendum amici, qui cum eo conuersentur, cùm quibus delectetur, & quos reuereatur, qui ipsum quandoq; amicè hortentur, quandoque violentius obiurgent. Quietus manebit æger, aut vi coercebitur à familiaribus & ministris, aut in horum inopia ligandus lecto blandius quo fieri possit, cum tamen eius motus cohibeantur, qui imbecillitant vires. Somnus eisdem procuretur tum alimentis, tum etiam medicamentis. Sed ignorandum non est, ea quæ propriè somnifera dicuntur, stuporem inducentia, non esse admouenda, nisi magno vrgente vsu, & calore natiuo nondum languēte: solent enim hæc mortificare, & immedicabiles inducere affectus, somnus tamen quam maximè eorundem sedat deliria, & calorem capitis, & squalorem humectat, & attemperat, omnem animi turbationem immodicam fugient, solum gaudium modicum valet eorum laxare furorem. Clysteribus vtentur ventrem lenientibus & refrigerantibus, ex decocto maluarum, violarum, & ordei, cum violaceo, aut rosaceo. Alimenta sint lactuca elixa, aut etiam constante calore ventriculi ad vigilias & ardorem, cruda, & endiuia, & cucurbita, & pepo elixus, & pira assa, & panis lotus, aut in aqua calida infusus, aut panis cum siropo rosato, aut ordei cremore, & imbecillioribus, aut longioribus morbis ptisana, aut loco eius auenæ succus exhibeatur, aut ex virenti tritico sorbitio, aut similis ex virenti ordeo, mala punica verò conceduntur. Potus verò sit aqua ordei, aut decoctum prunorum. Amant sanè ipsi parum bibere, sed expedit vt potus non sit manifestè frigidus, præsertim vbi in septo transuerso foret inflammatio: vini præterea potio morbo iam cocto & inclinante non erit nocua assuetis præsertim, & qui vinum summopere cupiūt. Siquidem per id tempus vires roborat, & somnum conciliat, & mitigat furorem, pro quo lætitiam infert, & quod reliquum est dissoluit: sit autem vinum album pauciferū. Curatio incipiet à sanguinis missione, vbi vires constauerint secta vena externa cubiti, & copiosè sanguis d[illegible]hatur: cauere tamen oportet diligenter ne inordinatis motibus ligatur[illegible] soluant: per magnas tamen sanguinis redundantias non erit Aetij contemnenda doctrina, qui venam mediam secare præcipit, sicuti & quod nō expediat ad animi deliquium ducere ægrum, vt motus, & agitationes deinde ferre possit. Deinde si opus fuerit ob mali perseuerantiam, & causæ facientis redundantiam, aut quoniam ab initio manum præbere detrectauit æger (aut timet medicus ne deinde delirans & validè mouens brachia ligaturam soluat & sanguis profluat) vena frontis secanda erit, vt parte 2. docuimus, collo fascia leuiter compresso, atque sanguis, si alia venę sectio non præcesserit, abundè ducetur, si tamen præcesserit, redundantia erit consideranda. Expedit etiam nonnunquam nares internas secare, & sanguinem ducere, sed solet natura ea via sæpe in phrenitidibus salubribus eas efficere iudicationes, est enim is morbus de numero eorū qui iudicatione finiuntur, sanguinis è naribus profluuio, & quibus hæmorrhoidarū vacuatio, natura aut arte prodest. Neq; impedit quominus sanguis mittatur, quod phrenitis sæpe à bile fiat, nam hæc per venas tendit cum sanguine ad inflāmationis ge-

Phrenitico-rum victus.

Phrenitidis medela.

neration

nerationem, reuellitur quoque vterque humor sanguine missō. Deinde verò si bilis copia adfuerit, venter purgabitur rhabarbaro infuso in aqua endiuiæ, aut prunorum, violarum, & ordei decocto, aut in eodem decocto infundētur tamarindi, quo purgabitur, aut bibet infusionem myrobalanorū pallidorum, sitque eorum ʒ.j.ß. interim quoque si opus fuerit & facies rubeat, cucurbitulas occipitio & ceruici admouebimus, sine scarificatione, aut etiam cum ipsa, si non tantum auellere, sed etiam vacuare velimus. Capiti verò detonso oxyrrhodinū admouebimus, quod recipiet rosacei ʒ.iiij. aceti ʒ.j. id supra commissuram coronalem, non frigidum, idq; inter initia, nam procedente morbo, & summum vigorem attingente, cum rosaceo miscebimus camemelinum cum succo menthæ, aut succo serpylli, rosacei ʒ.iiij. aceti ʒ.ß. succi menthæ ʒ.j. aliud rosacei ʒ.iiij. camemelini ʒ.ij. succi menthæ ʒ.j. aceti ʒ.ß. atque hæc tepida admouenda: vigiliis verò valde infestātibus licebit camemelino miscere decocti capitum papaueris, & tepidis fouere caput. Quæ enim frigida admouentur, humorem & vaporem compingunt, & quæ validè stuporem inducunt, vti mandragora, cicuta, & opium, in contrarium deducunt affectum, & immedicabilem efficiunt passionem. Vidimus enim quosdam, quos medici immodica refrigeratione perduxerunt in veternum, lethargicos periisse. Medebimur præterea vigiliis, crurum blanda frictione, manibus oleo vnctis, quibus totum ipsum corpus vngere licebit, & leuiter fricare, vbi squalidum fuerit somnum pariter adducemus, fontibus machinatis intra cubiculū, odore decocti papaueris, eo vapore inspirato: bibere etiam cōueniet siropum de papauere pauca quantitate, ne ventriculus refrigeretur: refrigeratus enim nec siropum superabit, nec vaporem ipsius in caput mittet. Nares quoque & tempora linire vnguento populeone somnum conciliet, id quod attemperamus quandoq; rosaceum immiscentes, sed hæc & similia quæ valde refrigerant, atque stuporem inducunt omni tempore suspecta sunt, præsertim in summo vigore, & inclinatione, quibus temporibus amygdalato vtimur pro cœna, addito semine papaueris albi. Ante cœnam verò caput fouebimus decocto papaueris, florum violarum, & camemeli, aut oleo papauerino. Inclinante etiam morbo coquendi humoris & dissoluendi ratione pullum columbinum euisceratum & calidum capiti admouere licet, sed duabus horis transactis renouandus, fœtet enim, & putret breui, præsertim æstatis tempore. Pulmo quoque arietis calidus, vt ab animali extrahitur, aut vbi frigeat aqua calida immersus, & sic admotus, prędictum præstat vsum. Ego verò horum loco camemelinum cum maioranę decocto magis laudo. Diutius quoq; perseuerante morbo oleo calenti caput fouebimus, in quo serpyllum decoctū fuerit, aut maiorana. In quem vsum Gale. lib. 13. & 11. de Meth. medendi procedente phlegmone cerebri & membranarum, castoreo vti præcipit, cùm morbus inclinauerit, quamuis aliis inflammationibus inclinantibus non conueniat: decet enim validioribus vti medicamentis, quàm pro ratione dissoluēdi humoris: quoniam per magna interualla medicamentum intra caluariam vires transmittere debet. Quam medendi rationem à situ partis sumptam, seruandā esse, in generali medendi methodo præcipimus. Nos tamen castoreo non vtimur, nisi phrenitis notha sit, & declinante morbo pituitæ nonnihil discutiendum remaneat: aliâs satisfacere puto camemelinum in quo maiorana, aut serpylum fuerit coctum. Conualescentes verò, vt Paulus inquit, vitabunt ebrietatem, iram, ciborum corruptionem, & solis æstum.

De Lethargo & caro. *Cap. VII.*

Lethargus.

LETHARGVS Cerebri morbus est phrenitidi contrarius: siquidem phrenitis à calidis humoribus fit, lethargus à frigidis, lentis, & crasis: quod ex dicendis notis constabit. Cùm igitur pituitosus humor cerebrum occupauerit, atq; ipsum madefecerit & putrescens

febrem induxerit, morbus lethargus dicetur, ac si diceres obliuio ociosa, id enim λήθαργος, græca vox significat. Hispani dicunt modorra dormida, quoniam phrenitidem, modorra, sine additione dicunt. Gal. lib. 4. de Præsagitione ex pul. ab humida intemperie cum febre lathargum fieri dixit, & à putrida pituita. lib. 1. Prorrhe. comm. 1. lethargum fieri dicit, cùm pituita humectauerit ac diluerit partem in qua princeps animæ pars residet, eandem quoque putrescere vult, lib. 13. Metho. med. Erit sanè talis obliuio, si ab humida intemperie nascatur, cùm humore tamen magis propriè lethargus dicetur. Sed fit quãdoque nullo præcedente morbo, quandoque post phrenitidem notham dissoluto tenui humore, aut cerebro inter curandũ immodicè refrigerato, aut trãsllato humore aliunde, aut à pulmone, aut septo transuerso inflammatis, aut ex toto corpore per febres, præcedente caro, ac tandem humore in capite firmato, sequitur etiam nonnunquã comitialem morbum. Signis sequẽtibus lethargus deprehendetur, dormiunt inexpugnabili somno. Lẽtam febrem patiuntur, sed continuam. Perpetua obliuione laborant, ita vt vocati præ somno nõ respondeant, excitati, vel respondere non tentant, vel tentantes eorum quæ dicere conabantur obliti, media actione desistant. Oscitant sæpissimè, & ore hiante permanent obliti claudere ipsum, vrinam quoque deponere obliti si excitentur accepta matella non mingunt, aut postquam minxerint ipsam reddere obliniscuntur, desides fiunt, & segnes, & sensuum omnium hebetudinem patiuntur, & si cogantur, delira loquuntur. Pulsus eorum sunt magni, vndosi & languidi, raros quoque esse Paulus & Alexander scribunt: respiratio rara est, & cum langore facta, vrinam mittunt iumẽtorum similem: oculis itaq; clausis cubant supini, & dormiunt inferna oris maxilla resoluta, & toto corpore deciduo. His victum instituemus aërem calidum parentes, lignis accensis odoratis & thymo, ac pulegio sparsis in cubiculo, quod decet lucidũ esse. A somno excitandi omni arte & diligentia, his quæ caput calefaciant, quæ dicemus, & punctionibus & pilorum euulsionibus: fricanda autem sunt ipsorum brachia & crura calentibus oleis, vt irino, & rutaceo, ac frequenter commouebuntur eorum corpora, clysteribus quoque vtendũ quæ fient ex decocto mercurialis, camemeli, & meliloti cum melle, addito succo betæ, aut mercurialis, & hiera & sale, aut loco hieræ apponemus ex pilulis cochiis ʒ.ß. aut electuarij indi ʒ.iiij. Procurandum etiam est vt vrinam deponant tomentis ex rutaceo pubi adhibitis. Cibus sit aqua mulsa, aut ptisana ordei, aut puls ex auena, addito aceto mulso, & sale, & amygdalatum cum melle, aut panis in iure pulli, & cicerum, & porri cum aceto. Si ob virium imbecillitatem alimenta validiora expetãtur inclinante morbo passerculorum & turdorum caro, aut etiam turturis erit vtilis: sed hæ pipere, aniso, & cumino inspergendæ. Capparis cum aceto, aut asparagi extenuandę pituitę proficient: sed instandũ, vt deglutiant. Potus sit aqua mulsa, aut cum origano feruefacta, aut etiam vinum aquosum pauciferum prędicta aqua dilutum, quę vase anguśti oris prębẽda sunt: à cibis verò frictiones sunt opportunæ. Curatio tamen hac methodo procedit, vbi vires cõstauerint & nihil obstet, sanguis erit mittẽdus, secta vena externa cubiti, aut vbi ipsum vires nõ ferant, clysteribus vtemur validioribus, sanguine tamen misso & malò perseuerante cucurbitulæ occipitio, aut primis ceruicis vertebris admouendæ, aut multa flamma, aut etiam scarificatæ. Præterea vbi pituitæ redundantia adhuc maneat, extenuanda erit potu aceti mulsi cum decocto origani & calamenti, aut etiam siropo stœcados, & aceto mulso, & decocto pulegij, & thymi, deinde ad purgationem exhibebimus pilularum cochiarum, & aurearum vtriusque ʒ.ß. in aquæ mulsæ ʒ.iiij. aut electuarij indi ʒ.vj. in aqua mulsa ex origani decocto. Alexander castoreum cum oxymelite in potu prębet, & purgandi ratione, simul cum scammonio, vti scammonij ϑ.j. castorei ϑ.ij. hæc verò immodica quantitas est, mediũ sanè pondus satisfaciet. Quamuis Paulus quoq; pondus ϑ.j. pręcipiat de succo scammonij. Capiti verò

Lethargi causa.

Lethargi signa.

Lethargorum victus.

Lethargi curatio.

admoue

admouebimus ab initio rosacei ʒ.iiij.camemelini ʒ.ij.aceti ʒ.j.deinde verò camemelinum cum succo serpylli, aut puluere pulegij triti, aut polij. Aliud, camemelini ʒ.ij.rosacei ʒ.iiij. aceti ʒ.j. vbi verò validius calefacere est in animo, medicamento caput vngemus,quod recipit camemelini ʒ.vj. nitri & pyrethri vtriusque ʒ.j. castorei ℈.ij. aut loco camemelini, irinum apponemus. Interim quoque à somno excitandi admotis naribus thymo & pulegio in aceto elixis, aut sulphuris fumo, aut bituminis, aut picis, aut funiculi lucernæ sebaceæ extincti in eundem vsum conuenit faciem sæpe abluere posca in qua pulegium fuerit madefactum. Sternutatoria naribus insufflentur, ex structio,pipere, castoreo, aut succo cyclamini, aut pyrethro. Apophlegmatismi fiant ex synapi, melle & aceto, aut tenui linteo inuoluantur pyrethrum, thymũ, & pulegium, quæ aceto madefiant, deinde his palatum fricetur, & pituitam extrahat minister digitis ipsis:id verò sæpe facientes,mirum quantũ caput leuetur. Cogemus quoque ipsum clauso ore, per nares aquam mulsam ex pulegij decocto aut acetum mulsum,ex decocto calaminthæ trahere. Sacculi præterea ex pulegio,calamintha,pyrethro & castoreo capiti calidi admouendi,& emplastrũ ex pice,pyrethro,& euphorbio,ceruici & occipitio affigẽdum, deraso capite, synapis verò cum melle ad idem valet: atque interdum non prætermittenda clysteria quę scripsimus.Dãda verò opera est,vt ligaturis,frictionibus & punctionibus, à profundiori, & quieto somno arceantur. Auertunt etiam humorem à capite,& à somno excitant, quæ ruborem efficiunt,in brachiis, & cruribus.Caros autem à lethargo differt,non tamen exigit ab eo longè diuersam curationem: est enim similis omnino causa, nempe pituitosus humor caput occupans,& somnum inferens inexpugnabilè, sed interest, quoniam lethargus antecedit,deinde febricula sequitur:caros verò sequitur magnas & vehementes febres, & earumdem summos vigores,& declinat, eisdem inclinantibus,incipientes quoque accessiones febrium comitatur sæpius, & vigentibus recedit. Neque perpetuum est earum debiles febres comitari, quod voluit Aetius. Fit etiam caros, vbi per vulnera capitis cerebrum ab osse fracto comprimetur,aut à meninge custode. Præterea in lethargo excitati & interrogati respondent, non omnino sine voce iacentes:qui tamen caro laborant clausis oculis iacent,quos non aperiunt, nec vocati respõdent. Humor qui earum efficit, crassior est, quam qui efficit lethargum, cuius magna pars, in febrium habentium accessiones, principiis in caput mittitur, & declinante accessione dissoluitur. In huius crassi humoris extenuatione, & corporis purgatione, & reliquiarum discutione tota medendi ratio consistit: hæc verò vti de lethargo diximus, agenda sunt.

Sternutatoria.

Caros.

De Typhomania, siue comate non soporifero.

Cap. VIII.

Typhomania.

TYPHOMANIA Appellata est à quibusdam,vt Galen.inquit media dispositio inter phrenitidem & lethargum, quam etiam aliquando coma non soporiferũ appellant. Hispani duermiuela,Arabes, subet sahari, hanc lib. de Pul.ad tirones dicit nomine carere. Paulus eam appellat,cathocon, sed vt ipse quoque nouit, cathocos cum catalepsi conuertitur, & nos has vocum significationes seruabimus. Typhomania signa habet media & immixta ex signis phrenitidis,& lethargi: nam hoc morbo laborantes, neque vigilant, nec dormiunt, ita vt apertis oculis impetu in somnum deferantur, & quandoque oculos aperire & palpebras dispescere nequeant, vigilantes quoque mentem alloquentibus applicare nequeunt, & dormientes insomnia patiuntur vehementia, & delira loquuntur, oculi rubent: facies verò intumescit, & liuet, sed quandoque rubet. Eorum palpebræ superius conuelluntur: liquida deglutire nequeunt,

Subet sahari.

Typhomanie curatio.

sed ad nares ea repellunt. In morbi huius curatione à sanguinis missione incipiemus, præsertim si oculus & facies rubeant, secta vena externa cubiti, & validis vtemur clysteribus, quæ recipiant betæ & mercurialis decoctum, cum hiera picra, aut etiam cum electuario indo, & melle, ac sale, & vbi opus fuerit ægrotantem cum eodem electuario in decocto prunorum purgabimus. Alimentum erit ius pulli cum ciceribus, aut origano: potus verò aqua ordei cum origano: capiti quoque admouebimus oxyrodinum, cui additus sit succus serpylli, aut camemelinum cum aceto, & puluere serpylli triti, deinde toto corpore vacuato, apophlegmatismis supradictis ad lethargum, vtemur.

De Catocho, siue catalepsi. Cap. IX.

Catochus.

κατάληψις

CATOCHOS Cerebri passio est, quæ posteriora ipsius magis vexat, congelatio dicta, quoniam per eam homines detinentur, veluti concreti, aut congelati, & ea ratione *κατοχὴ*, vel *κατάληψις* dicitur, quasi deprehensio, aut comprehensio. Inuadit sanè morbus hic subito magna ex parte, ac tales detinet ægros, ac in eadem figura, qua ipsos inuasit. Paulus vult vbi morbus subitò inuadat, eos seruare, clausis aut apertis oculis, & stantes, sedentes, aut iacentes: cùm igitur palpebras habent apertas, tales seruantur, nequaquam conniuentes, sed intentè inspicientes, immotis palpebris & oculis, ita vt si manum admoueas, eos claudere non tentent. Galen. tamen semper palpebras apertas eos habere scribit lib. 4. de Locis pat. cap. 2. hac enim in re catalepsim à sopore distinguit. Et lib. de Pul. ad tirones, dixit, eos qui mediam dispositionem patiuntur inter phrenitidem & lethargum, aliquando incõniuentibus oculis aspicere, vti catalepsi deprehẽsi. Euidentiùs idem affirmat lib. 2. Prorrheticorum commen. 56. nempe cathoco laborantes oculos seruare apertos, atque id voluisse Archigenem, & Philippum. Prædicti neque audiunt, neq; respondent, raram habent respirationem, sed ipsam magnam quandoq; efficiunt, pulsus eorum magnus, tardus, & rarus sed æqualis. Similis est passio lethargo, sed in lethargo corpus tumet, in catocho constrictum est. Habet hoc malum ortum à frig. aut sicca, aut vtraque intemperie, aut à sanguine crasso caput occupante, ibidem concreto, aut ab humore melancholico, hoc etiam crasso, & refrigerato, non etiam sequitur quod Argenterius voluit, si ab humore melancholico fit catalepsis, melancholicos omnes debere catalepsi laborare: nam melancholicus humor lædit aliquando corpus, aliquando animam, vt vult Hippocr. & Galen. lib. tertio de Locis pa. A sanguine verò, quamuis natura humidus sit, cùm fuerit crassus ac deinde refrigeratus, catalepsin fieri nihil vetat. Cùm igitur facies rubet, & æget adolescens, aut vtcumque satis valens fuerit, secta vena cubiti externa sanguinem pro plenitudinis ratione & virium constantia, detrahemus: verùm quoniam humores secta vena non facilè fluunt, nos ante venæ sectionem caput, ceruicem, & dorsum fouere præcipimus oleo irino, & eodem brachia fricare, vt fluxilis sanguis reddatur. Si tamen melancholicus humor redundare videatur, super morbum liceat, medicamenta extenuantia præbebimus, & deinde corpus purgabimus. Extenuat aqua mulsa, aut siropus de stœcade. Purgant in hoc morbo pilulæ cochiæ, aut fœtidæ in prunorum & glycyrrhizæ decocto. Caput verò oleo camemelino calido perfundendum, aut si frigiditas vigere videatur; id fiet oleo anethino aut irino, & ex eodem ceruix ac vniuersum corpus fricetur: clysteria erunt valida, atque omni via excitandi, his quæ in capit. de lethargo, dicta sunt. Cibus sit aqua mulsa, aut etiam ius pulli gallinacei cum ciceribus, aut amygdalatum cum melle & sale: vbi verò conualescere incipiant, alas auium boni succi edere nihil vetat, à potu aquæ abstinebunt, sed aut aquam mulsam bibent, aut fœniculi decoctum: intemperantiæ verò suis contrariis curentur.

Catochi laborantes, oculos seruãt apertos.

Catochi curatio.

Amygdalatum cum melle.

De

De memoriæ iactura, Cap. X.

MEMORIA multifariã læditur. Læsiones autẽ omnes ad tempus attinent, aut omnino abolitiones sunt: perit enim memoria in quibusdam morbis inter ægrotandum, sed curato morbo restituitur. Sunt autem qui inter ægrotandum memoriæ labem patiuntur, neque tamen reparatur soluto eo morbo: aliis verò accidit morbus finiatur, & memoriæ labes incipiat, ac talis perseueret. Vidimus quendam religiosum quendam franciscanum, qui acuta febre laborauerat, & soluto morbo ipse sine memoria ferè subitò factus est, ita vt cùm ipse aliàs peritus esset theologus, nec literas agnosceret, neq; nomina rerum, quæ sibi assiduè in vsu erant, memoria teneret, quatuor autem integris mensibus sic affectus primas literas addiscebat, addhibitis tamen remediis, mira quadã celeritate prædicto elapso tempore, in pristinam suam eruditionem fuit reductus. Sunt autem plurimi, qui de memoriæ imbecillitate conquerentur, aliàs integra sanitate fruentes. Causæ læsionis memoriæ, aut sunt simplices intemperantiæ, aut habent humorem adiunctum. Intemperantia verò aut est calida tantùm, aut habet adiunctam siccitatem, aut humiditatem. Aut est frigida intemperies, & cum humiditate, aut siccitate, aut his humor aliquis adiunctus est, præterea fit vt simul cum memoria lædatur cogitandi vis, quam dispositionem, Fatuitatem dicunt, aut sola perit, aut delabitur memoria. Frigiditas in memoriæ læsionibus primũ locum habet, si enim grauiter læsa fuerit, frigida adest intẽperies, quæ si humiditati iungatur, lethargos, caros, & stupores efficiet, cũ siccitate vigilias. calor cũ humiditate somnos, non quidem profundos, sed longos, & facies rubet, & calor in capite sentitur: cum siccitate verò vigiliam efficit, atque delirium: sola autem humiditas somnos longos & profundos, sed si humores abundant, eosdem excrementa docebunt, quæ in siccis affectibus minimè apparẽt. Causæ quoq; præcedẽtes victus. Aetas, & temperatura, ad causarũ cognitionẽ non parũ conducent, in omnibus tamen somnos aduertere oportet, Gal. & aliorum consilio: is enim temperaturam dominantem ostendit. Si sanguinem abundare intellexeris, imprimis venam secabis cubiti externam, si pituitam, ipsam extenuabis, & pilulis cochiis purgabis, aut leuius cum pilulis appellatis, sine quibus. Deinde, apophlegmatismis veteris: capiti verò admouebis oleum laurinũ, aut anethinum, posteriori parti, aut olei anethini ʒ.iij. castorei ʒ.j. ß. his calefactis caput fouendum. Aut etiam synapi cum melle admouendum, aut irinum oleum cum nitro: naribus euoque infundemus aquam mulsam, cum puluere pirethri, deinde sex continuis diebus ieiuno ventre huius pulueris drachmam vnam cum vncia vna vini albi deglutiet, aut cum aquæ mulsæ ʒ.ij. origani, pulegij, calaminthæ, singulorũ ʒ.iij. maceris & cinnamomi, vtriusque ʒ.ij. piperis, galangę, zingiberis caryophilorum carpesiorum, singulorum ʒ.ß. castorei ϑ.ij. omnia in puluerem tenuem redacta misceantur. Huius quoque pulueris ϑ.ij. decem diebus continuis, sani qui de memoriæ iactura conquerentur; accipient puluerem cum cõdito de stœcade miscentes, conditi de stœcade ʒ.ß. pulueris prædicti ϑ.ij. cum quibus aquæ fœniculi instillatitiæ ʒ.j.ß. bibent. licet quoq;, ac miro modo prodesse experimento plusquam centies probaui, post corporis purgationem, præbere in potu, confectionis anacardinæ ϑ.ij. tribus alternis diebus, hanc verò confectionem, in aqua instillatitia fœniculi, aut stœcados diluere præcipio. Quòd si calor humiditati coniunctus fuerit, rosæ, myrtus, & lentiscus cum camemelino misceatur, si frigus cum humiditate iungantur laurinum oleum, & irinum, cum calaminthæ, & pulegij puluere mixta, capiti admoueantur, sternutatoriis vtemur, & apophlegmatismis. Siccitate verò redundante, potissima curationis ratio in humectatione consistet. Hæ verò per alimenta bonum succum præstãtia perficitur, & vini albi pauciferi potu. Expedit autem fouere caput decocto capitis arietis, cum semine lini, fœnogræco, & camemelo. Curaui non

Memoriæ læsio.

Historia.

Memoriæ læsæ causa.

Memoriæ læsæ curatio.

paucos adoleſcentes in hac academia,qui memoriæ labem patiebantur ,quibus præcepi,vt carnem perdicis,aut turturis, aut pulli gallinacei aſſam pranderent, & paſſulas cum amygdalis cœnarent, & vinum pauciferum à ſancto Torcatio biberent rufi coloris, & 20. diebus continuis cum eodem pulueris ſupraſcripti 3.ß.acciperẽt,& bis in hebdomada caput abluerent lixiuio,ex decocto,ſtœcados & maioranæ cum cinere vitis.

Peſſulum errhinum,quod naribus inſertum memoriam labentem reparat,& amiſſam reſtituit.

Peſſulum ad memoriam.

MENTHAE ſiccæ,pulegij,eufraſiæ, verbenæ, ſeminis coriandri præparati,calitrici,ſingulorum 3.j.Floris roriſmarini 3.j.ß. calami aromatici,& cinnamomi vtriuſque 3. ij. caryophilorum.3.j.ß. mochi,& galiæ vtriuſque grana vj.mellis anacardini, & ſtyracis calamitæ vtriuſque 3.ß. quæ ex his triturationem patiuntur, in puluerem tenuem redigantur,& omnia cum aqua inſtillatitia fœniculi,in paſtillos conformentur,ex quibus peſſuli fient,ad formam nuclei palmulæ, cum opus fuerit.Qui voluerit vti hoc medicamine,hunc ordinẽ ſeruabit,purgato priùs corpore,quinquaginta noctibus nihil aliud præter paſſulas cũ amygdalis paucis, & pauco pane cœnabit,prãdium autẽ erit caro aſſa gallinæ, autpulli gallinacei,turturis,aut perdicis:potus,vinum albũ vnius anni,modicè dilutum:ſingulis autem noctibus prope horam ſomni, peſſulum ſiniſtræ nari inſeret, & narem toto obturabit, ac ſic ſeruabit, non vltra quàm decem carmina Vergilij recitet, iis elapſis diebus,peſſulum vnum recèns confectum nari ſiniſtræ inſerat, & ipſam toto obturet,deinde legat attẽtè,quæ voluerit addiſcere per integram horã, aut etiam duas, deinde ſecluſo peſſulo dormiat: manè namq; ſingula quæ legit, memoria tenebit,ita vt memoriæ tenacitate, neminem parem inueniat. Abſtineat qui his peſſulis vti voluerit, aut omni modo memoriam ſeruare, ab ebrietate, venere, cruditate ventriculi, & omni ſatietate, à fructibus viridibus, & oleribus, à lacte, caſeo, & carnibus ſalitis,& omnibus flatum generantibus.A piſcium fluuialium eſu,anguillarum præſertim. Licebit tamen troctas deguſtare, nocent eiſdẽm aquæ potus,& vini copioſus.Poſtrema menſa coriandri ſemen præparatum accipiet.

De vertigine Cap. XI.

Vertigo.

QVOS Nos latina voce vertiginoſos appellamus, Paulus σκοτωματικούς nominat,& paſſionẽ ipſam,πάθος σκοτωματικόν, hoc eſt ſcotomaticam paſſionem,ſiue tenebricoſum affectum,quemadmodum & Galen.libro tertio, de Locis patientibus. Hippo. ramen Apho.17.libro tertio, ἴλιγγον hunc affectum appellauit.Et Galen. in commen.inquit, ἴλιγγος γάρ ἐστι σκοτῶδες πάθος. hoc eſt ἴλιγγος eſt tenebricoſa vertigo,quæ fit humore cum craſſo ſpiritu in capite moto: ſed tamen Hippo. libro quarto,de Rat.vict.acu.Sectione 43.δῖνον nominat hunc affectum,& Galen.in comment.inquit, Cùm caput circumagi videtur δῖνος, id eſt, vertigo appellatur affectus:cùm autem & tenebricoſa ſimul fuerit viſio,σκοτώδινος,id eſt, tenebricoſa vertigo appellatur. Exponit quoque abundè eo loco morbi cauſam, poſteaquam morbi ſubſtantiam patefecit,addens. Fit autem ob inordinatam ſpiritus flatuoſi motionem,qui vel in capite localem habet generationom,vel ſurſum ex infernis fertur partibus. Hiſpani morbum hunc appellant, vaguidos.Excitatur vertigo ob plures cauſas, quæ omnes ſpiritum animalem agitant,& in gyrum deuoluunt:cùm enim is à flatu mixto agitatur, quamuis caput quietum ſit, imaginem efficit,ac ſi corpus totum circũduceretur, aut ipſo quieto omnia alia circumferentur.Quòd enim his qui in circulum moti ſunt, ſæpius ſine morbo accidit,id morbi ratione vertiginoſis euenit, aut ob internam cauſam, aut ſi ſemel tantùm circumagantur. Fit morbus per eſſentiam

δῖνος.

cere

cerebro multa pituita repleto, à qua flatus leuatur, qui ſpiritum circumagit, aut ortum habet à ventriculo, à quo ſpiritus vaporoſus leuatur in caput, & cùm aut is aut qui in cerebro generatur, exitum non reperiat, circumducitur, & eo motu ſpiritum agitat. Cauſa in cerebro eſt humor pituitoſus incaleſcēs: in vētriculo vero aut bilis pituita mixta, aut pituita putreſcēs. Externæ tamen cauſæ ſunt aſpectus rerum quæ in gyrum mouētur, & aſpicere aquarū fluentas, aut per trabem incedere, aut à ſole æſtiuo caput incaleſcere, aut aer nebuloſus inſpiratus, aut magnus ſtrepitus, aut vini meracioris potus, aut in vētriculo cruditates, & vehementes animi perturbationes, & vigiliæ & longum ſtudium. Agnoſces paſſionem in cerebro fieri prima affectione: quoniā ipſam antecedūt, ac deinde permanent, tinnitus aurium, & hebes auditus, atque vi ſus obtenebratio, imbecillitas olfactus, capitis magni dolores & aſsiduæ grauitates, ſi à ventriculo oriatur tinnitus quoque præcedere ſolet, ſine grauitate capitis, ſed cum morſu oris ventriculi, & nauſea, aliquando etiam cum hypochodriorum diſtenſione: ſolet autē is morbus cùm valde augetur, in morbum comitialem tranſire. Aer præparandus, ita vt ſerenus ſit, minimè nebuloſus, ſit etiam lucidus. Frictionibus & exercitationibus moderatis vtātur ante cibum: ſit tamen locus in quo deambulet longus porticus, ne cogatur ſæpe reiterare, ac circumuoluere corpus. Alimenta ſint boni ſucci, aut auium carnes aſſæ, veluti turturum, gallinarum, caporum, phaſianorum, perdicum, & turdorum. Piſces quoque ſaxatiles edere licet, ac vinum album aquoſum bibere, his qui vini potu non aſſueuerunt, aniſi, aut cinnamomi decoctum conuenit, à cibis omnibus flatum generantibus abſtineant, holeribus, & viridibus fructibus. Dormiant noctu, capite abundè linteis obuoluto, aut caput purpura induant, interdiu tamē à ſomno abſtinebūt. Ventrē molem habebūt, aut arte parabūt. Ab omnibus animi perturbationibus, lōgiſq; ſtudiis abſtinebūt: neq; aſpiciēt flumina, nec rotas circumactas. Ab acceſsione leuātur frictionibus, & odoramentis bonis admotis naribus. Curatio vertiginis à ſanguinis miſsione incipiet, ſi adfuerint ſigna ſanguinis abundātis: ſecabimus tamē duobus continuis diebus duas externas venas brachiorū, ſanguinis quantitatē menſurātes. Hic enim concidūt quauis occaſione. Deinde vbi opus fuerit cucurbitulæ occipitio admouendæ cum ſcarificatione, purgatio quoq; capitis conuenit, humore prius parato, cū aceto mulſo, & decocto origani, aut aqua mulſa bis in die, tribus cōtinuis diebus, deinde caput pilulis aureis, aut ſine quibus, purgandū, interim quoq; validis clyſteribus vtemur, & frictionibus, & apophlegmatiſmis, & maſticationibus, pyrethri, aut nucis aromaticæ, & caput ſæpe ante cibū fricare, & pectine ſcalpere, & decocto pulegij & calendulæ, crura abluere, bis in hebdomada cōuenit, ieiuno vētre. Si tamen malū à ventriculo oriatur, ipſum purgandum, hoc medicamento, maſſæ pilularum de hiera ʒ. j. pilularum de aloe & maſticæ ʒ.ß. formentur pilulæ vij. aut prouocādus vomitus cum aceto mulſo, & rafani decocto, deinde ventriculus oleo nardino & maſtichino robo rabitur, & poſtrema menſa ea quæ vaporum cibi aſcenſum prohibent, accipient, vti diacotoneum, quod miloplacunta appellare ſolent, aut coriandri ſemen præparatum, aut ex ipſo, & aniſi, & fœniculi ſemine, cum ſaccharo facta drageta. Aut accipiet amygdalas, aut auelanas toſtas. Arteriarū verò poſt aures ſectio, nonnullos ſanauit, quibus ſpiritus flatuoſus ab inferioribus in caput aſcendebat, cum pulſu, & arteriorum impulſione, ac ſaltu.

Vertiginis ſigna.

Victus vertiginoſis.

Vertiginis cura.

De morbo comitiali. Cap. XII.

MORBVS Comitialis latinis dictus eſt is quē græci ἱερὰν νόσον vocant, quoniam ſi quem in comitiis prehēderet, comitia ſoluebantur. Appellant etiam morbum eum, Herculeum: non quoniam Hercules eum morbum paſſus eſt, ſed quòd is vehementia & fortitudine Herculi ſimilis ſit. Nonnulli etiam eum appellant, ſacrum morbum,

Comitialis morbus quare dictus.

vt

vt Hippoc.qui lib.titulum fecit,De sacro morbo:quoniam magna,& insignia, sacra dicere solent,vti è corporis ossibus,maximum,sacrum appellant,atque ea ratione dicta est,auri sacra fames.Dicitur etiam morbus caducus,à cadendo:quoniam ægros cadere cogit, quod nomen in ouibus, eo morbo frequenter laborantibus vsurpant.Hispani morbum eum nuncupant gota coral,quoniam ægrotantes ferũt in accessionis principio,cum thoracis motus impetiatur, animali facultate non transmissa liberè,veluti guttam aquæ frigidæ, a capite descendere in cor, cùm tamen nihil aliud sit quod sentiunt, prẽter impedimentum,distentionis thoracis, & refrigerij cordis. Arabes vero Alferezia, dixerunt.Est autem morbus comitialis(vt Galen.libro tertio,de Locis pa.cap.5. inquit)omnium partium corporis conuulsio non perpetua, cum mentis oblæsione.Idem etiam Paulus.Hæc autem symptomatum explanatio est,non definitio,motus namque & sensus læsiones symptomata sunt,morbi tamen essentia,in diuersis generibus consistit:quandoque enim bostructio est,quandoque alteratio.Tria etenim sunt morbi comitialis genera authore Galen.3.de locis pat.Primum genus est per essentiam in cerebro,cùm ipsum à crassis humoribus impletur,meatibus obstructis non in totum,substantia verò occupata,sed non adeò vt ventres,vt deinde libro quarto,capitulo secundo,dixit,Humores autem hi,aut sunt pituitosi, aut melancholici. Dicente Galen.libro tertio, de Locis pat.capitulo sexto.Quippe non solùm atra bilis,sed etiam pituita morbum comitialem committit.A quibus ferè in totum animalis facultatis transitus,per neruos impediatur.Secundum genus est, cùm per consensum similes conuulsiones accidunt,vapore quopiam à ventriculo in cerebrũ ascendente. Is enim cerebri membranas mordens, conuellit, & in consensum ducuntur nerui partium omnium,quam affectionem quibusdam euenire videmus inediam ferentibus,aut iratis, aut valde exercitatis, quibus os ventriculi læsum erat. Tertium genus comitialis morbi fit,cùm ab aliqua parte corporis vapor leuatur in caput,veluti à pede, aut manu, in prædictas conuulsiones ducens, qui morbus puero cuidam contigit,& adolescenti alteri,quorum mentionem habuit Galen.libro tertio, de Locis pat. capitulo septimo. Neque tamen à ratione alienum esse videtur, fieri posse vt humor aliquis in parte illa corrumpatur, deinde in caput vis eius venefica transfundatur. Quòd veneficis animalibus vel solam cutem inficiẽtibus euenit, ea enim deinde in totum corpus effundunt suam qualitatem.Et semen retentum,atque corruptum animi deliquia affert,& veteri validas præfocationes:pari modo rationi consonum videtur,vbi humor aliquis in digito pedis,aut manus corrũpatur, deinde per consensum cerebrum compatiatur,vel simplici alteratione transmissa, aut simul substantia quadam spiritali,quod semine retento,aut menstruo,fœminis eueniet.Primùm genus à crassis fit humoribus obstruentibus cerebri ventres ac impedientibus transitum facultatis animalis, sed non in totum, ac perinde hæc est obstructio,non integra:inde verò sequitur conuulsio impletis neruis, in origine.Verùm in hoc genere,& aliis semper conuulsio fit, cerebro conãte expellere causam nocentem,ita vt viderim comitiali laborãtem, quoties motum aliquem cõuulsionum validum comitabatur,spumam ore mittere,& non aliâs: conuulsiui sanè motus omnem comitialem comitãtur, qui à repletione fiunt,aut causa cerebrum irritante,& commouente ad expulsionem. Qui tamen per essentiam fiunt à crassis humoribus oriuntur, nunquam tamẽ ab intemperie:quoniam,vt Gal.testatur libro tertio,de Locis pati.capitulo quinto, conuulsio hæc ab ariditate non procedet:etenim fieri non potest, vt vel cerebrum vel tenuis ipsius membrana ad tantam perueniat ariditatem, vt simile quippiam pati videatur. Non igitur ab ariditate vel vacuatione, sed à crasso humore fieri putandum:quoniam subitò accedit, atque subitò sanatur, quod siccæ intemperaturæ non euenit. At verò pari ratione probari posset contra Galen.comitialem non fieri à crassis humoribus: nam crassi humores, ne-

Comitialis tria genera

Comitialis morbi causa.

queunt

queunt facilè dissolui: igitur morbus qui facilè dissoluitur, nō fiet à crassis humoribus, ac perinde Auerrois morbum comitialem non ab alio fieri posse testatur, quàm à fumo genito in cerebro, aut aliunde veniente. libro quarto, col lectionum cap. 41. Verumtamen id non defraudat veritatem sententiæ Gal. humor namque crassus comitialem efficiens per essentiam non coquitur, aut dissoluitur, in spacio vnius accessionis, sed potius transfertur, à cerebri meatibus, per palatum, & nares, aut spinalem medullam inferius, atque ea ratione finitur accessio, non humoris dissolutione, secundum speciem ab humore bilioso os ventriculi occupante ortum habere, iure testatur Auerrois loco citato, quoniam fame, aut ira excitatur, & quoniam citò finitur, & quoniam per hieram humor purgatur. Fit autem hæc atque tertia species vel ascendente vapore acri mordente à ventriculo, vel aliunde simili substantia, aut simplici alteratione, à substantia corrupta, in venesicam naturam degenerante, cerebrum comprimente, ac constringente validè, eo modo quę in singultu à causa mordente cogitur ventriculus. Ad eam autem cerebri compressionem sequitur, vt transitus facultatis animalis impediatur, & nerui ad originem conuellantur. Est is morbus per interualla repetens, cuius accessiones vehementes & validæ sunt, sed finita quacunque non ob id putandum est, hominem integrè liberatum: siquidem repetere solet per accessiones. Euenit sæpe infantibus, & frequentiùs ætate minoribus, ob humorum copiam, & neruorum imbecillitatem, præsertim his quibus non nascuntur pustulæ in capite, deinde aduenit pueris, & adolescentibus: quibusdam verò accidit in iuuentute, & aliis in senectute. Cùm igitur magna ex parte ætatis mutatione curantur, ex Hip. sententia libro secundo, Aphoris. 45. & libro quinto, Aphoris. 7. humida temperatura, & humorum redundantia exsiccatis & absumptis, illi qui ante vigesimumquintum annum hoc morbo laborant, spem habēt salutis, qua carent, post id, tempus sed non omnino. Pueri itaque mares cùm semen fundere incipiunt, fœminæ, menstruis purgationibus superuenientibus, liberantur. Ante quàm in hunc morbum incidant, quidam tristantur, in quibus malum solet sequi melancholiam morbum. In aliis antecedit, incubo is enim magnam habet cum morbo comitiali affinitatem: quod enim per morbum comitialem excitatis euenit, id ferè dormientibus per incubonem. Antecedit insueta obliuio, & intempestiua iracundia. Somnus grauis cum turbulentis insomniis, capitis dolores valde grauantes, visus obtenebrationes, membrorum tremores, & linguæ inarticulatæ motiones, & mordent ipsam quæ pallida apparet. Cùm verò morbum patiuntur, cadunt, stertentes, conuelluntur omnia membra, & extenduntur magna violentia, & spumam ore mittunt, quæ ex vehementi motu generatur, apud Galenum libro secundo Aphorismorum, commentario 43. submurmurant, & vocem non articulatam mittunt. Quidam etiam conuulsis & compressis internis partibus, fæcem, vrinam, & semen fundunt. Si malum ex ventriculo oriatur, ex inedia, aut ciborum repletione & cruditate, statim excitabitur, sentiant ante id in ore ventriculi morsum, dolorem, nauseam, & quandoque cibos aduersabuntur. Si ex parte alia nascatur, morbus eius partis se ostendit, ac æger referet, se inde sentire exortum, & in caput ascendere. Excitant eum morbum suffitus bituminis, lapidis gagatis, cornu capræ, iecur hircinum comestum, aut eiusdem tosti odor, sicuti & apium. Infantium curatio facilis non est, quamuis ex his plurimi liberentur, conuenienti victus institutione, quæ potius nutrici quàm ipsi infanti debetur, præsertim si secundum ætatis annum nondum impleuerit: eis namque qui duorum annorum sunt, aut maioribus, si copia sanguinis abundat, sanguinem mittimus scarificatis cruribus, & euidentem afferimus vtilitatem, deinde caput oleo laurino inungimus, & ciperi puluerem inspergimus, & peoniæ radicem collo suspendimus, vt stomachum attingat, atque eidem interim lingendum damus mellis despumati ʒ.vj. pulueris peoniæ ʒ.j.ß. hoc pōdus in duorum

Comitialis signa.

Curatio epilepticorum infantium.

dierum ſpatio accipiat. Nutrix verò bonis cibis alatur, vinum vitet, aut aquoſum pauca quantitate bibat, à coitu abſtineat, & ſi conceperit, alteri lactandus committatur. Sic etiam ſi lac eius ſelectum non fuerit: craſſum enim & plurimum caſei habens, aut nidoroſum comitialem generat morbum. Expedit quandoque nutricem purgare, vt deinde lacte intans purgetur. A dulcioribus tamen in cauſis non naturalibus hæc erit victus inſtructio, comitialibus debita. Aer ad calidum & ſuccum inclinet, ſiquidem humiditatis abundantia morbus oritur: ætatis namque mutatione, ſanantur, & mutatione victus, & regionis in ſicciorem. Alimenta ſint, panis ſelectus qui furfuris partem habeat, & aniſum, per diem ante coctus, caro perdicis optima eſt, & laudantur turtures, turdi, paſſerculi, quos appellant de honceieras, alaudæ, capi, attagegenæ, & pauones indi, diu macerati. Areteus ex volatilibus anatis carnem damnat, concedit tamen leporinam, & porcorum pedes. Piſces pauci conueniunt, hi verò ſunt troctæ, ſoleæ, & plaiciæ, oſtrea omnia mala eſſe dixit Gal. ſaxatilos verò piſces laudat, vitellos ouorum tremulorum edant, in ſaccharo verò cocti meliores ſunt, lac & caſeum ſummè vitanda, fructus omnes virides praui ſunt, & palmulæ & nuces, niſi quis piri aut cotonei parum poſtrema menſa fumorum ſupprimendorum gratia edat, quamuis Areteus concedat virides ficus, & vuas maturas, ſicci tamen fructus non multi competunt, vt paſſæ, amygdalæ, auellanæ toſtæ, piſtachia, capparis frequenter, & caricæ. Olera mala ſunt, præſertim cæpa, porrum allium, eruca, ſyuapis, ſed Galenus modicè deguſtare permittit, betam, braſsicam, maluam, lactucam, atriplicem. Potus ſit vinũ aquoſum, ſi ei aſſueuerit, non antiquum, non nouellum, non nigrum, non craſſum. Sim minùs, aqua mulſa, aut aqua cinnamomi, dum eos curare proponimus. Vinum album odoratũ Areteus concedit, ſed eius odorem non laudo. Poſtrema verò menſa vtentur his, quæ capite de vertigine, diximus, ſomnus ſex aut ſeptem horarum ſit nocturnus, ſed dormire incipient duabus horis à cœna, diurnus tamen ſomnus omnimodo vitandus: Exerciten tur moderatè, ante cœnam & ante prandium, deambulationibus modicè celerato gradu, ſed depoſitis manè ventris excrementis, nullo ludo aut exercitatione vtantur in quo opus ſit caput inclinare, aut in gyrum vertere frequenter corpus. Frictiones eiſdem vtiles ſunt linteo aſperiore factæ, caput quoque pectine ſcalpent, & frictiones eidem poſtremo loco adhibendæ: incipient enim à brachiis, deinde ad pectus perueniendum, deinde ad crura, & poſtremò ad caput veniendum, vt Galenus docet in conſilio, puero morbo comitiali laboranti tradito, fæces quotidie deponet, aut glans ſummittenda, aut iniiciendum clyſtere, quod acredinis particeps ſis. Sic itaque omnem repletionem vitabit, atque cruditates, & inediam, & venerem frequentem. Omnia præterea animi ſymptomata fugiet, præſertim iram & terrorem. Vidi enim pueros quibus per iocum incuſſus eſt terror, qui deinde morbo comitiali præmebantur, & alium qui cum attente inſpexiſſet eum qui in comitialem inciderat, ſubitò eo malo correptus cecidit. Eum qui in morbum incidit comitialem, ex doctrina Celſi, vt acuto morbo laborantem, vſque in 14. diem curabimus, deinde vt diutinum, quem ab acceſsione reuocabimus, partibus his quæ conuelluntur, oleo fouentes, & blandè fricantes: occiput autem vnguibus ſcalpere plurimos excitat, ita vt præſentibus admirationem moueat. Membrorum vehementes agitationes cohibendæ, ſed cum moderatione, nonnihil ipſis concedentes, ne interim contendentes validè, fribras neruorum & muſculorum dirumpant, aut neruos ab origine deuellentes in paralyſim incidant, vinciendæ quoque ſunt extremæ partes, ſed neque violentiùs, nec ad articulos vſque, ne omnino motus eorum compeſcamus: nam & hi vtiles ſunt laborantibus, ſiquidem per eos humores à capite in extrema tranſponunt. Ruta admouenda naribus, aut pulegium aceto madefactum. Tardante verò acceſsione piperis, aut euphorbij parum naribus infundendum, & ſternut

Comitialiũ victus.

Curatio comitialis morbi.

nutatio prouocanda. Aut ſetis porcinis titillatio intrà nares mouenda. Sacculus prẽterea paruus, ex ſaluia & pulegio, aceto mulſo madefactis, ori inſerendus, tum vt pituitam extrahamus, tum etiam ne ſibi linguam amputet, aut mordeat. Perſeuerãre quoque acceſsione cucurbitulas ſine ſcarificatione hypochondriis admouebimus. Et caſtorei grana 6. in ʒ. iij. aceti mulſi ori infundantur. Paulò poſtquam ab acceſsione leuatus fuerit, condito diacitron, aut de floribus bugloſsi, aut radicibus eiuſdem cõditis recreãdus, & parum aquæ cinnamomi bibet, deinde verò conſtantibus viribus & morbi cauſa id expectante, & ſanguine caput obſidente, accedente quoque frequentia acceſsionum, venam externam cubiti ſecabimus, verùm ſi malum futurum ſperetur, ineunte vere præſeruationis ratione, comitialibus & vertiginoſis, ex præcepto Galen. libro de Sang. miſsione, venas ſecabimus quæ in malleolis ſunt. In fœminis tamen in quibus menſes ſperantur, aut cohibiti ſunt, prædictas venas ſine mora ſecamus. Et in quibus malum inueteraſcit. Ego ſanè tres fœminas à morbo comitiali liberaui, quarũ duabus venas malleorum ſecare præcepi: quoniam menſes ſuppreſsi erant, ſed ſectis venis deſcenderunt, tertiæ verò crura ſcarificauimus, & menſes prouocati ſunt, quos nunquam fuerat experta: erat enim 14. ferè annorum. Cùm verò æger acceſsionum frequentia & magnitudine moleſtatur, venam cubiti ſecare cum Paulo ſoleo, niſi menſes retineantur. Atque vbi opus fuerit cucurbitulas ſcarificatas occipitio, & ceruici admouebimus. Deinde verò humores craſſos purgationi parabimus, in quem vſum acetum mulſum optimum eſt, cum origani, aut pulegij decocto: toto autem curationis tempore aquæ potu vtantur: ſed cocta ſit. Purgatio verò optimè ſuccedet, per pilulas cochias, ponderis ʒ.j. aut bibet pharmacum, quod recipiat electuarij indi ʒ.v. in decocto origani, pulegij, & aniſi aut ſapæ ʒ.ij. in colocynthyde extracto ſemine, ſed medulla relicta, pernoctare faciunt: manè verò ſapam bibendam præbent, qua modicè purgantur comitiali laborantes. Aut bibent agarici ʒ. ij. in aceto mulſo, aut aqua mulſa, aut electuarij diaphœnicon ʒ. v. in aqua mulſa ex origani decocto. A purgatione apophlegmatiſmis vtãtur, aceto mulſo cum calaminthę decocto, naribus infundimus ſuccum betæ, aut ciclamini, cum aqua mulſa, deinde capite abraſo, ipſum oleo irino fricare præcipimus, aut laurino, & ſucco calaminthæ, aut anethino & puluere radicis ireos, aut apponatur emplaſtrum ex melle & rutæ foliis tritis, aut melle & oleo rutaceo. Id quidem pluribus diebus, quibus omnibus poſt frictionem bibendam præbemus aquam mulſam ex decocto pulegij, aut acetum mulſum addito decocto calaminthæ, aut acetum mulſum ſciliticũ, cum origani decocto. Et rurſum ipſum purgare prȩcipimus. Per pilulas fœtidas, ponderis ʒ.j. aut ellebori nigri corticis ʒ.ß. teratur, & cum melle diſpumato præbenda. Si tamẽ malum à ventriculo oriatur, ſummopere cauẽdæ ſunt cruditas, & ebrietas, & fames, præſertim ſi calidus fuerit humor. Alimenta erunt boni ſucci, & facilis coctionis, in prandio aſſumẽt carnis turturis, aut tũrdi parum cum pane, aut pulli gallinacei, iecur aſſum, aut ouorum vitellos coctos ſorbiles, cum ſaccharo & ſucco arancij. Poſtrema menſa accipient aliquid eorum quæ in capitulo, de vertigine, in eum vſum diximus. Bibent aquam cinnamomi. Cœna erit mel roſaceum cum pauco pane. Parabitur humor aceto mulſo, & purgabitur pilulis de hiera, aut hiera picra, quæ cum melle ad clyſteria conficitur, ex 16. medicamentis, hæc cum aqua mulſa bibẽda, aut hiera Ruſi, ſiue diacolocynthidos, aut ſi pituita in cauſa fuerit, agarico purganda. Ventriculus deinde roborandus oleo melino, & nardino. Frictiones præterea crurum frequentes fieri debent. Si tamen morbus ex parte quapiam vt manu, aut pede oriatur, parti ipſi ſubueniendum, paulò etenim ſuperius membrum validè vinciendum, corpus purgandum, & parti admouenda quæ corruptum humorem inde diſcutiant, vti cantharides cum melle, aut ſynapi cum melle & aceto, aut igne pars leuiter exurenda, atque vlcus

Sang. miſſio in comitiali.

Comitialibus à ventriculo curatio.

Comitialis ortus à parte quapiã curatio.

diu apertum seruandum. Prosunt comitialibus balnea naturalia, & post purgationem vsus theriacæ. Caueant autem omnes ebrietatem, cruditatem, incessum per trabem, inspectionem ex alto loca, & decliui, diutius in balneo morari, aut sub æstiuo sole, aut in iram vehementem incidere, aut quamuis aliam subitam animi motionem, siue tristè siue lætum nuntium, & terrorem quàm maximè. Nec prætermittenda sunt hoc in loco quædam quæ comitialibus accommodata sunt, & quàm plurimos ab eo morbo liberarunt, quorum quædam à nobis experimento probata sunt, non sine magno famæ, & nominis incremento, pyrethri, abrotani zingiberis singulorum ʒ.vj. seminis rutæ staphidis agriæ, cardamomi, dauci singulorum ʒ. iiij. croci, piperis vtriusque ʒ.j. omnia in puluerem redigantur, & sex diebus ieiuno ventre pondus ʒ.j. cum aqua mulsa sumatur. Aliud rasuræ cranei humani ʒ.ij. peoniæ, pyretri, staphidis agriæ singulorum ʒ.iij. piperis, dauci, vtriusque ʒ.ij. pondus ʒ.ß. sumendum cum aceto mulso. Aliud præstantissimum, staphidis agriæ, aristolochiæ rotundæ, vtriusque ʒ.v. radicis peoniæ, pyrethri, rasuræ cranei humani singulorum. ʒ. iiij. terantur simul omnia, de quibus ʒ. ij. pondus, cum aqua mulsa decem diebus continuis accipiet. Aliud radicis peoniæ, & pyretri vtriusque ʒ.ß. cum aceto mulso scilitico, bibatur, & si adhuc malum perseueret, ferro candenti duobus locis vrere conuenit, in occipitio, & infrà, qua parte summa vertebra cum capite committitur, & vlcera diu seruanda. *Celsus.*

De incubone. Cap. XIII.

Incubo. INCVBO A Græcis ἐφιάλτης dictus est, quoniam qui hoc morbo laborant, ab alio incubari, & opprimi, & ab eo insiliri, imaginantur. Themisionem quoq; Paulus refert, morbum eum appellasse, πνιγάλιον, ab eo quòd hominem suffocet: apparet namque ægrotis se ab aliis suffocari, quin & nonnunquam suffocantur, vi morbi impedita respiratione. Hispani morbum hunc appellant, lapesadilla. Euenit is morbus dormientibus, similis ferè morbo comitiali, qui vigilantibus accidit, & eo deterior comitialis, quo potentia maior est, eius morbi qui vigilantem opprimit, quàm eius qui dormientem: is enim à somno non parum opprimitur. Sunt quibus eueniat cũ dormituri accedunt, nondũ dormientes, qui medio modo malus est, sed facilè is transit in comitialem morbum, nec longè abest, qui dormientem corripit. Nonnulli præterea in apoplexiam incidunt eorũ qui id malum frequenter patiuntur, ac perinde nonnunquam pueri moriuntur dormientes, nimio vapore crassi lactis oppressi, & suffocati acũ collo fuissent suspensi. Quin & nonnulli nutrices immeritò accusant, quòd eos inter dormiendum superiecto brachio, aut crure oppressserint. Hi non curati ad melancholiam transeunt. Causam habet internam, crassum humorem & vaporem, qui animalem spiritum cerebri opprimit, & eiusdem obstruit meatus, ita vt respirationem ipsam liberam non permittat, quam laborantes magno conatu exercent. Prægressæ verò causæ sunt, ebrietas, nimia ciborum repletio, & frequens ventriculi cruditas. Signa sunt, difficilis motus, hebes sensus, imaginatio rei opprimentis, magna difficultas excitandi à somno, vbi nõ ab alio vocatus ægor, aut commotus excitetur: vocem præterea mittunt querulam ex alto pectore, nihil significantem. Hanc quidem, si quis probè cubet, audiet, reliqua ipse referet excitatus. Veluti & quod incubãtem videt, & alloquutus est, & subitò effugit, cùm eum manibus attrectasset. Victus eisdem instituendus, veluti his qui morbo comitiali laborant, suprà scriptus est, sed id magnopere seruandum, vt cœna parua contenti sint, veluti melle rosaceo cum pane tosto, vel satisfacient auellanæ tostæ, aut passidæ cum amygdalis, aut capparis cum aceto & sacchar o, aut duo ouorum vitelli tremuli, & parũ vini aquosi bibent, aut si id ferant aquam ante id præterea admonendum, ne in cubiculo, dormituri soli concludantur, sed manibus bonos odores assiduè ferant, ab im-

Incubone laborantibus victus.

portuno, frequenti, & assiduo literarum studio abstineant, præsertim à cœna. Et caput multis pannis obuoluant. In quibus venæ latæ apparuerint, & facies rubea, & vires constant à sanguinis missione curatio incipienda, secta in cubito vena media, si magna affuerit corporis plenitudo, alias tamen, externa secetur, deinde humores crassi extenuandi aqua mulsa, ex origani decocto. Aut si crassior ac tenacior putatur humor, aceto mulso cum decocto calaminthæ: corpus verò purgandum pilulis aureis, aut pilulis sine quibus. Atque si humorem melancholicum subesse existimaueris, confectione dicta, hamec. Si pituitam, electuario indo: diluantur tamen in decocto sene. Probè purgantur hoc medicamento, Agarici ʒ. j. ß. infundatur in decocto origani per noctem: manè verò colaturam bibat. Frictionibus post hæc vtatur, quibus comitiali laborantes vti præcipimus, & perseuerante malo, caput radendum, & fouendum oleo anethino, & laurino, & aqua mulsa cum pulegij decocto naribus sorbenda, & apophlegmatismis vtetur, ex aceto mulso, & decocto calaminthæ: roborabimus tamen caput, condito de floribus stœcados, aut roris marini, cùm puluere pliris arcoticon, aut eodem puluere in tabellis, ex saccharo, aut melli despumato, insperso, aut pulueris radicis peonię recentis ϑ. ij. in ʒ. iij. aquæ mulsæ accipient. *Curatio.*

De Melancholia. Cap. XIIII.

MELANCHOLIA Morbus, frigida cerebri intemperies est, ab humore vel vapore melancholico eius substantiam alterante, & occupante procedens, quā deliria sine febre sequuntur. Cùm enim humor melancholicus cerebrum occupat, & infestat, si noxa ab eo prouenies in corpus vergat, morbum comitialē efficiet: si verò in animam, mutationem temperamenti, melancholiam morbum generabit. Ac perinde vt Galen. testatur lib. 3. de Locis patientibus. cap. 6. rectè Hippoc. dixit libro 6. de Morb. pop. morbo comitiali laborantes fieri melancholicos, & conuerso: nam facilè melancholicus humor cerebri ventres obstruens, alterat ipsum, & qui alterat, facilè ventres occupabit: alterans verò, imaginationem & cogitationem vitiat, ad quæ deliria sine febre sequuntur. Quapropter morbum hunc, delirium sine febre, ab humore melancholico, appellant. Sit autem is morbus bifariam, aut per essentiam in cerebro, & primaria affectione ipso laborante, aut à ventre orto malo, contentiente cerebro. Primum rursus bifariam fit, aut enim simul cum cerebro, totum corpus melancholia redundat, aut in cerebro tantùm continetur, in quo melancholiam generari contingit, bile aut sanguine sensim calefactis, & tenui parte dissoluta, terrena, & melancholica, seruata. Prima species fit ab humore melancholico cerebrum, & vniuersum corpus occupante, secunda ab eodem humore solum cerebrum obsidente. Tertia ab inflammatione partium quæ sunt ad imum ventriculum, & venas meseraicas, vapore nigro, melancholico, aut etiam humoris melancholici portione in caput ascendente, quæ melancholia, hypochondriaca, ac flatuosa dicta est, vidimus melancholiam ortam, à sanguinis putredine in vasis seminariis & vtero, in caput deinde sublato sanguine & ibidem assato. fit quandoque morbus hic à liene transmittente in ventriculum melancholicum humorem, quod vnam ex maioribus causis huius morbi esse testatur Auerrois. 3. colle. cap. 40. sed obiiceret aliquis (vt inquit) si namque ex inflammatione earum partium, melancholia fieret, non adessent ructus acidi, qui fiunt à causa frigida. Rursus si inflammatio causa esset, non fieret sine febre. Soluit autem dubia, quoniam sapor acidus non tantùm à frigore, sed etiam à calore fit. Vt nos quoque probauimus. Quod autem de febre diximus, cùm incipit inflammatio febris necessariò adest, sed non cùm inueteratur, & tenuis pars dissoluta est. Quoniam autem abdomen Arabes mirrac, appellabant, ipsi atq; Hispani morbum cum mirarchiam nominant. Melancholiam *Melancholia morbus.*

Melancho. causa.

tamen quæ cum redundantia humoris in toto corpore fit, victus generat, qui eum humorem parit, & ex nimia solicitudine generatur, & alimentis melancholicis, vbi lentibus, caseo, carnibus salitis, & cochleis, & vino nigro, & aliis quæ in facultatibus alimentorum, parte secunda à nobis dicta sunt. In cerebro melancholia augetur nimia solicitudine, mœrore, & vigiliis præcedentibus. Quando morbus in capite tantum conficitur, causam habet cerebri calidam intemperiem exurentem, & sanguinem ac bilem flauam in melancholiam mutantem, sæpe tamen sequitur capitis ardores, phrenitidem, vigilias, solicitudines. Si verò morbus à partibus ventris oriatur, causa est ardor earum partium, qui cibos exurit, & in melancholiam vertit: aut ab humore vitio in inflammatione lienis, aut melancholia ibidem exusta fit. Ex metu quoq; fieri insaniam testatur Celsus. Quam speciem rarò fieri dicit: à nobis tamen non rarò visa est in pueris & fœminis, quod malum à corde oritur per arterias transfuso humore vitio, & læsa imaginatione. Signa quædam sunt communia, quæ iam peculiaria singulis speciebus, communia sunt metus, & mœstitia, dicente Hippo. Apho. 23. lib. 6. Si metus & mœstitia longo tempore habent, melancholicum significatur. Longo itaque tempore timor & tristitia melancholicos infestant, & vt Galen. dixit 2. de Causis symp. sine manifesta causa. Lęditur quoque omnibus imaginatio, & se videre aut audire viderunt, quæ non sunt extra, sed in humore & vapore cerebri consistunt, vt enim aliàs diximus, imaginationis noxæ sensibus externis statim traducuntur. Quamuis diuersas imaginationes patiantur. Quidam enim mortem timent: quidam eam cupiunt, atque eandem sibi conciscunt, quidam se gallum existimauit, alter cæli timebat ruinam, alius se vas fictile esse putabat. Quidam in fletu, quidam in risu vitam degunt. Sed qui rident, paulò pòst mœsti & tetrici redduntur. Notus est in hac academia qui de veneni potu conqueritur, & quotidie à me remedia expoſcit. Noui melancholicum, qui se regem clamabat à regno expoliatum. Alterum qui se theologum existimabat, & is in diuerticulis & plateis perpetuò concionabatur, alius diem iudicij magnopere timebat, & se laqueo suspendit. Amant ferè omnes solitudinem & hominum consortium fugiunt, quidam etiam futura prædicant. Peculiaria verò signa eius qui in toto corpore habet melancholiam redundantem sunt sequentia, colore ad ingredinem tendunt, graciles & hirsuti sunt. Tales quidem natura, aut tempore facti, accedentibus vigiliis, solicitudine, & mœrore, victu melancholico, aut etiam retentione menstruorum, aut hæmorrhoidarum. Cùm autem ab hypochondriis morbus oritur, in ipsis ardorem sentiunt, & inflammationem, rursus hæc eadem tenduntur cum grauitate, accedentibus acidis ructibus, vigiliis, insomniis turbulentis. Præterea patiuntur subitos quosdam tremores, capitis dolores, aurium tinnitus, ventris excrementa arescunt & retinentur, vomunt nonnunquam acidum humorem, his omnibus accedit tristitia, circa thoracem & cor angustia, & ab his & reliquis ructu, & flatu misso, aut acido humore vomitu vacuato, siue deiectione leuantur. Quod si timor & tristitia perseuerãtes adfuerint, sine notis quæ ostendunt melancholiam in toto corpore redundantẽ, & sine illis quæ docent, ab hypochondriis oriri eandem, colligemus solum caput melancholia vexari. Porrò omnibus speciebus timorem & tristitiam adiungi sine manifesta causa (vt Galen. lib. 2. de Causis sympt. dixit) experimentum docet, causa tamen, non eadem ab omnibus tradita est. Galen. namque lib. 3. de Locis pati. cap. 6. inquit: Terrentur vt in tenebris pueri, & ex adultis indocti. Sanè quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauorem inducunt, nisi vel audaces admodum, vel docti fuerint, sic atræ bilis colore, mentis sedem tenebris similem reddens, timorem efficit. Etenim summis tum medicis, tum philosophis in confesso est, & humores & omnino corporis temperaturam, animi actiones variare posse. lib. tamen 2. de Causis sympt. posteaquam metum & mœstitiam, sine ratione,

Signa melancholia.

Timor & tristitia melancholicorum vnde oriatur.

dixit

dixit esse melancholiæ signa, addit. Quòd verò atra bilis rationalis animæ arcem occupãs timorem, mœstitiam, & mortis expectationem inducat, nihil mirandum est, cùm videamus in rebus externis, nihil magis quàm tenebras nos perterrefacere, si igitur quippiam tenebris simile, rationali parti animæ circumfundatur, hominem semper timere est necesse, vtpote qui semper timoris causam in corpore circumferat. Quod enim nobis extrinsecus accidit, cum ambiens nos aer, valtissimis tenebris fuerit obscuratus, id melãcholicis ab intimo corpore erumpere videtur, occupante cerebrum, vel ipsamet atra bile, vel vapore quopiam melancholico, vt in eo morbo, quem inflantem & hypochondriacum appellant, euenire videmus. Ex quibus colliges causam tristitiæ ferè perpetuæ, eorum qui melancholia laborant, qui verè nullam externam sui mœroris causam habent. Nosse tamen oportet, iram, gaudium, tristitiam, timorem, & pudorem, passiones esse irascibilis facultatis in corde sitæ, vti parte prima docuimus. At verò hæ passiones non concitantur, nisi obiectorum cognitione, aut apparentia præcedente, ac perinde necessum est, antè passionis cordis commotionem præcedere imaginationem, eius quod delectet, aut contristet, aut gratum sit, aut odio habeatur. Quod in melancholia morbo, ad tristitiam generandum notissimum est. Præcedit enim in imaginatione cognitio nigredinis humoris cerebrum occupantis, aut similis vaporis, niger autem color tenebras effundit, tenebræ verò imaginatione deprehensæ, timorem concitant, & tristitiam: si quidem radius visorius ex oculis procedens tenebrę confusus, imagines & phantasmata rerum aduersarum efficit, quibus conceptis pueri, & indocti & pusillamines timent & tristantur, neque aliter qui nigrum humorem in capite aut similem vaporem continent, mixtione spiritus animalis, quem splendidum aliàs statuimus, cùm tenebra aut humoris nigredine, imagines concipiunt, rerum aduersarum, & quæ lædere eos magnopere possint, quarum causa tristantur & timent. Est itaque horum symptomatum causa humorum & vaporum nigredo, quæ ab imaginatiua deprehenditur, non aliter quàm in phreniticis, muscæ, aut culices, aut flocci & pili: læsa verò imaginatiua læditur irascibilis vis, in qua timor & tristitia generantur. Cùm igitur humor melancholicus frigidus sit & niger, ob frigiditatem distemperat cerebrum, ac lædit facultatem imaginatiuam, vnde plures actiones læsæ procedunt, vti cùm futura prædicant, & se reges esse putant, qui non sunt. Cùm autem timent, & tristantur, tenebra suffusa ob humoris nigredinem, imaginationes falsæ formantur, hæ tamen læsæ actiones, vitium sequuntur in obiecto. Illæ imaginationes sequuntur morbum, hæ verò causam morbificam. Auerrois tamen 3. lib. collectionum. cap. 40. Galeno aduersatur, probare contendens timorem melancholicorum non sequi nigredinem humoris, quoniam corruptio imaginationis non fit essentialiter a calore quopiam, sed ab intemperie, ac si diceret læsiones actionum non sequuntur colorum mutationes, quę qualitates sunt, siue affectus, atque symptomata, sed sequentur morbos, veluti malam cerebri temperaturam, ad quam deberet Galen. referre imaginationum læsionem. Præterea in tenebris nihil aliud accidit animæ præter defectum cognitionis visibilium: is verò non lædit imaginationem. Sed sequentur timor & tristitia naturam humoris melancholici, vt gaudium naturam sanguinis non moto splendore vi sanguinis, neque tenebra vi melancholiæ. Has autem rationes facilè solueret Galen. Nigredo namque humoris melancholici immediatè mouet imaginatiuam tenebras suffundens animali spiritui, nigredo tamen effectus est humoris melancholici, qui causa morbifica est, & efficit morbum, nempe frigidam cerebri intemperiem. Sed diceres adhuc sequi imaginationem læsam esse symptomata, & non sequi morbum, quoniam non sequitur ipsam frigiditatem cerebri immediatè, nos id libenter concedimus, non hoc tantùm, sed alia plura, vt de causis symptomatum diximus fieri, quæ non procedunt à morbis, quod Auer-

Auerrois de melancholicorum timore.

rois

rois quoque concedere tenetur: si namque, vt inquit, timor & tristitia, sequuntur humorem melancholicum, vt lætitia sanguinis naturam, & natura melancholiæ non est morbus: non igitur sequentur morbum, sed causam. Siquidem frigus, & nigredo humoris, intemperiem frigidam cerebri antecedunt. Idem quoque tenetur Galen. concedere qui à nigredine humoris timorem & tristitiam procedere dixit. Quod autem dixit tenebram nihil aliud efficere præter defectum cognitionis visibilium, falsum est: nam qui timent, phantasmata se videre ferunt: sunt autem hæ apparentiæ quædam ante oculos ex mixtione radiorum visualium cum tenebra: ex interna siquidem oculi luce & externa tenebra mixtis, visiones se offerunt diuersæ. Ita quoque fit in melancholicis mixtione siquidem luminis interni animalis spiritus, & tenebræ suffusæ ab humore melancholico, visiones & phantasmata excitant, quæ terrorem incutiunt, & tristitiam generant. Quantum autem ad victum attinet, aer attem perandus parum ad calidum & humidum inclinans, in quo modicè exercitentur: frequenter autem fricentur, & vt Celsus inquit, regionem mutent: sed non sint inter ignotos, & balneum ingrediantur aquæ dulcis sæpe: nam debita victus institutio cum balnearum frequenti vsu, vt Galen. testatur, nonnullos sanauit, quorum humor non erat valde rebellis. Somnus longior accommodatus est, & moderatus veneris vsus. Alimentis vtantur, quæ bonum succum generent, & facilè coquantur, humidioris naturæ, aut temperatæ, vti pullis gallinarum, & perdicum, non tamen ipsis perdicibus quæ annum attigerunt, gallinæ verò & capi, & phasiani & attagenæ, optima sunt alimenta, & caro veruecis selectissima probe macerata, & ex piscibus troctæ, barbelli, & saxatiles reliqui, & ouorum vitelli sorbiles. Ex oleribus borago eligatur, & buglossi radices conditæ cum saccharo. Vitent carnes bouinas, caprinas, porcinas, leporinas, & salitas omnes carnes, aut pisces similes, & caseum, & legumina. Et ex fructibus poma odorata vsui sunt quæ anethina dicuntur, & quas camuesas appellant, cum pauco anisо, & pruna passa, & vuæ passæ sine vinaceis. Vitent & vinum nigrum atque etiam crassum: bibent vinum album pauciferum. Quamuis ipsum Celsus omnibus insanientibus deneget præter quàm in ea quæ ex metu oritur insania. Potum autem omnem atque cibum, & condimenta, quæ acrem, salsam, aut amaram facultatem habent, vitanda omnino sunt. Gaudium & animi tranquillitatem omnimodo procurabunt, viridia prata, & hortos perlustrantes, cantilenas & musica instrumenta audiant, & fabulas, & quæ sani audire cupiebant, cum amicis conuersentur qui eos hortentur, & blandis sermonibus increpent, & à falsis imaginationibus auertant. Cùm autem opus fuerit, eos acerbiùs increpabunt, & terrores ab animo remouebunt, & eorum opera laudabunt, quæ ante oculos proponent, cogendi sunt aliquid addiscere, & memoria tenere, terrore quoque incusso, terrorem alium excutere non est à ratione alienum, nam inde fiet, vt à perpetuo illo timore, aut terrore soluantur. Ventrem lenem procurabunt, si opus fuerit clysteribus, quæ ex maluarum decocto, & oleo conficientur. Si in vniuerso corpore sanguinem melancholicum redundare intellexeris, curationem à sang. missio. incipies, secta vena cubiti media, quæ cum vena interna & externa copulatur, nisi fœmina fuerit cuius menses retenti sint, cui vena tali secanda. Verùm si medicus non satis perspectum habet, aut in toto corpore sanguinis melancholici copia subsit, pauco sanguine educto, eius naturam contemplabitur: atque vbi is melancholicus fuerit, rursus pro viribus, & corporis habitu ducetur, si bonus reperiatur, sistenda erit vacuatio. Quòd si in solo ipso capite sanguis melancholicus abundauerit, non oportet à sanguinis missione incipere, eius affectus ratione, quamuis ob alias causas mitti possit, vti si sanguis multus in vasis redũdauerit. In his itaque in quibus sanguis peccans in capite tantùm continetur, atque in aliis post sanguinis missionem, victus commodè instituendus in omnibus, præsertim in alimentis quæ humectan

Victus melancholicorum.

Terror melancholicis incutiẽdus, ex Celso.

ẽtandi facultatem habẽt & modicè calefaciunt, & bonum ſuccum præſtant, ac facilè coquuntur, & flatus ſint expertia. E quorum numero ſunt carnes prædictæ elixæ, potiuſquam aſſæ. Balneis quoque dulcium aquarum vtentur frequentibus: his enim vbi mitis, nec diuturna fuerit paſsio, plures viſi ſunt ſanitati reſtituti. Quibus verò vel ſanguinis miſsione non egentibus, vel vbi eguerint, ſanguine iam miſſo, malum perſeuerat, purgatio neceſſaria eſt, purgabitur autem humor melancholius, non ſemel, ſed ſæpe, vbi ptius paretur, parum calefacientibus, ſed humectantibus & attenuantibus, in quibus primum obtinet locum aqua mulſa, bis in die manè & ſerò bibita, quantitate ʒ.x. pro ſingulis potionibus. Paratur quoque per ſiropum boraginis, aut fumariæ, cum decocto radicum bugloſsi, aut fumariæ, aut lupulorum. Deinde purgabitur pilulis alſeiaret, aut pilulis de fumaria, quibus deuoratis ſuperbibet, huius decocti ʒ.vj. Prunorum, glycyrrhizæ vtriuſque ʒ.ß. floris boraginis & bugloſsi vtriuſque pugillum ß. lupulorum m.ß. bulliant in libris duabus aquæ ad conſumptionem tertiæ partis. Rurſus epithymi, ſene, paſſularum ſine vinaceis, ſingulorum vnciam ſemiſſem, aniſi, fœniculi vtriuſque ʒ.j. ſemis, myrobalanorum nigrorum ʒ. j. ß. bulliant in lib. 2. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, & colaturæ accipiet ʒ. vj. inquibus diluatur, confectionis hamec ʒ.ß. Interim verò à purgatione caput abluent decocto maluarum, camemeli, fœnogræci, florum boraginis & bugloſsi, nonnunquam etiam ipſa ſola aqua dulci calida. Deinde pluribus diebus bibent ieiuno ventre huius decocti ʒ.x. myrobalanorum nigrorum ʒ.vj. paſſularum ſine vinaceis, glycyrrhizæ, florum ſtœcados, florum boraginis & bugloſsi, epithymi, ſene, ſingulorum ʒ.j. polypodij, turpeti vtriuſque ʒ.iij. fumariæ, lupulorum vtriuſque manip. aniſi. ʒ.j. bulliant in lib. vj. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, reſiduum coletur & ſeruetur. Idem etiam decoctum facimus ex ſero lactis caprini, atque habet magnam in purganda melancholia efficaciam: in aqua mulſa verò, nihilominus vtile erit. Odores quoque bonos naribus admouebunt, vti flores boraginis, bugloſsi, camemeli, arancij & violarum quæ vino & aqua naſæ irrorentur. Ex aquis præterea ſtillatitiis harum florum, cum vino albo odorato, puluere diambræ, & croco, epitymata apponentur cordi. Et rurſus caput roborãdum condito de ſtœcade cum aqua boraginis, conditum etiam in hunc vſum accommodatur ex foliis meliſſæ cum ſaccharo, & ſiropus de ſucco pomorum anethinorum, cum ſaccharo: hoc enim cerebrum cor roborat: & eſt is qui appellatur ſiropus de pomis. Præſtantiſsimum eſt conditum de corticibus radicum bugloſsi, in vino albo odorifero, ſæpius madefactis & ſolo ſiccatis, deinde cum ſaccharo conditis. Purgandum autem corpus rurſus perſcuerante malo, ſero lactis quantitate ʒ.xij. in quo per noctè infuſum fuerit epitymum, ſene, & polipodium ſingulorum ʒ.ß. manè coletur & potui detur. Clyſteribus quoque vtentur, ex decocto maluarum, fumariæ, violarum florum bugloſsi cum melle, oleo, & pauco ſale. Aut ex decocto maluarum, epithymi, ſene in quo diluantur, caſsiæ fiſtulæ ʒ.j. ß. mellis & olei vtriuſque ʒ.ij. ſalis ϑ.j. Aëtius inquit conducit & lactis ſero aluum ducere, ſed non de caſeis dandum eſt ſerum, præſtat quod à lacte per coctiuram ſeparatur. Sit autem lac equinum, aut ſi non poſsit haberi, bubulum. Lac ipſum in olam nouam mittatur, & fici ramulo agitetur. Poſtquam autem ter aut quater ebulierit, acetum mulſum irroretur. Deinde percolatum in potu detur. Et primum quidem admiſcendum eſt mel, cùm autem venter ſubire inceperit, non amplius addatur mel. Accipiat autem æger per heminas hoc ſerum, non infra quinque heminarum menſuram. Ab omni verò euacuatione vtendum eſt maluæ ſemine leuiſsimè trito, duarum drachmarum pondere, cum aquæ cyathis tribus. Decet quoque à purgationibus caput tondere, & ipſum abluere decocto maluarum capitis arietis, camemeli, fœnogræci, violarum & florum bugloſsi. Quibus verò melancholia, hypochondriaca, ſiue flatuoſa fuerit, ventriculo & hypochondriis

Melancholiæ flatuoſæ curatio.

cura adhibenda his quæ humorem euacuent, & flatum discutiant, in medicamentis & alimentis. Parabimus tamen humorem & vias, aqua mulsa, aut syropo de fumaria, cum decocto lupulorum, & pauco anisо. Deinde purgabimus hiera quæ ad clysteria conficitur, ex iis medicamentis, cuius bibet ʒ.j. in decocto origani, anisi, fœniculi, corticum radicum capparorum. Post purgationem, serum lactis prædictum cum epithymo, anisо, & fœniculo, bibet, ieiuno ventre, cui etiam ante potionem cucurbitulæ sunt affigendæ cum multa flamma partibus hypochondriorum tensis, aut dolentibus. Fomenta quoque fient, ex decocto quod admittit, rutæ, anethi pulegij, singulorum manipulum ß. anisi, fœni, carui, cumini, singulorum ʒ. ij. aluminis ʒ. ß. bulliant in aceto, & spongia partes dolentes & distentæ foueantur. Et stercus bubulum aridum cum aceto mulsо admoueatur. Pix quoque ad emplastri formam, cum oleo laurino, & puluere cumini addito, ventri & dorsо, è regione ventris admouenda. Bibent hi aquam mulsam sæpe, in qua comæ absinthij per noctem maduerint, aut hieram Rufi fabę magnitudine singulis diebus accipiat, vt docet Aëtius in eius compositione. Præter purgationem quæ cum hiera picra fit, aut cum pilulis alsciaret, perseuerante malo, vomitus per interualla mouendus, cum aceto mulsо & decocto seminis raphani, vel vt Paulus docet, elleborus vel potius, ipsius vis ad vomitum paretur, rafano arundine compuncto, dissectóque, ellebori albi optimi radicum præsegmina inseruntur: ac vbi vna nocte in eo permanserint, proiiciuntur: raphanus minutatim concisus, cum aceto mulsо in dictum modum ægro exhibetur, nimirum vomitionibus assueto, & horis duabus interpositis ad vomitum cogendus.

De Mania, siue furore, Cap. XV.

Mania.

MANIAM Latini insaniam, & magis propriè furorem appellãt, quòd eo malo correpti furibundi, & temerarij fiant: est insania & delirium sine febre, ab humore calido cerebri membranas mordente, & substantiam calefaciente, & exurente, quamuis ab intemperie fieri possit, sed sine febre consistit. Inquit enim Galen. lib. 2. de Causis sympto. Porrò omne delirium deprauatus est principis facultatis motus, à prauis succis, aut cerebri intemperie ortum habens: ac phrenitis nominatur, si febris accesserit: mania verò, si citra febrem accidat. Hæc interim mordaces sequitur succos, qualis est præcipuè flaua bilis, interim verò à calida cerebri intemperatura nascitur. Causa est sanguis qui in cerebro assatur, & putret, aut bilis simili modo affecta, ita vt in nigram degeneret, vt inquit Paulus, præterea à multo sanguine fieri potest, puro non putrido, aut ab eodem cum bile mixto, vt vult Aëtius: attamen purus sanguis, non efficit eum morbum citra caloris incrementum. Quòd tamen febrem non efficiat sanguis, aut bilis, quamuis superincalescant, aut putreant, eo fit, quoniam sensim accedit humor qui effernescit, & ad melancholiam vstione sensim quoq; degenerat, ita vt nunquam adeò copiosus accedat vapor, vt febrem concitare possit. Cùm autem sanguis assatur, & cerebri membranis hæret, validè pungit & mordet, & in ferina ducit deliramenta. Antecedunt hoc malum, capitis dolores, & vibrationes, insomnia terribilia, & vigiliæ immodicæ, & risus intempestiuus, & ira sine causa, & cura pertinax, & splendores ob oculos, ad venerem promptitudo, & sæpe nocturnæ pollutiones. Cùm verò iam morbo premuntur, agitãtur & in diuersas admodum deliriorũ species incidunt: quidam enim rident, quidam irascuntur, omnes importunè. Quidam eorum loquuntur quæ imaginantur, quidam eadem aggrediuntur agere: at hi validiùs morbo occupantur. Temerarij sunt & iniurioſi, ita vt familiaribus insidias parent, & eos vulnerent, & quandoque occidant. Quidam per fenestras exiliunt, quidam se ipsos dilacerant & vestes, quidam cibos degustare nolunt, ita vt tractari, & curari nequeant, nisi ligentur, & flagellentur. Carpentarius quidam

Mania signa.

quidam, teſte Areteo, in officina ſapere videbatur, ſed extra concitabatur furore. Inuadit hic morbus ex ætatibus iuuenes frequentiùs, calidos, & vafros, & irriſores, & viros potius quàm mulieres, & eos quibus manifeſta aliqua vacuatio ſuppreſſa eſt, aut in fœminis menſes, & qui inediam tolerant æſtiuo tempore, aut ſub ardenti ſole iter agunt, & acrioribus alimentis vtuntur, & vinis validioribus, & ſalſis alimentis, & ſalſamentis ex pipere, zingibere, melle & ſimilibus. Ex his deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, minus periculoſæ ſunt, teſte Hippoc. Aphoriſ. 53. libro 6. Aer ad frigidum & humidum inclinet. An tamen lucidus, an obſcurus eſſe debeat, à iuuantibus deſumemus, quoſdam enim lux, quoſdam tenebra magis imaginationem vitiat, & turbat. Alimenta eis exhibeantur liquida, quæ facilè coquantur, paucum ſanguinem generantia, atque eum frigidum & humidum, vt puls ex ordeo, aut ptiſana, aut borago elixa, cùm iure gallinæ, aut ius pulli cum ordeo elixi, aut piſces ſaxatiles pauca quantitate, aut mica panis in iure pulli, aut mica panis lota. Potus ſit aqua ordei, aut aqua ſola elixa, & à vino abſtineant, ſomnum omnimodo procurent, odoribus violarum, & nimpheæ. Quieſcant omnino, aut ligati coerceantur, ſed moderatis vtentur frictionibus. Ventrem habeant lenem, aut clyſteria iniiciantur ipſis, ex decocto maluarum, violarum, ordei, cum oleo violaceo, & ſaccharo, quibus etiam, addemus caſiam fiſtularem, aut hieram picram. Vitabunt omnem animi turbationem, & amici cum eis conuerſentur, qui eos hortentur, aut etiam obiurgent, & vbi opus fuerit, flagellis cædant. Et quamuis nonnunquam ſapere videantur, credendi non ſunt: eſt enim is maniacorum dolus, qui cupiunt à vinculis, & flagellis euadere. His præhabitis ſanguis mittendus eſt, ſecta vena externa cubiti, aut ipſa non apparente, media ſecabitur, aut pro ipſa, interna. Aut vbi ea non appareat, ſecabitur vena aliqua in malleolo, aut aliqua ex his quæ ſunt manifeſtæ in pedis pollice, aut in manu inter indicem & pollicem. Educemus autem ſanguinem pro virium ratione, & corporis habitu. Plures enim ſunt qui facilè ferunt valde copioſam miſsionem ſanguinis, quam ſi videatur ægrè ferre, impartienda eſt vacuatio, & bis, aut ter venam aperiemus. A ſanguinis miſsione, admouebimus capiti detonſo, roſacei ʒ.vj. aceti roſati ʒ.j. ß. ſucci polygonij ʒ.ij. Aut roſacei, violacei, vtriuſque ʒ.ij. aceti ʒ.j. ſomnus verò conciliandus vapore elixationis capitũ papa. aut vngento populeon, naribus admoto, quod poſt horam ſemoueatur. Aut dormiturus ſiropi de papa. bibet ʒ.j. ß. per interualla dierum. Nam ſi ab his quæ dicta ſunt vigilię ſequantur, pernicioſus reddetur morbus. Quòd ſi accepto prædicto ſiropo dormierit, non amplius eo vtetur. Deinde Aëtius venam rectam in fronte ſecare iubet. Quãtitas autem ſanguinis ſit prope librã. Si tamen facta ſanguinis vacuatione, bilis redundãs apparuerit, corpus purgabitur accepto prius ſiropo de boragine, & aqua bugloſsi. Purgatio verò optimè ſuccedet, cum pilulis ſine quibus. Aut cum hiera picra in aqua mulſa, aut cum pilulis fœtidis de ſuper bibito decocto ſene, & epithymi, pilularum fœtidarum ʒ.j. decocti ſeni & epithymi ʒ.v. Si tamen hæc deglutire detrectent, cibis inſerenda erunt, vti caricis, aut palmulis, vt eos fallamus. Rurſus à purgatione ſomnus conciliandus fomento capitis ex decocto violarum, nimpheæ, capitum papaueris, aut lacte & violaceo lana infundẽda, quæ ſyncipiti applicetur. Et perſeuerante malo ſanguiſugas capiti vniuerſo affigemus. Per nares quoq; purgare excremẽta capitis cõuenit, attracta aqua mulſa: iuuant interim non parum clyſteria ex maluarũ, violarum & ordei decocto, cum violaceo, & ſaccharo. Inclinante autẽ morbo, balneũ aquæ dulcis, quod caput nõ tangat vtile erit, calido admodũ ſenſato capite frigida ſæpius irrigandũ. Poſtquam tamẽ leuati fuerint præſeruationis gratia, ineunte vere eis ſanguis mittendus, & venter ab humore bilioſo purgandus, cùm verò ab vtero furor oritur, ad vterum conuertere oportet curationem. Tradit eius curationem Aetius cap. de furore vterino, pariter & dignotionem.

Maniacorum victus.

Maniacorum curatio.

De Lycanthropia, Cap. XVI.

LYCANTROPIA Morbus capitis, ab humore bilioso aut melancholico fit, cùm exuruntur. Atque est maniæ species, per quam homines lupis similes moribus fiunt, id quod vox ipsa indicat: toruè inspiciunt, vlulant, singulos homines fugiunt, cùm eis occurrerint, similes quibusdam animalculis, quæ in aquæ superficie currentia se tangunt & statim refugiunt. Hi autore Paulo, atq; Aetio (qui de hac re eadem omnino scripsere) circa defunctorum monumenta tota nocte ad lucem vsque morantur. Quorum facies pallet, oculi imbecilli fiunt, & aridi, & lingua adhuc magis, siti vexantur, & crura vlceribus fere immedicabilibus scatent: cùm enim occasione fiant ipsis inconsideratè incedẽtibus, humorum malitia occurrens eadem sanari non permittit. Cùm morbus accedit, qui per interualla euenire solet, vti & mania quibusdam, singulis lunæ circuitibus, sanguis mittendus ad animi deliquium. Nos verò abundè mittemus sanguinem, id quod satis faciet, educentes, atque sang. missionem, si opus fuerit, repetemus. Deinde victu humectante, balneis, & theriacæ potu eosdem curabimus, interim maniacorum instar eosdem purgantes. Præbendum quoque pluribus diebus summo mane in potu serum lactis, eo modo paratum quo suprà ad melancholicos ex Aetio: in sero autem per noctem sene, & epithymum madescant, & quantitas colaturæ sit ʒ.xij.

De Iis qui amore insaniunt, Cap. XVII.

AMORIS Affectus, animi motus est & ipsius conflictatio, cuius naturam & generationem, nos in oratione de amore publicè habita patefecimus latè. Est enim amor animi solicitudo perpetua, & cura pertinax, spei, timoris, tristitiæ, & lætitiæ plena: hæc verò cùm diu perseuerat, cerebrum exsiccat, & hominem euigilat, & delirare cogit, & omnia præter vnum amatum odio prosequi, oculi excauantur, nec tamen lachrymas fundunt, voluptate pleni apparent, & palpebras continenter mouent, pallet etiam facies: fiunt enim (vt Galen. inquit in comm. præfationis in lib. progno.) decolorati, & insomnes, graciles quoque fieri testatur, cui sententiæ experimentum subscribit. Quamuis Paulus dixerit, nulla ex corporis partibus collabente, solos oculos collabi. Nisi dixeris, collapsum intellexisse segnem motum, & decidẽtiam. Pulsus autem eorum qui amore correpti sunt, nullus est peculiaris, sed qualis in animi conturbationibus & conflictationibus, verùm amato præsenti, inæqualis fit, aut vbi eius mentio fiat, subitò præsertim. Erasistratus namq; filium regis nouercæ Stratonicę, amore correptum intellexit, quoniam ipsa præsente mirum in modum pulsus fuit immutatus. Et Galen. fœminam Pyladis amore captam agnouit, vt libro de prænotione testatur, quoniam cùm Pyladis mentio habita fuisset, pulsum variis modis agitatum inuenit. Ipso verò absente pulsus paruus fit & imbecillus, & temporis processu durus. Sed non id tantùm amantibus accidit, verùm etiam cùm amatum vident, aut eius mentio coram fit, oculi exhilarantur, rubore suffunduntur, & nisi prudentes fuerint, & animi affectum validè compescant, de amatis verba facientes animum suum pandent. Suspirant, quoniam validis imaginationibus occupati, vti phrenitici respirationis obliti, deinde ad se recepti magnas illas efficiunt inspirationes, ob magnum calorem cordis. Sunt quidem admonendi virtutis, religionis, & sanctimoniæ, & distrahendi, & in diuersa reuocandi, & quandoque increpandi acerbius, & flagellis cædendi. Ad balneum mittendi, & ludos, & compotationes, & amœna loca, & virentia prata, atque in aliam regionem. Præterea pro pulchra amata, pulchrior alia ob oculos offeratur, & pro viro, alter elegantior, quibus nubere possint. Vitia quoq; & turpitudines amatorum, coram amante referri debent, nisi amantes valde abiecto animo fuerint: qui enim tales sunt, similes concupiscunt: quamobrem

Signa amantium.

Amãtium respiratio.

Amãtium curatio.

eis

eis præstantia, dignitas, & personarum disparitas opponenda. Summa totius curationis duobus capitibus continetur, nempe vt animum in diuersas cogitationes, modis omnibus distrahamus, & corpus cibis, potibus, balneis & somno humectemus.

De Apoplexia, Cap. XVIII.

APOPLEXIA Græca vox, latinis percussio est: quare qui hoc morbo laborant percussi appellãtur: ab aliis verò, sideratí, & attoniti. Est autem apoplexia, ventriculorum cerebri integra obstructo, à crassis, lentis, & frigidis humoribus, quam sequitur subitò sentiendi atque mouendi omnimoda impotentia: saluatur autem in quibusdam eorum respiratio. Ac perinde cùm sola respiratio ex animæ functionibus saluetur in quibusdam, Galen. ex læsione respirationis, periculi magnitudinem coniicere docet, libro tertio, de Loc. pa. cap. septimo, vbi causam quoque eum morbum efficientem explicit dicens: Apoplexię autem, quòd subitò euenit, aut frigidum, aut crassum, aut viscidum quodpiam quod cerebri ventriculos affatim implet, non totius essentiæ intemperiem, causam esse manifestum est: veluti etiam lethargi, phrenitidis, maniæ, melancholiæ, stultitiæ, amissæ memoriæ, sensuum hebetationis, resoluti motus, in omnibus his affectibus, in quorum numero apoplexia continetur, periculi magnitudinem, ex respirationis nocumento coniicere oportet. Sanè quemadmodum dormientes spirant, quamuis nulla alia accedente actione, quę à consilio prodeat, vtpote qui supini iaceãt in cubili, ita in soporosis affectibus omnibus quamquam neque sentiat corpus, neque moueatur, tamen sola respiratione, quæ musculorum pectus mouentium munus est, saluatur. Hoc in loco à viscidis & crassis humoribus apoplexiam fieri dicit. A melancholia verò fieri cum Hippo. docet, sexta Sectio. Aphoris. comment. 56. Præterea humor crassus per hanc affectionẽ non tantùm ventres cerebri occupat, sed etiam eius substantiam, vt Galen. libro quarto, de Loc. pat. capitulo secundo docet, dicens: Verùm & in sopore & morbo comitiali ventres cerebri magis, corpus minùs, in apoplexia corpus magis affici solet. Quæ sententia eadem omnino est cum ea quæ habetur 2. Sect. aphoris. Comment. 42. Vbi apoplexiam fieri dixit aut ob dispositionem similem inflammationi, quæ in cerebro consistit, aut ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso. Quòd enim corpus cerebri affici dixit, idem est quod pati dispositionem similem inflammationi. Sunt autem ex apoplexiis quædam insanabiles omnino, quædam quæ difficilem admittunt curationem, dicente Hippocr. Apho. citato. Apoplexiam fortem soluere impossibile est, debilem verò non facilè quo in loco sicuti & libro tertio, de Loc. pat. Galen. periculi magnitudinem docet distinguere ex respirationis læsione, vt inde quoque notum euadat, quæ incurabilis sit, & quę maiori aut minori cum difficultate curetur. Si namque respiratio omnino cohibeatur, maximus & acutissimus morbus est, per quem viuit adhuc animal, sine respiratione sola transpiratione manente, quæ per cordis & arteriarum motum exercetur. Si verò fiat, sed magna cum vi, adhuc fortis adest & incurabilis apoplexia: sunt qui respirationem efficiunt, non intentam, nec violentam, sed inæqualem & inordinatam, & intermittentem. Hæc quoque apud Galen. inter fortes apoplexias recensetur: at verò Hippo. Aphoris. 51. libro sexto, stertorem dicit esse apoplexiæ signum, & Galen. in Commen. eam esse fortem dicit, quam tamen Hippocr. febre superueniente sanari asserit. Illæ verò apoplexię in quibus respiratio non tantùm violenta non fit, sed & ordinem seruat, debilis est, & adhibita diligentia citò curatur. Infestat sanè morbus homines natura pituitosos, pingues, in ocio degentes, eos qui frequenter inebriantur, accidit quoq; his qui magnos ictus capitis ferunt. Inuadit senes, & Iuuenes quandoque, sed non nisi ob magnam causam, quæ docet deterius malum: nam vt commenta.

Apoplexiæ causa & species.

Apoplexiæ magnitudo ex respirat. assequenda.

citato. Galen. dixit, morbi magnitudo causę magnitudinem sequitur, An-

Signa apoplexiæ. tecedunt magni capitis dolores, qui subitò inuadũt, & grauitates, somni profundi, incubo frequens, tinnitus aurium, splendores ob oculos, & confusio visus, hebes odoratus, stertores dormientibus, atque stridores, ad motus pigritia, venæ iugulares intumescunt, præueniunt ventris cruditates, vrinæ ad ærugineum colorem tendentes, quandoque nigræ paucæ, apparent in ipsis sedimenta referentia speciem farinæ crassioris. Præsentem affectionem ostendunt subitus casus, vocis priuatio, sicuti sensus omnis, atque motus citra febrem. Iacent demortui, clausis oculis, & quidam eorum stertunt, atq; spumam ore mittunt, in

Apoplexiæ curatio. quibus comitialis morbus, præ vehementia, in apoplexiam transiuit. Huius morbi curatio magnis & validissimis tentanda remediis. Sed decet prius an curabilis sit intelligere: nam in letalibus curationem aggredi, infamat artem. An tamẽ apoplecticus omnino respiratione careat, agnoscemus speculo calibeo tersissimo naribus admoto, aut lanæ carminatæ hapso: hunc enim mouebit, illum verò inficiet respirans. Aut vas vitreum aqua plenum thoraci superponendum: qui enim respirat id mouet. Quòd si facultas & corporis habitus ferant, sanguis mittendus est abundè, sectis venis externis duorum brachiorum, perseuerante autem malo, cucurbitulæ admouendæ occipitio, cum scarificatione, & ventri cum multa flamma, deinde naribus admouenda sternutamenta ex pipere, euphorbio, & pyrethro, & sagapenum, galbanum, & euphorbium odoranda detur, crura & brachia valde vincienda & fricanda oleo rutaceo, aut de castoreo, clysteria iniicienda ex succo betæ, succo mercurialis, cum melle, sale, & oleo rutaceo, & irino, alia verò recipiẽt decoctum mercurialis, pulegij, & amarici, in quo diluantur, hieræ picræ ʒ.ß. elect. diaphœnicon ʒ.ij. mellis ʒ.ij. salis ϑ.j. in quem vsum salsosile vtilius est, glandes præterea in eum vsum formantur, ex melle tosto & addito puluere colocynthidis, aut granis 6. scammonij, aut ex hiera cum scammonio, aut ex hiera *Iangodij*: sint tamen longitudinis digitorum 6. & appendantur filo, vt cùm velimus eadem educamus. Expedit interim accessione perseuerante, aperto ore pituitam ducere, cum aceto mulso & origani, ac thymi decocto, & potui deglutiendum dare decoctum pulegij, & stœcados, in quo diluantur electuarij indi ʒ.ß. aut in aqua mulsa diluatur, pilularum cochiarum ʒ.j. Vesica fouenda oleo laurino: & de castoreo, aut etiam addito oleo scorpionum. Deinde caput abradẽdum, & fouẽdum oleo irino, aut laurino, & oleo de castoreo valde calentibus, aut expice, cera, & puluere euphorbij, & piperis, fiat emplastrum: aut ex melle & puluere piperis, & pyrethri. Aut emplastrum ex melle & stercore columbino, aut ex synapi & melle. Rursus ad ea quæ per nares infunduntur redeundum est, & cucurbitulas cũ multa flamma occipitio aglutinaras, & vbi alia non satisfaciant, sartago, vel galea calidissima capiti vestiẽda. Superuenit his febris quandoque & sanat eos, quibus commodè excitabitur. Remittente morbi vehementia aqua mulsa præbẽda, deinde ius pulli cũ melle, aut puls ex auena cum melle, & anisi puluere, & amygdalatum cum sale & melle. Sit autem lac eductum ex dulcibus amygdalis, cũ paucis amaris mixtis. A vino summopere abstinebunt, & diminuto morbo in lectica, aut curru gestabuntur.

De Paralysi, Cap. XIX.

Paralysis. PARALYSIS Latinis resolutio, aut relaxatio dicitur, quamuis tamen omnem resolutionem significet, medici eam tantùm quæ totius corporis medietatem occupat obstructionem, cum immobilitate, & sensus priuatione, paralysim appellant, Ea tamen quæ vnam tantùm particulam illius paralysis dicetur: fit tamen à crassis & lentis humoribus, mediam partem spinalis medũl-

Paralyseos causæ. læ occupantibus & obstruentibus, à quibus facultatis animalis transitus impeditur, in illius lateris membra, quorum sensus ac motus perit. Sed fit quandoque

doque à frigida intemperie, vel à frigida & humida, atque hęc erit constrictio, aut conniuentia, quæ contrariis facilem admittit curationem. Cæterùm in quibusdam solus motus perit, quoniam cum minori facultate sensus saluatur, quæ tamen efficere motum non valebit. Quandoque tamen sensus perit, motu seruato, vti de Pausania syro sophista Galen. retulit, cuius duos digitos minores & medij partem mediam sensum amisisse dixit. Quoniam nerui sensus læsi erãt, non tamen motus. Antecedit hunc morbũ apoplexia, comitialis, capitis grauitates, stupor, & ad motum pigritia, colicus morbus, ueteri præfocatio, retentio alicuius purgationis capitis assuetæ, victus humectans, profectio per loca frigida, & niuosa, & occursus aeris frigidissimi, præsertim ab exercitio, & sudore, præcedit etiam vulnus aut ictus. Euenit quoque his qui imprudentes sedent in lapidibus, & locis humidis, & iuxta fluuiorum ripas, & his qui sæpe inebriantur. Signa notissima sunt, nempe imp[illegible]tia sentiendi aut mouendi, aut vtriusque, in altero latere, quòd si pars paralysi laborãs non exterruetur, sanari potest: si verò pars contabescat, ferè nunquam sanatur. In huius morbi curatione quàm primum sanguis mittendus, secta vena media aduersi lateris, quantitas verò non multa sanguinis educenda, quoniam oportet ad frigidorum humorum coctionem & morbi lõgitudinem sanguinem & calorem seruare. At verò vbi ob frigidam fiat intemperiem sang. miss. dimittenda. A sanguinis missione purgatio sequetur humoribus prius attenuatis, & calefactis, siropo de stœcade, cum decocto origani, aut aqua mulsa ex decocto pulegij. Purgatio vero commoda fiet, per pilulas cochias, aut pilulas aureas, aut epoto pharmacho, ex electuario indo in decocto epithymi, pulegij, calaminthæ, cum anisо. Partes autem laborantes lanis integantur infusis in oleo laurino, rutaceo, aut sycionio, & in his qui duriore sunt carne, oleo de euphorbio, & de castoreo, nonnunquam etiam ieiuno ventre fricandæ eisdem oleis, atque oleo vulpino. Cucurbitulę quoque affigendę frequẽtes eisdem partibus & dorso: deinde dropax dorso affigendus, qui recipiat picis, resinæ terebinthinæ vtriusq; ʒ.ij.ß. pyrethri, piperis vtriusq; ϑ.ij. castorei, euphorbij, vtriusq; ϑ.j.ß. sagapeni, galbani, opponacis, singulorum ʒ.j. omnia lento igne misceantur & in pelle longitudinis dorsi extendantur. Cædere quoque partes vitica, aut easdem picare, & picem sæpius euellere conuenit. Rursus pars fricanda oleo laurino & vulpino cũ sale, aut oleo, de scilla, in quo liquefiat, sagapenum. Emplastra verò apponãtur ex ruta, calamintha, artemisia incoctis ad totius aquæ cõsumptionẽ. Aut fiat emplastrũ ex farina seminis lini, semine roris marini, vtriusq; ʒ.j. sagapeni, galbani, vtriusq; ʒ.ij. euphorbij ʒ.ß. olei laurini ʒ.iiij. olei de castoreo ʒ.ij. Quædã etiã in hũc vsum bibẽda quę neruos roborãt, è quorũ numero est siropus de stœcade cõpositus, aut siropus de calamintha, aut sagapeni, & belzuino vtriusq; ʒ.ß. in aquæ mulsæ ʒ.iiij. idque non semel, sed sæpe. Præterea potiones duæ, quarum alteram, clarea, alteram Hippocras, nominamus, sed confici debent cum aqua, vini loco, valet ad idem pliris arcoticon, cum melle despumato, si quis puleris ʒ.ß. in ʒ.ij. mellis sex diebus acceperit, deinde vulpinis pellibus membra vestiantur, & cucurbitæ capiti, cum scarificatione si opus fuerit, & vires ferant: aliâs verò sine ipsa, deinde membris patientibus affigantur, copiosa flamma. Rursum corpus purgandum & à purgatione bibent theriaces ʒ.j. cum decocto pulegij aut mithridatij ʒ.j. in decocto thymi. Aëtius decoctum pampinorum vitis, ieiunis assiduè potum valde prodesse partibus resolutis affirmat. Acorum conditũ experimentũ probauit, viribus ipsius attestantibus. Vngimus tamẽ partes hoc valenti medicamento (nam à leuioribus incipere, vbi morbus non instat, præceptum est, in generali medendi methodo) olei laurini, rutacei, & de castoreo, singulorum ʒ.ij. pyrethri, piperis, euphorbij, sagapeni, opopanacis, galbani, singulorum ʒ.j. ceræ parum, fiat vnguentum molle. Quod capiti abraso admouere conuenit, atque ipsum sæpe abradere. Emplastrum verò ex sinapi & melle parti admouendum,

Paralysios nota.

Paralyseos curatio.

Vnguẽtum ad paralysim.

Caput abraaere.

sed

sed attẽdere oportet, ne partes sensu priuatas valde lædamus & exulceremus. Præcipiunt quidam eos exurere in occipitio, & vertice pluribus in locis, vt Aëtius facit, neque est à ratione alienum, ac diutius vlcera aperta seruare, licebit quoque brachium, aut crus resolutum æstatis tempore calenti aeri exponere, præsertim oleo vulpino illitum. Victus eisdem conueniens calefacere & extenuare debet, & minimè humectare, aerem attẽperabimus ad calidum & siccum, veluti in curatione lethargi diximus. Membra ipsa patientia vulpinis pellibus vestiemus. Alimenta eisdem conuenientia sunt, aqua mulsa & ius pulli cum pipere, & cinnamomo, vsque in tertium diem, sed perseuerante malo eligent auiculas mõtanas, turtures, turdos, perdices, quæ assentur, & omnes fœniculo & petroselino inspergãtur ac sale. Amigdalas, grana pini, & auellanas tostas edere licet, & pistachia condita. Pisces vitãdi, & lac, & potus vini, & aquæ frigidæ qua mulsa bibenda, aut decoctũ cinnamomi, aut fœniculi, aut anisi, sed pauciſsimũ, quoad geri possint, bibant, saluiam, & nucem odoratam in ore frequenter teneãt: frictionibus vtantur, gestationibus in lectica aut curru, & balneas naturales sulphureas, aut aluminosas ingrediãtur. Somnum diurnum fugient. Vomitus eisdem conueniet à cœna, idque non semel, sed sæpe, ex aceto mulso, & raphani decocto.

Paralyticorum victus.

De relaxatione partis alicuius, Cap. XX.

Cynica conuulsionis curatio.

EX Partium resolutionibus quasdam curare docebimus, vt inde aliis mederi difficilè nõ sit, ac primo loco cynicam, siue caninam conuulsionem, sic appellatam, quoniam canes modere minantes, dum escam defendunt, nasum in latus conuertunt, atque alterũ oculum, sic itaque per hanc relaxationem, facies, oculus, labia, ac nasus, in alterũ latus deflectunt. Cùm enim musculi faciem vtrinque trahant, animali facultati per tertiam neruorum coniugationem, quæ à media cerebri regione oritur deriuata. Si altera pars laxatur, altera pro ratione trahens, etiam si nullo morbo laboret laborantem ad se conuellit. Quamobrem fit, vt pars quæ turpis apparet, sana sit, altera verò quæ in contrarium ducitur, ægrotet, cuique medicamenta sint admouenda. Vultus totus fasciis ligetur, siue appellato capistro, quæ in contrarium modicè ipsum inflectant, & in naturalem situm dirigant, in speculo faciem inspiciant, perinde enim conabãtur ipsum reducere. Victus is erit qui ad paralyticos in præcedenti capite scriptus est, ac si sanguis redundare videatur, venam cubiti externam secabimus, deinde eas quæ sub lingua sunt, & primis ceruicis vertebris cucurbitulæ cum scarificatione, aut etiam sine ipsa, pro sanguinis redundantia affigendæ: venter pilulis cochiis, aut aureis purgandus. Pars autem resoluta vngenda oleo laurino, vulpino, rutaceo, & blandis frictionibus, & manus compressionibus reducenda. Apophlegmatismis vtentur, ex aceto mulso, cum decocto calaminthę, aut áqua mulsa ex decocto pulegij & thymi. Masticabunt sæpius nucem aromaticam, aut saluiæ radicem, aut folia, aut staphidis agriç & pyrethri, maceris, singulorum ʒ.j. Mastiches & resinæ terebinthinæ vtriusque ʒ.ß. fiant pastilli quorum vnum ore teneat. Rursum pars affecta sequenti medicamento linienda olei laurini, vulpini, rutacei, singulorum ʒ.j. Castorei ʒ.ß. sagapeni, galbani, pyrethri singulorũ ʒ.j. misceantur, & calidum admoueatur. Relaxatur nonnullis lingua ob dictas relaxationis causas, & quibusdam post comitialis morbi accessionem finitam, his sanguis mittendus, si redundauerit, secta vena externa cubiti, & deinde venæ sub lingua secandæ, lingua commouenda, & fricandã, sacculis in ore missis in quibus folia saluiæ, rutæ, & macer, ac synapi contineantur, madefiant autem in aceto mulso, & ös colluant aceto mulso cum decocto pulegij, calaminthæ, & thymi. Mento cucurbitulas admouere præceptum est, & occipitio admoda quæ ad paralyticos valent, ex oleis & liminentis, ex irino oleo, & vulpino,

Lingua relaxata curatio.

cum

cum galbano,& belzuino.Sed & corpore euacuato,ſternutamenta prouocanda,natium titillatione,aut iniecto pipere,ſorbeant quoque per nares,aquam mulſam,cui ſuccus betæ miſceatur.Clyſteribus vtantur acrioribus. Victus ſit qualis paralyticorum. Veſica quandoque relaxatur,aut fibris reſolutis,qua ratione vrina non expellitur,aut muſculis qui oſculum ipſius claudunt,quo fit vt non retineatur.His pubes,& perineon oleis calentibus fouendum,vti laurino,irino,& ſcorpionum,& aliquod horum per ſyphonem,quem cathetera vocant,infundendum in veſicam,etſi vrina cohibeatur,per fiſtulam vrinariam educi debet,quam nos argaliam dicimus. Deinde oleo irino & de caſtoreo cum galbano,& ſagapeno,perineon,quod nos interfemineum dicimus,liniendum,& aliquid eorum quæ vrinam mouent bibendum dabimus.Si tamen colis relaxetur,eiſdem vnguentis & oleis quæ dicta ſunt,vtemur,lumbis admotis,& vertebris inferioribus,atque coli,& interfemineo. Carnes erinacei,& polypi edendæ,& pudẽdum cerui femori ligandũ,ad zonæ formam. Quòd ſi pars quæpiam abſciſo per tranſuerſum neruo paralyſim patiatur, immedicabilis morbus eſt.

Veſicæ relaxatæ curatio.

Colis relaxati curatio.

De conuulſione, Cap. XXI.

CONVVLSIO Inquit Galen.libro ſecundo,de cauſis ſymp. ea eſt quæ neruos & muſculos in eum cogit affectum,in quem ab animali facultate,cùm naturalem habitum ſeruaret,ducebatur.At verò docuerat nos Hippo.Aphoriſ.39.Sect.6.duas tantùm conuulſionis ſpecies,dicens:Conuulſio fit vel ex repletione,vel imitatione,ſic etiam & ſingultus. Verùm non contemnenda videtur tertia ſpecies,quæ conſenſu fit,& compaſsione,quam experiuntur quibus neruus punctus eſt,& qui valido motu acres humores vomunt.Quod Gal.lib.3.de Locis pat.cap.ſeptimo nouit,dicens:Atque acrem quoque humorem,non ſingultum modo,verumetiam conuulſionem per totum corpus efficere,ſæpe numero cõſideramus.Verùm vomitu reiecto eo quod mordebat,illico quieſcere.Conſtat autem hanc conuulſionẽ non fieri ex plenitudine: ſiquidem nerui conuulſi,per eam non implentur,neque inanitione,quoniam ea fere incurabilis eſt,vt Gal.vult comment.26.Sect.2.Apho.& Paulus cap.de conuulſionibus. Ea verò quæ ab acribus humoribus in ore vẽtriculi excitatur,facilè ſanatur, excreto nempe humore.Erit igitur tertia conuulſionis ſpecies.Præterea lib.5. Aphoriſm.Comment.1.de conuulſione loquens inquit.Fit enim non ab initio purgationis quando periculum eſt ne homo ſuffocetur,ſed quando vomentes vehementius vellicantur propter ipſam quidem maximè quæ fit in vomitibus diſtentionem,laborantibus neruis ob illam quam habent cum ore ventriculi in patiendo ſocietatem. In quo & alias vidimus vbi fortius moderetur,fieri conuulſiones,ſicuti iuueni,qui æruginem euomuerat: præſtat enim æruginem non æruginoſum vomitum nominare. Præterea Aëtius ad hos vomitus ſequi conuulſiones per conſenſum nouit,cum capit.de conuulſione,dixit. Fit etiam conuulſio in his,qui vehementer ob vomitus lancinantur,& ſedatur, vbi quæ moleſta ſunt,per vomitum fuerint reiecta. Paulus quoque inquit: Fit etiam conuulſio,cum vomentes vehementius turbantur.Quin & Galen.com. Apho.citati,Hippocratem hanc conuulſionis ſpeciem non ignoraſſe aſſerit, dicens:Fit autem vt dixi,& propter compatiendi ſocietatem conuulſio,quam non debemus exiſtimare fuiſſe ab Hippo. prætermiſſam. Sunt igitur duæ ſpecies per eſſentiam laborantibus neruis,quarum meminit Hippo.ac tertia quæ compaſsione fit. Niſi quis diceret eam quæ à mordacibus ſuccis fit,quoniam exſiccandi vim habent,a ſiccitate fieri,vt inquit Gal.Verùm id falſum eſt,tamen quoniam ea ſiccitas non peruenit ad omnes neruos conuulſos,tum quòd inſanabilem fere putat conuulſionem ſiccam,& hæc excreto humore curatur. Præter id quòd eam quæ ex nerui punctura fit,non dicet ſiccam eſſe,

Conuulſionis tertia ſpecies.

Qui itaq; hoc noſtro ſeculo hac tertiam conuulſionis ſpeciem negant, longè à veritate aberraut. Fit conuulſio à repletione, repletis muſculis & neruis, craſsis, & lentis humoribus, aut ob inflammationem. Cùm enim implentur latiores fiunt, ac perinde breuiores: inaniti verò abſumpta natiua humiditate corrugãtur, ac ad originem conuellũtur. Abſumitur autẽ aut in magnis euacuationibus, aut ardẽtioribus febribus. Vtraq; ſpecies fidibus citharę cõfertur à Gal. quæ ab humore implẽte, flante auſtro, aut areſcentes in aere calido ac ſicco contractæ, rumpuntur. Conuelluntur autem nerui ac muſculi ad anteriora, ac dicitur, ὑπισθότονος paſsio, aut ad poſteriora, ἐντεταμένος: quæ verò omni ex parte contractio ſit τέτανος appellatur latinis tenſio, aut rigor, per quem affectum nec ceruicem, nec caput, nec membra alia torqueri, aut moueri valent. Facilè ſanè conuulſio à repletione ab ea quæ inanitione fit, diſtinguitur, apud Galenum qui commentario vigeſimoſexto, libro ſecundo Apho. conuulſionem à repletione fieri agnoſcit, ſi ſanus homo repentè conuellatur: ſiquidem ſicca intemperies & præſertim adeò valida vt conuulſionem faciat, non eueniet abſque magna quapiam vacuatione. Paulus verò, cùm non multum poſt morbi initium, euenientes conuulſiones, longius prorogantur, à repletione fiunt. Quòd ſi magnis euacuationibus præcedentibus, aut ſanguinis profluuio, aut ventris, aut vomitus, aut menſtruorum conuulſio ſequatur, eam à ſiccitate & inanitione fieri dicemus, ſicuti etſi vehementes ſequatur febres. Si verò per conſenſum fiat, dolor, morſus, punctura, aut aliquod ſimile accedet, quod ab ęgro accipiemus. Quando itaque conuulſio à repletione fit, curari poteſt, quando ex inanitione, ferè incurabilis eſt. Ac perinde Hippocr. ſecunda Aphoriſ. Sectione dicit, febrem in conuulſione fieri melius eſt, quàm conuulſionem in febre, & Aphoriſmo 1. Sectione quinta, conuulſio ex elleboro lethalis. Et rurſus, conuulſio ex vulnere lethalis. Sed tenſio adhuc acutior & grauiſsimus morbus eſt, dicente Hippo. Aphoriſm. 6. Sectione quinta. Qui à tenſione deprehenduntur, quatuor diebus pereunt: ſi verò hos effugerint, ſalui fient. Quod ad victum attinet, in conuulſione orta à repletione, omnia ad calidum & ſiccum inclinabunt. Aerem itaque talem parabimus, vbi talis non fuerit. Somnus moderatus erit, frictionibus multis & magnis vtentur. Alimenta erunt ad ſeptimũ vſq; diem, aqua mulſa, ius pulli cum ſaccharo, amygdalatum cum melle: potus aqua cinnamomi, aut aniſi. His verò tranſactis, caro turturis, aut perdicis, aut turdi, aut paſſer culorum montanorum: aſſa verò ſit. Venter leniendus clyſteribus ex aqua mulſa, & ſucco mercurialis, aut decocto pulegij, & calaminthæ cum hiera diacolocinthidos, quæ Ruſi appellatur, & melle, ac ſale, quibus in curatione quoque vtemur. Ex animæ accidentibus ira commoda eſt, ſi moderata fuerit, ſicut gaudium: triſtitia verò & timor vitanda. Deinde ſi vires conſtauerint, ſanguis mittendus eſt, in conuulſione ſimplici, ſecta vena media lateris ſani, aut in tenſione, vtriuſque lateris ſecabitur, primùm dextri, deinde ſiniſtri, præterquam ſi menſtruis retentis id accidat: tunc enim venæ quæ in malleolis ſunt, ſecandæ veniunt. Impartiri autem oportet ſanguinis miſsionem, ne corpus magna & conferta euacuatione refrigeretur, & validiùs conuellatur. At verò tota ipſa euacuationis menſura citra repletionis quantitatem fieri debet, dicente Galen. libro primo, de Arte curatiua ad Glauconem. ſed neque ſi quis ſimul & diſtenſione neruorum laborauerit, & ſanguinis eguerit miſsione, nec huic tantum mittere oportet, quantum exigit morbus, ſed aliquid etiam accidenti eſt relinquendum, cuius cauſa ſæpe ſudores eueniunt, & vigiliæ moleſtant, & vires ægro debilitantur. A ſanguinis miſsione corpus parandum, ſiropo de ſtœcade cum aqua inſtillatitia amaraci, aut decocto eiuſdem, aut pulegij, aut calaminthæ, aut cum aceto mulſo ſcilitico, & ſiropo de ſtœcade paris menſurę, addito decocto betonicæ, & origani. Corpus autẽ purgabitur cũpilulis fœtidis, aut aureis, ponderis ʒ.j. aut cum hiera diacolocinthidos in aqua mulſa. Aut electua

Signa conuulſionum.

Victus conuulſorum.

Conuulſionis curatio.

Conuulſis nõ totus ſanguis confertim mittendus.

ctuarij indi ʒ.vj.bibendæ in decocto origani,pulegij & amaraci, Cucurbitulæ partibus conuulſis admouendæ cum ſcarificatione, ſed in contraria membri conuulſi facie, veluti ſi brachium, ad pectus conuellatur, muſculis externis ipſius ad dorſum vſque, ſi contrahatur crus ad nates, femori & oſsi ſacro. Præterea clyſteria conuenient ex decocto amaraci, betonicæ, anethi cum melle, hiera diacolocinthidos, & oleo rutaceo, & ſale. Aut ex decocto calaminthæ, & anethi cum melle, & ſale, & electuarij indi ʒ.ij. Membra tamen conuulſa ac dorſum & caput ipſum, ſequentibus oleis & vnguentis potentia, & actu valde calentibus, vngenda, & fricanda ſunt. Vnguentũ marciaton, in oleo liquatũ, aut oleo de caſtoreo, aut oleo de euphorbio & laurino, aut ipſum oleũ de caſtoreo, aut olei irini, laurini, & rutacei, ſingulorũ ʒ.ij. Vnguẽti Agrippæ ʒ. iij. Aut vnguenti Agripæ, vnguenti marciati, olei laurini ſingulorũ ʒ.iij. galbani, opopanacis, belzoini, ſingulorum ʒ.ß. caſtorei ℈.ij. valet etiam oleum vulpinum, & cati elixi pinguedo. Nos ſanè brachij conuulſionem ſanauimus, rene arietis aſſo caléti ſatis per medium ſciſſo & parti conuulſæ admoto. Purgandum autem corpus iterũ præparatum, vt diximus, atq; prædictis medicamentis, & membra conuulſa oleo calenti immergenda, & ad balnea aluminoſa, & ſulphurea ducendi: theriaca præterea in potu aut mithridatium diebus pluribus ſumpta, diluta in decocto betonicæ, aut pulegij, valet, Hippocra. Aphoriſm. vigeſimoſexto, Sectione ſecunda, dixit: Melius eſt fieri febrem in conuulſione, quàm conuulſionem in febre. Siquidem febris conuulſioni ſuperueniens humorem, qui morbum efficit, diſcutere poterit. Neque eſt à ratione alienum, febrem excitare, ſi fieri poſsit, diaria, præſertim ex Celſo, qui libro tertio, capitulo nono, inquit: Sed eſt circunſpecti quoque hominis, & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere: quia curationem, vbi id quod eſt nõ recipit, poteſt recipere id quod futurum eſt. Poſſet autem ipſam concitare, medicamenti diatrion pepereon ʒ.ß. in aqua amaraci, aut in melle deſpumato, aut confectionis anacardinæ ʒ.j. in aqua inſtillatitia amaraci, aut eiuſdem & pulegij decocto. Tetanus, ſiue vtrinque facta contenſio, congellationi ſimilis eſt: corpus enim rigidũ manet, muſculis impletis craſſo humore, aut vapore nebuloſo. Hi ceruicem torquere nequeunt, difficilè reſpirant, pulſum habent rarum & paruum, vigilãt, dolent, ſingultiunt. Riſum ſardoni cum referunt, qualem efficit ſardonius ranunculus, ſiue apium riſus. Oritur malum poſt laſsitudinem. Phlegmonis ſpeciem referentem aut tenſiuam. Victus qualis conuulſorum ſit. Potus autem ſenſim ſumendus: nam aliâs fit vt ipſum per nares reiiciant, & laborantes validius contendantur. Hippoc. Aphoriſm. vigeſimoprimo, Sectione quinta, inquit: Eſt autem vbi in diſtenſione, ſine vlceratione, iuuene quadrato, æſtate media, frigidæ aquæ multa perfuſio calorem reuocat, calor verò hæc ſoluit. Quam ſentẽtiam de conulſionibus, quoq; intellexit Galen. ac rationẽ reddit, quoniam humor morbum faciens à calore diſcutitur. At verò Paulus hanc aquæ frigidæ perfuſionem damnat, dicens: frigidæ perfuſionem (vt Hippo. ait) cùm maximè temeraria ſit, cóque à poſteris, credo, vituperata, & nos damnamus, vitamúsque. Quamobrem curatio optimè perficietur, ſanguinis miſsione, vti diximus, & purgatione. & cucurbitulis frequentibus ſcarificatis, & lanis infuſis in oleo de caſtoreo, aut de euphorbio, & vulpino ſuperpoſitis, & ceruici obuolutis, at medicamẽto, diatrion pepereon, aut pliris arcoticon cum melle deſpumato, aut etiam caſtorei ℈. j. cum mulſa accipiet, aut belzoini, & opopanacis vtriuſq; ℈.j. cum aqua mulſa ex decocto pulegij, aut amaraci: vngere quoque partes tenſas, aut conuulſas vnguento Agripæ, marciati, & dialteæ, magnam habet in curatione efficaciam, præſertim ſi aliquod horum, oleo de caſtoreo, aut laurino liquetur. Immittere quoque expedit corpus vniuerſum in oleo, non frequenter tamen, nec diu immorari. Siccam autem conuulſionem curare non eſt facile. At curationis ratio humectatio eſt, quæ balneis aquarum perficitur, & vnctione

Febrem cõcitare.

Tetanus.

Riſus ſardonicus.

Cõuulſionis ſiccæ cura.

quæ fit per vnguentum appellatum resumptiuum, & vnguentum confectum ex oleo violarum & cera, aut ex aqua & oleo tepentibus. Alimenta sint, ptisana ordacea, amygdalarum, lac mulieris, aut asinæ, ius pulli, aut gallinæ, & caro ipsa elixa, aut lactuca cum carnibus prædictis elixa. Et vini aquosi albi potus, vbi non adfuerit febris magna: tunc enim bibent aquam ordei. Cùm autem fit ex vulnere, aut ictu, aut conantibus magna pondera leuare, aut humi & loco duro dormientibus, veluti sicca conuulsio, curandi sunt. Si verò conuulsio ab acribus humoribus ortum ducat, vomendi sunt, aut purgandi, & pars morsa attemperanda & roboranda.

Conuulsio ab acribus humoribus, vt curetur.

De Tremore, Cap. XXII.

Tremor.

TREMOR Symptoma est animalem facultatem secundum locum mouentem attinens, cùm enim imbecilla facultas in essentia, veluti in senibus, aut robusta, sed copia grauata, membrum leuare nititur, aut leuatum firmare, contendente grauitate deorsum ipsum ducere, tremor accidit, constitutus motus, ex eleuatione & depressione frequentibus. Notus satis est morbus qualis languidis accidit, senibus & conualescentibus, aut febricitantibus, præsertim commisso errore aliquo, vt multa aqua frigida epota, aut his quorum nerui crassis implentur humoribus, partim grauiora reddita particula, partim impedita transmissione animalis facultatis. Oritur hoc symptoma ex magnis euacuationibus, & refrigeratione corporis, ex potu aquæ frigidæ, coitu, ebrietate, magno vsu vini atque immodico, & à frigidis & crassis humoribus implentibus neruos. Victus febricantibus & trementibus erit pro febris ratione, ni si diu perseuerauerit, ita vt morbus frigeat: tunc enim alimentibus calidioribus vti licebit. Abstinebit æger, ab ebrietate, coitu, aquæ frigidæ potu, ab aceto & acidis omnibus: bibet autem decoctum anisi, aut cinnamomi, aut vinum album aquosum paucum. Vtetur carnibus & iuribus boni succi, & quæ facilem coctionem admittant: verùm cùm reficere vires oportet, liquida alimenta meliora sunt: cũ morbus tamen à crassis fit humoribus, aer ad calidum, inclinabit. Carnes assæ eligentur, vti montanarum auicularum: clysteribus venter lenis seruetur, ex decocto maluarum, anethi, amaraci cum melle, & sale, & frictionibus vtetur, quæ rubeam efficiant particulam trementem. Curatio eorum qui ætate, aut langore facultatis tremunt, refectione corporis completur: hæc verò alimenti selectis moderatè assumptis fit. Si corpus tremit ex potu frigidæ, pliris arcoticon cum melle lingatur, aut diatrion pepereon, cum aqua mulsa, si ab ebrietate malum oriatur, à vino abstinebunt, si crassi humores obstruentes in causa sunt, parentur ad euacuationem siropo de stœcade cũ aqua amaraci, aut aqua mulsa ex decocto amaraci, stœcados, & calaminthæ, deinde purgetur, per pilulas fœtidas aut cochias, aut aureas, aut per hieram Rufi. A purgatione membra trementia fricentur oleo de castoreo, aut vulpino, aut vnguento quod recipiat olei laurini, olei irini vtriusque ʒ.ij. galbani & opopanacis vtriusque ʒ.ij. castorei ʒ.j. ceræ parũ: fiat vnguentum molle. Vbi malũ perseuerauerit, in oleo calẽti pars immergenda, & totum ipsum corpus vbi opus fuerit, sed non sæpe, nec diebus continuis. Deinde partes pellibus vulpinis obuoluendæ. Bibent etiam castorei ϑ. j. in aqua mulsa, duobus aut tribus diebus. In hunc vsum commendatur à Paulo cerebrum leporis comestum. Valet ad roborandas partes, & earum neruos, acorus conditus, siropus de stœcade compositus. Pliris arcoticon, in tabellis, cum saccharo, & melius adhuc erit puluis cum melle despumato. Flores roris marini conditæ cum melle. Nos gallinam in panatela paramus cum pipere, cinnamomo, & caryophyllis, & floribus roris marini, & in furno assamus. Ius autem panatelæ sorbendum ægro damus, duabus horis ante prandium: id verò

Tremẽtium victus.

Tremoris curatio.

Panatela ad tremorẽ

rò

rò ter, aut quater fiat. Non minus vtile experimento probauimus ius galli veteris elixi cum anetho, polypodio, & sale.

De Palpitatione, *Cap. XXIII.*

PALPITATIO Græcis πάλμος, symptoma est, quod omnino à causa morbifica excitatur, nulla animalis facultate coagente, aut patiente. Per hoc tamen symptoma partes musculosæ & membranosæ distentionem & cõtractionem patiuntur, ob crassum flatum, implentem particulam, qui tandiu palpitationem efficit donec in ambiẽtem aerem transpiret, prædictus crassus vapor. Fit autem à crassis succis à quibus caloris vi leuatur, aut à refrigeratione membri impediente vaporum discussionem, atque eosdem incrassante. Accidit frequenter his qui inebriantur, & ocio ac longo somno vtuntur, & cruditatibus ventris molestantur, & in partibus faciei magis, & his qui sæpius rident. Victus his conuenit qualis trementibus præter quàm quòd vino validiori vti licet. Medicamenta eis conferunt, quæ flatum discutient, verùm si à multa pituita oriatur malum, purganda est, vbi priùs cum aceto mulso & decocto pulegij paretur. Purgabitur tamen agarico, aut pilulis aureis: ventris cruditates emendandæ aqua mulsa, & victu extenuante. Flatus discutiendus, per siropum de stœcade cum puluere pliris arcoticon, aut diacumino cum pauco vino, parum diluto, aut partibus ipsis palpitantibus illitis oleo de castoreo, aut rutaceo, aut oleo irino in quo frigatur cuminum. *Palpitatio.*

DE MORBIS OCVLORVM,
SECTIO II.

CONSTITVTIO Oculorum ex partibus, substantia & natura diuersis, causa est, vt ipsi in valde diuersa morborum genera incidant. Quoniam autem oculorum munus præstãtissimum & hominibus gratissimum est (si quod aliud eorum quæ à nobis exercentur) ad pulchritudinem verò non parum cõducit, eorum maxima cura habenda est, atq; omni diligentia præcauere oportet ne morbis occupentur, & cùm occupantur, curandi. Accedit ad idem, quod vel paruissimi tumores, vlcera, nebulæ, & aliorum generum morbi, magnos dolores, & graues læsiones oculis inferunt, tum quòd acerrimo sensu præditi sunt, tum quòd perspicuitas, quæ ad videndum est necessaria, leuibus offenditur occasionibus. Constituitur autem oculus, ex membrana agnata, quæ à pericraneo oritur, & oculi album tegit, & malas, ac perinde in magnis inflammationibus oculorum, hæ rubẽt, substernitur quoque palpebris. Sequitur hanc cornea membrana perspicua, totum oculum deuoluens: apparet autem in ea parte quæ extra agnatam prominet: hæc à dura cerebri membrana oritur. Rhagoides siue acinalis, vuæ acino similis intra hanc continetur, anteriori parte perforata, qua pupilla oculi est. Hæc à tenui membrana cerebri, quæ chorion Græcis dicitur, oritur. Tenuis quoque quarta membrana telæ araneæ similis de neruorum opticorum filamentis texitur. Humores verò tres sunt, à posteriori parte, vitreus, vitro fuso similis, qui alimentum, & refectionem præstat crystallino perlucido humori, potissimo videndi organo, in pupilla tertius continetur, albo oui similis pertenuis, qui crystallinum humectat, & ne cornea concidat, impedit: prodest quoque ne ab extrinsecis crystallinus humor prope mutetur. Accedit animalis spiritus, qui oculum implet & illustrat, natura lucidus. Morbi autem oculorum quidam sine materia fiunt, vt intemperantiæ quædam, quidam cum materia, præterea solutionis vnitatis. Intemperantiæ materia carentes sunt calidæ, frigidæ, humidæ, aut siccæ, simplices aut compositæ: causæ quæ has efficiunt externæ sunt, puluis, fumus, rerum actium vapor, solis æstus, aeris frigiditas, inspectio *Oculi constructio.* *Morborum oculorum differen. & causæ generales.*

lucis,aut colorum valde ſplendentium,& lectio paruarum literarum.Interne ſunt, cerebri aut cordis diſtemperies, aut relictæ ſunt ab humoribus, qui iam non adſunt. Cùm materia verò fiunt, oculorum morbi, multorum generum: materia verò eſt aut flatus qui in oculo generatur, aut aliunde mittitur, aut humor excrementúmve, atque id fluxione deductum, aut congeſtum: fluunt autem à toto corpore,aut à capite miſsi: aut ab ipſo oculo concitatur fluxio, idque aut ictu,aut vulnere,aut dolore,aut calore: procedunt autem ab his tumores, vlcera, dolores, tenſiones, obſtructiones,partium incrementa, numerus additus,aut minutiones,figurę,aut ſitus mutationes,videndi noxę.Eadem fiunt à congeſtis excrementis, congeruntur autem excrementa ob intemperiem oculi,aut alimenti prauitatem,quæ breui oculum diſtemperat.Ad curationis rationem generalia quædam conſideranda, quorum in generali medendi methodo meminimus.Quorum primum ſumitur à partis temperatura, id quod omnibus commune indicium eſt: alterum verò à partis ſenſibilitate in oculorum morbis curandis præſtantiſsimum indicium, & quod valde curationis viam, atque remedia variare valet. Nam ſi acres humores ad oculos confluant, & incipiente morbo adſtringentia medicamenta admoueris quæ valde refrigerent,cohibito effluxu, membranæ vehementiùs erodentur cum magnis doloribus,cuius rei teſtis eſt Galen.6.Aphor.ſect.commen.31.Et ſi magno vrgente dolore, narcotica adhibeas, ſpiritum animalem extingues, viſum hebetabis,& poſt non minores dolores redituros ſperabis.Si medicamenta quæ detergunt,aut acredine participent,aut aſpera fuerint,valde oculi exaſperabuntur. Ac perinde decet medicamenta ocularia mitigatoria eſſe lenia, concoquentia, & morſus expertia. Expedit autem ante omnia vniuerſi corporis redundantias demere, & in magnis doloribus & ictibus, mediocritatem etiam minuere,deinde caput,ſi inde mala oculis communicantur,euacuare,atque ipſum vbi opus fuerit,attemperare. Poſtremo autem loco topica admouemus remedia, quorum quædam mitigatoriam habent facultatem, vti liquor qui ab albo oui ducitur, & pompholix, ſiue tutia: eius generis eſt ſpodium ſiue cinerula, eſt tamen hæc pompholige ad omnes vſus longè inferior, lac mulieris inſtillatum in oculum,aut in cote ad cõmiſcenda medicamenta. Sed liquor oui & lac humectant, & refrigerant, pompholix & ſpodium exſiccant, ſed parum calefaciunt. Eſt ſanè pompholix eorum medicamentorum quæ ſine morſu deſiccant præſtantiſsimum: fœnogræci verò decoctum mitigat, & lenit, ſed parum calefacit, ac digerit.Amilum totum in hoc cenſu eſt, nam mitigat ſine morſu, aut aſtrictione aut roſione. Aſtringunt autem, roſa & eius ſuccus, ericæ fructus, ſpicanardi, crocus, lycium,& hypociſtis. Acatia verò, omphacium, balauſtium, & ſuccus gallæ immaturæ adhuc valentiùs. Sunt etiam nonnulla quæ ad concoquendos humores oculorum adhibentur, vti crocus, myrrha, thus, & fœnogræci decocti mucilago. Acredine tamen participant ſuccus cirenaicus,quem nos belzoinum appellamus, ſagapenum, & euphorbium, ſed minus acria ſunt, fel gallinæ, fel perdicis, barbeli adhuc minus,atque hęc acredine & calore citra morſum digerunt,& viſum acuunt, ſarcocola verò citra morſum exſiccat. Detergunt ſquama æris, calcitis vſta, æs vſtum,& flos æris ſoluta in aqua inſtill.fœniculi, aut chelidoniæ, myſi, aut ſori,aut ſtimmi. Minus his detergit mel roſaceum,& adhuc minus mel deſpumatum. Deterget etiam cum pauca aſtrictione, plumbum vſtum. Exedũt flos æris,calcitis,alumen vſtũ non valde,validiùs tamen arſenicum, & ſandaraca.

Morborum oculorũ curandi methodus.

Oculorum localia medicam.

De Ophthalmia, Cap. I.

Ophthalmia cauſa.

OPHTHALMIA Oculorum morbus, latinis lippitudo, inflammatio eſt membranæ agnatæ.Cauſa huius morbi eſt ſanguinis copia implentis venulas,quæ in prædicta membrana ſunt. Id verò fit aut ſanguine ſolo affluente,cum redundantia ipſius in toto corpore

re, aut ſolo capite. Aut affluentibus etiam cum ipſo acribus & mordacibus humoribus, aut craſsis & lentis, aut etiam copioſo ſpiritu flatuoſo venas eas dilatante, quam dilatationem dolor & fluxio ſequuntur. Cùm igitur ab adeò diuerſis cauſis inflammationes has fieri contingat, rectè Hippoc. aphoriſ. 31. ſectionis 6. dixit: Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut medicamentum epotum, ſoluit. Sanguinis redundantia agnoſcitur ex tumore & rubore venarum magnatæ membranæ, cum oculi dolore, & lachrymarum effluxu, atque calore. An tamen in toto corpore ea plenitudo ſit, ſigna plenitudinis oſtendent. Si ab acribus humoribus fiat, cum dolore morſus aderit, & ardor & lachrymarum valde acrium frequens effluxus, & rubor atque tenſio venarum oculi non erit magnus, aderunt autem cacochymię ſigna. Craſſos humores indicant oculorum tumor, non valde rubens, cum quo ſæpius palpebræ intumeſcunt, dolor non magnus, ſine morſu, ſine lachrymarum copia, & his ſine morſu fluentibus, quibus accedit oculi grauitas, & palpebrarum. Percurrenda quoque erunt ſigna redundantię craſſorum humorum, ex his quæ adſunt, aut præceſſerunt. Flatum oſtendit dolor diſtendens, ac veluti diſrumpens membranas oculorum, ſine magno rubore, ſine morſu, paucis effluentibus lachrymis, nec his rodentibus. Victus tenuis erit, tum ob inflammationem, tum ob dolorem, quibus fluxio accedit in principiis, & ad vigorem vſque cum abſtinentia à carnibus, & vino quoque, niſi à craſsis humoribus morbus fiat. Sed cœna valde imminuenda. Aer ad frigidum inclinet in calido affectu, & obſcurus ſit, ſed vt ab aere ac lucis ſplendore tueamur oculos, tafetanum coram appendemus. Cibus ſit beta elixa, aut borago, aut lactuca, aut cucurbita, aut poma, aut pira aſſa, aut amygdalatum, & inclinante morbo hepata gallinarum, ius pulli, aut etiam ipſius alæ. Quantum autem lædant lac, caſeus fructus recentes, & carnes ſalitæ, & ſalſamenta, ac aromatica, & quæcunque fumos acres capiti & oculis mittunt, quid refert dicere? Potus ſit aqua ordei, & in frigido affectu aqua fœniculi, ſomnus mediocris ad coctionem inflammationis valet, & quies, loco tamen exercitationis brachia & crura fricentur. Clyſteribus venter leniatur, & omnimodo animi tranquillitas procuretur. In huius morbi curatione, vbi ſanguis redundauerit, ſanguinem mittimus, copioſe pro plenitudinis, & doloris ratione, ſecta vena externa cubiti patientis lateris. Quòd ſi acres & bilioſos humores, aut ſalſos abundare intellexerimus, eos commodis medicamentis purgabimus, veluti pilulis aggregatiuis, aut ſine quibus appellatis. Nos ſanè ingentes dolores oculorum incipientibus inflammationibus adhibita purgatione viginti horarum ſpatia ſanauimus. Placet tamen vnius eorum mentionem facere. Cùm enim Gilius de Andrade, nobilis adoleſcens 22. annorum, medicum Metinenſem, cuius aliàs meminimus, omnis bonæ literaturæ expertem, vocaſſet, retulit ſe vehementem dolorem alterius oculi pati, cum acrium lachrymarum effluxu. Medicus verò colyrium album, quod opium recipit, oculo inſtillare præcepit: verùm eo remedio adhibito, dolor fluxione retenta augebatur. Ego verò accerſitus ac re intellecta præcepi, vt pilularum ſine quibus 3. j. ea nocte aſſumeret, ſolum autē oui album inſtillaret: cùm autem manè ad ipſum viſendum acceſsi, eum profectò ſine dolore, fluxione, & inflammatione inueni purgatum. Sed ad inſtitutum redeamus. Corpore vacuato cucurbitulas admouemus occipitio cum ſcarificatione. Interim humores ad inferiora reuellimus frictionibus & ligaturis crurum, & clyſteribus, ventrem mollientibus: horum enim cura ſemper habenda. Fronti & temporibus cataplaſmata petiis, aut ſtupis excepta imponimus. Ex albo oui & thure, aut aqua roſarum inſtillatitia, & ſantalis, aut poſca, thure, & bolo armeno, oculis autem ipſis inſtillamus lac ab vbere multum, aut in cote ad medicamentorum confectionem. Præterea liquorem ab albo oui eductum: educitur autem vbi oui album diu agitetur, donec inſpumam tranſeat: fœnograeci verò decoctum, ad leniendas

Ophthalmiæ ſigna.

Ophthalmi corum victus.

Ophthalmiæ curatio.

Hiſtoria.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA

das asperitates, dolores sedandos, & digerendos humores vtilissimum est, pompholige verò diluta in lacte, aut albo oui, non vtimur vsque in postremam vigoris partem, in declinatione verò, in aqua fœniculi, cessante oculi ardore ipsam diluimus. Valde tamen vrgentibus doloribus, vacuato corpore pomum acoris particeps assamus, deinde cum puluere thuris malaxatum, calidum superponimus, bis aut ter, aut vtimur colyrio albo cum lacte, aut decocto capi. papa. & fœnogræci & croci. Quod si vacuato corpore acres fluxiones persequerent, balneum eas auertet, & effundet. Crassos autem humores attenuat, & dissentit, fomentum ex decocto fœniculi & fœnogræci, & meliloti, spongia madefacta: singula autem horum abluenda diligenter sunt, ne fomẽto adacto, pilus aut terra, aut puluis in oculum incidat. Quin & vapor, decocti fœniculi, fœnogræci, seminis lini, & croci, dolores satis magnos sedare visus est. Vini autem potus his qui à crassis humoribus eum morbum patiuntur, post purgationem, conuenit, sicuti & flatuosis doloribus, quibus ex vino fotus, accommodatur, atque aquæ rutæ instillatitiæ, corpore vacuato & fluxione suppressa.

De Lachrymarum effluxu, Cap. II.

Lachrymarum fluxus.

PRAETERMITTAMVS Modò fluxum lachrymarum qui à causa fit prægressa, vt fumo, puluere, pilis palpebrarum, ictu, inflammatione, dolore, vlcere, & similibus: quoniam ex his quidam causæ prægressæ ablatione curantur, quidam morbo prædicto curato, qui causa est. Prætermittamus quoque tanquam incurabilem eum lachrymarum fluxum, qui sequitur carnium lachrymalium absumptionem. Doceamus modò curare fluxum lachrymarum, qui sequitur redundantiam excrementorum in capite, aut solo, aut etiam cum redundantia in toto corpore. Manant autem & defluunt in oculos, aut à partibus extra caluariam, aut ab his quæ intra ipsam sunt, & rursus aut calidæ, acres, salsæ & erodentes, aut aquosæ, & frigidæ. Si à partibus extra caluariam manauerint, frons & palpebræ implentur, & venæ frontis intumescunt, & videntur ægro conuelli musculi, ligari & contrahi, & iuuantur exiccantibus supra frontem positis. Si tamen à partibus intra caluariam manauerint, narium pruritus aderit, & sternutatio accedet, & in palato morsum sentiet, & quandoque interni aderunt capitis dolores. Qui deinde copiosè fluentibus lachrymis leuantur. An tamẽ aquosæ sint lachrymæ, agnosces, quia morsu vacant: nam acres & salsæ mordent, irritant, & calidæ sentiuntur, & palpebras exedunt, ac valde exasperant. Victus eorum quibus lachrymæ manantes acres sunt, aut salsæ erit, qui ad ophthalmiam dictus est. Aquosis autem exeuntibus lachrymis, oculos ab aere & luce custodient, cibos edent arefacientes, & carnes turturum, perdicum, turdorum & auium montanarum: cœnam minuent, quibus satisfaciet amygdalatum, aut vuæ passæ cum amygdalis. Vinum aquosum bibent, aut aquam cinnamomi: ventrem lenem habeant, frictionibus vtentur, animo & corpori tranquillitatem procurabunt. Tota curationis ratio comprehenditur in euacuatione corporis & capitis, reuulsione excrementorum ad oculos fluentium, & partium firmitudine. Si excrementorum redundantia cum sanguine fuerit, à sangui. missi. auspicabimur, sin minùs corpus purgabimus prius paratum. Acribus abundantibus excrementis præparatio fiet per syropem de endiuia, aut acetosum. Purgatio per pilulas sine quibus, aut per electuarium de succo rosarum in decocto prunorum, passarum sine vinaceis, & florum violarum. Aut prædictũ electuarium in decocto florum violarum, in quo myrobalani lutei per noctem infusi fuerint, diluatur, eritque potio hæc ad ophthalmiam optima. Deinde cucurbitulæ occipitio admouendæ, & initio ceruicis, quos appellant setones transigendi, & diu seruandi: totius corporis frictiones prosunt. Fronti verò repellentia admouebuntur, quæ tempora quoq; apprehendent. Ex albo oui, thure, & balaustiis, aut ex albo oui, aqua instillatitia

Fluxus lachrymarũ signa.

Victus lachrymarũ effluxu.

Curatio lachrymarũ.

tia rosarum, gallarum, & rosarum puluere. Rursus aquæ instillatitiæ rosarum ʒ.iiij. acaciæ, & lycij vtriusque ʒ.ij. in quibus lintei malefiant & oculis superponantur, oculis verò siccum collyrium admoueatur, ex sarcocollæ partibus duabus, amili parte vna. Aut liquidum hoc instilletur, aquæ rosarum instilla. ʒ.iij. lycij, ceruſæ, lotæ vtriusq; ʒ.j. optimum autem est succus mali punici acidi feruefacti, ad medietatis consumptionem. Bis aut ter admouendum. Tuemur quoque ab excessione, palpebras seuo hœduli liquato & sæpe loto linientes hora somni. Si verò lachrymæ fluentes aquosæ frigidæ fuerint, corpus ad purgationem parabitur siropo de stœcade, aut aqua mulsa: purgabitur pilulis aureis: fronti imponentur cataplasmata ex albo oui, thure, & mastiche: oculis autem ipsis admouemus collyrium ex melle despumato & thure, aut ex succo mali punici acidi, succo fœniculi, ad medietatem feruefactis. Aliud optimum, succi fœniculi, mellis despumati, vtriusque ʒ.iij. thuris, myrrhæ, aloes, sarcocollæ, singulorum ʒ.j. hoc medicamento dormituris palpebræ inungantur: manè verò abluantur, aqua frigida, & interdiu collyrium siccum apponatur, ex cortice radicis buxi, & antimonio æquis partibus, in tenuissimum polinem redactis. Aliud, succi fœni, aut mali punici depurati ʒ.iiij. tutiæ, antimonij, sarcocollæ, singulorum ʒ.ß. Fit etiam non parum vtile collyrium ex fumo piceæ, in ola, aut scutella collecto: conueniunt etiam his frictiones, cucurbitulæ & setones. Cùm fluxio per partes extra caluariam procedit, quæ fronti apponuntur magis proficiunt: aliis tamen, ea quæ oculis superponuntur, & sternutatio, & apophlegmatismi.

Lachrymarum frigidarum effluxui.

De Vngula, Cap. III.

VNGVLA Oculorum morbus duplex est, altera quæ Græcis πτερύγιον dicitur, idest ala, ab alæ similitudine, altera ὄνυξ idest vnguis, nũcupatur, siquidem albæ radici vnguis similis est. Pterygium neruosa excrescentia est, quæ ab angulo oculi interno procedit & adnatam membranam tegit, & corneæ partẽ respondentem, & vbi augeatur, pupillam, hæc alam auis refert, à crassis humoribus generatur, & calore valido, præcedentibus ophthalmia, aut scabie & pruritu, aut vlcere, atque citratrice oculi. Dicta verò vngula quæ ὄνυξ dicitur, puris intra corneam collectio est, ob nominis tamen affinitatem, vtriusque morbi curationem vno capite trademus. Pterygio laborans victu vtatur extenuante & caletaciente: verùm si obduruerit, & magnum fuerit, non nisi manus opera curabitur. Reliqua corporis purgatione, ab initio egent, præparato corpore aqua mulsa, aut aceto mulso. Purgabitur autem, pilulis aureis, aut cochiis. Parti verò collyria admouebimus, ex felle barbelli & sale, aut felle porcino, aut caprino & melle. Aliud, æris vsti ʒ.j. croci ʒ.ß. Aliud, æris vsti, calcanthi vsti vtriusque ʒ.j. salis ammoniaci, spumæ maris vtriusque ʒ.ß. conformentur pastilli cum succo rutæ, de quibus vnus in aqua fœniculi diluatur, aut aridus pterygio aspergatur. Expedit tamen post horas sex oculum fouere decocto camemeli & fœnogræci. Alia vngulæ species quæ puris collectio est intra carneam membranam nunc superficie tenus, nunc verò profundiùs infestat: nam & membrana cornea plures continet tenues membranas intra quas colligi pus valeat. Habet malum ortum ex fluxione, aut ophthalmia, vbi sanguinis copia corneam quoque resudatione infestet, & discuti nequeat: fit etenim emphyema. Decet autem pus digerere, si fieri possit, aut rupturam suppurationis parare: quæ verò digerunt, non sint valde calida, ne tenuem tantùm partem discutiant, sed emolliendi vires adiunctas habeant: vbi tamen suppuratio rupta fuerit, valentioribus vti licebit. Ante rupturam valet aqua mulsa, aut decoctum fœnogræci cum melle despumato, aut aqua mulsa ex decocto fœniculi per distillationem educta, aut vapor decocti fœnogræci, seminis lini, fœniculi & croci. Puris prædicta collectio si cum inflammatione fiat,

πτερύγιον.

Pterygij curatio.

Vngula siue puris collectio intra corneam.

redundante sanguine, sectione venæ externæ egebit, & fotu decocti fœnugræci. Si verò cum vlcere, rupta iam suppuratione validiùs detergi expoſcit, quem vſum præſtãt quæ ad pterygia dicta ſunt. Præterea ſuccus raphani cum melle æquis portionibus, præterea collyrium ex thure, quod recipit, ceruſæ ʒ.8. opij, ſarcocollæ vtriuſque ʒ.j. tragacanthi, gummi arabici vtriuſque ʒ.iiij. thuris ʒ.j. cum ſucco fœniculi fiat collyrium, aut cum aqua inſtillatitia eiuſdem, cui ad maiorem deterſionem addunt, quandoque euphorbij ℈.j. aut calcanthi & croci vtriuſque ʒ.ß.

Ad Corneæ Phlyctænas, & eiuſdem rupturas.

Phlyctenæ oculorum.

ACACIA cum ſucco foliorum oliuæ, aut ſuccus foliorum virgæ paſtoris per ſe, aut cum ceruſa, aut ſuccus foliorum mali cotonei cum oui liquore. Aliud hæmathitis lotæ in aqua roſarum ʒ. ij. ceruſæ lotæ, licij vtriuſque ʒ. j. amyli, gummi arabici, tragacanthi, æris vſti, antimonij, ſingulorum ʒ.ß. opij ℈.j. formentur paſtilli, cùm ſucco foliorum oliuæ, deinde cum ſucco fœniculi in oculum inſtillentur. Comitatur ſæpe inflammatio & vehemẽs dolor phlyctænas, quibus prodeſt hypociſtis & acacia, cùm aqua inſtillatitia roſarum & malum cotoneum elixum, aut pomum auſterum calidum, emplaſtri modo applicitum, non valde compreſſum, ne grauans dolorem augeat.

De Vlceribus oculorum. *Cap. IIII.*

Oculorum vlcera.

VLCERA Oculorum fiunt in adnata, aut in cornea membrana, aut palpebris, aut angulis eorumdem, aut parua, aut magna, aut munda, aut ſordida, aut boni moris, aut exedentia & canceroſa: Præterea, aut à cauſa prægreſſa, aut à cauſa interna, vt ophthalmia, aut poſt vngulam, aut pterygium, aut lachrymas, aut calidũ & acrem fluxionem. Differentiæ hæ facilè cognoſcuntur relatu ægrotantis, aut oculis ipſis conſpicientur, ex morbis qui adſunt, aut præceſſerunt. Conuenit victus ex boni ſucci alimentis, & aquę potus, ventrem habere lenem, aut clyſteribus vti ad idem. Conueniunt quoque brachiorum & crurum frictiones. Abſtinere quam maximè oportet à ventris repletione, ebrietate, & vini potu, omni corporis valida motione, præſertim partium ſuperiorum, ſi ſanguis in corpore toto, aut capite redundauerit, venam externam cubiti ſecabimus: ſi verò cacochymia adfuerit & acrium humorum copia, eoſdem purgabimus pilulis ſine quibus. Vlceris autem curatio à deterſione incipiet, niſi mundum fuerit, quem vſum præſtat aqua mulſa: validiùs autem deterget mel roſaceum, valet ad idem fœnugræci decoctum, pauxillo melle addito. Decoctum autem, ſiue ſuccum fœnugræci Aëtius parare optimè docet, ſi tamen acceſſerit inflammatio, ac dolor, fluxio cohibenda, reuulſionibus, & fronti repellẽtia adhibenda, oculis tamen album oui inſtillandum, aut etiam aqua roſarum inſtillatitia additur, aut fœnugræci decoctum inſtilletur. Mundificato vlcere ea medicamenta oculo admouenda ſunt, quæ cicatricem obducant, de quorum numero eſt tutia præparata, deinde diluta in decocto fœnugræci, aut antimonium, aut plumbũ vſtum, & ſquama æris vſta, in aqua chalibeata, valet quoq; collyrium ſuprà traditum ad phlyctænas. Vlcera verò canceroſa cum magno dolore ſordida, cicatricem non recipientia, Aëtius curari non poſſe putat, ſed dolores mitigandi ſunt, infuſo frequenter albo oui, aut lacte muliebri tepido.

Oculorum vlcera curantur.

De Nebulis & cicatricibus oculorum, *Cap. V.*

Nebulæ.

Albugines.

IVNT In membrana cornea nebulæ, ſiue nubeculæ, Græcis νεφέλαι, tenuibus nubibus ſimiles, craſsiores autem, cicatrices dicuntur, & albugines, Græcis ἐπίλαι, & λευκώματα: Quoties etenim cornea membrana craſſeſcit, impedita naturali perſpicuitate, & tranſparentia, color albus ſuccedit, ſiquidem à ſemine membrana habuit

generat

generationem: semen autem album est, nisi nimia tenuitate substantiæ transpareat, & colorem occultet, quod eo albidius redditur, quo crassius. Idem faciunt crassi humores intra corneam perspicuitatem impedientes, qui si parum crassi fuerint, nubeculas efficient, si crassiores albugines, sed ex his maiores & albidiores cicatrices sunt. Humores aut ibidem congeruntur, aut aliunde fluxerunt, sæpissime quidem in ophthalmiis, & lachrymis, & ictibus, atque doloribus. Cicatrices ophthalmias sequuntur, & vlcera, & pterygia, & vngulas. Victus conuenit extenuans, & qualis præcedenti capite traditus est. Decet quoque oculos ab aere frigido tueri, & à solis & luminis splendore. Crassos humores extenuare & purgare conuenit, & nubeculas extenuare, ac dissoluere, valent ad id succus chelidonij, succus fœniculi, mel rosaceum per alambicum eductum, per se autem adhuc validius est. Aliud, mellis despumati ʒ. ij. succi fœnic. succi centaurij vtriusque ʒ. j. ß. in paruo vase æreo breui bulliant & in oculum calidum collyrium instilletur, idem validius efficies, si addideris salis ʒ. ß. aut tutiæ tantundem. Aliud, fellis barbelli & succi fœniculi vtriusque ʒ. ß. sacchari rubei ʒ. ij. tutiæ ʒ. ß. Aliud ad albugines, succi fœniculi, succi chelidoni vtriusque ʒ. ß. spumæ maris, stercoris lacerti, tutiæ præparatæ singulorum ʒ. j. croci ℈. j. in aqua euphrasiæ agitentur intra vas æreum. Aliud, spumæ maris, sarcocollæ, sepiæ, tutiæ, aristolochiæ, singulorum ʒ. ß. fiat tenuissimus puluis, aut in aqua instillatitia fœniculi diluatur, aut cum succo centaurij, hæc eadem cicatrices attenuare, & exterere valent.

De Sugillatione, *Cap. VI.*

SVGILLATIONES Siue sugillata Græcis ὑποσφάγματα appellantur, sunt tamen maculæ in oculis rubeæ & quandoque liuentes, & nigrescentes, genitæ ob oculi cõtusionem, ob quam paruæ venulæ fuere diruptæ, & sanguis transfusus intra oculi membranas, morbus notus est. Curatio tamen ab initio facilis, processu verò temporis humore concreto & incrassato atque obdurato, curatio ferè impossibilis redditur. Incipimus tamen ipsam dempta redundantia sanguinis, aut alterius humoris: cæterùm si dolor adfuerit, vel ipsam humorum mediocritatem minuere conuenit fluxionem præcauentes. Deinde duplex accedit curationis ratio. Altera ad diruptionem vasorum conuertitur, ob quam sanguis è venis compressus exiliuit: altera ad humorem iam exclusum è vasis. Primam intentionem assequemur partis assolidatione, confirmatione, ac restitutione: hæc verò adstringentibus perficitur. Secunda calidis eget ac discussoriis medicamentis, quæ redundantem in parte humorem digerant in halitum, vtramque intentionem perficiunt quædam mixta medicamenta, & quædam quæ quamuis simplicia sint, immixtas habent vires. Ab initio itaque oculo instillamus sanguinem turturis, aut columbæ calidum. Nos pulli columbini plumas teneras euellimus ab alis, quæ adhuc sanguine plenæ sunt, & eas exprimere in oculum præcipimus, aut lac muliebre calidum, ab ipso vbere instillare iubemus, superponimus deinde lanam, vino ex decocto meliloti imbutam, valet in eum vsum succus rosæ, aut succus solani cum melle ab initio. Deinde myrrha cum vino fuluo, aut foueatur oculus sæpe spongia in decocto absinthij, aut hyssopi. Præterea luteum oui assum, deinde vino albo liquatum, & oculo instillatum, aut decoctum fœnogræci & croci, quod in oculum instilletur, aut eius vapor recipiatur, aut admoueatur succus foliorum raphani cum ceruſa. Inueterato affectu, discutiẽdum validius sine adstrictione, decocto meliloti cum succo foliorum raphani, at aloe in vino fuluo, aut succo foliorum raphani, cum melle.

Sugillatio.

Sugillationum curatio.

De Staphylomate, Cap. VII.

Staphylo-ma.

DVAE Sunt ſtaphylomatum ſpecies, nam quædam corneæ membranæ extenſio & eleuatio eſt, tota mole alba apparente; quædam autem fit rupta cornea membrana & laxata vuea, in qua quod prominet liuidum, aut ſubnigrum apparet, acino vuæ nigræ ſimile, atque ab vuæ ſimilitudine omnia ſtaphylomata dicta ſunt, ex eis quædam magna adeò ſunt, vt palpebris minimè cooperiri poſsint. Fiunt autem à craſsis humoribus intra corneam membranam contentis, aut intra tunicas ipſius, à quibus membranæ quas prominet & eleuatum eſt, ſuſtinetur, ſine vlceratione: verùm puſtulis, aut variolis præcedentibus fit, vt membranæ tunicæ quædam rumpantur, & vuea procidat intra reliquas tunicolas. Morbus hic viſum impedit & oculum deformat, viſum ſanè reparare impoſsibile eſt, cùm obduruerit (Paulus clauum appellat) deformitatem chirurgia curat, qua in re Aëtij præcepta ſeruanda ſunt, qui nonnihil addit his quæ apud Paulum habentur: incipiente quidem morbo inflammatio, & dolores infeſtant, ac perinde curationis ratio ea adhibenda eſt, quæ inflammationibus oculorum conuenit: itaq; album oui inſtillandum, fœnogræci decoctum adhibendum cum aqua mulſa: inclinãtibus tamen doloribus farina fabacea cum ſemine lini, aqua ſubacta, emplaſtri forma admouetur.

De Suffuſione. Cap. VIII.

Suffuſio.

SVFFVSSIO Græci ὑπόχυμα, & ὑπόχυσις dicitur, Hiſpanè catarata, ſic barbara voce dicta. Morbus in numero à Galen. appellatur, addita parte toto genere præter naturam, & eſt ſanè morbus in via à craſſo humore factus, qui partem eam quæ eſt inter corneam membranam & chryſtalloidem humorem, quæ oculi pupilla dicitur, occupat: is glaciei modo ibidem concreſsit, & viſum aut omnino impedit, aut rerum viſionem confundit, ita vt non ſatis diſtinguere poſsit, earumdem colores, figuras & magnitudines. Antecedunt capitis dolores, & imbecillitates, catarrhi, & lachrymarum effluxus, & quandoque ictus, & violentus vomitus, ætas quoque ſenilis frigiditate & craſſitudine humorum & ſpirituum id mali adferre ſolet. Signa ſunt, incipiente morbo, viſa quædam ob oculos verſari, culices, aut muſcæ, aut feſtucæ, lanarum fila, araneorum telæ & circuli circa lucernas apparent. Cùm à ſomno excitantur, viſus interturbatur, & ſplendores ſe offerunt, quales compreſsis oculis videri ſolent: interim verò oculus inſpicientibus non admodum diligenter, videtur perſpicuus, & pura pupilla, ſed proceſſu temporis colorem maris refert, & deinde albicantem, dum humor concreſcit & craſſeſcit magis, quo tempore homo viſum omnino amittit, & dicta augentur ſymptomata. Suffuſionum autem color eſt qualis apparet aer cælo ſereno, aut vitreus, aut ſimilis eſt aquæ maris, aut plumbo, aut albicans eſt, aut glaucus, duæ poſtremæ ſuffuſionum ſpecies non curantur, aliæ curari poſſunt. At verò cùm viſa ſimilia his quæ per ſuffuſiones apparent aliquando oculo nullam affectionem patiente conſpiciantur, nempe cerebro, aut ventriculo patientibus, oculis autem conſentientibus, Gale. lib. 4. de Locis patientibus. cap. 1. hæc diſtinguere docet. Primò à ventriculi affectibus, ſi incipientibus apparentiis, in vtroque oculorum ſimili modo appareant, ſignum eſt à ventriculo oriri viſa: nam veræ ſuffuſiones neque in vtroque oculorum, neque ſimiliter incipiunt. Extempore ita diſtinguentur, ſi tribus, quatuórve, aut pluribus menſibus tranſactis, oculorum pupillæ puræ ac nitidæ appareant, à ventriculo procedunt viſa: quòd ſi non adeò diuturnus morbus fuerit, ſingulis diebus coniiciendum eſt, an ſine intermiſsione ſemper ſimiliter moleſtetur æger viſis, an non, cùm enim nunquam, aut remittit aut intermittit malum, vera ſuffuſio eſt; aliàs malum à ventriculo procedit, præſertim ſi vbi probè concoxerit

Suffuſionũ ſigna.

coxerit cibos æger, nihil tale apparuisse testetur, aut etiam vbi molestetur visis, dixerit mordentem aliquem humorem in ore ventriculi sentire, atque reiecto humore vomitus mitigata fuisse symptomata. Hæc interroganda sunt à prima die, vbi in oculis nulla appareat turbulentia, sed secundum naturam se habeant: nam si in altera tantum tenebrositas apparuerit, suffusionis initium est. At si oculos à natura habuerit turbulentos, & pupillas non puras ambas, & non multum temporis pertransierit à quo visa sentire dixerit, præcipiendum vt minus cibi, atque boni succi accipiat, & sequenti die finita, ac probè perfecta coctione, si nulla visa, aut paruissima apparuisse fateatur, à ventriculo processerunt, si tamen similia permanserint, suffusionis accidentia sunt, præsertim, si purgato per hieram ventriculo adhuc perseuerent. Cùm autem à cerebro visa procedũt phrenitide laborat æger. Phreniticorum verò visa quomodo, & qualia fiant, libro primo Prognosticorum, in expositionibus nostris latè percurrimus. Cognita tamen vera suffusione incipiente, sanguinem mittemus, nisi aliquid obstiterit, ex vena cubiti externa, crassos quoque humores purgabimus, prius extenuatos aqua mulsa, aut siropo de stœcade cum aqua instillatitia fœniculi. Ad purgationem accommodantur pilulæ sine quibus, aut pilulæ lucis, clysteria acriora iniiciantur, frictiones fiant in cruribus & brachiis, cucurbitulæ cum scarificatione occipiti affigantur. Gargarismatis vtantur, quæ pituitam educant, & errhinis similibus, quorum copia suprà tradita est ad frigidos capitis morbos cum humore: oculis verò conducunt, aqua chelidonij, fœniculi, & rutæ, cũ tutia, bis in die, & succus fœniculi cum vino. In victu alimẽta boni succi, & quæ parum humectare valeant, conferunt, à vino abstineant, & aqua anisi, aut cinnamomi vtantur, abstineant ab oleribus, fructibus viridibus & piscibus, postrema mensa accipient miloplacentam sine speciebus, aut dragetam ex anisо, fœniculo, & coriandro præparato. Partes inferiores corporis moueant & exerceant, & frictionibus vtantur, sed à balneis abstineant, & animi accidentibus, ventrem lenem seruent, & ventris plenitudinem, ebrietatem, & literarum lectionem deuitent. Quotidie ieiuno ventre caput anterius retrorsum pectine scalpant. Ex antiquis verò suffusionibus, quædam manus opera curari debẽt, quædam verò eandem non exposcunt, quod ea ratione distingues, qua Gal. libro primo, de Causis sympt. Si altero oculorum clauso, alter splendidior euadat, spes habetur visum reparari posse: si verò non, neque augetur, aut dilatatur pupilla, visus ob spiritus defectum reparari nequit. Paulus verò patientem oculum digito comprimere præcipit: quòd si post compressionem suffusio dilatetur, nondum concreuit, ac perinde non debet manus opera curari: si verò non dilatatur ex compressione, distinguere oportet: nam quæ parum & quæ multũ concreuerunt, non dilatantur, neque tamen omnes curari debent manus opera. Quamobrem earum suffusionum quæ non dilatantur colorem cõsiderare conuenit: si namque qualis aquæ marinæ fuerit, aut ferri, aut plumbi, curanda est: si verò colorem habuerit gipsi, aut grandinis, non decet eam curare: siquidem immodicè concreuit: manus præterea operam Paulus probè docet libro sexto.

Suffusionũ curatio.

Suffusorum victus.

Suffusionũ curandarum manus opera Gal. & Paul. sententia.

De Pupillæ dilatatione & constrictione, Cap. IX.

PVPILLA Quantitatem naturalem euariat dilatatione quæ μυδρίασις dicitur aut diminutione, ac tabe, quæ græcis φθίσις nominatur. Dilatatur pupilla nimia humiditate occurrente ac relaxante vueam membranam. Vidimus quoque ipsam vsque ad iridem diductam ob oculi ictu valido. Nota passio est, per quam visa minora apparent, vti per tabem maiora. Visio namque ab oculo procedens dispergitur, & circulos maiores quam per bonam valetudinẽ ad æquam distantiam efficit. Ac perinde amplitudo circuli cum superficie corporis mensurata eandem superat. Ob angustiam verò pupillæ corpora maiora apparẽt,

μυδρίασις

quoniam visionum ab oculo procedentium post pupillæ constrictionem superficies, ad parem distantiam minor est, ac perinde corpora maiora quàm antè & quàm vere sint, apparent. Pupillæ dilatio breui expoſcit auxilia, ne interim obduretur, & restitutioni inepta permaneat. Victus itaque conueniens exsiccans esse debet, & tenuior, à vino abstinebunt & balneo, cæterùm frictionibus vtentur partium inferiorum, & deambulationibus, & lenibus clysteribus. Reliquis consentientibus ante alia sanguinem mittemus, aut vētrem purgabimus, deinde cucurbitulas sine scarificatione occipiti affigemus. Oculo verò admouebimus medicamenta exsiccantia, quæ non valde calfaciant, neque supra modum refrigerent, ne illa humorem aliunde trahant, hæc verò eumdem compingant, quæ verò valde exsiccant, obdurant membranas, rosa, crocus, tutia, acatia, thus, cortex radicis buxi, vtilia sunt, & quæ ex his & similibus componūtur, de quibus est collyrium de thure, & fotus ex aqua marina.

Pupillæ dilatatæ curatio.

Pupillæ tabidæ curatio.

Tabes verò oculi, ac pupillæ angustia, à nimia cerebri siccitate fit, & animalis spiritus defectu, victus conuenit humectans ex carnium iuribus, vini fului potu, aut nigri dulcis, & somnus à cibo, atque etiam meridianus, frictio capitis, & faciei, & fotus ex aqua calida, & respirationis retentio & exsufflare, & inflare buccas. Digitis etiam oculos comprimere. His cōuenit quàm maximè à coitu & fletu abstinere, & fœnogræci decocto fouere oculos.

De Visus debilitate, Cap. X.

Visus debilitas.

VISVS Debilitas, græcis ἀμβλυωπία & ἀμαύρωσις dicitur, quamuis ἀμβλυωπία minor læsio sit, nulla tamen læsio oculi conspicua in his est, sed sensui latet: hæc verò euenit, à crassis humoribus, & lentis oculum, & humorem ipsum crystalinum occupantibus, aut opticum neruum. Præcedunt autem ebrietates, ciborum repletiones, capitis morbi, distillationes, lachrymarum magna effusio. Euenit quoque senibus id mali, humoribus oculorum diminutis, & corrugatis membranis: hi verò non curantur. Fit autem hoc symptoma quibusdam repentè ob neruorum opticorum obstructionem, aut relaxationem, quem affectum barbari & oculistæ appellant, guttam serenam, ob quam obstructionem nonnulli integrè obcæcantur. Præcedēte capitis ictu, aut morbo aliquo pituitoso diuturno, aut ebrietate, & meri potu, aut magna spiritus retentione, & inflatione, fit. Antecedere etiam solent coitus immodicus, vomitus vehemens, solis occursus, aut venti valde refrigerantes, balnea, lectio assidua minutarum literarum, terræ effossio quæ depresso capite fit, & magni ponderis eleuatio. Causas prægressas ex relatu accipiemus. Crassi humores grauitate cognoscuntur, & præcedenti victu. Neruorum relaxatio, ex motus oculi tarditate. Omnibus his conuenit cibus boni succi, facilis coctionis, & aquæ potus, partium inferiorum frictio, & deambulatio, ventris lenitio & abstinentia ab animi accidentibus, balneis, vini potu, & venere. Præterea lectione, scriptura, & vomitu: & eruditates vitent, & solis occursum: atque frigidi aeris, curationis ratione sanguinem ab initio mittemus secta vena externa cubiti, aut mediam deinde venis quæ sunt in angulis internis oculorum, prius deligato collo, ac rursus soluto bis, aut ter, ita vt concussione sanguinis: & agitatione ipsius & capitis facta, humor crassus obstruēs paretur ad exitum. Cùm in nerui optici cauitate continetur, ita visum intercipiens, vt crassus humor, qui obstruit cerebri meatus in apoplexia, est enim hæc affectio visus interceptio, & quadamtenus apoplexia eius. Ventrem deinde purgabimus per pilulas lacis, aut sine quibus, aut cochias. In longiori & sensim facto morbo pilulas de hiera, & terebinthinam, aut abietinam relinam deuorādam dabimus, cucurbitulas cum scarificatione occipiti affigemus, atque sanguisugas. Deinde medicamentis errhinis, & apophlegmatismis vtemur, oculis autem admouebimus mel despumatum, aut mel cum succo fœniculi, aut succo chelidonij, aut spicam nardi

Visus debilitatis curatio.

cum

cum ſucco fœniculi, aut hæc eadem in vaſe æneo agitata, aut aqua inſtillatitia eufraſię, cum croco, & ſpica, aut aqua marina. Obſtructione tamen in opticis exiſtente, vbi reliqua non profuerint, ſinapiſmus capiti imponetur. Ad viſus hebetudines & ſuffuſiones incipientes valet cinis lumbricorũ terreſtrium cum melle. Aliud, mel, oleum antiquum, & ſuccus fœniculi, in vaſe æneo miſceantur & ſeruentur.

De Nyctalopis, Cap. XI.

Nocturna cæcitudo.

EOS Qui nocturnam cæcitudinem patiuntur, græci nyctalopas appellant, quoniam & ſi interdiu videant, inclinãte ſole obſcurius conſpiciunt, noctu verò nihil. Mali cauſa craſſus humor eſt, qui pupillam obſtruit, & album humorem incraſſat, atque viſorium ſpiritum offuſcat, ita vt non ſine magna luce ad opus ſufficiant; idem facit imbecillitas ex frigiditate orta. Morbus ægri relatu conſtat. Victus eis conuenit extenuans & exiccans, membrorum inferiorum frictio, & deambulatio, & caput pectine retrorſum ſcalpere, & faciem vino albo abluere. Prima menſa origanum, aut hyſſopum accipere, aut cortices citri melle conditas. Ad finem verò coriandrum præparatum, aut dragetã ex aniſo & fœniculo, aut pluribus diebus ſummo mane ad capitis langores curandos vitellos ouorum tremulos cum coriandro præparato ſorbere, aut ferculum, ex auellanis toſtis, pane toſto, coriandro, & fœniculo cum iure carnis confectum. Curatio perficitur ſanguinis miſsione ex vena externa, & angulis internis oculorum, & purgatione per pilulas lucis. Oculis verò admouemus mel deſpumatum, aut idem cum ſucco fœniculi, aut fel berbelli, aut fel perdicis cum ſaccharo, aut ſuccum fœniculi, aut ſtercus lacerti cum ſucco chelidonij, aut ſuecum qui inſtillat ex hircino iecore dum aſſatur, aut eiuſdem vapor oculis obiiciatur. Vbi etiam malum non deleatur, rurſus conuenit & errhina adhibere medicamenta, ac rurſus ad prædicta topica redire.

Nictalopũ curatio.

De Oculi expreßione. Cap. XII.

Oculorum expreſſio.

EXPRESSORVM, Aut exilientium oculorum cauſę ſunt quæ eos relaxant, aut exprimunt, ita vt ſupra modum promineant, aut exiliant à locis propriis, & ad malas vſq; procidant. Partus vehementia id efficit, & vehemens colluctatio, & magni ponderis eleuatio, & caſus ſuper caput, aut magnus ictus, aut vlcera & carbones, aut humorum craſſorum copia, qui neruos oculos mouentes, & confirmantes occupant. Notus morbus eſt, cui reliquis conſentientibus ſang. miſsio & purgatio conueniunt. Præterea oculos reducere conuenit, & eoſdem linteolis duplicatis leuiter comprimere. Deinde eoſdem decocto roſarum, aut vino in quo cùpreſsi pilulę, & pſidiæ, & acacia, atq; hypociſtis bullierint, foueant: his verò non proficientibus cucurbitulæ cum ſcarificatione occipiti affigantur. Vidimus nobilem fœminam cuius oculi partus violentia exilierunt, & quatuor tranſactis diebus menſtruis purgatis reducti fuerunt ſponte. Iuueni verò cuidam cùm ab alto cecidiſſet, exilierunt oculi extra palpebras, quos reduximus ſenſim, & eiſdem admouimus linteolos duplicatos madefactos decocto roſarum & balauſtiarum, inſperſos acacia, & intra duas horas à caſu vẽtris onere depoſito, ſanguinem miſimus de externa dextri cubiti vena, is liberatus eſt topico remedio repetito, decẽti adhibito victu. Cùm autem oculo procidenti inflammatio accidit, integrum ouum cum vino & roſaceo lana exceptum ſuperponendum eſt, aut folia hyoſcyami in vino elixa atque contuſa, aut papaueris capita ſic parata. Remittente verò inflammatione collyrium fiet ex roſis & acacia cum albo oui, ſed interim dum inflammatio adeſt, emplaſtra octo horis interpoſitis permutanda, ne putreant.

De

De Ægilope, Cap. XIII.

Ægilops. Anchilops.

ÆGILOPS Inflammatio est in angulo magno oculi, cũ verò post suppurationem in abscessum migrauerit, Anchilops dicitur, Eius generatio similis est generationi aliarum inflammationum, & easdem in genere habet causas. Notus morbus est, siquidem oculis ipsis conspicitur. Non habet sanè facilem curationem, siquidem os subiectum & propinquitatem & carnis loci inopiam, & oculus, ob propinquitatem & connexionem statim compatiuntur. Quam ob rem incipiente morbo sanguinem mittere conuenit secta vena externa cubiti lateris eiusdem. Medicamenta verò repellentia parti admouemus, quale est quod recipit succi solani ʒ.vj. thuris ʒ.ij. Aliud, succi semperuiui, succi peruicij vtriusque ʒ.iiij. glauci, croci, vtriusque ʒ.ß. Hęc sæpe repetenda & immutanda, ne inflammatio suppuretur. Deinde discussoriis resolutio tumoris tentanda, quod fiet per medicamentũ quòd recipiet, staphidis agriæ, ammoniaci, rhymiamatis, vtriusq; ʒ.j. Valet ad idem farina erui cum melle, aut perdicium elixa & malaxata cum pauca myrrha. Si verò in suppurationem transierit, si non rumpatur sponte auro cãdenti aperietur. Post rupturam medicamenta abundè resiccantia adhibebimus, antequam malum os subiectum inficiat, & pars tẽperaturã amittat: fit enim inde perpetua anchilops. Quem vsum præstat aluminis tenuissimè triti. ʒ.j. resinæ terebinthinæ ʒ. j. hoc vlceri immittendum est, & paruum splenium superponendum: id enim mundificat & incarnat vlcus. Valet ad idem radix ireos elixa & contrita ac superposita, aut puluis eius insperſus, aut farina erui cum melle, & mirrha, ac thus cum melle. Huius morbi chirurgia à Paulo traditur libro sexto, nam cùm os semel affectum fuerit, fistula lachrymalis candenti auro aut ferro opus habet.

De Encanthide & Rhiade, Cap. XIIII.

Encanthis. Rhias.

CARO Quæ secundum naturam in magno angulo oculi continetur, quandoque augetur: quæ affectio encanthis Græcis appellatur, aut imminuitur & appellatur Rhias. causa augmẽti esse solet sanguinis affluentis copia, & restitutio vlcerati anguli oculi: consumptio verò fit nimia humorum acrium defluxione, aut vitione, aut vlceratione ægilopis. Carnis augmentum curabimus alumine vsto superſparso, aut cum vnguẽto de tutia superposito. His non proficientibus auro candenti per calamum modicè vritur, & album oui superponitur. Diminutio carnis restituitur, aloe, & croco, sæpius admotis, sed raro curatur.

De Pruritu & scabricie palpebrarum, Cap. XV.

Palpebrarum pruritus. τρἀχωμα.

PALPEBRAE Oculorum pruriunt, & acrem defluxionem, aut salsam recipientes exasperantur: appellatur hæc affectio τρἀχωμα, quandoque temporis diuturnitate obdurantur atque calescunt, quod malũ τύλωσις dicitur. Agnoscitur malũ, quoniã pruritus adest, & rubent palpebræ, & exasperãtur, & lachrymæ frequentiùs defluunt, & ferè semper. Ante aliam curationem, acres, aut salsi humores purgãdi sunt, deinde singulis diebus summo mane oculi abluẽdi aqua instillatitia fœniculi, & aloe cũ succo fœniculi, aut succo chelidonij, aut aloe cũ melle in pixide ænea agitetur, & liniatur. Aliud, succi radicis rumicis ʒ. j. mellis ʒ. ß. Aliud, æris vsti, myrrhæ, vtriusque ʒ.j. fiat tenuissimus puluis cui adde croci, grana viij. diluantur in aqua pluuiali, & liniantur palpebræ. Aut sarcocolla cum succo fœniculi. Aliud, vini albi ʒ.iij. succi rumicis ʒ. j. aloes, & sarcocollæ vtriusque ʒ.ß. aut lapis hæmatites in aqua pluuiali diluatur. Si verò palpebræ obdurẽtur, & calosæ fiant, inuersæ abradendæ sunt pumice, aut sepiæ testa, deinde prædictis liniendæ medicamentis.

DE

De Aurium dolore, Cap. I.

AVRIVM Dolor quandoq; cum inflammatione, nonnunquam ſine ipſa fit, atque id ab intemperie calida aut frigida, aut flatu, aut aqua medicata incluſa, aut re quapiam extrinſecus occurrente, vt pulice, cimice, capite aciculæ, aut ſimilibus. Rurſus à calida intemperie nuda, aut cum mordentibus & aeribus humoribus, à frigida quoq; aut ſola, aut cum craſſis humoribus. Calida intemperies ardore agnoſcitur, ſine grauitate, & victu præcedente, ætate, temperatura, & anni tẽpore, & regione, & quoniam iuuantur à frigidis auxiliis. Si materia acris acceſſerit, mortus aderit, & calentis ac mordentis excrementi effluxus, frigida intemperies lento dolore agnoſcitur, ſine grauitate, & relatu ægri qui cauſas refert refrigerantes, quæ acceſſerunt, aqua medicata ægri relatu agnoſcetur, ſicuti & exteriora reliqua. Humor autem pituitoſus pondere agnoſcetur & victu præcedẽte tempore, ætate, & temperatura, quæ pituitam augere valeant, flatus diſtenſionem efficit ſine grauitate, & ſine ſenſu ardoris, aut frigoris, inflammatio dolorem habet adiunctum calorem, pulſum, & diſtenſionem, quibus accedit febris continua, victus conuenit omnibus boni ſucci cibus, & facilis coctionis, flatus expers, in calido dolore refrigerãs, vti lactuca, & endiuia, potus aquæ hordei, in frigido calefaciẽs ſit, admixtis melle, pipere, & caryophylis. Potus vinum album tenue, aut aqua cinnamomi, dolore à flatu facto aniſum, & cuminum addantur. Cum inflammatio adfuerit præter refrigerãtia victus cõuenit valde tenuis, ſiquidem morbus iuuenibus præſertim periculoſus eſt, & intra ſeptimum, auctore Hippocr. interimit, niſi pus album ab ore effluxerit, locus etenim fallax eſt, ventrem lenire conuenit, ſomnum procurare, is enim nõ paucos integrè liberauit. Curatur dolor auris à calida intẽperie nuda, infuſo lacte muliebri tepido, aut albo oui cum roſaceo, aut roſaceo cum ſucco perditij, vel ſucco ſolani, aut oxyrhodino tepido, vel ſucco coriandri, vel haſtulæ regiæ. Dolor ab intemperie frigida curatur oleo nardino infuſo, aut irino, aut rutaceo, aut de euphorbio, aut caſtoreo. Valet etiam olei veteris vncia j. euphorbij obolus j. & oleum in quo cepa bullierit, aut cæpe ſuccus, aut allij ſuccus cũ oleo anethino, acres humores purgandi ſunt, & affectus, vt capite ſequenti de vlceribus dicemus, curandus, aqua medicata ſi pauca fuerit ſpecillo auriculari, coto obuoluto educetur, & altero pede auri reſpondenti ſubſiliet, inclinato in eam partem capite. Deinde lac muliebre, aut album oui inſtillabitur, aut oleum roſaceum: ſi tamẽ multa fuerit, per eadem curatio tentanda, & per ſyringam exugenda, aut per auriculare clyſtere, at per calamum. Si verò animal incidat, aceto & ſcammonio occidetur, aut ſucco abſynthij, ſi ſemen aliquod incidat, deinde ita intumeſcat vt extrahi non poſsit, ſpecilli mucrone diuidatur, & id, aut lapillus educetur per ſpecillum lana obuolutũ, & terebinthina, aut melle illitum: adhærebit enim, atq; extrahetur. Quòd ſi maius adhuc fuerit & extrahi nequeat chirurgia opus habet. Flatus dolorem efficiẽs curabitur, vt dicemus de ſonitu aurium. Craſsi humores per acetũ mulſum, aut ſiropum de ſtœcade attenuandi, & purgandi pilulis aureis, aut cohiis, deinde ſuccus porri cum melle inſtillandus, aut ſuccus cæpe cũ melle, aut aqua mulſa in qua iris, aut ariſtolochia bullierint, aut oleum amygdalarum amararum, aut oleum de abſynthio cum adipe anſerino, aut vulpino, aut oleum de ſtyrace. Inflammatione verò incipiente venam externam cubiti ſecare conuenit, aut bis, aut euacuationem interpellare. Intra aurem verò inſtillabimus ſenſim vnguenti baſilici ʒ.j. roſacei ʒ.ij. gallinæ, & anatis adipem, aut adipem anſerinum, cum roſaceo, aut oxyrhodinum. Hæc quemadmodum & alia omnia tepida ſunt inſtillatitia. Interim quoque frictionibus vtemur, & clyſteribus. Exterius verò oleo amygdalarum

Aurium dolor.

Auriũ inflammatio.

Auriũ dolentium curatio.

dulcium,aut camemelino, & anethino aurem, & adiacentia loca fouebimus, mitigandi doloris gratia, & coquendi humoris. Sed si dolor vehemens adhuc fuerit,ita vt,vigilias,& mentis turbationes inferat,vt solet, lac muliebre rursus instillandum,aut album oui,aut stuporem inducentia admouebimus,doloris namque particeps cerebrum,nerui auditorij consensu fit,stupefacit autem castorei grana 8.opij grana 4.in oleo camemelino instillatũ,aut in vino dulci. Rursus medicamenti Philonis ʒ.j. diluatur in sapa & instilletur. Blandè verò admodũ attingantur dolentes aures. Quòd si humor doloré efficiens interim non dissoluatur,suppuratio procurãda decocto maluæ:seminis lini,aut fœnogræci,tepentibus, additis oleo camemelino, & gallinæ adipe, aut vnguento basilico liquato in adipe anserino. Rupta verò inflammatione vlcus vt dicemus,curandum. Mihi sanè cum iuuenis adhuc essem 25. annos natus, vehemens auris inflammatio fuit obortа,verùm intra quartum diem, ad summum peruenit vigorem, & pus erupit album.

De Aurium vlceribus, Cap. II.

Auriũ vlceratarum remedia.

AVRIVM Vlcera magna ex parte post inflammationes suppuratas sequuntur,quandoque humorum erodentium effluxum. Conferunt autem eis auxilia quæ detergere valent & ob loci aridam temperaturam abundè exiccẽt. De his est crocus& glaucium pari mensura in aceto trita,aut tutia cum aceto. Aliud,ferri stomoma in aceto teratur & ad æstiuum solem reficcetur,aut igni admotũ donec arescat, bulliat, deinde cum aceto & sapa,aut solo aceto instilletur. Præterea vinum in quo myrtus & malicorium bullierint. Aut fel bubullũ,aut porcinum, aut barbelli cum oleo rosaceo,aut hæc eadem in cortice malipunici tepefacta admoueantur. Aliud,aluminis ʒ.ij.succi poligoni ʒ.iij. Aliud,aluminis ʒ.j.croci,& myrrhę vtriusque ℈.j.cum vino,aut mulso. Si verò vlcera sordida fiant,& pus fœtidum ab aure manauerit,abluenda erunt aceto mulso. Deinde infundendum collyrium quod recipit thuris,myrrhæ,vtriusq; ʒ.j.croci,glauci, vtriusque ʒ.ß. atramenti sutorij ℈. j. cum vino in quo myrtus bullierit. Aliud, aluminis ʒ. ß. vini albi ʒ.iij.bulliant,ad sordium crassitudinem, deinde cum aceto liquentur, & in aurem tepida fundantur. His & similibus vtitur Gal. libro quinto,de Meth. med. vbi Thessali quendam sectatorem reprehendit, quòd relaxantibus vteretur, cùm id neque in vlcere auris cum phlegmone liceat.

De Aurium sonitu, Cap. III.

Aurium sonitus.

SONITVS Aurium,quandoque sequitur intemperiem sine materia, nõnunquam verò causam habet præter naturam. Intemperies sicca,aut calida simul& sicca aerem sensum auditusefficit,ita vt ipsos naturales vapores ascendentes in caput, aut ex coctione humorum capitis leuatos, cum sonitu, aliâs imperceptibili, agnoscat. Quod euenit his qui ex morbis febrilibus reualescunt, & post phrenitidem, & calidos capitis dolores. Causa prẽter naturam omnino vna est, flatus intra aurem concitatus non inueniens exitum. Is tamen aut in capite generatur, aut aliunde transmittitur, magna ex parte à ventriculo. In capite generatur ob frigidam,aut calidam intemperiem, veluti causam, aut ob crassos humores, qui copiam materiæ præstant,etiam si calor aut parum, aut nihil à natiuo recedat. A ventriculo ascendit per eruditates,ebrietates, & repletiones ciborũ. Sæpe etiam ad frigidam intemperiem capitis accedunt causæ externæ refrigerantes, vti aer, balneum, & medicamentorum, refrigerantium vsus. Ad calidam, solis æstus qui vaporum concitatione, aurium sonitum sæpe facit. Intemperies calida, atque sicca cerebri, ab excrementorum defectu agnoscuntur, & quoniam caput non grauatur, & quod victus præcedens non aceruauit crassa excrementa, & morbi calidi præcesserunt, & vigiliæ. Ex his cognoscitur sensus acrimonia, & quoniam ieiuno ventre magis

vex

vexat. Flatus à ventriculo ascendit, per eruditates, ex quibus agnoscitur, & ebrietatibus, & ventriculi per id tempus dolore, nausea, & vomitibus, & inappetētia, & quod subitò accedit. In cerebro genitus à causa prægressa ex relatu ægri agnoscitur. Crassam pituitam docet grauitas capitis, faciei decoloratio, victus præcedens pituitam augēs, & grauis somnus, & iuxta somnum augetur, sed sensui malum accedit. Si malum per febres eueniat, febres curandæ sunt, si febre cessante calor relinquatur, aut sensus acrimonia, ad quā sequatur prędictus sonitus. Victus cōueniet humectās, vti ptisana, amygdalatū, aues elixæ, & pedes porcorum, somnus longus, quies, vini dulcis potus. De medicamētis est oleum violatum, in aurem instillatum, vapor decocti violarum, aut corticum papaueris, aut olei rosati ʒ.j. opij grana ij. Si flatus à ventriculo oriatur, omnis repletio, eruditásque vitanda, & venter leniendus, & frictiones crurum fiant. Acetum mulsum bibant, ac deinde purgentur hiera diacolocynthidos, aut pilulis de agarico, venter verò oleo de absynthio, aut nardino liniatur. Si à causis externis flatus generetur, eas semouere expedit. Si tamen morbus à frigida oriatur intemperie, cum materia crassa & lenta, aqua mulsa, aut acetum mulsum, aut siropus de stœcade præbibenda sunt, & caput purgandum pilulis aureis, aut cochiis. Prosunt etiam gargarismata, & errhina pituitam educentia. Frigida verò intemperies si relinquatur, aut ab initio constiterit, curanda contrariis. De quorum numero est, oleum amygdalarum amararū instillatam aut oleum vetus, in quo bullierit cuminum, nam & hæc flatum discutiunt, aut succus raphani cum oleo rutaceo, aut oleū iritum cum succo rutæ, aut oleum de absynthio cum succo rutæ, aut oleum de euphorbio: aut vaporem recipiat decocti rutæ, aut anethi & stœcados, & maioranæ: aut sacculi ex eisdem herbis calidi admouendi. Valet euaporatio aceti per calamum, & oleum laurinum, & succus rutæ qui in cortice mali punici bullierit.

Aurium sonitus curantia.

De surditate & graui auditu, Cap. IIII.

SVRDITAS, Aut grauis auditus, cùm à natiuitate contrahitur, & diutius durat, curari nequit: sed superuenit quibusdam, aut ob intemperiem sine materia, quæ occupat neruum auditorium, aut propter obstructionem: hæc verò à causa extrinsecus occurrēte, vt lapillo, aut cimice, aut nucleo, aut ob causam internam, vt inflammationem, aut scirrhum, aut verucam, aut sordem, aut callum, aut carnem ad natam, aut ob humorem calidum biliosum, aut ob crassos & lentos humores. Intemperies calida cognoscitur, vt præcedenti capite diximus, frigida partim tactu, partim faciei decoloratione, partim à iuuantibus & nocentibus. Obstructio à causa externa, ægri relatu agnoscetur, interna causa, si fuerit inflammatio ex signis inflammationis, suprà traditis. Scirrhus præcedente inflammatione generatur, aut crassis humoribus ibidem congestis, qui grauitate & obturatione cognoscetur, ac diuturnitate, sordes post vlcera magna ex parte accedunt & à capite transmittuntur capitis dolore præcedente, adest quoque in aure morsus, aut pruritus. Callus aut caro adnata post vlcera sequitur, & specillo tangitur, & quandoq; visu deprehenditur, vti & verruca. Bilis proprias habet notas ex calore & acredine, & his quæ præcesserunt morbis, atq; victu. Pituita frigidat & grauat, & victus accedit qui pituitā generet. Si crisis ratione surditas eueniat, morbi capitis, aut partium inferiorum præcesserūt, aduenientе verò surditate aut omnino euanuerunt, aut in melius fecere mutationem. Curatur intemperies remediis calefacientibus aut refrigerantibus, & quibusdam calidis infrà tradendis, & superius traditis. Inflammationis quoq; curationem scripsimus, sicuti & modum extrahendi quæ in aurem extrinsecus inciderunt. Scirrhus & callus, & verruca curantur oleo amygdalarū amararum cum medulla colocynthidis, aut succo cucumeris asinini, cum melle, aut curari nequeunt. Sordes aurium specillo mundantur, si crassæ fuerint &

Surditas.

paucæ sed multæ & tenues aqua mulsa instillata egent, aut aceto mulso, aut melle & succo foliorum raphani. Sordium verò influxus reuellendus. Sed si causa surditatis fuerit humor biliosus, qualis iudicationis ratione ad aures quandoque transfunditur, ventris fluxu superueniente curabitur, humore in contrarium transmisso, id quod Hip. Apho. octauo Sectionis quartæ indicauit dicens: Quibus biliosæ accidunt dejectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas fit superuenientibus alui dejectionibus cessat. Verum vbi hæc non superuenerint medicamentis quæ ventrē purgent procurandæ sunt. Surditate à crassis humoribus proueniente, purgatione opus est. Acetum itaq; multum prębibendum, aut siropus de stœcade, cum aqua amaraci. Purgabitur autē pilulis aureis, aut cochiis. Gargarismata deinde adhibēda ex aceto mulso cum staphide agrestri, aut cum decocto saluiæ & amaraci. Aliud, hyssopi, origani, calaminthæ, singulorum ʒ.ij. sinapis ʒ.iij. mellis ʒ.iiij. misce, & cum vti volueris dilue ʒ.iij. in decocto stœcados. Sternutariis quoq; vtantur: auribus verò instilletur oleum amygdalarum amararum, aut oleum nardinum, aut oleum de euphorbio. Aliud, succus astulæ regiæ cum melle despumato pari mensura misceantur, aut succus cepæ cum oleo amygdalarum amararum, aut succus foliorum raphani cum melle, aut oleum laurinum, oleum amygdalarum amararum, oleum irinum pari mensura misceantur, in quibus ellebori radix bulliat, & in aurem instilletur. Aut oleum rutaceum, cum *felle tauri*, aut oleum laurinum cum felle accipitris. Aliud, fellis capræ & vrinæ capræ vtriusque ʒ.j. galbani ʒ.ß. aut castoreū cum oleo anethino. Aliud, cepas duas minutatim secabis, & in alambico positis misce bis mellis ʒ.iiij. succi porri ʒ.viij. aut tantundem succi absynthij, aqua instillatitia ex his, in aurem tepida infusa, miro modo surditatem & aurium sonitum curat. Victus verò, cōuenit, qui bonum succum præstet, & facilè coquatur: vitet olera, & fructus viridos, & vinum nouellum, & lac, & quæcunque vapores capiti mittunt, & caseum, & pisces crassæ substantiæ: bibent aquam cinnamomi, aut anisi, aut vinum antiquum nō odoratum, anisum & cuminum cibis admisceant. Aerem eligent calidū & siccum, & capitis vtantur frictionibus, post purgationem.

De Parotidibus, Cap. V.

Parotidæ.

PAROTIDES Inflammationes sunt in carnibus adenosis, quæ iuxta aures sunt factæ. Causa est sanguinis in eam partem influxus, aut solius, aut cū abundante bile, aut pituita, aut melancholia. Confluit autem, aut abundante in toto corpore sanguine, aut à capite tantum, & id symptomatis, aut indicationis ratione. Malum cognoscitur visu tumor enim est sensu perspicuus: æger verò dolorem referet. Præterea si à sanguine fiat, rubet, grauat, dolet, pulsat, si bilis abundet, pallidior fit, & ardor maior accedet, si à pituita laxior est tumor cum maiori grauitate, & ardore minori, Melancholia abundante, magna grauitas aderit pro magnitudine tumoris, duricies maior, dolor non magnus. Si à capite transmittatur, priùs dolebit & transmissione facta leuabitur, non aderat autem totius corporis plethora, aut cacochimia. Quibus præsentibus ab ipso corpore transmissio fiet. Iudicatio per febres longas fit, crassis humoribus redundantibus, aut per acutas febres, tenui humore, sed languente facultate. Victus conuenit tenuis, & eo tenuior quo morbus fuerit maior, & terminus breuior, facultate cōstante. Si parotides fiant, indicationis ratione, si abundè effluat humor, ita vt æger manifestè leuetur, increscente tumore, opus naturæ permittendum, aut sola axungia galinę liquata pars liniatur ad dolorem sedandum, aut butyrū, aut semen lini cum mulsa, aut fœnogræci farina, cū oleo camemelino. Si humor pauca quantitate decumbat, inuanda est natura his quæ extrahant è venis humorem, fotu olei irini, & anethini, aut melle & pipere, aut cucurbita loco affigatur, præsertim cùm humores fuerint capiti infixi, vtcunque tamen incipiente inflam-

Parotidū curatio.

matione

matione repellendus non est humor; ne in caput recurrat, si humor malignus non est, neque copiosus, minimè omnium si iudicationis ratione eueniat. Aliàs autem si fiat, mitigatoriis eget, & his quæ discutiant, cum factus fuerit tumor. Ab initio itaque si sanguis in toto corpore abundare videatur, sanguinem mittemus, deinde admouebimus vnguentum dialtheas, aut œsypum cum axungia gallinæ liquatum aut farinam seminis lini cum mulsa, aut fœnogræci, & seminis lini, & alteæ decocto partem fouebimus aut adipe, butyro, & cera partem liniemus. Quum autem parotides non discutiuntur suppuratio tentanda, cum farina frumenti, & ficuum decocto, & oleo, aut foliis maluarum elixis, & cum axungia porci sine sale malaxatis, & si non rumpantur, ferro candenti pus ducemus. Aut medicamenta admouebimus quæ discutiant & ex alto trahant, vti mel cum radice iridis, aut galbano & oleo laurino: cùm autem pars reliqua ad duriciem inclinauerit, digerentibus miscebimus emollientia: at si parotides sine magno dolore fuerint: itaque materiam referant pituitosam, muria fouendæ sunt, aut liniendæ emplastro diachylon liquato in oleo camemelino.

DE MORBIS NARIVM,

SECTIO IIII.

De Narium vlceribus. Cap. I.

Narium vlcera. Ozæna.

NARIVM Vlcera ozænas appellant, ab humoribus acribus ortum habent, quibus facultas erodendi inest: quibusdam verò præter acredinem putredo accedit, & fœtor ènaribus expirat. Quidam sola ea vlcera quæ sordida in naribus sunt, ozænas appellari volunt. Notus morbus est tum ex his quæ de naribus manant, tum etiam visu, accedit dolor: præsertim si crustam violentiùs euellant. Mali huius curatio à capite incipere debet: causam etenim vacuare oportet sanguinis missione, si is abundauerit & reliqua consentiant, aut purgatione per pilulas sine quibus, deinde caput ipsum roborandum ne aliunde ascendentia excrementa suscipiat: quem vsum præstat oxyrrhodinum, cui etiam addimus myrti puluerem, aut gallarum, aut oleum myrtinum, & acetum rosatum miscemus, cui addimus rosarum & acaciæ puluerem: hæc enim repellunt & adstringunt. Naribus deinde curationem adhibemus. Primò admouentes ea quę crustam decidere faciant, de quorum numero est mel, aut gallinæ axungia, aut butyrum, aut oleum violatum, cùm gallinæ axungia, & sternutatio prouocanda, paucis interiectis horis. Postquam crusta deciderit rursus si sordidum vlcus relinquatur, melle liniendum despumato. Si dolor adfuerit, axungia gallinæ cum oleo violaceo, & pauca cera linienda, hoc enim medicamentum dolorem sedat, & impedit quo minus fluxio hæreat naribus. Deinde ellychnium immittendum ex lino, aut cocto, cum vnguento de tutia, aut mali punici succus in vase æreo ad mediętatem coctus instilletur, aut malum punicum dulce in vino elixetur & malaxatum naribus extrà admoueatur. Valet etiam calamynthæ succus instillatus, aut vnguentum de lithargyrio, cum puluere gallarum, aut boli armeni, aut puluis myrrhæ, aluminis vsti, & gallarum æquis portionibus insuffletur.

De Fluxu sanguinis narium, Cap. II.

Sanguis ex naribus.

SANGVINIS Ex naribus fluxus vna trium causarum fit, quarum Galen. lib. 3. de Causis sympt. meminit, fluit etenim sanguis vase rupto, aut eroso, aut vasorum ossulis adapertis. Rumpuntur vasa, vulnere, aut contusione. Erosio ab acredine fit, aut humorum, aut externæ cuiuspiam causæ. Anastomosis, hoc est orificiorum venarum apertio fit, à multitudine, aut tenuitate humorum. Præterea sanguis fluit

ex naribus,à causa interna,aut externa,& interna, aut iudicationis ratione, vt in ardentibus febribus,& tertianis,& phrenitidibus, noctis coctionis præcedentibus,& humore tantùm abundante expulso.Hic autem fluxus curatione non eget, si verò à causa externa accidat, ipsa semouenda, vt sol, aut medicamentum calidum: si tamen quidpiam reliquerint causæ prædictæ externæ in naribus factum, id deinde curari debet, & vlcera narium curanda, ac vulnera. Si tamen sanguis fluat ex naribus symptomaticè, siue accidentis ratione ob internas causas erodentes, curari debet, vti narium vlcera cap. præcedenti. Si verò apertis ossulis venarum à multitudine, aut tenuitate, interim dum copia sanguinis adest, pariter prætermittenda est fluxio, donec aut quod bonum est vacuetur, aut vires languere incipiant. Causæ externæ notæ sunt ex se, aut ægri relatu, sanguinis copia agnoscitur faciei rubore, temporum pulsu, ætate, habitu, temperatura, & ægri victu. Sanguinis tenuitas, ex propria substantia, quæ aquosa est, deprehenditur, atque ex ægri temperatura, & victu, tum faciei, tum etiam totius corporis albicante colore. Victus conuenit tenuis, cúmque sanguis tenuior fuerit, his quæ incrassant vtentur, & cùm calidior, his quæ infrigidant, & potus conuenit aquæ chalybeatæ, aut mastichinæ: nocet autem ex cinnamomo, quoniam odor cinnamomi in caput ducit sanguinem. Adhibenda est ventris lenitio, inferiorum partium frictio, & ligaturæ, quies corporis & animi. Quantum verò attinet ad decubitum, sunt qui dixerint partes infra caput sublimes situandas esse, & caput deorsum spectare, quod Galen. sententiæ ex lib.5. de Metho. meden. contrarium est, & manifestam infert noxam: talis etenim situs non tantùm ad fluxionem

Fluxus sangu. narium curatio.

sistendam non accommodatur, sed ipsam commouet. Itaque cùm sanguis ex naribus fluxerit, euacuatione opus est, reuulsione, repulsione, & astrictione: vacuamus redundante sanguine, & viribus omnino id ferre valentibus, misso sanguine de vena externa cubiti lateris, à quo sanguis manat, idque per interualla horarum bis, aut ter, aut appositò digito, aut adacta interim ligatura, deriuatio sine vacuatione fiet, frictionibus, & ligaturis, crurum, & brachiorum, illitis manibus aliquo calefaciẽte, & magna cucurbitula affixa eiusdem lateris hypochondrio, & aliæ occipiti conueniunt. Repellunt fronti & temporibus admota medicamenta, quæ refrigerent & adstringant, vti album oui cum thure, lintheolis, aut stupis madefactis. Adstringentia medicamenta naribus immittenda, verùm neque hæc, neque ea quæ repellunt, naribus, aut proximis partibus admouenda sunt, antequam sanguinis missione, reuulsione, & frictione, ac ligaturis, & cucurbitulis vsi fuerimus, tum his quæ hypochondriis, tum his quæ occipiti admouentur, reuulsionis ratione: aliàs sanguis in capite compingeretur, & maiorum malorum causæ forent, Galen. id attestante lib.5. de Metho. meden. Præter adstringentia medicamenta solent medici scarotica, quæ videlicet crustas inducunt, naribus immittere: verùm hæc non nisi valde vrgente malo, & vbi alia non profecerint sunt admouẽda, quoniam carnem proximam in scaram vertunt: fit autem sæpe vt hac decidente vlcere & venarum apertione maioribus factis, sanguis copiosiùs fluat. Fronti sanè, temporibus, & commissuræ coronali superponimus succum plantaginis, aut lactucæ cum aceto, aut spongiam aceto imbutam naribus admouemus, aut aqua rosarum instillatitia & aceto, aut gipsum in aceto liquatum fronti imponatur, aut idem ellychnio exceptum indatur, aut Galen. medicamentum ex lib. quinto de Metho. medendi, quod componitur ex parte vna aloes, thuris partibus duabus cum albo oui liquentur ad mellis crassitudinem & cum mollissimo pilo leporis excipiantur, atque indantur. Aut idem cum linamento contorto fiat ad ellychnij formam, aut polen cum albo oui subigatur, & linamento contorto exceptum indatur, succus quoque polygonij idem efficit, & succus foliorum vrticæ, & cochleæ cum testis in aceto tritæ, & fronti ac temporibus applicitæ, & bolus armenus cum albo oui. Epithemata quoque refrig

refrigerantia iecori imponimus, vt sanguinis feruorem compescamus. Nos pastillos de succino pondere ℈.ij. dormituris dedimus, in aqua plantaginis & opere ipso ostendimus medicum arte sua admirabilem fieri, & talem apud homines haberi meritò. Valet saccharum rosaceum cum bolo armeno, aut siropus myrtinus, rosaceus, & nymphæ. Paulus stercus asini aridum inspirare præcepit, & testæ oui vstæ partes duas, gallæ partem vnam, vel molaris lapidis aceto extincti vaporem recipere. Ex medicamentis scaroticis moderatissimum est, ac valde probatum, ellychnium, ex contortis linamentis, aut coto, in atramento scriptorum infusum & naribus inditum. Præterea subitò faciem frigida inspergere iuuat, & terrorem incutere, & pudenda aqua frigida irrigare. Hippoc. libro 6. de Morb. pop. par. 7. dixit, sanguinem ex venis sistunt, animi deliquium, altera figura, interceptio, linamenta contorta, adpositio, & ligatura. Si sanguis in ventrem labatur, & concrescat, aceto mulso bibito liquabitur.

DE MORBIS ORIS ET GVTTVRIS, SECTIO QVINTA.

De Grauedine, distillatione & raucedine, Cap. I.

κατάρρους. KATÁPPOΣ Græca vox tres comprehendit morborum species, excrementum enim quod à capite descendit, si ad intimas nares decumbat siue in eis figatur, siue per easdem distillet, κόρυζα appellatur, latinis grauedo: si verò in fauces & palatum decumbat malũ, nomen generis sortitur, & κατάρρους siue κατάῤῥους dicitur, latinis distillatio: cùm verò ad guttur, & asperam pulmonis arteriam descendit, eas exasperat partes, atque appellatur βράγχος, latinis raucedo. Nos in nostris expositionibus, in libro 2. Prog. quædam ad hunc locum attinentia diximus, & diuersum vsum vocum, apud Galen. & Paulum, composuimus. Oritur sanè morbus à capitis plenitudine, & excrementorum redundantia, simul etiam toto corpore quandoque patiente, quandoque solo capite. Impletur aliquando caput calida intemperie trahente à partibus aliis, & liquante excrementa, quandoque frigida intemperie impediente transpiratum & humorum dissolutionem, & exprimente humiditates, ad imas partes. Remotiores causæ sunt sol, aer ambiens calidus, aut frigidus, plethora, cacochymia, eruditates ventriculi, ebrietas, exercitatio partium superiorum, non assuetis, & ablutio capitis, atque vsus aromatum in cibis. Catarrhus à causa calida eueniens ex his quæ præcesserunt cognoscetur, & ægri temperie, & humorum in ipso redundantia, & facici rubore, & frontis ardore, & ex natura distillationis quæ calida & acris sentitur, aut salsa, siti & inappetentia. Præterea calidas distillationes febris sæpe comitatur, frigidæ verò distillationes frigidæ sunt tactui, insipidæ, grauantes, ac distendentes frontem, & causis præcessis cognoscuntur, vt aere, cibis, somno, & ocio. Aer eis attemperetur, ita vt nec calidus, nec frigidus valde sit. Australes præterea venti caput implent, & boreales exprimunt humiditates. Alimenta facilis coctionis sint, vt caro pulli, aut turturis, aut turdi assæ, oua sorbilia, amylum, & postrema mensa coriandrum præparatum, & diacotoneam, & tortellæ bis coctæ, aut oliuæ duæ, aut tres hispalenses, aut cordubenses. Sit autem cœna parca admodum, veluti mel rosatum cum pane in causa frigida: Deuitent autem lac, carnes salitas, & aromatica omnia. In causa frigida verò sinapi cum carnibus edere licet in declinatione: vitamus quoque allium, porrum, cepas. Potus sit aqua hordei in morbo calido: in frigido tamen, & inclinante morbo vinum album aquosum. Somno & vigilia moderatis vtẽtur, nam somnus coquit, sicuti & corporis quies: vigilia verò purgationi & discussioni accommodatur. Diurnus somnus vitandus, & in latus cubent, leui

Catarrhi causa.

Signa catarrhi.

Victus catarrhis conueniens.

leui crurum frictione vtantur, à balneis summè abstineant. Ventrem seruent lenem, aut lenibus vtantur clysteribus, ex maluarum decocto & oleo, aut glans supponatur, ex tosto melle, omnem animi turbationem vitent, & literarum studium, ac lectionem. Simplices intemperantiæ quæ in causa fuerint, contrariis curandæ, veluti de capitis doloribus ab intemperie diximus, oleis caput inungentes, in distemperie calida rosaceo, adhibitis odoratis, vt rosis, violis, & papaueris decocti vapore: frigida verò existente intemperie, oleo vngemus laurino, & odorata calida naribus admouebimus, vti ambram, moschum, & suffumigium ex belzoino, aut styrace. Capitis verò ablutionem nullatenus laudo, præterquam inclinante morbo materia diminuta. Valent autem sacculi ex milio calidi, & ex floribus camemeli, vbi plenitudo non adfuerit, aut ipsa iam vacuata, idem de cacochymia intellige. Nam si redundantia excrementorum in corpore adfuerit, aut etiam sanguinis, à sanguinis missione, aut purgatione curationem auspicabimur. Vulgus timet sanguinis missionem in catarrhis. Nos verò vbi sanguinem redundantem intelligemus, sanguinem copiosè mittimus, quod quàm vtile sit in aliis, & me ipso non rarò expertus sum. Si verò bilem redundantem agnosco, & acrem distillationem, corpus purgare præcipio pilulis aggregatiuis, aut sine quibus, aut potione ex tamarindorum decocto, & electuario de succo rosarum: ad finẽ verò aquam mulsam in causa etiam calida ad coctionem & excreationem exhibeo bis in die. Catarrhi omnes quibus fluxio tenuis & cruda assida est, & copiosa non coquuntur, quoniam quæ coquuntur quiete egent, atque perinde decet cursum sistere, quo ad fieri possit: sistemus autem coryzam calidam odore rosarum, myrti, & santalorum, aut etiam vapore aceti irrigati super ignitum lapidem, præsertim si in aceto prius elixæ fuerint rosæ, aut myrti folia. Prosunt etiam ad idem cibus ex lentibus excorticatis cum iure carnis paratis, & siropus violatus, aut de papauere. Si tamen in os aut guttur descendat catarrhus gargarismata fiant ex siropo myrtino & aqua plantaginis, aut siropo rosarum & aqua capitum rosarum instillatitia, aut etiam ex sola frigida aqua, quod sum sæpe expertus. Cùm verò iam coctum excrementum, aut per nares, aut ex ore, aut thorace excernitur ad facilem purgationem prodest aqua mulsa: pectori verò siropus capilorum veneris, siue adianti. Tunc quoque caput lixiuio abluere licet assuetis, & detergere sapone, & pectine scalpere frequentiùs ieiuno ventre. In catarrho verò frigido cum redundantia excrementorum, victusqualis dictus est, seruetur, & siropum de stœcade bibant cum decocto stœcados, aut amaraci, & purgentur pilulis aureis, aut electuario indo, aut hiera diacolocynthidos. Naribus deinde odorata admoueant, vti ambram, moschum, styracem, basilicum ozimum, aut iridis radicem aridam. Aut suffitus fiat, ex belzoino, aut styrace, aut thure. Melanthium verò suffitibus optimum est, & quod omnium maximè prodest sistendis catarrhis, & calefaciendis, & maturandis. Galen. libro 6. de Sympt. med. fac. cap. de peonia, inquit: Et melanthium frictum palam catarrhos & coryzas desiccat, si quis id in calidum linteum rarum liget, assiduéque calorem ex eo per inspirationem in nares trahat. Valet ad idem cumini tosti fumus: & si magnam senserit in capite frigiditatem, sacculus fiat ex milio, aut melanthium eidem misceatur, & calidus capiti superponatur, aut fiat ex puluere baccarum lauri, ireos, amaraci, stœcados, maceris, caryophylorum. Sic etiam aqua mulsa bibenda ad coctionem & excretionem, & ita inclinante morbo caput fricare, scalpere, & abluere vt diximus licet. Quòd si raucitas catarrho cessante permanserit, siropus dulcis radicis lingendus, aut sapa cum puluere origani, aut puluis ex saccharo condito, & radice dulci, & origano, aut hæc melli despumato misceantur, aut caricæ cum sapa elixæ, aut caricæ assæ, bibita aqua calida desuper, aut sapa cum puluere radicis dulcis assumãtur. Sunt autem defluxiones multorum malorum causæ, pro ratione partis in quam decumbunt.

Catarrhi curatio.

Lixiuio caput abluere & sapone.

De

De Dolore dentium, Cap. II.

DENTES Dolore moleſtari Galen. teſtatur lib. 4 de Compoſit. medi. per locos, vbi dētium dolorem ſe paſſum fuiſſe refert, cùm pulſu, qualem caro ſentit cùm inflammatur. Diuerſum autem eſſe dolorem, ab eo qui gingiuas vexat, agnouit, dolorem gingiuarum paſſus, qui ex vicinitate dentis augebatur. Aliâs quoq; dolorem paſſum fuiſſe refert, qui dentis non erat dolor, ſed nerui qui ad radicem dentis inſeritur. At verò dolor talis notitiam ſui præbet confuſam, & exerto dente remiſſior manet. Nos ſanè vt aliâs diximus, conſtantiſsimè affirmamus, ſolum neruum ſenſu participem eſſe: vt enim hominem videre dicimus, non quòd quæuis eius pars videat, ſed ſolus oculus, ita caro tangit: non quòd ipſa tangat, ſed pars quæ in ipſa eſt, ſic etiam dens dolet, quoniam eius pars, quæ ipſum aliqua ex parte penetrat doloris cauſam ſentit: ſentire quoque videtur dens quoniam ipſo patiente neruus compatitur, ídque puto Gal. ſenſiſſe, cùm dentem doluiſſe dixit. Intereſt tamen: nam carne omni ferè ex parte neruus inſeritur, denti tamen affigitur tantùm, parúmque penetrat: verùm enimuero non ſatis noti ſunt prædicti dolores, qua videlicet parte conſiſtant. Alios tamen affectus dentium facilè deprehendi atque euidenter agnoſci refert, vti roſiones, coloris mutationes, quidam etiam referūt ſe ægre admodū ferre calidorum, aut frigidorum occurſum. Dolores qui à cauſa calida fiunt cum punctione & inflammatione ſunt, facies rubet & in toto corpore ſe oſtendet ſanguinis aut bilis redundantia, aut euacuationis ſanguinis ſuppreſsio, qua ratione ſuppreſsis menſtruis fœminæ frequenter eum patiuntur affectum. Sunt præterea huiuſcemodi dolores à calido humore vehementiores quàm à frigido, vtroſque tamen grauitas concomitatur, ſenſata in eis partibus, atque proximis. Quantum ad victum attinet, abſtinebunt ab his quæ valde calefaciunt, aut infrigidant actu, præſeruationis ratione: minimè verò faciendum quod multi faciunt, cibos calidiſsimos edentes, bibentes tamen frigidam aquam, aut vinum, id enim magnos concitat dolores, & dentes corrumpit, & ruinam parat. Alimenta dulcia vti mel, aut ſaccharum vitanda & pinguia, & lac, ab his verò & aliis dentes detergere, & abluere vino albo conuenit. Sint autem alimenta quæ facilè coquantur, & leui, aut nulla egeāt, attritione, ventris lenitas procuranda. Si dolor ab humoribus oriatur, qui ſanguini mixti fuerint, aut ab ipſo ſanguine, curationē à ſanguinis miſsione incipiemus, reliquis conſentientibus: ſecabimus autem venam cubiti externam patientis lateris, niſi menſtruis retentis id mali accidat. Si humor biliosus abundauerit, breui arrepta occaſione acetum mulſum bis in die præbebimus, cùm decocto lupulorum, aut ſiropum acetoſum cum aqua inſtillatitia cichorij: ſequenti autem nocte purgabimus corpus cum pilulis cochiis, aut ſine quibus, aut elect. de ſucco roſarum, in decocto myrobalanorum luteorum: os deinde colluendum aceto in quo decocta fuerint folia myrti, aut halicacabi radix, aut ſuccus lactucæ in ore tenendus, aut portulacæ, aut plantaginis cum pauco aceto, aut acetum in quo galæ decoquantur, ídque acerrimum, quod dentes, ob duritiem, & neruorum profunditatem expoſcunt, aut teneat in ore acetum ſcilliticum, aut acetum acerrimū, in quo teda bullierit. Extremis tamen doloribus euigilantibus ægrum, conuenit theriaca, denti dolenti ſuperpoſita, aut Philonis medicamentum, aut huius ʒ.j. in vino albo ore teneatur, verſus dolentem partem, aut alterci ſeminis in aceto acerrimo calido vaporem per infundibulum recipiant, aut idem theriaca, aut cera malaxatum, denti dolenti ſolo ſuperponendum. Exterius verò facies ad partem dolentem illinenda oleo anethino, & axungia gallinæ, aut anatis: expedit nanque tam in calidis, quàm in frigidis humorum redundantiis, humores ad exteriora ducere, nullatenus eos compingere: cùm enim foras tranſmeant, breui admodū dolores ceſſant, partibus faciei inflāmatis, & intumeſcētibus:

Dentium dolor.

Dentium doloribus victus.

Curatio doloris dentium.

Doloribus dentium remedia externa.

sed erunt calidiora quæ adhibebuntur; frigida existente affectione, frigidis tamen humoribus abundantibus, liropum de stœcade in potu præbemus, cum aceto multo, addito decocto amaraci, aut betonicæ. Deinde corpus purgamus pilulis aureis, aut electuario indo, in decocto passarum sine vinaceis, radicis dulcis, & origani. Deinde dentes colluimus aceto acerrimo in quo fructus cupressi, & alumen decoquantur. Fit optimum medicamentum, piperis, pyrethri, vtriusque ℈.ß. theriaces ʒ. ij. misce in formam paruorum pastillorum, quorum vnum denti dolenti superpones, aceto in quo bullierint cinnamomum & maceris, & fructus cupressi os colluant. Quod si fluxio molesta est, huic addes alumen, & putamina mali punici: conueniunt tamen inclinante fluxione, & copia humorum diminuta, cinnamomum, macer, nux odorata, myrrha, zingiber, ciperus, quæ pariter conueniunt ad frigidam intemperiem sine humore, & ad calidos dolores cum materia, cùm inclinant. Doloribus igitur à causa frigida conuenit, linteum calidum, sæpe maxillæ dolenti adplicandum, aut etiam sacculus ex follis amaraci, betoniæ, cupressi, maceris, qui calidi, & vino albo inspersi admouebuntur, valet etiam ad frigidam intemperiem aqua, vitæ ore detenta, quam nos aquam ardentem, vulgari voce, nuncupamus. Aliud, pyrethri, caphuræ, partes æquales, resinæ terebinthynæ, quantum satis est, misceantur, & dens eo medicamento vngatur. Aliud theriaces, mithridatij, vtriusque ʒ.j. pirethri, aluminis, myrrhæ, singulorum ℈.j. denti superponatur, bis in die. Masticatorium hoc fiat, mastiches staphidis agriæ, vtriusque ʒ.ij. terebinthinæ ʒ.ß. piperis, pyrethri, aluminis, singulorum ℈.j. fiant pastilli, quorum vnum masticandum accipiet. Acetum quoque in quo bulliant cinnamomum & radix cucumeris asinini, dolorem sedat, valet à proprietate & rei substantia acetum in quo serpentis spolium decoctum sit. Si verò dentium dolor cum eorumdem carie & erosione fiat, aut dentem extrahemus, aut remediis vtemur quæ dolorem sedent & rosioni proficiant, decet autem denigratam & erosam partem ad sanam vsq; abradere, ne sana inficiatur; & dentes etiam proximi: sana autem pars optimè seruabitur hoc decocto, aceti acerrimi. lib. i. corticis interioris mori ʒ. iij. zingiberis ʒ. ij. aluminis ʒ.ß. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, hoc valde à putredine & erosione præseruat dentes. Aliud, ciperi, myrrhæ, melanthij, singulorum ʒ.j. piperis ʒ.ß. gallarum viridium, si haberi possint, ʒ.ß. bulliant in lib. j.ß. aceti acerrimi ad consumptionem tertiæ partis, quo os colluant. Radicem quoque pyrethri infigere parti dentis exesi dolorem maximè sedat. Si verò velis dentem sponte decidere farinam, inquit Paulus, cum liquore tithimali misce & denti admoue, desuper autem hederæ folium superpone. Sed dentes alios cera conteges, vt inquit Actuarius, qui pyrethrum in aceto acerrimo quadraginta diebus maceratum, tritum apponere docet, reliquis cera illitis, & post horam dentem extrahere.

Caries dentium.

De Dentium defœdatione & eorumdem instabilitate, Cap. III.

DENTES Pallent, aut liuent, aut denigrantur, ob prauos succos qui ad eosdem deferuntur, & in eorum substantiis immerguntur. Deducuntur autem hæc excrementa aut à capite, aut ab stomacho, ob cruditates, & ciborum prauam corruptionem. Fit etiam vt alimentum quod dentes ingreditur, ibidem putrescat, non autem dissoluatur ob imbecillitatem natiui caloris eorum, vti in senibus frequenter accidit. Abstineant igitur ab his quæ in stomacho corrumpuntur, & cruditatibus, præsertim à cœna. Deinde acetum mulsum cum decocto amaraci bibant, & purgentur, si à capite malum descendat, quod ex dolore, grauitate, & aliis capitis malis agnoscemus, cùm pilulis sine quibus, si à ventriculo oriatur, cum hiera diacolocynthidos, vel cum pilulis de hiera Galen. non semel, sed sæpius. Post hæc collutionibus, ac frictionibus dentium

Dentium defœdatorum curatio.

vtantur

vtantur. Myrrhæ, pumicis, cornu cerui vsti, radicis cannæ vstæ, singulorum ʒ.j. fiat puluis, quo dentes fricentur. Deinde os colluatur vino albo, in quo rosmarinum bullierit. Aliud dentifricium, aluminis vsti, radicum cannæ vitarum, olsium myrobalanorum vitorum, singulorum ʒ.j. cinnamomi ʒ.ß. spongiæ, pumicis, vtriusque ʒ.ij. fiat puluis, quo bis in die dentes fricentur. Sunt nonnulli qui dentes fœdatos pertricant teda, ad speculi formam, cuius extremum madefaciunt aqua forti, qua vtuntur aurifices, cauentes ne ginginas tangant: reddunt sanè albos dentes, sed id frequenter facientes, neruum subiectum arefaciunt, & ruinam parant. Laudo tamen eos fricare linteo aspriore, donec calorem manifestè sentiant: id enim validè discutit, & natiuum restituit colorem. Instabiles verò fiunt dentes, ob carnium gingiuarum defectum, aut laxitatem, & humorum cursum ad ipsas, nerui firmantis ariditatem, aut dentis extenuationem. Si malum ex dentis tabe, aut nerui siccitate eueniat, ferè incurabilis morbus est, præsertim si ætatis processu id fiat, ægent enim refectione, & humectatione membrorum solidorum arescentium. Si tamen caro gingiuarum diminuta fuerit, eius generatio & auctio procurari debent, si ob laxitatem, & humorum influxum, adstringendæ gingiuæ sunt. Valent ad hæc oris collutiones, & medicamenta quæ in pulueris, aut emplastri forma eisdem superponuntur. Scire autem decet immundis dentibus non supernasci carnem, ac perinde in primis sordes omnis mundanda, aut tophus abradandus. Fiat deinde oris collutio hoc decocto, foliorum myrti, rosarum rubearum, menthæ siccæ, singulorum pugillum ß. foliorum cupressi, pilularum cupressi, vtriusque ʒ.ß. buliant in libris tribus vini ad consumptionem tertiæ partis, hoc carnis generationē iuuare poterit, & dentes firmare: si tamē huic addas rhu, balaustium, aut etiam mali punici putamina, magis adstringes ac roborabis, non tamē generabis carnem. Tunc quoq; ex albo vino decoctum efficies, non vt quidam ex nigro: nam id vbi rhu, & putamina mali punici recipit, validè denigrat dentes. Puluis ad dentes firmandos & firmandas gingiuas, rosarum balaustiorum, vtriusq; ʒ.ß. margaritarum, corallorum rubeorum, pumicis vsti, aluminis vsti, singulorum ʒ.ß. sanguinis draconis ʒ.j.ß. moschi, & ambræ vtriusque grana septem. Dormituris, dentibus inspergantur & gingiuis, manè verò os colluant vino albo in quo teda, & rosmarinus bullierint. Conficimus ex puluere prædicto, & mastiche, ac terebinthina resina, petias quas dētibus & gingiuis superponimus, & eisdem hærere facimus.

Dentium instabilium causa.

Ad dentium stuporem.

DENTIBVS stupentibus prodest portulaca commanducata, & oleum omphacium, & olei fex cum oleo cocta in vase æreo, ad mellis crassitudinem.

Dentium stupor.

De Oris, gingiuarum & tonsillarum vlceribus. Cap. IIII.

EIVNT Non raræ vlcera intra os, quædam in gingiuis, quædam in palato, quædam in tonsillis, partibus nempe quæ glandularum naturæ sunt, in ore iuxta linguæ radicem, quibus ferè eadem curatio conueniet, sed gingiuæ natura sunt laxiores & molliores reliquis partibus, & minus eas siccare conueniet. Oritur hoc malum acrium, & salsorum alimētorum ratione, aut à capite defluxione rodente, & vlcerante. Quoniam tamen parte secunda aphthas puerorum curare docuimus, impræsentiarum de his quæ adultos molestant, agemus, considerabimus autem an vlcera alba sint, quæ à pituita fiunt salsa, an pallida, quę à bile, & an serpentia sint, & an profunda, aut supercie tenus, & an crustam habeant. Aetius oris vlcera quæ in putredinem vergunt dicit non appellari aphthas. Expedit autem primùm corporis abundantiam considerare, atque si opus fuerit sang. mittemus, secta vena cubiti media, aut externa, aut vena quæ in malleolo est, si menstrua retenta fuerint: si verò bilioſorū acrium

Oris vlcera.

succorum & excrementorum redundantia ad fuerit, ventrem purgabimus catia fistulari,& electuario de succo rosarum.Si vero pituitosa sint vlcera,electuario indo. Deinde conuenienti victus institutione præcedenti, & clysteribus topicis vtemur remediis.Leuiora vlcera oris sanat ablutio ipsius cũ succo plantaginis,aut succus foliorum oliuæ, aut præcipimus oliuæ folia masticare, & salliuã spuere,aut colluimus os aqua instillatitia plantaginis,& media parte mellis rosacei. Profundiora verò curat mel rosaceum solum, aut etiam cum puluere aluminis vsti. Aliud, rosarum,balaustiorum,foliorum myrti,singulorum pugillum j. aluminis, cumini tosti, vtriusque ʒ.ß. bulliant in lb.iij.aquæ ad consumptionem tertiæ partis,& colaturæ adde mellis rosacei ʒ.iij.Serpẽtibus vlceribus alumen vstum superponimus,aut melli rosaceo mixtum: aut puluis in hunc modum fiat,aluminis vsti,iridis siccæ,acaciæ,sanguinis draconis,singulorum, ʒ.j.ß. rhus ʒ.ij. adarce ʒ.ij. misce. Valet ad idem cornu cerui vstum, collutio accommodata profundis oris vlceribus,gallarum,corticum mali punici,corticum glandium,corticum radicum rubi,cupressi fructus,singulorum ʒ.ß.bulliant in lib. iiij. aquæ instillatitiæ plantaginis, ad consumptionem tertiæ partis. Si verò vlcera crustam habuerint, hæc decidet collutione facta ex decocto fœnograeci, aut decocto radicis dulcis, aut superpositis melle & alumine vsto, butyro vaccino, & puluere aluminis, & nulla vi procurandum vt cadat,aut euellatur,id enim dolores & vlcera commouet, & aliàs crustas exigit. Prodest quàm maximè vlceribus tonsillarum malignis, vnguentum ægyptiacum in petia superpositum: cautè tamen curandum ne quidpiam delabatur in œsophagum, ac deglutiatur, quoniam veneficum est. Quibus in locis si vlcera consistant per medicamenta quæ ad oris collutionem scripsimus, gargarismata fiant. Præterea ad tonsillarum vlcera medicamentum diamoron gargarizandum: vbi verò serpere cessauerint,lac cum bolo armeno gargarizandum, aut cum acacia.

Vlceribus oris serpentibus remedia.

De Tonsillarum inflammatione, Cap. V.

Tonsillæ.

CARNES Illæ glandosæ quæ ad radicẽ linguæ sunt vtrinque, Græci παρίδια dicũtur, latinè,tonsillæ,has cum ex inflammatione obdurantur, Græci dicunt ἀσθμάνες. Oritur malum hoc frequenter à sanguine pituitoso. Victus his conueniens est, ex cibis liquidis, quæ facilè deglutiantur, & coquantur, vti ius pulli, vitelli ouorum tremuli. Potus autem sit in febre, aqua hordei: sine ipsa verò decoctum fœniculi, aut anisi, aut radicis dulcis. Deinde curationem à sangui.missi. incipiemus, vena externa cubiti secta per interualla. Præterea acetum mulsum in potu præbẽdum,cum decocto amaraci,& corpus purgabitur,electuario indo.Gargarismata verò fiant ex medicamento diamoron,aut diacarion, hoc est, de nucum corticibus, cum aqua plantaginis instillatitia, aut succo plantaginis, aut fiat decoctum ex rosis, palmulis, lentibus, mixtis. Tepida tamen gargarizentur ex Aetij præcepto. Emplastrum autem exterius admoueatur, quod recipit farinæ hordei, seminis lini, & fœnograeci, singulorum ʒ. j. olei camemelini ʒ. vj. non enim admittunt loca hæc repellentia exteriùs admota,sed quæ extra ducant, superponendus quoque rosarum puluis,aut myrthi foliorum,& partes hæ leuiter admodum tangendæ.Paulus verò & Aëtius damnant quod quidam empirici, nostro etiam seculo faciunt, comprimentes tonsillas valde, & eas exprimentes, donec excernant quam continent pituitam,sed hi magnas inflammationes & dolores cõcitant, quapropter leuiter admodum tangendæ.Quòd si partes medicamentorum acertate exasperentur, lacte colluendæ, aut decocto radicis dulcis. Deinde verò inclinante morbo fient gargarismata ex aceto mulso calido cum origani decocto,& sale,aut aqua mulsa,& sale.Cùm verò obdurantur,succi mali punici dulcis expressi cum cortice ʒ. ij. mellis ʒ. ij. lento igne coquantur ad mellis

Tonsillarum inflammatarum cura.

spicitu

ſpicitudinem, deinde tonſillæ liniantur. Aliud, mellis deſpumati, ſucci radicis dulcis vtriuſque ʒ.j.ß. aluminis viti ʒ.ß. Quod ſi remediis adhibitis non curentur tonſillarum inflammationes, ſperanda eſt ſuppuratio, ſi non obdurantur, quod rubore agnoſcimus perſeuerante, & rigoribus, & febribus, quæ accedēt. Quibus conuenient collutiones ex aqua mulſa, in qua ficus aridæ, & hyſſopus bullierint, calida. Foris verò imponetur emplaſtrum ex caricis, farina ſeminis lini, & melle, aut fiat ex farina fœnogræci, cum decocto caricarum, radicis althææ, & melle. Facta verò ſuppuratione, lingua aperto ore inſtrumento ad id accommodato, deprimatur, & ferro tumor ſecetur, niſi ſponte erumpat. Educto pure fient oris collutiones ex mulſa, & ad finē roſarum & lentium decoctum miſcebimus. Experimentum autem docuit tonſillarum humores ceſſare compreſsione & perfrictione paulo ſuprà brachiale facta in externa brachij parte, id verò prodeſt reuulſionis ratione. Linum verò ex pupura marina, quo illaqueato vipere collo ſtrāgulata fuerit, ſi collo & tonſillis alligetur, earumdem partium morbis medebitur, teſte Galen. libro ſexto, de Sympt. med. fac. cap. de Peonia. & Plinio lib. 30. natu. hiſto. capit. 5. & Paulo in huius morbi curatione. Nos lino vtimur coco tincto & vipere caput collo laborantis, eodem appendimus, ita vt carnem tangat, atque id prodeſſe miro modo experimento nouimus.

Tonſillarū ſuppuratio.

De Oris fœtore, Cap. VI.

FOETOR Oris oritur quandoque à putredine vlcerum oris, aut dentium, & gingiuarū eroſione, qui curari debet eorum curatione, quæ dicta eſt, tenere autem decet interim in ore cinnamomum, aut caryophyllos, & eorum decocto os colluere: coquātur autem in vino. Oritur autem malum à pulmonis vlcere, aut humorum in ipſo contentorum putredine nonnunquam, quo tempore pulmo curandus, & quæ prædiximus in ore tenenda, ac acetum in quo bullierint cinnamomum, caryophylli, & macer, aut nux ipſa aromatica, cum foliis lauri, cum myrrha, aut hæc in vino albo bulliant, & eo colluant os. Oritur quandoque malum à ventriculo, vbi corrupti aliqui humores contineantur, indicant id inappetentia, ructus fœtidi, & quandoque ſitis. Hos autem præaſſumpto aceto mulſo cum aqua fœniculi, aut amaraci decocto, purgare conuenit, hiera diacolocynthidos, aut pilulis de hiera, deinde ſeptem aut pluribus diebus cōtinuis ieiuno ventre bibere ſiropum ex ſucco malorum anethinorum cum ſaccharo, aut ex ſucco malorum perſicorrm cum ſaccharo: id enim efficit oris odorem, aut ſiropum de mentha cōpoſitum ſi frigiditas acceſſerit, aui frigidorum humorum corruptio, quibus zingiberum conditum conuenit, pauco vino albo ſuperbibito, aut mala perſica arefacta, quæ Hiſpanis oreiones dicuntur, in vino macerata, prima menſa edātur, & os ſæpe colluant vino in quo zingiber cinnamomum & caryophylli bullierint. Alimēta horum ſint boni ſucci, & quæ facilè coquantur. Somnus diurnus damnatur, & lactis vſus, atque ouorum, præſertim ſi oleo frigantur. Potus ſit vinum album odorum, aut aqua cinnamomi. Sunt quibus optimum faciat oris odorem pirum, aut ponum recens, poſtrema menſa, vino ſuperbibito.

Fœtor oris.

Curatio fœtoris oris à ventriculo

De Gargareonis inflammatione, Cap. VII.

QVID Gargareon appellet Galen. ipſe nos docuit libro ſexto, de Compoſitione medi. per locos dicens: Carnoſa quædam particula, in ſumma oris parte ſuſpenſa apparet, ſi quis toto ore latiſsmè adaperto linguam deprimat. Hæc caruncula à veteribus Græcis duobus nuncupatur nominibus γαργαρεών. & κίων. hoc eſt gargareon. & colūma. His poſteriores medici fere omnes nō ita, ſed κιονίδα hoc eſt columellam, ipſam nominant. Ex Paulo verò libro ſexto. Pars ipſa garga-

Gargareon. Vitium gargareonis inflammato.

reon dicitur,cùm prorogatur columella,cùm verò ima eius pars crassescit ad vuæ similitudinem σταφυλὴν hoc est vua,dicitur.Si verò mẽbranæ iuxta gargareonem afficiantur, veluti vespertilionum alæ apparent, appellat id malum Areteus, lorum:cùm autem columna in tenuem desinit mẽbranam, craspon, hoc est montis radicem,nominat, sed frequentiùs accidit gargareonem inflammari,ob calidos humores sanguini mixtos, in ipsum decumbentes à capite, qua parte alimentum gargareoni defertur, quàm vuam fieri. Hanc inflammationem ostendunt dolor, rubor,tumor, calor partis, & difficultas deglutiendi:febris autem magna ex parte sequitur. Victus quod ad alimenta attinet, sit ex liquidis cibis, vt amygdalato, & hordei cremore, & ius pulli cum hordeo elixi,aut lactuca,aut portulaca conuenit. Potus sit decoctum prunorum passorum,aut aqua hordei,aut radicis dulcis. Quiescãt, dormiant super latus capite leuato plus humeris, ventrem mollem seruabunt, & frictionibus vtentur.Curationem à sangui. miss.incipere oportet, secta vena externa cubiti,sed patiatur quantitas.In fœminis verò retẽtis mensibus,venam malleoli interioris secamus.Purgamus deinde corpus electuario indo diluto in decocto prunorum,vuarum passarum sine vinaceis & radicis dulcis,& medicamentis localibus vtimur.Incipiente tamen inflammatione repellimus,pro fluxionis copia & impetu.In repellendo verò generalia dogmata curationis inflammationum seruamus,primò repellentes,deinde repellentibus medicamentis immiscentes discutientia,parua quantitate in augmento maiori in summo vigore,in quo repellentia fere nulla erunt, sed aut erunt dissoluentia, morbo ten lente in dissolutionem, aut suppuratoria, si eò tendat morbus. Vbi igitur fluxio non fuerit valida,ac valde copiosa,satisfaciẽt repulsionis ratione,Diamoron gargarizatum,aut in cochleari applicitum,aut succus mali punici parum acidi expressi cum cortice,cuius ʒ.iiij. pulueris rosarum & radicis dulcis vtriusque ʒ.j.misceantur.Aut ciperi,myrrhæ,acaciæ singulorum ʒ.ij.misce, & in cochleari cum decocto palmularum admoueantur,aut gargarizentur, aut idem cum succo cotoneorum,aut pãpinorum vitis, aut eorũdem, corticúmve internorum radicum mori fiat. Quibus omnibus modicè tangi ac minimè comprimi debet gargareon. Valẽtiora remedia sunt galla, rhus opsoniorum, rhus syriacum, siue coriarium, cortices malorum punicorum, aut ribes, aut prunorum immaturorum succus, & balaustium, & cortices glandiũ,quorum quædam in pulueris formam, aut cum diamoron admouentur, quædam decocto ad tertiam. Fit autem vt nõnunquam gagareon & partes proximæ, ex validè astringentium vsu exasperentur,ac perinde decocto balaustiorum, rosarum,& myrti admiscemus tragacanthum,aut succum radicis dulcis, aut lac & amylum, gargarizandum damus. Morbo verò iam ad summum vigorem tendente,corpore vacuato,& vbi opus fuerit purgato, medicamento diamoron miscemus ciperi, & maceris decoctũ,aut origani decoctum,cum croco & rosis.In declinatione verò colluent os & gargarizabunt hoc decocto,origani foliorum pugillum j.maceris,ciperi,myrrhæ,singulorum ʒ.ß.radicis dulcis ʒ.j. bulliant in lib.iij. aquæ ad cõsumptionem quartæ partis, residuum coletur,& colaturæ,adde mellis ʒ.iij. fiat aqua mulsa. Si tamen gargareon prorrogetur, & fiat columella,ea medicamenta vacuato corpore pro humoris peccantis ratione,valent,quæ ad incipientes eiusdem inflammationes valere diximus. Si tamen morbus prorogetur & rubor & inflammatio cessant, sed gargareon extenuatur summa parte: infima verò ad vuæ speciem crassior fit, & appendet,decet manum admouere curationi,ex Hippoc. sententia libro tertio prognosticorum,quam nos transtulimus,& latè eo loco enarrauimus.Pars itaque illa quæ vuam refert abscindẽda, nec tamẽ radicitus secandus gargareon,ne deinde aër inspiratus pulmonem validè refrigeret. Arte verò partem eam secare Paulus probè docet,vbi sangui.mis.purgatio,& topica remedia non prosunt.Imminet autem docente experimento,suffocationis periculum.At verò

Victus gargareonis inflammato.

Gargareonis prorogati curatio.

Vuæ sectio.

citra

citra inflammationē (ne inde ſanguinis fluxus ſequatur) manus opera curari debent. Quæ igitur contractæ ſunt (inquit) rotundę nō ob longæ, cruentæ, vel ſubnigræ, non attingi ſcalpello debent. Tenues autem, oblōgæ & per ſumma graciles, muris caudæ modo, remiſſæ, ſanguinolentæ non admodum, ſed albicantes, eæ curandæ ſunt, hæ ſiquidem protinus inflammatione liberantur. id verò ex vua præceditur, quod naturæ modum excedit. Rurſus inquit, Itaq; figuratur ægrotus in ſedili contra ſolis lumen, iubetur magnū hiare, deinde vulſella, aut forfice quod ſuperuacuum eſt prehenſum, inferioríq; parti adductum, ſcalpello vuis, aut futuris accommodato præcidimus: inde quæ in vaſorum ſectione dicta ſunt, agemus. Conuenit ſanè hæmorrhagiæ pręuidere, adſtringentibus medicamētis, qualia ad incipientes inflammationes gargareonis dicta ſunt, quæ apponi debent, aut gargarizari.

De Angina, *Cap. VIII.*

ANGINA Græcè κυνάγχη apud Hippo. teſte Galen. libro quarto de Locis pa. capitulo quinto, omnis affectus appellatur, qui in faucium, aut gutturis partibus, exiſtēs, quoquo modo reſpirationem reddit deteriorem. Inualuit autem vſus vocum apud medicos, ac. 4. cius differentias ex loco diſtinctas, 4. nominibus nuncuparunt: nam ea inflammatio quæ in muſculis internis gutturis conſiſtit, appellatur κυνάγχη: ea verò quæ in exterioribus παρακυνάγχη, ea quidem quæ in faucium internis muſculis fit συνάγχη, quæ in externis παρασυνάγχη, vox vtique latina ac Græca, à Græco verbo deſumpta eſt, nempe ἄγχω, quod ſtrangulo ſignificat, ab eo quòd morbus ſtrangulat, ac ſuffocat. Vno tamē nomine comprehenſas tres ſpecies anginę percurrit Hippocr. libro tertio Prognoſt. magnitudine periculi eas ſeparans, atq; inquit: Anginæ autem grauiſsimæ ſunt & celerrimè interimunt, quæcunque nihil conſpicuum faciunt in faucibus, neq; in ceruice. Plurimum verò dolorem inferunt, atque orthopnœam. Hæ enim eodem die ſtrangulant, & ſecundo, & tertio, & quarto: quæcunque verò dolorem alioqui alteri ſimilem inferunt: attolluntur autem, ac in faucibus ruborem efficiunt, valde quidem lethales, cæterùm præcedentibus diuturniores, ſi magnus fiat rubor: quibus verò fauces & ceruix ſimul rubent, hæ ſunt diuturniores, & maximè ex ipſis liberantur, quibus ceruix & pectus ruborem traxerint, niſi ſacer ignis intrò recurrat. Hoc loco tres ſpecies ordine periculi tradit Hippocra. & ſigna refert quibus cognoſcentur. Cùm igitur inflammationes ſint, omnes ex affluenti ſanguine fient, aut ſolo, aut alteri humori calido, aut frigido, craſſo, aut tenui mixto, & ſi mediatas cauſas multas habere poſsint, quæ ſoleant ſanguinem augere, ac ipſum in eum locum transferre. Species deprehendantur: nam vbi inflammatio in gutture exiſtit, cum magno dolore & difficili reſpiratione, ita vt orthopnœa accedat, difficilè quoque deglutiunt, ita vt potum quandoque ad nares vertant, & nihil conſpicuum fecerit in faucibus aut ceruice, ea erit in prima ſpecie, cui febris accedit conſentiente corde, magna ex parte. Appellamus tamē guttur, ſummam partem aſperæ pulmonis arteriæ, & fauces, partes quæ interiacent gutturi & gulæ. Cùm verò dolor magnus eſt, difficultas tamen reſpirationis non adeò magna, quoniam ſe oſtendit inflammatio in faucibus non parua, ſigna ſunt ſecundæ ſpeciei, cui febris quandoque accedit, ſolet autem ad ſeptimum, aut quartumdecimum diem finiri. At cùm in faucibus & ceruice rubor adeſt, minor erit difficultas ſpirandi, ac minus periculum: hæc eſt tertia ſpecies, cui quartam adiunxiſſe videtur Hippo. cùm dixit: & maximè ex eis liberantur, quibus ceruix & pectus ruborem traxerint, niſi ſacer ignis intrò recurrat. Id enim nobis videntibus contigit aliquando vt recurrente eryſipelate ad pulmonem periret æger. Sed ſi velis, hanc cum tertia annumerabis, & difficultate reſpirationis, & doloris vehementia periculi magnitudinem coniicies. Nec tamen prętermittenda eſt quarta

Angina.

Cauſæ anginæ.

Anginarū ſigna.

quarta ſpecies anginæ cuius Hipp. meminit libro ſecundo, de Mor. pop. parte ſecunda, dicens: Erant autem anginoſorum affectiones hæ: Colli verticula intro vergebat, quibuſdam amplius, quibuſdam prope, & collum forinſecus conſpicuam cauitatem intrò habebat, & hac parte ad tactum dolebat. Erat autem & cuidam infra os dentis appellatum, non ſimiliter acuta, quibuſdam conſpicua maiore circunferentia. Eius quoq; meminit Apho. 35. Sect. 4. dicens: Si à febre habito collum peruertitur, & vix poſsit deuorare, ſine vllo tumore, lethale eſt. De hac anginæ ſpecie ſcire decet & lethalē eſſe, & à ſiccitate fieri poſſe. Ex his verò quæ inflammatione fiunt, vt Galen. docet libro quarto, de Loc. pa. quædam fiunt vertebris in latus conuerſis, quas paralyſis ſequitur, ex quibus ſuperueniente febre, neminem fuiſſe liberatum refert Hippocra. Ex his tamen quibus vertebra ad anteriora conuellebatur neminem vidit mortuum. Priores ſunt quos Paulus admonet non eſſe curandos, tanquam curationem non recipientes. Sunt etenim iure irridendi qui ſumma imperitia, atque ignorātia eorum quæ præſentia ſunt, nedum futurorum, artem infamare nō veriti, morituris remedia anginæ procurant, ſalute omnimodo deſperata, qualis ea eſt de qua Galen. libro vndecimo, de Metho. med. inquit: In his quorum ſalus omnino deſperata eſt, imprudentis conſilij fuerit apud vulgus infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti. Præterea ſecunda Sect. Aphoriſ. Com. 29. deploratos (inquit) non oportet curare. Præterea cùm artis ſcopus ſit ſanitas, ſi ſalutem deſperatam habes, dicas ô impudentiſsime, quò tendit hæc tua remediorum copia, quis eſt tibi agendi ſcopus, qua veteris methodo, quibus artis præceptis, quave incedis? Nullo ſanè ordine iactaris, & furore correptus es. Quid igitur (dices) in omnino deſperata ſalute agendum eſt? victus ſanè inſtituendus, venter leniendus, ſomnus opportunus procurandus, dolores demulcendi, & mors futura pronuntianda. Idque ſeruandum quod Celſus lib. 5. cap. 26. dixit: Eſt enim prudentis hominis, primùm eum qui ſeruari non poteſt, non attingere, neq; ſubire ſpem eius, vt occiſi, quem ſors ipſius peremit. At verò qui artem medicam perfricta fronte infamare non dubitant, indigni ſunt artificis nomine, quos iam diu Aſclepiadarum chorus cū dedecore excluſit. Victus eorum qui augina laborant, quantum ad cibos attinet in diuerſis ſpeciebus diuerſus eſſe debet: nam cùm prima ſpecies autore Hippocra. in tracta. 4. diem ſoleat ſtrangulare, decet, cum virium conſtantia hominem vt in exactè peracutis morbis ſumma inedia ſeruare, aut aquā mulſam ſolam eidem præbere, aut viribus expoſcētibus, hordei ſuccum ab hordeo elixo intumeſcente expreſſum, cum pauco aceto & ſaccharo. Aliis autem ſpeciebus, conſtante facultate prædictus hordei ſuccus, aut etiam pulli ius: inclinantibus verò & facilius deglutientibus, vitelli ouorum ſorbiles, cum ſaccharo, aut amylum in iure pulli cū pauco aceto, & ſaccharo, & offa panis ſæpe in aqua lota ad idem valet, aut in iure pulli madeat & molleſcat. Quo tempore potus erit aqua hordei, aut decoctum prunorum, in vigore & declinatione potus nō ſit valde frigid. Somno vtētur breui, & crurum frictione, & ligaturis brachiorum, & crurum, reuulſionis ratione, & mollibus clyſteribus, niſi ob aliorum remediorum maiorum defectum, ægro non ferente eandem, opus fuerit acrioribus vti, quorum plura habentur ſuprà, ad lethargum ſcripta. Tota curationis ratio continetur ſanguinis miſsione, & quandoque leui purgatione, cucurbitulis, repulſione, coctione, & extractione, ac diſſolutione, aut ſuppuratione. Ab initio itaque, vbi vires conſentiant, ſanguis mittēdus, ſecta vena externa cubiti, aut ipſa non apparente, media, aut in fœminis, præſertim quibus menſes ſuppreſsi ſunt, ea quæ in interno eſt malleolo. Decet autem ſanguinem impartiri, & ſectionē repetere, ne ægri animo linquant, atque deinde refrigerato ægro, ſanguis ad pulmonem ex faucibus traducatur, & periculum ineuitabile fiat, vt inquit Aëtius. Non fiat tamen anguſta venæ apertio, ne ſanguis percoletur, & craſsior qui hanc efficit affectionem, relinquatur. Decet tamen nevena

Morituros non oportet curare.

Angine victus.

Angine cura.

diu

diutius perfricetur,ne interim animo linquant. Secabis itaque venam externam dextri brachij, & transactis horis duodecim,secabis eam quę in sinistro: nisi malum ad alterum inclinet latus:tunc enim semper eiusdē lateris venam secabis,ac repetes tertiò, ac quarto, si opus fuerit,missione sanguinis.Deinde venas sub lingua secabimus,& si opus fuerit eodem die ex Alexandro.Earum autem comprimes ceruicem fascia, vt venas eminere facias. Cucurbitulæ deinde cum scarificatione mento adhibendæ, si fauces morbus vexauerit: si verò solum guttur,ceruici affigētur.Si lingua inflammatur ac prominet, ipsa quoque scarificanda,extrema vinciantur,& valde fricentur.Si crassa pituita abundare videatur,acetum multum bibant,bis in die, & sequenti præparato humore,corpus purgetur electuario indo,aut diaphœnicon in decocto prunorum,& radicis dulcis,id tamen eadem die ex Alexandri præcepto. Nos verò præparationem speramus. Quod si in ventre tantùm excrementa abundare videantur,si in infima parte fuerint,clysteribus educētur,si in suprema, cassia fistularis in decocto radicis dulcis,prunorum, uuarum passarum sine vinaceis bibenda, sit autem medullæ eius ʒ.j. hæc vbi deglutire valeant,vtilia sunt. Deinde repellentia medicamenta ex vsu erunt, quæ nulla venenosa natura participent,ne si quidpiam deglutiatur,lethale sit, quorum primum locum habet,diamoron,optimè à Gal.compositum,aut loco eius medicamentum diacarion,hoc est ex nucibus,fit autem ex succo corticum earum & melle,succi partibus quinq;,mellis parte vna,quæ tam diu lento igne bulliant,donec mellis crassitudinem consequantur.Idque præstantius putat Gal. quàm medicamentum diamoron. Vtroq; autem vti poteris toto morbo: in principio namq; dum opus est omnino repellere,, cuiuis eorum admiscebis adstringētia,veluti si inter conficiendū medicamentum, quinque librarū succi,adderes mala punica duo,contusa,non expressa,quæ non integram maturitatē essent assequuta,sed propè.Decet autem repellere,sed non in extremo, ne partes exasperentur,& validè comprimantur, & humorem in pulmonem exprimant. Quòd si eidem simplici,dum paratur,crocū &myrrham admisceas,vigori vtile erit,ad coctionem,& discussionē,cum adstrictione,addentur autem, vt Paulus docet lib.7.in composito diamoron, succus vuæ acerbæ,& alumen.In declinatione verò si origanum,hyssopum, pulegium, aut thymum misceas, discuties quod reliquum est,sic etiā si post confectionē misceas sulphur,aut alumē. Tendente autem morbo in suppurationem,crocus,& caricarum decoctū valebunt. Medicamentum ad anginas incipientes,diacarion ʒ.vj. decocti balaustiorū & rosarum ʒ.iiij.gargarizetur. Aliud,diamoron ʒ.vj.decocti balaustiorum, & rosarum,aut decocti rhus ʒ.iiij.Deinde morbo tendente in summum vigorem,aut vbi non fuerit angina in prima specie, gargarisma fiet ex medicamento diamoron,aut diacarion,cum croco & aqua plantaginis instillatitia, aut decocto rosarum,aut ipsum solum medicamētum admouebitur. In statu verò fiet gargarisma sequens,diamoron ʒ.vj.decocti croci, & myrrhæ ʒ.v. bullient autem croci,& myrrhæ vtriusq; ʒ.j.in li.j.aquæ ad consumptionem medietatis.Morbo tamen ad inclinationem tendente, myrrhæ plus addes decocto. Quòd si inter conficiendum medicamentum myrrham & crocum admisceas compositum diamoron efficies, & optimum erit.In declinatione verò medicamenti diacarion ʒ.ij.decocti origani & hyssopi ʒ.viij.aut diamoron compositi ʒ.x.decocti pulegij & hyssopi li.j.ß.aut etiam aqua mulsa ex decocto origanj, & hyssopi gargarizetur,aut pauco alumine addito, aut fiat gargarisma ex decocto hyssopi,origani,& radicis dulcis,cui addes sapæ,quartam partem,aut ex aqua mulsa ex decocto gentianæ,hyssopi, calamynthæ, & iridis. Tendente morbo in suppurationem gargarisma fiat ex decocto caricarum, aut aqua mulsa ex decocto caricarum.Rumpitur inflāmatio,porro gutturi immisso, aut scalpello,si appareat in faucibus,qua rupta aqua mulsa gargarizanda: ad finem verò cum mulsa & rosarum decocto. Exterius lanæ succidæ collo circumuoluātur

Angine vt tenuis erat

oleo camemelino madefactæ,aut oleo irino,aut etiam admixta axungia gallinæ,aut emplastrum ex farina seminis lini & fœnogræci elixis in oleo camemelino & anethino,admoueantur. Areteus emplastra repellétia exterius admouet,vt palmulas, & oleum ex oliuis immaturis. Inflammatione prętereà in statu existente,aut inclinante, dissolutionis ratione stercus canis, qui biduo ante solis ossibus nutritus fuerit, cum melle illinendum, neque enim fœtore participat,nec nauseam cõcitat:discutit autem optimè, sic etiam si puluis eius solus admoueatur. Valet ad idem stercus pueri lupinis nutriti. Pullus quoque hirundinis vstus in vase fictili,& in puluerẽ redactus. Is cinis admotus inflammationem discutit ac siccat,& persanat. Syluestrem autem hirundinem præcipit Aetius. Apud nos tamen hirundines omnes domi nidificant:sed quæ in præcipitiis habitant & præruptis locis,à nobis appellantur auiones. Valẽt ad idem cinis centaurij minoris, cũ melle,& puluis myrrhæ, & iridis cum melle.

Stercus canis.

Cinis hirundinis.

De his qui strangulationem effugiunt.

Strãgulatorum curatio.

QVIDAM strangulationem effugiunt, aut collo suspensi, aut aqua immersi,aut in loco intrãtpirabili prauo vapore, aut fumo pleno concluſi. Si igitur collo suspenduntur,soluto laqueo cogendi sunt vt acetum cum pipere deglutiant,aut pulegiũ tritum & leuigatum cum aceto multo, & pẽna oleo madefacta procurandũ vt vomant,& collum lana circundandum in oleo calenti infusa,sit autẽ irinũ. Hip. verò. Apho. 43. Sect. 2. inquit: Strangulati,ac dissoluti nondũ mortui,non referũtur,quibus spuma circa os fuerit. Non tamen in vniuersum verũ habere sentẽtia existimandũ,vt Galen. in Com. asserit: nam nonnulli visi sunt liberati,ac nos tres vidimus liberatos, qui cum strãgulationem paterentur,spumam ore mittebant. Vnus eorum se collo suspendit, cui amicè laqueum subitò abscinderunt,& vixit,bibito aceto multo cum pipere, per hæc enim extinctus calor restituitur. Duo alij sentinas,& cœnosos puteos mũdantes, præ fœtore strangulati spumam mittebant ab ore, quos socij qui ei muneri ministrabãt,extra puteos demortuos, & ferè extinctos eduxerunt. Erat sanè affectus hic apoplexia,facta corruptione spiritus animalis impletis cerebri ventribus fœtido vapore spiritum corrumpente. Ego verò ambos sanitati restitui,alterum bibito aceto,& pipere,alterum bibito aceto, & pulegij sicci puluere,adhibitis quoq; naribus bonis odoribus, ex ambra, & moscho,quæ si ad manum non fuerit,satisfaciet odor pulegij,aut thymi. Qui verò immersi in aqua suffocationis periculum,post multam aquam bibitam effugerunt,veluti ex naufragio,eam imprimis vomere debent,sursum conuersis pedibus, capite deorsum,ac cogendi sunt,nisi ipsam sponte vomant, pennæ, aut digitorum in os immissione,& venter manibus roborãdus,& comprimendus,& post vomitum,caro gallinæ,aut pulli esui paretur,cum melle & pipere: parum autem bibent,idque vinum meracius. Euenit quoque strangulationis alius modus non ventilato calore cordis, nec refecto animali spiritu. Vidi enim nõ paucos qui in cubiculo concluſi cum carbonibus nuper accensis, cœnam vomuerũt,cum magna mentis turbatione,& syncopi: quorum quidam statim obierunt: antequam aut ipsi,aut medici mali conscij fierent. Alios inueni adhuc vomentes, qui apertis fenestris & ianuis, solo aeris libero ingressu, & respiratione eius, fuere liberati,quibusdam febris remãsit cessante symptomate, quibusdã verò capitis dolor,quę sponte deinde cessauit,aut appositio rosaceo.

Aqua immersi & naufragiũ passi curantur.

Fumus carbonum.

De spinis deuoratis,tonsilis,aut œsophago,aut gutturi,aut asperæ arteriæ infixis.

Spinarum euulsio.

SI spinæ faucibus aut tõsillis figantur,adaperto ore inspiciendum: quòd si conspici possint,forfice extrahi debent,si promineant (hoc instrumentum ab officio græci appellant ἀκανθόβολον: si verò non prominent, liquidis alimentis vtantur,& aqua mulsa,& offa panis oleo madefacta: tõsillis autẽ & collo lana oleo imbuta obuoluenda, suppurabitur enim pars, ac deinde spina recedet.

Quod

Quòd si decidat aliquid in guttur, aut aſperã arteriam, tuſsis prouocanda acidis ſenſim deuoratis, aut lingendo ſumptis, & ſternutatio moueatur pinnis naribus inditis: ſic enim excludentur. Si verò in œſophago quidpiam tale infigatur, caricæ non ſatis cõminutæ deuorandæ, aut offa panis craſsior, aut ſpongiæ magnitudinis nucis magnæ illita reſina terebinthina filo valido probè liganda ac deuoranda, poſtea verò filo extrahenda: idem facere ſolemus carnis crudę portiuncula ſimili modo ligata ad deuorata. Sic enim fit vt ſpina aut os, aut acicula infixa trahantur.

DE MORBIS PARTIVM THORACIS, SECTIO VI.

De Tuſsi, Cap. I.

TVSSIS Symptoma eſt ad animalem attinens facultatem, quæ loco mouet, excitatum à cauſa præter naturã inſtrumenta reſpirationi ſeruiẽtia, moleſtante. Peccat autẽ contentione actio atq; ea ratione læſa eſt, ſiquidem eſt expiratio contentioſa admouẽdum, & iuſto vehemẽtior. Huius ſymptomatis cauſæ ſunt aut morbi, aut morbificæ cauſæ. Morbi ſunt frigida intẽperies, aut ſicca, aut aſperitas gutturis & aſperæ arteriæ. Cauſæ morbificę ſunt fluxiones à capite deſcendentes in guttur & aſperã arteriam, obſtruentes & grauantes pulmonẽ, vt in palmonia, aut mordentes guttur, aſperã arteriam, & thoracis mẽbranas, vt in phthiſi, & morbo laterali. Tuſsim quoq; excitat ventriculi repletio, aut acres ſucci in eodẽ contenti, aut corrupti cibi mordentes os ventriculi, & œſophagum, cõſentiunt enim morſui & repletioni inſtrumenta reſpirationis, compreſſa, aut cõdolentia, & commorſa. Lumbrici quoq; ea ratione ſtomachũ infeſtantes tuſsiculas paruas excitant, autore Actio, & experimento atteſtante. Iecur verò ac lien cum inflammãtur, aut ſcirrhoſi fiunt, ſeptum tranſuerſum comprimunt, ſicuti & aqua in aſcite: inde verò per cõſenſum tuſsicula excitatur: conſtat autem ſi vel granum milij in guttur, aut aſperam arteriam inciderit, validiſsimam tuſsim excitari, nullo morbo præſente. Si tuſsis à frigiditate oriatur, facilè agnoſcetur, quoniam non erit magna, nec per eam excernetur aliquid mentione dignum, & frequens inſpiratio eis nocebit, præſertim frigidi aeris. Retẽta verò reſpiratio, & aeris calidi inſpiratio manifeſtè iuuãt. Huius tuſsis neminit Hip. li. 6. de Mor. po. par. 2. Sect. 21. atque inquit: Quapropter & ante nares veſtimentũ quidam apponentes reſpirant, tuſſes acerbari experti, cũ vniuerſim frigidus externus aer partes tum exaſperatas, tum refrigeratas contigerit, ſitinulla vexãtur, apud Hip. ibidem. Quibus victus cõueniet ex his quæ calefaciãt, & mel ac piper cũ carnibus, & iuribus miſceant, vinũ autem bibent, aut radicis dulcis, aut prunorum decoctum. Eos quoq; in calida domo collocabimus, & naribus admouebimus ſtyracem, aut moſchũ, aut ambram, aut flores camemeli, aut betonicæ altilis, & ceruicẽ, collum, ac thoracẽ lanis fouebimus, infuſis in oleo anethino, & irino: lingendum autem dabimus ſuccũ radici dulcis, aut eius ſiropum, aut ſapã, aut mel deſpumatum, cum puluere ireos, quod recipiet mellis diſpumati ʒ.vj. puluerisradicis dulcis ʒ.j.ß. Si tamẽ à ſicca intẽperie tuſsis excitetur, in qua nihil excernitur, & cauſæ arefacientes præceſſerũt, vt febres, & æſtus, puluis, & fumus, guttur & aſperã arteriam lenire ac humectare conuenit, tragacantho madefacto in decocto capillorũ veneris, aut oleo amygdalarũ dulcium cum ſaccharo, aut ſucco radicis dulcis, aut penidiis, aut butyro vaccino ſępe loto, addito ſaccharo. Hæc autem & alia quæ in arteriam aſperã & pulmonem trãſcolatis volumus, lingẽdo ſumi debent, parũ ad poſteriora inclinãte capite, & laxatis faucibus, & ore modicè aperto: ſunt autẽ hæc omnia arteriaca appellata medicamenta à Gal. Valent quã maximè pilulæ bechicæ hoc modo compoſitæ, ſaccharo albiſsimi & ſucci radicis dulcis, vtriuſq; ʒ.viij. amyli, tragacanthi, amygdalarum dulciũ, ſingulorũ ʒ.iiij. cum mucilagine ſeminis malorũ coroneorũ

Tuſsis.

Tuſsis cauſa.

Tuſsis ſigna & curatio.

Arteriacorum medicamẽtorum aſſumptio.

formentur pilulæ, quarũ vnam ore teneat. Potus erit vinum dulce, aut decoctum radicis dulcis. Tussis autem quæ ab acri oritur distillatione, agnoscitur quoniam æger morsum & acredinẽ sentit in gutture, & tussi nihil ferè excernitur, tenuitate flatum circumfugiens: quòd si quidpiam excernatur, id tenue erit, præsertim inter initia. His conuenient alimẽta refrigerantia, boni succi. Potus verò aqua hordei, aut prunorũ decoctum. Quies conueniet, ac somnus moderatus, parum leuato capite. Deinde corpus purgabimus pilulis sine quibus, & medicamẽtis vtemur, incrassantibus ac refrigerantibus, qualis est siropus de ziziphis, & de papauere, & siropus violaceus, siropus de nymphæa. Ego sanè quandoq; solo ex aqua frigida gargarismate cõpescui acrem in guttur fluxionẽ, & validissimam tussim inde exortam, in quem vsum proderit aqua plantaginis instillatitia, aut succus eiusdẽ, aut ex diamoron gargarismata, & potus aquæ calidæ dormituris. Valet etiam ad hosce humores acres obtinendos ac incrassandos, diatragacanthũ, in tabellarum forma. Siverò à crassis humoribus guttur, asperam arteriam pulmonẽ, aut thoracem impleri & tussim concitari cõtingat, attenuantibus vti decet, liquidẽ quæ flatus impulsu trudi debent, crassitudine, & tenuitate moderata esse oportet. Sint autem quæ lingendo sumuntur, siropus de dulci radice, quã græci glycyrrhizam vocant, aut succus eiusdem, aut acetũ mulsum, cum siropo capillorũ veneris pari mẽsura mixtus. Verùm tamen si copia eorũdem in toto corpore adfuerit, purgari debet, prius parato corpore, aceto mulso, aut aqua mulsa ex decocto origani (si fœmina fuerit laborãs) & deinde purgetur, electuario diaphœnicon, diluto in decocto prunorũ, & radicis, sed nõ decet existimare, vt quidã ex Salmãticensibus medicis putabat, humores in cauitatibus thoracis, aut pulmonis contentos, aut mẽbranis immersos extra venas, purgari posse viribus expurgantium medicamentorũ, nam hi nullatenus ad venas à medicamẽto trahẽtur. Quod tamen vidimus nõnullos tumores quorũ Hip. quoq; meminit in *prognosticis*, repẽtè euanescere, id non quoniã humores extra venas ad easdem recipiũtur, sed quoniam tumores, non tantũ ex humoribus qui extra venas sunt, molem assequuntur, verũ etiam ex his qui in venis minutis carni inseruntur, euenire putandũ, hos autem contingit introrsùm recurrere, & medicamentorum viribus trahi. A purgatione verò rursus medicamenta lingenda quæ humores crassos attenuent, & lentos dissecent, de quibus est siropus cap. vene. & sapæ ʒ.vj. pulueris radicis iridis ʒ.j. pul. foliorum origani ʒ.ij. penidiorum ʒ.ß. misce. Valet ad idem diaireos in tabellis cum saccharo. Præterea eligma ex nucleis pini, atque eligma sanum & expertum. Valentes quoq; vires habent siropus de calamintha, & siropus de prasio, siue marrubio. Valent quoq; caricæ assæ cum puluere origani. Aut cõfice pilulas bechicas, quæ recipiant amygdalarũ mundatarum, nucleorum pini, vtriusque ʒ.ij. succi radicis iridis ʒ.j.ß. cum sapa fiant pilulæ, quarum vnam in ore teneat. Tussis tamen quæ oritur à lumbricis, iecore, aut liene, aut ventriculo, propriam partis habet curationem.

Tussis ab acri distillatione.

De Asthmate siue suspirio, Cap. II.

COGIMVR Sæpe aliorũ sententias in hoc opus transferre, aut ob eorum auctoritatem, quæ possit nostra cõfirmare placita, aut quoniam vsus vocum & earũdem significationes, ab his qui nos ætate præcesserũt, mutuandę sunt, neq; est cur vereamur quæ alij dixerũt, quãdoq; repetere: nõ enim nos præcessoribus, sed ipsi nobis iniurij fuerũt, qui ante nos nostra dixerũt. Id vero quod abinitio huius curatiuę partis artis fecimus, inuiolatũ ad finẽ vsq; seruabimus nõnulla referentes eorũ quę ab antiquis bene dicta sunt, rescindẽtes, quæ aut modò parari nõ possint, aut vbi parẽtur molesta, & supra humanas vires vita fuerint, addẽtes multa à nobis probata, cognita & paratu

fa

facillima serie à generalioribus & maioribus remediis seruata. ἄσθμα quidem vox Græca, suspirium Latinis dicitur, & ἀσθματικοὶ, suspiriosi, de quibus Paulus hunc in modum scriptum reliquit: Eos qui sine febre frequenter respirant, quemadmodum hi qui celeri cursu fuere agitati, à symptomate, asthmaticos appellant. Eosdem tamen ab eo quòd rectam seruant ceruicem, suffocationem timentes, appellant, orthopnicos. Difficultas autem respirationis commune symptoma est, has & plures alias consequens passiones. Tres itaq; expossuit voces, asthma, orthopnæa, & dispnæa, hoc est difficultas respirandi. Asthma sine febre fit, quæ propriè talis est, cùm autem humores qui morbum faciunt putrescere cœperint, febrem efficiunt, atque tunc asthma, passionem appellamus: morbus verò abscessus speciem seruat. Recta autem ceruice respirare, in angina accidit, & pulmonia, & empyemate, & asthmate. Causa huius morbi est crassus humor ac lentus pulmonis arteriis infarctus, siue ibidem sensim congestus fuerit, siue ab aliis partibus, à capite præsertim effluxerit, aut crudum tuberculum. Impleto autem loco quem aer inspiratus refrigerij ratione subire solebat, paucus trahetur, sed frequenter, atq; erit magna hæc respiratio, non simpliciter, sed quæ ad Hippoc. sublimis appellatur, quoniam per omnes thoracis musculos exercetur. Cùm à crassis humoribus fit, ac lentis, febris non adest, sed grauitas in partibus thoracis, morbus diutinus fit, ac per interualla repetens, dum videlicet humor fuerit aceruatus. At verò si ad speciem abscessus fiat, febris accedit & putredo humoribus inest, & grauitas minor, hunc affectum præcedere solent distillationes à capite, acres, salsæ, & mordentes, & oris & faucium vlcera, & erosiones, & signa distillationis antecedẽt, siquidem hæc repentè sano homini euenit, sine febre. In vero autem asthmate quamuis sæpius congerantur lenti & crassi humores, quandoque eorundem à capite defluxus antecedit, omnibus autem cum sonitu fit contentiosa inspiratio, nisi à crudo tuberculo fiat, tunc enim difficilis respitio accedet morbo inualescente, cùm contentione spirant, sed parum aeris trahunt, neque exufflant, vt inquit Galen. 4. lib. de Lo. pa. cap. 8. sentiunt pondus in thorace, respirant sine sibilo, aut sonitu, & pus aliquando suppurato tumore spuent. Galen. nonnunquam grandini similia spui refert, libro 4. de Locis pat. Alexander verò lib. 5. cap. 4. verum calculũ excretum vidisse refert.

Asthma.

Asthmatis causa.

Asthmatis signa.

Victus propriè asthmaticis conueniens, ex attenuantibus, calefacientibus, & dissecantibus esse debet. Aer calidus erit, minimè frigidus, aut nebulosus, hyeme itaque à lecto surgent, & domum exibunt, non ante tertiam horam. Alimenta sint, ius pulli cum ciceribus elixi, & amygdalatum cum melle, quod etiam amygdalas nonnullas amaras recipiat, & ouorum vitelli, & carnes auium elixæ, nam assæ sputum retinent, apparantur autem optimè cum melle sinapis quoque conuenit, cum carnibus. Potus erit aqua mulsa, aut vinum, sit autem largus, vt validius humectet, & fluere faciat sputum (alias crassum) autore Aëtio. Qui verò tuberculum patiuntur parum bibent, exercitatio parua conuenit. Exufflent validè, flammam ignis ventilantes, aut carbones, acrioribus vtantur clysteribus, & erecto capite dormiant, non sic vbi à distillatione morbus oriatur; iram maximè vitent. Curatio à sanguinis missione incipit, vbi multus sanguis redundauerit, secta vena cubiti interna: verùm rarò sanguinis missionem conuenire inuenies. Mulier quædam quadragenaria suppressis mensibus asthmate laborauit, quam secta in malleolo vena curauit. Distillatio à capite in pulmonem, ab initio repellenda gargarismatis: & deinde iam fluxum ad excreationem parare. Expedit autem humorem in corpore pituitosum ad purgationem parare: nam qui in pulmone & asperis arteriis continetur, solo educetur sputo. Parabitur autem aqua mulsa, bibita bis in die, quantitate ʒ. xij. præsertim si ex origani decocto cõficiatur, in quem vsum acetum mulsum accommodatur, quod non valde acidum esse debet, ne sputum reddat magis viscidum, autore Hippocrat. libro 3. de Rati. vict. acu.

Asthmaticorum victus.

Asthmatici curatio.

Acetum mulsum asthmaticis.

sectione 26. Purgabitur autem corpus electuario diaphœnicon, diluto in aqua mulsa, in hunc modum compositis, electuarij diaphœnicon ʒ.v. dilue in ʒ.vj. aquæ mulsæ ex origani decocto. Casiam fistulam vero nonnunquam cum sacharo ad boli formam deuorare, aut dilutam in aqua multa, bibere expediet, nam ventrem mollit, & thoracem ac pulmonem lenit. Hæc quoque præseruationis gratia conuenient. Pectori vero admouendum oleum irinum cum hapsolanæ, aut laurinum, cùm axungia gallinæ, & anatis, aut fiat emplastrum quod recipiat caricas vj. farinæ loliaceæ ʒ.ß. cachryos ʒ.ij. mellis quantum satis est. Ad idem emplastrum filij Zacariæ, aut olei laurini, olei anethini, axungiæ gallinæ, singulorum ʒ.j. ceræ ʒ.ß. fiat vnguentum, vrticis quoque pectus cędendum, aut scilla excorticata tricandum, deinde oleo leniendum calido, cum ruborem traxerit. Rursus acetum mulsum scilliticum accommodatur, aut lingendo sument, mellis despumati ʒ. iiij. succi scillæ ʒ.j. ß. puleris iridis, & calaminthæ vtriusque ʒ.j. Aut aqua mulsa hoc modo paretur, origani, calaminthæ vtriusque manipulum j. radicis iridis. ʒ.ß. piperis ϑ.j. aristolochiæ, seminis vrticæ, vtriusque ʒ.ij. bulliant in libris tribus aquæ ad consumptionem quartæ partis, colaturæ adde mellis vncias quatuor, fiat aqua multa: loc verò de scilla, & loc de caulibus, quæ elegmata appellantur, præstantissima sunt, si manè, & dormituris sumantur, & siropus de radice dulci, de prasio, ac de hyssopo, & acetum mulsum cum decocto origani & hyssopi, nigella quoque aut in decoctis, aut cum melle in elegmatis miscenda. Quòd si morbus abscessus rationem habuerit, & putrescentes humores ex pulmone excernantur. Gale. lib. 4. de Locis pa. cap. vltimo, eos qui abscessu similem dispositionē patiuntur, curare docet, theriaca, athanasia, & bonis odoribus: erunt autem hi, moschus, ambar, styrax & similia. Alexander verò hanc curationem damnat li. 5. cap. 4. tum quòd neminem sanitati restituerit Galen. vt ipse fatetur, qui omnes eos periisse dixit, tum quod refrigerantia contrarietate prodesse possint, ac curationem complere. At verò Alexandri curatio rationi cōsonat, & experimento, sed Galen. medendi method. nobis optima videtur. Quòd enim ex illis nemo liberatus fuerit, nihil refert, ex morbis enim adeò periculosis, plures moriuntur. Proficit autem curandi ratio apud Galen. quoniam quæ exiccant, valde supprimunt putredinem, & odorata animalem & vitalem spiritum reficiunt, qui à putridis fumis extinguitur. Quod tamen sicca magis frigidis impediant ne putredo serpat, experimentum docet: nam caro putredini proxima, si asseturparum, & modicè arescat, diutius sine putredine seruatur. Præterea longè magis impedit putredinem siccitas quàm frigiditas: nam diutius seruantur carnes salitæ æstate, ob siccitatem, quam eædem non salitæ hyberno tempore ob frigiditatem. Hæc itaque duo asserimus, curationem Gale. esse vtilem, & methodicam, quamuis Alexandri damnanda non sit, quæ per se valet. Tum etiam exiccantia, putredinem magis quàm refrigerantia, inhibere. Tuberculum autem durum si fieri possit suppurari debet & vti suspirium ex abscessu curari, quod si suppurari nequeat, remedijs ad id accommodatis, vt caricis cum aqua mulsa vtemur. Tota victus ratio similis esse debet ei quæ ad suspiriosos ex crassis & lentis humoribus scripta est, vt docet Galen. lib. 4. de Locis pa. ad finem.

Alexander contra Galen.

De Peripneumonia, Cap. III.

PERIPNEVMONIA, Quæ latinis pulmonia dicitur, pulmonis inflammatio est cum acuta febre. Oritur malum post alios morbos, vt post longam distillationem in pulmonem irruentem, aut post anginam, aut pleuritidem, humore in pulmonem translato. Agnoscitur malum his notis, in thorare pondus sentit æger, & vbi morbus membranam vexet, dolorem quoque, & febrem continuam patietur, cum magno thoracis ardore, inspirandi difficultate, spiritus autem calidus & exust

Peripneumonia signa.

exufflando mittitur, quem frigidum ſpirare cupiunt, & ab eo magis quàm à frigidæ potu recreantur, facies rubet, & quadantenus intumeſcunt maxillæ, & prominent oculi, & cornea in pinguedinem langueſcit, id nõ quidem incipiente morbo, ſed iam finiente, & pernicioſo, natus verò depreſsior apparet: ſputum cohibetur ad initia præſertim: nam procedente tempore ſi non ſpuãt, inter ſigna mala receſebitur. Morbus autem ſolet ad 7. diem iudicari. Si verò ardor vehementior fuerit, & aeris frigidi appetitus magnus, & ſitis, & lingua ſcabra, aut nigra, & non adeò magna grauitas. Totius corporis æſtus, morbus eryſipelatis naturalis ſeruat: ſi tamen præter hæc quæ paſsionem indicant, ſputum procedente morbo poſt 4. diem non appareat, aut id viride, liuidum, aut nigrum, aut biliоſum, ſyncerum, aut ſpumoſum, extrema frigeant, liueant, vngues curuentur, & vigiliæ accedant, & quandoque ſyncope, hæc omnia lethalia ſunt: ſed fit quandoque, vt magna aliqua ſuperueniente vacuatione à natura liberentur, & ſuppurata inflammatione viſa eſt per vrinam purgata, autore Galen. lib. 6. de Locis pati. Victus peripneumonicorum pertenuis eſſe debet, vti cremor hordei, amygdalatum ex dulcibus & amaris, aut etiam ptiſana hordeacea cum origano eam expetentibus viribus, aut etiam inclinãte morbo, quo tempore ius pulli præbebimus, aut amygdalatum cum melle, aut amylum, & nuclei pini ſaccharo conditi conueniunt: potus ſit paucus ex aquâ hordei. Frictionibus vtentur, & lenibus clyſteribus. Aer qui inſpiratur frigidus ſit, non valde, ne impediatur humorum in aſperas arterias transfuſio: ſomnus moderatus procurabitur. In curatione Paulus docet ſangui. non eſſe mittendum, quando alium morbum ſequitur, præſertim ſi ſanguis in præcedenti miſſus fuit, aut diutius in eo fuerunt ſtatu. Nos ſanè ob aliquam harum duarum cauſarum non mittemus ſang. verùm ſi primis ſtatim diebus conſtãte facult. non miſſo ſang. ex laterali, aut angina pulmonia fiat, ſangui. miſſi. conueniet, in aliis autem pro ipſa clyſteribus vtemur acribus. Si verò ſano homini peripneumonia ſuperueniat, curationem à ſangui. miſſi. incipiemus; ſecta vena interna cubiti dextri, deinde ea quæ in ſiniſtro, ferentibus viribus, non tamen ad animi deliquium, ne ſtranguletur æger, & vt aliâs, ſi conueniant, ferre poſsit. Deinde cucurbitulas admouebimus thoraci, & lateribus plures ſcarificatus, quibus linimenta, & emplaſtra adponentur, ex oleo irino, aut laurino, aut fiat emplaſtrum quod recipiat butyri, medullæ ceruinæ vtriuſque ʒ.j.ß. ceræ, & reſinæ terebinthinæ vtriuſq; ʒ.ij. œſypi ʒ.ß. iridis ſiccæ ʒ.j. Aliud œſypi, olei irini, butyri vaccinis, ſingulorum ʒ.ij. farinæ loliaceæ, farinæ hordei, vtriuſque ʒ.ß. lingendo autem accipiet, ſiropum radicis dulcis, ſiropum de calamintha, aut mel deſpumatum cum puluere iridis, mellis nempe ʒ.ij. iridis ʒ.j. aut aquam mulſam bibet ex decocto hyſſopi, aut diatragacanthum in tabellis, aut inclinante morbo, medicamentum diairidis in tabellis.

Peripneumoniæ cura tio.

De Sputo ſanguinis, *Cap. IIII.*

Sangu. ſputum.

SANGVINIS Sputum Græcis αἱμοπτύης appellatur, euenit tamen non aliter quàm aliæ ſanguinis emanationes. Manat namque ſanguis è venis, aut ruptis, quæ diſpoſitio ῥῆξις dicitur, aut ob apertionem orificiorum venarum, quam appellant ἀνατόμωσιν, aut ob vaſorum exeſionem, quam dicunt ἀνάβρωσιν, aut διάβρωσιν. Fit ruptura vaſorum, vulnere, ictu, caſu, conatu, ſaltu, vociferatione, aut plenitudine, vſu calidorum, dicente Hippoc. 8. Apho. ſectio. Calidum vbi quiſque eo ſæpius vtatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia ſanguinis, animi deliquia, hæc ad quæ mors. Frigiditas quoque venas rumpit, autore Hippoc. libro 6. de Morb. pop. part. 3. Aperiuntur ora vaſorum humectatione, ob frequens balneum, & cibos humectantes, & ocium, ad quod accedit ſanguinis copia, aut eiuſdem tenuitas & ſerоſitas. Exeſsione verò manat ſanguis vbi diſtillatio

acris

acris,mordax & salsa partem aliquam diutius molestauerit: præterea si intra venam acres succi contineantur,apertis oris venarum sanguis serosus manat ruptis venis multus, & purus, ab erosione paucus, sed processu temporis aliquãdo fit,vt subitò multus erumpat,sed hi interim pus expuunt,interim verò sanguinem.Hæc de passione. Particula verò patiens sic agnoscetur: Sanguinis namque sputum aliquando procedit à capite,descendente sanguine in os, & palatum, nonnunquam à faucibus, quibus accedit κόγχος, sonitus quidam qui cõcitatur faucibus ad excreationem commotis.Nomen verò apud Iones, à milio tractum est, quod κέγχρον appellant. Per hunc namque affectum aspera quædam milij modo parua in faucibus sentiuntur.Aut procedit ab ore & gingiuis simplici screatione: hæ omnes αἱμοῤῥαγίαι appellantur. Aut vomitione à ventriculo,aut gula,aut tussi,à partibus thoracis,pulmonis,& asperæ arteriæ, appellantur ab Areteo, ἀποπτύσεις. Notis verò sequuntur singulas partes laborantes, agnosces, nam si quis simplici sputitione sanguinem sine tussi, sine vomitu, sine labore excernat :ab ore, faucibus, aut gurgulione procedere, notum est. Si verò vomitione excernatur, paucus admodum erit è gula, multus autem è ventriculo, quandoque ex iecore, aut liene in ventrem delatus vomitus, quod indicãt intermissiones:adde quòd iecur aut lien antè grauatum, leuius redditur. Si verò sanguis emungatur,ex intimis naribus & colatorio in os ductus, à capite ortum habet. At verò si tussi excernatur, distinguere ac scrutari huiuscemodi oportet: nam cùm à capite sanguis delabitur in guttur, tussi excernetur, sed non ab instrumentis respirationis. Præterea tussi excernitur sanguis, à pulmone, & thorace, à pulmone in pulmonia, aut rupto pulmonis vase, à thorace si in ipsum sanguis effundatur, & in morbo laterali. Quòd si leui tussicula sanguis spuatur, atque ea pertinaci, cum titillatione palati,sanguis à capite in guttur distillat,præsertim si aliquando per nares descendat,aut emungendo ad os trahatur, accedet ad eius dignotionem, si nullum dolorem, aut grauitatem in partibus thoracis senserint, neque ex alto pectore tussis educatur, & si caput aliàs cum grauitate, tensione, & rubore existens sanguinis expulsione leuetur. Quandoque tamen serosus sanguis spuitur à partibus capitis,& palati,vbi sanguisuga colatorio, aut internis naribus hæserit, cui screationi, tussis quoq; accedit,sanguine in guttur delapso, sanguisuga quoque ventriculo hærens aliquando serosum sanguinem expui vomitione fecit. Sed sanguis à ventriculo excretus si ex iecore & aliis membris in ipsum delatus fuerit crassus, globosus & niger erit. Qui verò ob sanguisugam,semper aquosus & tenuis. Sed omnis qui à ventriculo aut gula procedit, vomitu reiicitur. At verò si cùm excernitur sanguis tussi, tenuis fuerit & spumosus,sine dolore,à pulmone exit:accedit ad id,si portio aliqua pulmonis simul tussi excernatur,vt broncus,aut vasis membrana,aut caruncula: id quod fieri videmus rupto vase, aut exeso, sputum autem sanguinis à thorace agnoscemus,crassitudine & nigredine,& quoniam dolore partes ipsæ vexantur,magis quàm pulmo. In morbo verò laterali sanguis spuitur,sed notus ipse morbus est. Distingues præterea an à vena,an ab arteria sanguis manet, quoniam sanguis è vena crassior, & nigrior est, & facilè concrescit, & vena ipsa agglutinatur : cùm verò ex arteria manat, tenuior est, & flauior, & tardiùs concrescit,& difficiliùs curatur.Ex his nota euadet particula,atque ipsa particulæ passio. Nos impræsentiarum trademus primò curationem sputi sang.à capite deinde eius qui procedit à partibus oris,deinde eius qui procedit à ventriculo, deinde eius qui à pulmone, & thorace. Cùm igitur sanguis à capite spuitur, si multus in capite abundauerit, aut etiam in toto corpore, secanda est vena externa cubiti, & per interualla sanguis ducendus, & narium emunctione procurandum,vt per easdem educatur, succus autem plantaginis gargarizandus, aut in ore tenendus, aut decoctum rosarum & balaustiorum frigidum:calida enim fluxionem augebunt, & vbi opus fuerit perseuerãte malo

Curatio sputi sang. à capite.

per

per nares ſorbeatur ſuccus plantaginis, ita vt deinde per os excernatur: ſi tamen pus ſimul cum ſanguine exeat, aqua mulſa ſorbenda, per nares, & ablutione præcedente atque emundatione, ſucco plantaginis vtentur. Victus eiſdem erit, caro pulli, perdicis, aut turturis aſſa, potus autem aqua pluuialis. Cum ſanguis ab ore manauerit, faucibus, palato & gurgulione, quod agnoſcetur, quoniam excernitur cum πτυσμῷ, conueniet oris collutiones ex decocto balauſtiorum, aut roſarum, aut ſucci plantaginis ſatisfacient, validius autem eſt decoctum rhus. Cùm ſanguis è ventriculo vomitione reiicitur, ſi à capite diſtillauerit, caput curandum, & fluxio ſiſtenda, & ſiropus acetoſus bibendus, ne quid concretum in ventre remaneat. Si tamen craſſus fuerit ſanguis & è partibus iecoris & venarum in vẽtrem delatus, pauco cibo & parum adſtringente vtentur, non actu frigido, nec valde refrigerante, vt carne pulli, aut perdicis aſſa, aut elixa cum malis cotoneis, aut lentibus, aut lentes ipſę excorticatæ cũ aceto ferculo facto, & oryza cum iure carnis. Potus ſit aqua pluuialis, aut chalybeata, nẽpe in qua chalybs ignitus fuerit aliquoties extinctus. Quòd ſi ſanguis in ventre concreſcat, praua admodum adfert ſymptomata, & animi deliquia, quibus accommodatur acetum mulſum, aut theriaca in aqua mulſa, aut acetũ mulſum cum decocto pulegij, aut ſatureiæ, aut coaguli leporis ʒ.j. in aceto mulſo, aut decocto ſatureiç. Si tamen copiosè ex partibus adiacentibus ſanguis in ventrem confluat, & vires cõſtent, ſanguis mittendus eſt, ſecta vena interna cubiti. Aëtius tamen ex Archigene venam externã ſecare præcipit, ſi ſanguis à iecore in ventrem concedat: ſi tamen à liene deferatur, quod lienis morbi oſtendent & tumores, venam quæ inter annularem digitum & minimum eſt, in ſiniſtra manu. Prodeſt quoque aſsidua crurum & brachiorum frictio. Vbi ſanguis ex pulmone reiiciatur, quod tuſsi fieri videmus: aut fiet ob diſtillationem à capite in pulmonem, quæ cùm acris fuerit & ſalſa, & diutius perſeuerauerit, pulmonem dilaniat. Aut fiet ob nimiam frigiditatem, quæ cõſtringit validè pulmonis arterias: has verò deinde diſrumpi cogit diſtentio thoracis: quæ enim dura ſunt, ſi contentiosè diſtendantur, omnino rumpentur. Fit autem nonnunquam vt ob ſanguinis copiam, conatum, vociferationem, aut validam tuſsim, & ſimiles cauſas, vena aliqua pulmonis rumpatur: hæc tamen mala ordine curare docebimus. Si diſtillatio acris nõ valde cauſa fuerit, ſanguis mittendus eſt ſecta vena externa cubiti, per interualla, pro virium conſtantia, & crura, brachia, & vniuerſum corpus præter caput fricandum, calido aliquo oleo vnctis manibus, ligare quoque extrema membra conueniet, & acribus vti clyſteribus, & infuſio rhabarbari, aut decoctum myrobalanorum, aut etiam electio. de ſucco roſarum in potu præbendum, ac venter lenis ſeruandus. Siſtenda autem fluxio eſt, gargariſmate ex decocto roſarum & foliorum myrti. Galen. verò præcipit capiti abraſo ſuperponendum emplaſtrum ex ſtercore ſylueſtrium columbarum, quod poſt horas tres tollendum eſt, & calido pileo caput tegendum, dormituro tamen theriaca potui exhibeatur: non ſit autem antiqua, nec valde recens, ſed quatuor antè menſibus confecta, vt Galen. lib. 5. de Method. med. docuit: tunc enim opij facultatem habet valentem. Alexander autem lib. 7. cap. 1. hanc Galeni ſententiam damnat, nam in calidis fluxionibus nõ oportet cum ſterore columbino, & tapſia calefacere, ſed potius refrigerare caput roſaceo, aqua, aut oxyrrhodino, ſi tamen recrementa acria abundauerint, ea commodis medicamentis purgare, & vti collutionibus oris ex alterci radice, ſolano, roſis, & ſemperuiuo. Nos ſanè vtramque curationem experti ſumus vtilem eſſe, medicamenta nanque calida trahentia exterius, fluxionem in pulmonem ſiſtunt: proficiunt autem ex accidenti, frigida verò, per ſe catarrhum refrigerantia attemperant, & incraſſatione retinent. Theriaca tamen quæ à Galen. exhibetur non calefacit manifeſtè. Cibus autem auſterus præbendus, vt lentis ferculum cum aceto, quale nobis præcipiẽtibus ad dyſentericos, parare noſtis. Sequenti

Sputi ſang. à ventre curatio.

Sputi ſang. à pulmone curatio.

Sputum ſang. ex diſtillatione.

Alexãder aduerſus Galen.

autem die frictionibus vtantur, deinde quiescant, & theriacam bibant dormituri: tertio verò die mel despumatum lingant, ad excretionem eius quod in pulmone relictum est, & frictionibus dictis vtantur, cibus sit amygdalatum, amylum, ptisana hordeacea, ius pulli cum lentibus, aut pullus cum malis cotoneis elixetur, & ius sorbendum dabitur, licebit quoq; alas edere, & aquam chalybeatam, aut pluuialem bibere. Verùm si valde acris fuerit fluxio, sangu. missione prætermissa, aliis vtemur auxiliis, quæ dicta sunt. Galen. lib. 5. de Metho. med. vlcera pulmonis à salsa fluxione orta insanabilia affirmat, quoniam is succus longo tempore ad correctionem eget: interim verò si exiccantibus vtamur, callum insanabilem quoq; contrahet pars, si verò non interim putredo serpet & pulmonem putrefaciet. Eisdem tamen conducent purgatio, medicamenta stuporem inducentia, & capitis præsidia dicta & sangui. missi, vbi is abundare videatur. Præterea lactis potus. Si verò medicus intellexerit ob frigiditatem pulmonis venas ruptas ac sanguinem spui, sanguis detrahendus est secta vena interna cubiti, bis aut ter in duobus primis diebus, reuulsionis ratione: membra verò fricanda, ac liganda. Deinde cum decocto cinnamomi, pastilli trigonis, siue de tribus seminibus, in potu præbeantur dormituris, ponderis ℈.j. aut ʒ.ß. aut theriaca 4. mensium, aut paulò antiquior, rursus membra perfricanda, & thoraci thaplia cum melle superponenda, & quatuor transactis horis tollenda, aut sequens apponetur emplastrum, mellis ʒ.ij. galbani, & iridis vtriusque ʒ.j. aut olei laurini, & irini, vtriusque ʒ.ij. iridis, styracis, galbani, singulorum ʒ.j. cibus erit caro pulli, aut turturis assa, aut trocta elixa, aut plaida, aut solea, aut oryza elixa in iure carnis, addito cinnamomo.

Sputo sang. ex vena rupta, aut erosa.

Potus sit aqua chalybeata. Ad finem tamen repugnandus est pulmo, melle despumato linctо, aut aqua mulsa. Si tamen pulmonis vena, sanguinis abundantia apertis venarum osculis, aut erosione ab eodem facta, aut quauis alia occasione, rupta fuerit, collocandus erit æger in aere temperato, in quo nec valde respiret, nec magnam vocem edat, sed in omni silentio quiescat: cibis vtatur adstringentibus, vt ferculo ex lentibus, oryza cum lacte elixa, pyra edat, aut poma austera, corna, mespila, sorbas, cotonea mala, sed quæ fuerint austeriora cum pane edantur: licet quoque edere pullorum carnes assas, aut perdicum, aut turdorum, aut cicorium, aut intibum elixum cum aceto & oleo adstringenti. Bibent autem aquam chalybeatam, aut pluuialem. Quiescant omnino, sed fricentur validè, ac ligentur extrema, modicè dormiant, ventrem lenem seruabunt. Abstinebunt ab omni animi symptomate, præsertim ab ira, & à venere. Curatio à sanguinis missione incipiet, secta vena interna cubiti vtriusque, ita vt sanguis per interualla ducatur, reuulsionis ratione: non tamen copiosè ducendus, si multus reiectus fuerit. Vbi tamen acrimonia sanguinis accesserit, purgabitur corpus, rhabarbaro, aut electuario de succo rosarum. Perseuerante malo cucurbitula sine scarificatione dextro hypochondrio affigenda, & extrema validè fricanda. Deinde portulaca mandenda & succus deglutiendus, zaccharum rosaceum antiquum pariter valet, aut zucchari rosacei ʒ.ij. boli armeni. ʒ.j. Deinde aqua instillatitia

Lapis hæmatites.

plantaginis superbibatur, lapidis tamen hæmatitis magna vis est, si tritus in panno lineo suspendatur, in aqua plantaginis instillatitia, deinde bibatur aqua, aut in aqua plantaginis instillatitia duo lapides hæmatites perfricentur, donec drachmæ vnius pondus in aqua diluatur: bibatur autem aqua, aut pulueris eiusdem accuratè leuigati, ʒ.j. vsque ad ℈.iiij. cum prædicta aqua, aut decocto rosarum. Valent ad idem, cortices mali punici, & glandium, balaustia, succus mali cotonei, aut gallæ immaturæ, & rhus, terra quoque samia, siue samius aster, ad idem valet cum succo mali cotonei, aut compositum quod recipiat, siropi myrtini ʒ.vj. pulueris boli armenici, symphyti, corallorum rubeorum singulorum ℈.ij. balaustiorum hæmatites, vtriusque ʒ.ß. præstantissimi sunt in hunc vsum pastilli ex electro, non qui modò habentur in

vsu

vsu,& in officinis parantur, sed quos parat Galen.lib.7. de compositione medicamentorum per locos, quorum hæc est compositio. Psyllij puri drachmæ quadragintaquinque, iridis illyricæ, mastiches, electri ramenti, croci, singulorum drachmæ triginta, opij drachmæ quindecim, psyllium in aquam calidam coniectum finito macerari: vbi verò glutinosa viscosáque euaserit aqua, exprimito liquorem, ex hoc præparato medicamentum pastillos conficiens, datóque obolos tres dormituro, hoc est 3.ß. sint autem aquæ sextarij tres. in quibusdam exemplaribus habetur, macerato psyllium per tres dies, deinde coquito donec ter ebullierit, postea ab igne moueto, rursúsque per tres dies finito, atque tunc liquor ad medicamenti confectionem separatur. Hoc medicamento vsus, quàm plurimos breui admodum curaui. Quædam namque fœmina 25. annorum magnam copiam sanguinis non paucis diebus reiecit, cui sanguinem misi, & hoc bibito medicamento, duobus diebus in aqua plantaginis, hora somni, integrè fuit liberata. Altera sexagenaria intra duorum dierum spatium supra quatuor sanguinis libras reiecit, hæc semel tantùm bibito medicamento hora somni, liberata est, cui sequenti die interrogaui, non paucis præsentibus eorum qui nobiscum ægrotos frequentabant, an sanguinem post medicamentum epotum reiectasset, quæ inquit, nec saliuam sanè reieci, adeò impetum spuendi coercere valuit id portentum quod mihi propinastis. Nec expedit modò innumeros alios referre nephriticos, sanguinem mingentes, & dysentericos, veluti miraculosè curatos prædicti medicamenti potione, ante somnum. Valet præterea succus plantaginis, ac succus sanguinariæ si trium vnciarum mensura bibatur. Decet autem prius corpus vacuare, & reuellere ab initio, ne interim pulmo inflammetur, & deinde necessum sit suppurationem & mundificationem præcedere, vlceris consolidationem: nam præter id quòd difficilè sanescunt, callum contrahit vlcus, qui deinde disrumpitur ob leues occasiones, aut vociferationem, aut saltum, aut vehementem respirationem, aut tussim, redítque sanguinis sputum. Thoraci quoque superponere expedit emplastra ex vino austero, cum puluere symphyti, sanguinis draconis, succo polygonij. Aliud quod recipit, succi cotoneorum, succi plantaginis, vini austeri, aut ex decocto folliorum myrti, singulorum ʒ.iij. pulueris corallorum rubeorum, balaustiorum, boli armenici singulorum ʒ.j. Quòd si æstas fuerit, & citra tussim validam, sanguis reiiciatur, & fuerit corpus ægri validum, & bene habitum, recipiet succi plantaginis ʒ.vj. aceti ʒ.j. pulueris corallorum rubeorum, & symphyti vtriusque ʒ.j.ß. hæc spongia excipientur ex Aetio, priora, lana. Valet etiam oleum myrtinum, cum puluere myrti & rosarum.

Pastilli dia electi.

De Laterali morbo, Cap. V.

MORBVS Lateralis πλευρίτις Græcis dicitur, atque ampla voce omnem lateris dolorem comprehendit, siue is à flatu, siue ab humore fiat, & in membrana subcingente costas, siue in carne & musculis costis superiacentibus. Hinc notæ erunt eius morbi differentiæ: nam quidam est verus & exquisitus, quidam nothus, verus est, inflammatio membranæ costas subcingentes, quam appellant, ὑπεζωκότα & quidam ad clauiculum & iugulum extenditur, quidam ad hypochondria descendit. Spurius autem est qui à flatu oritur intercluso, vel qui quamuis ab humore fiat, musculos occupat intercostales, aut carnem superiacentem. Notæ veri & exquisiti morbi lateralis sunt, dolor lateris pungenti similis, difficilis respiratio, febris continua, ex consensu orta, tussis, & pulsus serratus. Dolor sanè excitatur ab inflammatione, quæ vera phlegmone est, atque morbus ipse lateralis: hæc enim est morbi essentia: loci autem naturam sequitur, vt dolor punctorius sit, quoniam membranæ patiuntur, ac perinde sequitur vt superiores, aut inferiores partes eidem consentiant diffi-

Lateralis morbi nota.

cilis respiratio lateralem morbum sequitur, & plures alios qui partes ad thoracem attinentes molestant, sed in laterali volentes magnitudinem inspirationis cohibemus, quoniam per magnas fit, vt comprimatur pars laborans, & vehementius doleat. Continua febris omnibus acutis morbis, qui propriè tales sunt, est communis: huic verò, ob loci propinquitatem, consentiente corde. Tussis concitatur, natura conante quæ molestant pellere. Pulsus autem serratus, durus nempe & in vno ictu inæqualis sub diuersis digitis fit ob duritiem arteriæ, & vsum auctum, ob quem facultas conatur, ipsam arteriam distendere, renitente duritiæ, hinc autem sequitur vt pluribus in locis veluti confracta, speciem serræ referat. Prædicta sunt huius morbi pathognomonica signa. Hæc signorum congeries morbum omnino docet, sed sine aliquo eorum constitere potest. Cùm morbus hic inter initia est, tussi nihil excernitur, aut id parum & crudum, tenue & aquosum, deinde parum coctum, deinde probè coctum in summo vigore, in declinatione tamen coctum quidem, sed quantitate minus. Quando igitur sputum excernitur, ex colore docet Galen. lib. 5. de Locis pat. cap. 2. & sexto libro de Morb. pop. parte 3. commen. sectionis quæ incipit: ob inclinationem humoris peccantis naturam agnoscere: nempe an sanguis inflammationem efficiens, sit purus: nam apparebit sputum rubrum, si bilis copiosa fuerit mixta, flauum, si pituita, album & spumosum, si melancholia, nigricans. Sunt præterea signa quædam salutis, aut mortis, in quibus coctionis notas comprehendimus, quorum veluti propria sunt quæ ab sputo sumuntur, de quibus multa ab Hippoc. lib. secundo de Prog. dicta sunt, & à nobis abundè expolita, non pauca quoque Galen. tradidit libro primo de Crisibus. Si igitur primis tribus diebus morbi, sine labore, aut multa tussi sputum coctum reiiciatur, saluberrimus morbus est: est autem coctum quod flauum valde commixtum sputo habet, & quod album est, non glutinosum, nec globosum, nec valde spumosum: nam hæc mala sunt veluti & nigrum, vel liuidum, vel viride, vel syncerum, vel coloribus variegatum, & quod tardè spuitur, & magnam infert tussim. Est enim de numero morborum acutorum qui quartodecimo die finiuntur, ac decet in his coctionis notas apparare breui, nempe quarto, aut septimo, aut vndecimo die, nam autore Hippocr. qui morbo laterali laborantes quatuordecim diebus non repurgantur, in suppurationem vertuntur. Facilè quoque respirare, parum dolere, aut sine dolore esse, dormire, constare mente, bene se habere ad oblationes, bonus accubitus, bona sunt. Quòd si morbus is ad suppurationem tendat, febris maior quam antè fiet, & rigor accedet, & pro dolore pondus: sed de empyemate deinceps dicemus. Illud tamen Galenus admonuit inter pessima huius morbi signa libro quarto de Præsagit. ex pulsionib. dicens. Ac maximum sanè indicium exitialis pleuritidis est, si pulsus sit magnopere durus, itaque paruus etiam, & ob ambo hæc, caloremque, creberrimus. Cognoscestamen dolorem à flatu fieri, quoniam distendit, sed non grauat, & tussi nihil excernitur, febris non adiungitur, nisi ob aliam causam adfuerit, & calidis ac siccis valde fomentis iuuantur, quibus hæc tentare Hippocrat. præcipit libro de Victu acutorum. Si verò in musculis externis consistat, agnoscetur, quoniam tactu dolet, non tussit, aut si pauca tussi infestetur æger, nihil spuet, & pulsus durus non est. In curatione verò primum locum habebit victus institutio, aerem inspirent non frigidum, quia lædit manifestè. Alimentorum qualitas & quantitas variantur pro morbi vehementia, & morbi tempore, nam morbus lateralis nonnunquam adeò acutus est, vt æger validus cum solo iure lentium, aut amygdalato ad vigorem vsque perduci possit, morbo autem prolixiore existente, manè ante meridiem accipiet ius pulli, cum mica panis, dormiturus tamẽ amigdalatum, cum saccharo. Cùm verò os madescit, & coctum excernitur sputum, dolores pleuriticorum remittere incipiunt, quo tempore ius pulli cum hordeo elixi propinandum, &

Pleuritico-rum victus.

si visum

si visum fuerit cum micis panis hora pomeridiana: noctu verò, amygdalatum, aut cremor hordei, sine ptisana colata. Præterea instituendus est cibus ab initio in declinationem vnus, & ab initio vsque in vigorem minuenda quantitas. Cùm verò dolor minui incipit, augenda, & quo sputum copiosius excernitur, sic etiam cibi quantitas maioranda. Potus autem sit aqua in qua hordeum bullierit, quam non oportet flatuosam putare, siquidem flatuosam dixit Hippocrates ptisanam non probè coctam. Non tamen loquutus est de aqua, siue hordei elixatione, quæ communis potus est. In morbo tamẽ pituitosiore erit potus, aqua mulsa, aut decoctum radicis dulcis, aut prunorum: somnus & vigilia moderata conueniunt. Quiescant, sed leuibus frictionibus vtantur, ab initio tamen validioribus: ventrem clysteribus mollem seruent, & vitent omnem animi turbationem. Curationem à sanguinis missione ordiri oportet, vbi sanguinis abundantia in corpore fuerit, ita vt adhuc decumbat humor in partem, aut decursus timeatur ex calidorum fomentorum admotione, secabitur autem vena interna cubi patientis lateris, reuulsionis & vacuationis ratione, hac autem vena non apparente secanda erit media, aut etiã externa, ita vt nullo modo sanguinis missio prætermittatur, siue dolor ad clauiculam, & humerum & mammam se extendat, siue ad hypochondria descẽdat, ex Galen. documentis, quamuis Hippocr. 2. lib. de Ratione victus acutorum, in doloribus ascendentibus præceperit, sang. miss. in descendentibus purgationem. Tutius enim est in omnibus à sang. miss. auspicari. Impartimur magna ex parte sang. eductionẽ, & bis aut ter sanguinem mittimus, secta eadem interna vena, donec sanguis colorẽ mutet, ita vt rubidior multo, aut pro puro rubidóque liuidus appareat. Is verò in duobus vasis, aut tribus excipietur ad mutationem intelligendam. Colligetur autem de more in vasis argenteis, aut ex cupro, aut stanno elaboratis, aut crustatis apud figulos antimonio, plumbo, & lithargyrio, quamuis neq; hæc admonere apud Hispanos est opus, quibus nunquam adeò aduersa contigit fortuna, vt coacti essent in terreis non crustatis vasis cibos, aut fercula gustare, aut sanguinem colligere, quamuis Lusitanus quidam falsò affirmet, sanguinem in peluiculis, apud Hispanos omnes colligi, quod ego sanè 25. annos medicinam exercens, in diuersis Hispaniæ plagis, nec vidi, nec audiui. Sic autem exceptus sanguis palam ostendit humorem inflammationi proximũ, iam educi, aut etiam eum qui in venis inflammatę partis continebatur, aut indicium sanè erit, eumdem in latiores venas recurrere. Ea namque ratione secamus eiusdem lateris venam, quoniam, vt inquit Galen. libro secundo, de Ratione vict. acu. Commen. decimo. Venam eam secare oportet, quæ citissimè tum reuellat, tum etiam euacuet. Nos tamẽ suprà parte secũda de venę sectione in morbo laterali abundè disputauimus, quapropter modò supersedendum duximus. Si verò plenitudo non adfuerit, fomẽtis vtemur, quæ calida & sicca flatibus discutiendis accommodantur, ac curant lateris dolorem flatuosum, qualia fiunt ex milio, sale, furfuribus, in sacculis, siue marsupiis, quibus etiam accommodatur cucurbitula cum multa flamma sine scarificatione. Humida verò fomenta admouebimus tentandi ratione cum Hippocr. quæ aut iuuant, aut non magnificè lædunt: iuuant autem vbi morbus vera inflammatio est, sed parua ac sine totius plenitudine. tunc enim humorem discutient. Sint autem fomenta, spongia in aqua calida infusa & expressa, aut vesica plena oleo camemelino, anethino, & decocto camemeli, & meliloti, aut sacculus fiat ex floribus camemeli, vino calenti inspersus, aut similis ex furfuribus. Eis autem, quibus ob sang. redundantiam, venam secare præcepimus, post sectam venam conuenit cucurbitulas admouere parti dolenti cum scarificatione: semota autem cucurbitula pars sale inspergenda, aut linteum sale & oleo madefactum superponendum: sequenti verò die rursus cucurbitula eidem parti admouenda, vt ichorem ibi contentum extrahat. Hæc curatio doloribus qui in externis & inter costali-

Aqua hordei non est flatuosa.

Pleuritidis curatio.

Fomẽta ad pleur.

bus musculis consistant optima est,& statim ab initio vbi non admodum plenum corpus fuerit. Hoc etenim auxilio innumeros sanaui breuissimo tempore,qui ingentes dolores perferebant. Ad morbos autem laterales legitimos quam maximè post corporis vacuationem prodest, siquidem morbi causam aliqua ex parte detrahit, & discutit. In quibus autem humorem alium à sanguine abundare intelligimus, vtimur quoque purgatione hac, Medullæ casiæ fistulæ & electuarij disphœnicon vtriusque ʒ.ß. in decocto prunorum & radicis dulcis,quandoque etiam vtimur sola casia fistula quæ emolliet ventrem & thoracem, quandoque solo elect. diaphœ. Parti verò laboranti admouemus exterius oleum amygdalarum dulcium cum axungia gallinæ, aut ambobus addimus œsipum repellentia verò omnimodo vitanda sunt. Aliud, olei amygdalarum dulcium,camemelini,& axungiæ gallinæ singulorum ʒ.j.œsypi ʒ.ß. ceræ ʒ.ß. vtimur autẽ vnguento ad pleuritidẽ optimè composito,quod appellant vnguẽtum ad pleuritidẽ aut vnguentum Sabor regis:desuper autẽ valde vexante dolore imponimus vesicam semiplenam aliquo dictorũ decoctorum & oleorum. Lingenda verò damus medicamenta quæ sputum expulsioni parent:sed aduertere oportet an crassum, an viscidum, an tenue sit: nam omni modo ad mediocritatem deduci debet: crassum namque non cedit impulsioni, viscidum hæret tenaciùs, & tenue circumfluit circiter flatũ:crasso itaque existente sputo siropus capillorum Veneris conuenit, aut de radice dulci, aut etiam de prasio, aut de calamyntha, aut aqua mulsa, præsertim ex decocto origani,aut calamynthæ. Incidendi autem viscidum sputum vim habet acetum mulsum,non valde acidum,aut mixtũ siropo capillorum Veneris.Incrassant autem siropus de ziziphis,aut violaceus, aut de papauere. Contendimus autem vt breui sputum procedat, & ad statum morbus perducatur cum facili sputo,ne morbus transacto die 14.suppuretur,ac perinde sequatur empyema, aut etiam pthisis.Quùd si fieri nequeat quin ad suppurationem vertaturquod signis præhabitis agnoscemus, suppurationem adiuuabimus, decocto caricarum,aut aqua mulsa ex earumdem decocto, aut dococtum id cum melle ad crassitudinem mellis deductum, & caricæ elixæ cum croco pauco, exterius admouebuntur. Iam verò rupta suppuratione, pus aqua mulsa educetur, in quem vsum valet eligma sanum & expertum, & bibet æger decoctum radicis dulcis aquæ loco,& ius carnium elixarum cum ciceribus, aut micam panis in eodem iure maceratam edet.

De Empyemate,siue pectoris suppuratione, Cap. VI.

Ἐμπυϊκοί,

EMπυϊκοί, Apud Galen.libro secundo Progn.Comm.60. omnes hi appellantur,cui pus in partibus quibus vis corporis habent,siue effusum, siue collectum. Magis propriè tamen, qui pus effusum continent in pulmone,aut in cauitatibus thoracis,inter membranas & pulmonem. Omnes hos latini suppuratos appellant. Suppurationes autem fiunt in laterali morbo,cùm non expurgatur 14.diebus, vt Hippo.quinta Apho.Sect.dixit:quicunque morbo laterali laborantes in 14. diebus non repugantur in suppurationem vertuntur. Pulmonis quoque inflammatio, nisi facilè sputo excernatur suppurabitur,præsertim si post anginam succedat,dicente Hippo.loco citato Aphoris.10. Quicunque ab angina liberantur,his ad pulmonem vertitur,& in septem diebus pereunt:si verò hos effugerint, suppurantur. Suppurationes quoque frequenter sequuntur ad sanguinis reiectiones diutius perseuerantes,inde quoque & tabes.Post distillationes tamẽ acres à capite,notum est sequi suppurationes in pulmone, & deinde nonnunquam in cauitates thoracis erumpere. Expedit autem notis distinguere suppurationem quæ incipit,& iam factam,& cum rumpi properat,& cum effusum est pus in cauitates thoracis,& suppuratos ex longo tempore. Cognoscemus itaque pus confici in inflammationibus ex Hippo.sententia libro secundo Progno.

Suppurationum notæ.

Sectione

Sectione 58.dicentis: Considerare autem oportet, principium suppurationis fore,ratiocinantes à prima die qua homo febricitauit, si quando rigor ipsum prehendit,& si dixerit in parte quæ dolore vexabatur, pro dolore, pondere ipsum grauari.Hæc enim in principiis fiunt suppurationum.Quo in loco tres scribit notas incipientis suppurationis,nempe febrem maiorem quam antè,& rigorem,& pondus pro dolore.& 2.Apho.Sect.inquit:dum pus conficitur,dolores & febres magis accidunt,quàm iam confecto pure.In Prognosticis verò præter dicta conuicere docet tempus rupturæ, quoniam ex suppurationibus quædam cito,quædam etiam tardè rumpuntur.De quibus Progno. 62. inquit: Quæ verò ex eis celerius aut tardius rumpuntur,his signis cognoscere oportet,si dolor ab initio fiat,& difficultas respirandi,& tussis, & excreatio perseueret,rupturam sperare oportet.20.die, & adhuc antè. Si verò dolor mitior fuerit,& reliqua omnia secũdum rationem,in his posterius ruptura speranda est.Præcedere autem necesse est ante puris eruptionem, dolorem, difficultatem respirãdi,& screationem. Si vero velis agnoscere suppurationem nuper ruptam, id te docebit Hippocr. loco citato, Progno.61.de Ruptis suppurationibus, siue veris suppurationibus, quæ puris sunt effusiones in thoracis, aut pulmonis spacia,dicens: Quæcunque verò recẽtes sunt,per hæc innotescent, & si quid apparuerit eorum quæ in principio fiunt,simul autem & si difficiliùs spirauerit homo.Rupturam itaque recentem ostendent, pondus pro dolore aut febris maior,& difficilior respiratio,& oculorum cauitas defectus appetitus,aut tale aliquod ex his quæ antiquam puris eruptionem ostendunt.Agnosces tamen in quam eruperit partem,ex Hip. ibidem Prog.59.dicente: Si verò empyema in altera tantùm parte existat, hos conuertere ac discere oportet, doleat ne quidpiam in altero latere, & an alterum altero calidius sit.Atq; cubantem super sanum latus interrogare,an videatur sibi onus aliquod desuper suspendi.Si enim ita est,in quodcunque latus pondus insit, in altero suppuratio est.Quod si suppuratio in pulmone fiat,vtrinque rumpi potest,& vbi pus in pulmone effundatur,in vtrumque latus pulmonis defluere solet. Docet quoq; Hippocr.eodem libro Progno.60.ex longo tempore suppuratos,qui iam contabescunt,agnoscere dicens: Huius modi signis omnes suppuratos dignoscere conuenit.Primum quidem,si febris non dimiserit, sed interdiu tenuiter afficiat,noctu verò plus:& plurimi superueniunt sudores, atque tussiendi cupiditas eis inest,& nihil excreant effatu dignum,oculi fiunt caui, malæ verò rubent,vngues manuum incuruantur,digiti incalescunt, & potissimum summi in pedibus fiunt œdemata, cibos non appetũt, & phlyctænæ per corpus erumpunt.Hæc Hip. Si tamẽ omnium horum enarrationem latiorem accipere volueris,legas nostras in librum Progno.Hippocr.expositiones.Qui itaque suppurati sunt,cum multa tussi parum spuunt, purulentum, frebrem patiuntur continuam, non magnam,& quidem hæcticam, qui ex longo tempore suppurati sunt,difficilè spirant,& loquentes contremiscunt,partes thoracis graues sentiunt, & rupta suppuratione conuerso corpore pus fluctuare sentitur, & auditur. Quibusdam ad superiora transmittitur sputo, quibusdam descendit ad ventrem,& quibusdam ad renes & vrinam.Præterea Gal. libro quarto,de Loc.pa.capitulo octauo,de suppuratis inquit:Sic etiam iis quibus inter thoracem pulmonémq; magna puris quantitas collecta est,quos suppuratos voc ãt, totus thorax attolitur, sed neque calidus est ipsorum spiritus, neque etiam exufflando mitti solet, nisi ardens fortasse febris accesserit: verùm ij celerrimè suffocantur,tum ob affectum ipsum, tum quòd vires omnibus suppuratis ex necessitate imbecilliores redduntur: hæc est eorum respiratio. Aerem inspirabunt calidum parum,sed valde siccum. Cibis vtentur qui facilè coquantur,& bonum præstẽt succum,vt pullis,gallinis,turdis,turturibus,& iure galli, aut gallinæ cum ciceribus,& in cibis vtentur origano. Potus sit aqua mulsa, aut aqua hordei cum origano,aut radicis dulcis decoctum, aut vinum album

Rupturæ suppu. nota.

Phlyctænæ.

Suppuratorum victus.

probe

probe dilutum,in omni quiete ſeruentur, præterquam ſi pus ad renes ſe conuertat, tunc enim leuis deambulatio puris expurgationem adiuuat. In huius morbi curatione tria hæc procuranda ſunt,primum vt pus collectum perficiatur,ſecundum,vt pus erumpat,tertium vt rupta iam ſuppuratione, pus excernatur,ſputo,niſi natura alius viis eius excretionem moliatur. Suppuratio verò ad integritatem ducitur ſuperpoſito emplaſtro ex ficubus & melle, aut etiam terebinthina,aut ex farina fœnogræci ſeminis lini, caricis & oleo camemelino: deinde tamen rumpetur cum iure pulli, quod multum ſalis recipiat,aut cibus erit caro cum ſale & origano, & alliis condita, ſit autem alliorum pauca quantitas, hanc præparationem ſiue condituram Hiſpani appellant adobo, aut aquam mulſam cum ſale bibent,clamorem, aut vocem validiùs mittent. Valet ad idem hiera picta, aut hiera diacolocynthidos, cũ aqua mulſa bibita, aut in forma pilulari ſumpta & in ore retenta. Poſt puris eruptionem, ſi ad vrinam tendat, ſiropus de quinque radicibus, ſine aceto bibat, cum decocto apij: ſi vergat in ventrem is molliendus eſt,cum aqua mulſa iniecta per clyſteria,quibus etiam caſiam fiſtulam addemus. Excernitur tamẽ pus frequentiùs ſputo,cuius excretionem adiuuant,ſiropus de hyſſopo, & de dulci radice, aut aqua mulſa ex hyſſopi decocto,aut mel deſpumatum cum radice iridis,& ſũcus marrubij cum melle deſpumato, & loc de pino, & loc de pulmone vulpis. Suppuratis verò extremum remedium eſt,vſtio multis in locis nõ penetrans thoracem: nam ſectio aut vſtio penetrans, quæ inter quintam & ſextam coſtam fit,membrana ſecta ad pus vſque mortem affert,ex Paulo libro ſexto,quo loco vſtionis loca definit.

Suppuratorum curatio.

De Phtiſi, ſeu tabe, Cap. VII.

φθίσις.

PHTISIS, Græca vox à verbo φθίω hoc eſt corrũpo,aut abſumo dicta eſt, quoniam phtiſici conſumuntur, & ea ratione à latinis morbus dictus eſt tabes,hoc eſt conſumptio: quamuis vox hæc non ſatis explicet morbum ipſum,ſed vſurpatur hac tẽpeſtate, ac ſignificat tam græca quàm latina vox,pulmonis vlcus cum febre,quoniã ad ipſum homines breui contabeſcũt. Oritur id mali à diſtilatione acri à capite deſcendente pulmonem erodente,aut ſequitur pleuritidem,aut pulmoniam, quæ in ſuppurationem verſæ fuere. Verùm pus nõ opportunè purgatum fuit,dicente Hippocr. Quicunque ex morbo laterali ſuppurati 40. diebus non repurgantur à die qua fit eruptio,in tabem tranſeunt,& omnem venarum pulmonis rupturam quæ tardè ad coallitum ducitur. Agnoſcitur tabes ex ſputo purulento cui aliquando ſolet ſanguis miſceri,ex febre continua, quæ tẽdit ad naturam hecticæ,& tandem in hecticam tranſit,interdiu minore,noctu vehementiore, oculi excauantur,nares extenuantur, facies & vniuerſum corpus areſcit, genæ liueſcunt,expirationem fœtidam mittunt,cibos auerſantur, ſputum quod extuſsiunt fœtet carbonibus iniectum,& humeri alantur. ſi verò capilli de capite effluant,aut etiam ventris profluuium accedat,lethale eſt apud Hippocr. Aphoriſmo.11.& 12.Sect.5. Proceſſu temporis vngues incuruantur, & phlyctænæ per corpus naſcuntur. Ex his pauci liberantur, quoniam medicamenta ad pulmonem difficilè perducuntur,& pus quod ad ſalutem excerni debet, tuſsi eget,tuſsis verò pulmonem dilaniat,præter id quod pulmo perpetuò mouetur, quod pariter impedire valet vlceris aſſolidationem. Inſanabilis autem redditur morbus,ſicuti & omne vlcus pulmonis,ſi phlegmone tentetur,lib. quinto Metho. Moriuntur autem plures ex eis autumno, quoniam iſtabidis malus eſt,apud Hippoc. Collocabitur ante omnia æger in aere temperato ad ſiccum inclinante,in quo quieſcet,præſertim à cibo,ſed ante ipſum ſi vires ferant, & febris valida non fuerit,licebit parum deambulare,ſomnus nocturnus procurandus,& diurnus vitandus,neque dormient ſtatim à cœna, ſed duabus horis tranſactis: ventrem lenem ſeruabunt, aut clyſteribus vtentur ex decocto

Phtiſicorũ ſigna.

Phtiſicorũ victus.

malua

malua rum,hordei & ſaccharo. Cibus ſit ptiſana hordeacea, aut pulli ex hordeo cum ſaccharo, & amygdalatum, vt carnes edent gallinarum,perdicum, turturum,phaſianorum,& hœdulorum lactantium:ſunt autem aſſæ,niſi coctricis languorem patiãtur. Ex piſcibus edent troctas, rubeculas, barbellos, plaicias,aut ſoleas. Ex fructibus amigdalas,pini nucleos,vuas paſſas,piſtachia,palmulas:fiunt etiam eiſdem commodæ placentæ,ex nucleis pini, aut amygdalis cum ſaccharo, maſſopanes appellant, lac eiſdem optimum eſt humanum, deinde caprinum, deinde aſininum,deinde ouillum,ſiquidem in lacte pars eſt quæ detergat vlcus,pars quæ aſſolidet, præter id quod refrigerat & optimum præſtat alimentum: mulgeatur autem ab vbere, aut capra in cubiculo intromittatur, & lac in vas calidum mulctum ſtatim bibatur antequam refrigeretur, aut ab ambiente aere corrumpatur. A lacte tamen nec dormire, nec moueri, nec alium cibum accipere conuenit. Minimè tamen conuenit lac exhibere eis qui validè febricitant, aut diſtillationem à capite patiuntur, aut ventrem tumidum habent, aut inflammata viſcera, aut ſcirrho affecta. Potus ſit decoctum radicis dulcis, aut hordei, aut vinum aquoſum. Deuitent omnem animi turbationem & venerem. Ad curationem verò imprimis diſtillatitio ſi à capite deſcendat, curanda, veluti in capite de ſputo ſanguinis diximus, donec capiti emplaſtrum ex ſtercore columbarum ſylueſtrium adponamus. *Tabis curatio.* Verùm ceſſante ipſa, curationis ratio eadem erit, quæ in aliis ſordidis vlceribus,nempe mundificatio,& agglutinatio,& recreatio partis,ſi fieri poſsit,vbi amiſſa fuerit,ſiue calli contractio procuranda,non neglecta ea quæ à febre & conſumptione ſumitur iudicatione. Habendæ itaque erunt cõtrariæ iudicationes,& curatio impartienda:nam quæ valenter detergunt, & mundificant, calida & ſicca ſunt,hæc autem febri & conſumptioni nocent, quæ etiam agglutinant,mundificationem prohibent,quæ verò reficiunt,humida ſunt & vlceribus nocua. Præterea ſi non tuſsiunt,non expuunt,ſi verò tuſsiunt,pulmonem dilaniant,in his itaque omnibus medium tenendũ & remedia immiſcenda,aut vbi quædam ex eis præceſſerint,alia ſtatim ſequẽtur. Quamobrem vſus lactis maximus eſt,& vſus ptiſanæ hordeaceę,& vſus ſacchari roſacei,aut per ſe,aut etiam cum pane,ſed cùm maiori deterſione eſt opus,id erit recens:cùm maiori conſolidatione,antiquum: ſic etiam cùm plus detergere volumus lac aſininũ eſt melius: cùm plus aſſolidare, vtimur lacte ouillo. Mediam naturam ſeruat caprillũ,& adhuc magis humanũ. Abſterſio itaq; præcedere debet cum ſiropo de radice dulci,aut capillorũ veneris, aut decocto radicis dulcis & origani,ac hyſſopi, cũ ſaccharo:ſalubrius enim eſt his ſaccharũ melle, quoniam hecticis mel atq; aqua mulſa aduerſantur, dicẽte Gal.li.10.de Meth.med.cęterùm abſtinendũ(quoad fieri poteſt)in hecticis febribus à melle eſt,atq; idcirco etiã à mulſa. *Mel hecticis malum.* Diaris quoq; in tabellis prodeſt,& diatragacanthũ,deinde agglutinantia exhibemus,de quorũ numero ſunt ſaccharũ roſaceum antiquum,aut recens cum puluere boli armenici,aut conditũ capi. Vene. cum puluere ſymphyti,ita vt cõditi ſit ʒ.j.pulueris.ʒ.j.& ſiropus myrtinus,valet rurſus ſacchari roſacei ʒ.j.loc de pulmone vulpis ʒ.iij.miſceantur,aut eligma ſanum & expertum,quod nominant. Ab initio pectori admoueatur vnguẽtum reſumptiuum appellatum,quod bis quotidie abſtergatur,ne retentũ putreſcat, & rancidum fiat,aut apponatur emplaſtrũ ex butyro vaccino & farina ſeminis lini,& farina hordei. Sed poſt mundificationẽ cum iam aſſolidare volumus vlcus,oleum myrtinum admouebimus thoraci; aut etiam addito puluere roſaceum, aut myrti,aut ſymphyti.

De Cordis palpitatione, Cap. VIII.

CORDIS Affectiones quemadmodum omnium aliarum corporis partium,quædam primogeniæ ſunt,quædam per conſenſum cordi accidunt:ſunt autem omnes,in temperatura cum humore,aut ſine ipſo,aut fiunt à multitudine grauante & obſtruente, inflammante,

aut humorē alium efficiēte, aut ſunt vnitatis ſolutiones. Si à cauſa quapiā cordis vnitas ſoluatur, & vulnus nō penetrauerit cor, hominem mori neceſſe eſt: verùm poterit quandoque viuere per diei ſpacium, quamuis neq; id ſatis compertum habeamus: ſi tamen penetrauerit vulnus facta ſanguinis larga effuſione, morietur ſtatim. Ex intemperie nemo ſubitò moritur. Ex obſtructione & oppreſsione fit vt homo repentè moriatur, vt Hippocra. dixit Aphor. 41. libro ſecundo. Qui frequenter ac fortiter, ſine manifeſta cauſa exoluuntur, de repente moriuntur: nempe copioſo ſanguine cor occupante ſubitò, aut natura conante expulſionem eius in aliam partem, errante tamen, aut veluti in ſubito terrore: nonnulli quoque exhalante ſpiritu ob inſtrumenti defectum egerunt animam, veluti qui ex nimio gaudio diſſoluti ſubitò perierunt. Inflammationes verò & erysipelata lethales ſunt, atq; incipiunt, ſed antequam augeantur, interimunt. Poteſt quoque obſtructio meatuum per quos animalis defertur facultas hominem ſubitò interimere, vt in magna apoplexia: verū morbi iecoris, aut cerebri non ſolent mortem afferre, niſi malum ad cor deferatur, quod eſt vitæ fons & origo, quamuis iecur omnimodo ceſſet à nutritionis munere, per aliquod tempus, donec malo conſentiat cor, ſic etiam vbi cerebrum omnem animalem amittat functionem, ſalua reſpiratione: nondum tamen moritur animal: morietur autem conſentiente corde, deficiente reſpiratione, qua cor ventilatur, vt de magna apoplexia diximus. Cùm igitur cordis palpitatio, ab intemperie non facta, aut humore obſtruente, aut grauāte ortum habuerit, curationem admittet. Agnoſcitur autem calida intēperies palpitationem efficiens, ex pulſus magnitudine, celeritate, & ebrietate, ex calore thoracis, ex frequenti & magna reſpiratione, & quòd aerem exufflando mittunt, ac ſitiunt, & quoniam aere frigido gaudent. Frigida contrariis notis ſe oſtendit, nam pulſus rarus fit, & paruus, ac tardus, ſic etiam reſpiratio, & gaudēt calido aere, & ſiti carent. Quòd ſi præter hæc grauitas acceſſerit, copia ſignificatur humorum ad quam ſignificandam, pulſus accedit inæqualitas. Inde verò patiente corde palpitatio oritur, quæ inæqualis, & intempeſtiua cordis dilatatio eſt, veluti quidam ipſius ſaltus. Hanc autem fieri contingit ob aquoſum humorem in pericardia, hoc eſt in membrana cor obuolente, contentum, cùm modum exceſſerit (nam paucus ſecundum naturam ibi cōtinetur) in hoc morbo apparet ac ſi cor in humore moueatur, vt inquit Galen. lib. 5. de Locis pa. cap. j. quod in ſimia diſſecta expertus eſt, cor nempe in humore aquoſo contineri, qui infuſus erat in pericardia. Hunc affectum patiebatur D. Sanctius à Velaſco, filius comitis Niuēſis, qui palpitationem cordis patiebatur, adeò validam vt à me & reliquis præſentibus talis ſonitus audiretur, ac ſi lapillus in vas aqua ſemiplenum proiiceretur, cui nos ſaculū admouere præcipimus, quod recipit pulueris aromatici roſati & diambrę vtriuſque ʒ.ij. pul. maceris, caryophyllorum, folij, ſingulorum ʒ.j. florum bugloſsi, & nafæ vtriuſque ʒ.ß. fiat ſaculus, qui vino albo odorifero aſpergatur. Quo adpoſito, factum eſt vt intra horam palpitatio ceſſauerit, & ſaculo remoto rediret, donec victu decenti, & hoc ſaculo, ac odoratis medicamentis, tum cibis admixtis, tum per ſe adhibitis, fuerit ſanitati reſtitutus. Affectus hic eam habet ad cor rationem quam aſcites ad iecur, in quod victu quidem extenuante vti decet, non tamen ſanguinis miſsione, quæ nullatenus ſeroſum humorem ibi contentum minuere valebit, neque Galen. aut alius auctoritate dignus illud præcepiſſet. Verùm ſi palpitatio humorem in corde abundantem oſtendat, victu extenuante vti decet, ex carnibus pullorum elixatis cum ciceribus, borago quoque elixa vtilis eſt, & vini albi aquoſi potus, & modica exercitatio, & ab animi perturbationibus omnimoda abſtinentia. Curatio ex Galen. præceptis accommodata eſt miſsio ſanguinis: ſecare autem oportet venam internam cubiti dextri, pro redundantiæ ratione, aut parum citra, ſummè cauentibus animi deliquium: manu interim pulſui admota, neque erit à ratione alienum, perſeuerante

malo

Cordis intemperies neminē ſubitò interimit.

Palpitationum cordis note.

Palpitatio cordis.

Palpitationis curatio.

malo,ſiniſtri cubiti venam internam deinceps ſecare.Hoc auxilio nõ tantùm curationis,ſed & præſeruationis gratia vtebatur Galen. Quod ſi intemperies aliqua relicta fuerit,contrarietate curabitur,calida ſanè cordis intemperies, palpitationem efficiens curabitur conditis & epithematibus.Conditum refrigerans ſit hoc modo,conſeruæ roſarum,boraginis, & bugloſſi ſingulorum ʒ.j. pul.diamargariton,frigidi,& trium ſantalorum vtriuſque ʒ.j.ſacchari quantum ſatis fuerit.Puluis quoque vtilis eſt trium ſantalorum, aut diamargariton frigidi,in tabellis cum ſaccharo,cum quibus aqua bugloſſi bibi poteſt,aut decoctum radicum bugloſſi,epithema autem fiat, quod recipiat aquarum roſarum,boraginis,& bugloſſi,ſingulorum ʒ.iiij.aceti ʒ.ß.pulueris diamarg. frig.ʒ.j. ſantalorum rubeorum ʒ.j.croci,grana iiij.hat epithema, quod linteo madefacto ſuperponatur thoraci,prius tamen manibus retentum tepeſcat. Cibus his conueniet caro pulli,aut gallinæ elixa cum granis ordei,aut lactucis, aut boragine,& poſtrema menſa miloplacenta,quã Hiſpani Ialeam nominant,ſine ſpeciebus.Potus erit vinum aquoſum, aut etiam aqua hordei, aut decoctum radicis bugloſſi, in eum vſum accommodantur lactucarum caules cum ſaccharo conditæ. Palpitatio verò cordis quæ à frigida intemperie oritur, victu eget attemperante ac calefaciente, aere calido, carnibus gallinarum, perdicum,caporum,faſianorum,cum melle,ſaccharo,& aromatibus,vt caryophyllis,pipere,croco,& macere,vinum bibent antiquum, ſed nõ valde potens, aut vinoſum:nam vina valida non tolerant,qui cor languidũ habent, ob ſubitum quem faciunt occurſum.Modica vtentur exercitatione,& frictionibus, ſicuti & qui cum humore palpitant,ventrem lenem ſeruabunt, ſomno vtentur moderato,animi turbationes vitabunt,epithemata eiſdem apponentur calida,quorum vnum placet componere.Aquarum boraginis,bugloſſi,& meliſſæ, ſingurum ʒ.iiij.vini albi odoriferi ʒ.ij.pul.diambrę,& aromatici roſati vtriuſque ʒ.j. croci,grana v.id cum ſerico tincto ex purpura aut cocco admoueatur. Conditum hoc modo conficies,conſeruæ boragnis, & bugloſſi vtriuſque ʒ.j.pul. diambræ,& aromatici roſati,vtriuſque ʒ.j. cum ſaccharo, poſt quod bibet decoctum radicum bugloſſi, aut eiuſdem aquam inſtillaticiam. Valet in hunc vſum radix bugloſſi condita, aut cortices citri conditæ cum ſaccharo, aut melle.

Palpitatio à cali. intẽperie.

Palp. à frig. intemp. cauſa.

De Syncope, Cap. IX.

GALEN. Libro de Metho.med.ſyncopen appellat, ſubitum virium lapſum,verùm Aetius libro quinto,ſyncopen ab animi deliquio diſtinguere docet,quoniam, animo linquentes, ſubitò in eum affectum incidunt, ſenſu & motu priuati, ſine ſudore. Syncope tamen dormientes,aut vigilantes corripit,ſed cum ſudoribus ſyncopticis,de quibus nonnihil diximus in expoſitione præfationis in librum prognoſticorum Hippocr.ſed eſt ſanè deliquium animi, facultatis animalis paſsio:ſyncope verò vitalis. At verò ſyncope multis de cauſis oritur: fit enim ob abundantiam, aut defectum: abundant quandoque acres & bilioſi humores,qui ventriculum obſidentes ſyncopis cauſæ ſunt, abundantiam autem hanc comitatur celeris ac prompta ſpiritus diſſolutio, & defectus, aut erunt ſucci craſsi,frigidi,& crudi,vitales vires opprimẽtes. Ex defectu tamen oritur malum,veluti ex ſanguinis profluuio,vndecunque fiat, aut ventris fluxu,aut vomitu,aut ſudore,aut in ſenſili vacuatione, fit etiam ob magnam aliquam mentis turbationem,vti gaudium,aut terrorem, quod etiam facere valet peſtilens aer, aut valde fœtidus inſpiratus, aut ſimilis vapor à pulmone, thorace,ventre,aut vtero,in cor delatus. Nos hoc in loco duas tantùm ſyncopes ſpecies curare docebimus, quas probè admodum curare docuit Galenus libro duodecimo, de Method.med. quarum altera à tenuibus, altera à crudis & craſsis humoribus ortum ducit. Cùm igitur tenues, bilioſi, & acres humo-

Syncope.

Syncope ob acres humores.

res ventriculi os infestauerint, sit vt compatiente corde spiritus vitalis dissoluatur, & attenuatus transpiret, & hominem syncope arripiat. Appellatur hæc cardiaca syncope, siue cardiaca stomatica. Eius affectus notæ sunt, morsus oris ventriculi, sudores multi, pallor faciei, oculorum cauitas, temporum collapsus, & natus in extremis gracilis. Illi præterea qui syncope ab humorum tenuitate & spiritus prompta exhalatione capiuntur, facilè, ob inediam, vigilias, fluxum ventris, nimiam exercitationem, dolorem, mœrorem, & iram hoc symptomate corripiũtur. Quod parum mali significat, cum à causa quapiam de his prouenerit, facilè quoque est malo subuenire. Verùm si nullo horum præsente syncope eueniat, ac talis facies apparuerit, malum ab acribus & tenuibus humoribus procedit, & perniciosum est, præsertim si intra primos tres morbi dies eueniat, vt Hippocra. docuit libro primo Prognost. Horum autem præcipua curationis methodus in nutritione consistit & refectione virium: minùs præcipuæ sunt, cutis adstrictio, humorum coctio, & eorum attemperamentum: vires frequenter reficiendæ sunt, vbi multum cibum semel superare nequeant: nam vbi valeant, copiosius erunt alendi, immedicabilem tamẽ existimare oportet syncopen, quę languentem ac imbecillum inuadit, cum visceris alicuius inflammatione, nempe ventriculi, iecoris, aut lienis: nam is quatenus languidus est, sæpe nutriri expostulat: inflammationi verò cibus summẽ, aduersatur. Qui verò alùs valentes sunt, per inflammationes rarius, sine ipsis tamen adhuc frequentius sunt nutriendi. Sint autem alimenta succi constantis, & qui non facile in ambientem aerem transpirent, sed adstringendi quoq; vires habeant. Collocabitur itaque æger in aere ad frigidũ inclinante, in quo aspergantur rosæ, myrtus, cannarum follia, & violæ. Cibus erit cerebrum suis probè assum, aut elixum cum porro & aneto, gallorum testes, mica panis in succo mali punici, aut succo mali cotonei, aut in iure galinæ elixæ, cum malis cotoneis, aut vitelli ouorum sorbiles cum succo arancij, aut mali punici, alæ quoque auium eis conuenient: ab aqua verò mulsa abstinebunt. Procedente autem malo, sed non adeò affligẽte, nec inflammato viscere quopiam, carnes pullorum, & nouellarum perdicum eis conuenient, & poma odorata anethina, & mali cotonei parum, post cibum, aut miloplacẽta, quam diacotoneum appellant. Bibent autem vinum album aquosum modicè austerum, aut vinum de yllana, eisdem cum cibis præbebitur, somnus procurandus, & quies eligenda, & animi tranquilitas. Extra accessionẽ hæc agenda, & clysteria ex aqua hordei & oleo violaceo, ac saccharo iniicienda. Præterea cutis constipanda in vnctione corporis ex oleo rosaceo, aut myrtino: ventriculo verò admouebimus oleum melinum, & succum vuæ acerbæ, & thoraci, aliquod ex epithematibus refrigerantibus, quale est ex aqua rosarum instillatitia, cum puluere diamarg. frigidi, & santalis rubeis. Attemperabitur autem acredo humorum siropo de acetosa, aut de succo vuæ acerbæ, aut de succo limonum: nam & attemperati humores facilius coquuntũr, & natura ipsa attemperatis roboratur ad coctionem moliendam. Verùm si medicus præsens fuerit accessioni, aquam frigidam faciei insperget, in quem vsum instillatitia rosarum est optima, rosas aceto insperssas naribus admouebimus, & miuam cotoneorum cum pauco vino rubeo, in os instillabit, aut ius pulli cum succo vuæ acerbæ, aut mali cotonei, aut offam panis in vino valentiore: nares adstringendæ, & extremæ partes. Confert quoque ventriculi os perfricare, & alta voce acclamentur propriis nominibus. Diuersam ac ferè omni ex parte contrariam curationem expoſcit syncope à crassis & frigidis succis opprimentibus, & transpiratũ prohibentibus, ac perinde extinguentibus calorẽ natiuum. Quos in ventriculo & toto corpore contineri agnoscimus, notis sequẽtibus. Facies enim albicat, & plũbei coloris efficitur, & intumescit, sic etiã & hypocondria, & corpus vniuersum. Pulsus eorum sunt parui, tardi, rari, ac imbecilli, & omni genere inæqualitatis inæquales, nempe collectiua & ea quæ in vno est

Syncope affectorum vitius ad acres succos.

Syncope à crassis humoribus.

pul

pulsu. Hi sanè euacuatione egent, non nutritione vt prædicti: at verò ea ratione in periculo constituti sunt, quod euacuatione curari debeant, quam minime ferunt, non enim tolerant sangu. miss. aut purgationem. Alimenta verò eosdem opprimunt, & eadem offerre est necessum, collocabitur æger in aere calido, nõ humido, & lucido, atque tempus somno & frictioni impartiendum, nam somnus coctionem iuuat, vigilia digestionem, reliquo autem tempore à somno quo humores coquuntur, & vires reparantur, corpus fricandum, incipere autem oportet à cruribus frictionem cum linteis paulò asperioribus: nam decet cutem frictionibus abradere, vt probè digestio succedat, incipiemus tamen ipsam à cruribus superne deorsum, deinde ad brachia perueniemus, incipientes ab humeris ad manus: verùm ne incidant in lassitudinem veluti contusa carne ex longa & aspera frictione: membra prædicta ad finem vngenda ac fricanda oleo antiquo, aut anethino, deinde dorsum, superne deorsum linteo fricandum & ad finem prædicto oleo vngendum. Rursus ad initium redeundum, & crura primò, deinde brachia, deinde dorsum fricare oportebit, ac totum tempus à somno, & frictionibus impartiendum, sed decet somnum esse moderatum in hac affectione, ad quem conciliandum non parum frictio conducet. Qui verò cruditatibus laborant, pauciss imo egent cibo, siquidem crudi humores coctione alere possunt, valente sanè facultate, quod ex pulsus constantia, æqualitate, & ordine agnoscemus, aqua mulsa in quartum vsque diem satisfaciet: deinde verò vsque in septimum, aut eisdem imbecillioribus, vsque in quartum, aquam mulsam manè & vespere præbebimus: in meridie verò, ius pulli elixi cum ciceribus, si etiam æger id non admodum ægre ferat, mellis parum iuri addemus, atque micam panis, in eodem madefactam, aut vitellos ouorum tremulos cum melle, & desuper vinum bibent potens, quale est à sancto Martino duorum annorum, aut vetustius, aut vinum à sancto Torcacio, subflauum, aut à cacalla, aut à cantalapetra, sed post cibum à frictionibus, vsque in quartam vespertinam horam abstinebunt, neque erit à ratione alienum ob hominum nostri æui cõsuetudinem, post quartum diem alas auium edere elixas cum ciceribus, & deinde cum salsamento ex petroselino, quod parant ex mica panis, cum aceto, petroselino, & allio, ac pipere, cui addatur mel. Quæ verò in potu præbentur, æstate parum frigida sint, vt aqua mulsa, aut acetum mulsum, quod eisdem vtilissimum est: hyeme verò calida. Præstat quoque in hunc vsum, siropus de quinque radicibus cum aceto, & aqua mulsa ex hyssopi decocto, aut calaminthæ. Clysteribus autem vti conueniet ex decocto mercurialis & melle, ac sale, aut ex aqua mulsa cum hiera diacolocynthidos & sale, aut ex decocto calaminthæ, pulegij, cum casiafistula melle & sale. Si tamen præsentem habueris accessionem vt hominem excites, frictionibus veteris, ex Galen. præceptis, similibus his quibus vsus es ante accessionem, & micam panis præbebis in vino flauo, valido, antiquo, & odorato, quod austeritatis nihil habeat: nam quæ austera sunt, citam in corpus digestionem coercent, quod quam maximè cupimus præsente accessione, tale est vinum à sancto Martino trium, aut quatuor annorum, aut vinum à yepes, aut à lilio, duorum annorum, aut vinum à cantalapetra duorum annorum, aut à cacalla eiusdem ætatis, non sint tamen vetustate amara, nec austera, sed si quæ ab initio austeritate participabant, qualiam sunt vina quædam cæsarauguſtana, quædam lusitana, & apud nos quæ à corpa deferuntur, decet vt vetusta adeò bibantur, vt austeritatem amittant, si huic morbo profutura sint. Instillabimus autem in os vinum id, æstatis tempore, parum frigidum: hyeme verò calidum, nam & caliditas ad citam digestionem proficiet. Odores autem boni, calidi vti moschi, ambræ, maceris, caryophyllorum, styracis, & similium naribus admoueri debent, per se, aut in sacculis vino odorato aspersis, non tantum in accessione, sed citra ipsam: nam odores quamuis nec sanguinem, nec carnem reficiant, subitò tamen reparant vires, recreato anima-

li,ac vitali ſpiritu: nam quandoque vidimus imminentem acceſsionem ſyncopes,bonis odoribus naribus admotis propulſatã. Fotus ventri & hypochondriis admouendi,ex oleo nardino,oleo de abſinthio,oleo laurino,aut anethino,cum lana calenti. Manus vino odorato abluent, atque faciem. Quòd ſi in ore ventriculi quidpiam ſupernatauerit, & nauſeam induxerit, bibito aceto mulſo tepido, penna oleo intincta ori immiſſa vomatur, ſiue fuerit craſſus ac pituitoſus & crudus humor, ſiue acris & bilioſus: id verò extra acceſsionem procurandum.

Vomitus in ſyncope.

De Mammarum inflammatione, Cap. X.

Mammarũ inflammationes.

MAMMIS Inflammationes accidunt,quemadmodum & aliis corporis partibus ex nimio ſanguinis affluxu, quandoque verò lacte copioſo ibidem retento, deinde verò putreſcente. Cauſæ manifeſtæ ſunt, nempe ſanguinis copia, aut craſsitudo, aut copia lactis cum calore mammarum. Omnibus ferè mammarum inflammationibus adiungitur febris, omnes comitantur dolor, calor, grauitas, & durities. Cùm à lactis copia fit, tantùm is accidit quæ partui proximæ ſunt, aut pepererunt, & rubor eis eſt minor, atque calor: illæ etiam quæ à ſanguine malum patiuntur, prius dolores in dorſo, ſpatulis, & axillis ſenſerunt, aut menſes, ſi fluere ipſis lactantibus ſolebant, fuere ſuppreſsi. His omnibus victus erit tenuis & qui ſanguinem, atque lac minuat, veluti beta elixa cum oleo & aceto, aut poma aſſa, quorum vitelli tremuli, cum ſucco arancij, mica panis lota: à iure carnium abſtineant. Potus ſit cinnamomi decoctum, aut cum febre vehementiore, aqua hordei, clyſteribus venter leniatur. Crurum vtantur frictionibus, ſomnus moderatus procurandus: nam ex eis quædam præ dolore, & calore vigilias patiuntur, quædam ob ſanguinis vaporem immodicè dormiunt, omnem animi turbationem vitabunt. Ex maioribus remediis eſt miſsio ſanguinis, ſiue malum ex ſanguinis affluentia oriatur, ſiue ex lactis collectione ac putrefactione. Menſibus ſuppreſsis ſecabitur vena interna malleoli lateris patientis: in aliis verò vena interna cubiti eiuſdem lateris, ſanguis autem pro virium robore & ſanguinis copia mittetur. Repellentia verò medicamenta admouenda ſunt ſtatim ab initio, quæ non valde repellant: quoniam in mammas deponunt ſanguinis abundantiam, partes cordi proximæ, in quas non expedit repellere ipſum, ne morbus lateralis, aut pulmonia inde ſequantur: ne tamen accumulatim influat, repellere oportet, quem vſum præſtat ſpongia poſca imbuta & loco inflãmato admota, & ſolani folia cum butyro vaccino & oleo contuſa, aut palmulæ in poſca & oleo elixæ, deinde malaxatæ. Aliud, farinæ hordei, farinæ fabarum vtriuſque ʒ.j. aceti mulſi ʒ.vj. roſacei ʒ.j. miſce: leuius remedium eſt ſuccus foliorum coriandri cum roſaceo, linteo madefacto applicitus, & quod mammas non grauat, vti & vapor decocti fœnograeci, aut hydræleum calens admouendum cum hapſo lanę. Morbo præterea in diſſolutionem tendente, conueniet farina fabarum cum melle, aut emplaſtrum molle quod recipiat, farinæ ſeminis lini, & fœnograeci vtriuſque ʒ.j. farinæ fabarum ʒ.ß. ſapæ quantum ſatis fuerit, aut ex eiſdem cum butyro & oleo camemelino fiat emplaſtrum: hydrelæum quoque calidum ſuperfuſum prodeſt. Parietaria cum ſapa, aut melle malaxata & calida admota valet. Quòd ſi fieri nequeat, quin inflammatio ad ſuppurationem perducatur, folia maluarum elixa in hydrelæo ſuperponenda. In eodem etiam elixantur maluarum folia, maluauiſci radix, deinde cum axungia porci malaxata admoueantur, aut crocum etiam addes. Perducuntur autem facile mammarum inflammationes ad ſuppurationẽ, ita vt farina tritici cum hydrelæo intra quatuor horarum ſpacium, ſæpe tumores hos ad ſuppurationem integram & rupturam perduxerit. Puro autem genito, ſi is profundus non fuerit, tumoris ruptura parabitur, vbi cum emplaſtro quouis ſuppurante parum ſtercoris columb

Mammarum inflammatarum curatio.

lumbarum syluestrium cum melle misceatur. Pure autem profundiore existente, candenti ferro pars vrenda est, semper tamen papilla seruanda, ferrea lamina circulari superposita, & quoad fieri possit apertio secus pupillam procuranda. Deinde linamenta contorta cum melle despumato & thure, aut etiam myrrha intromittenda ad puris eductionem. At verò iuxta partū sæpe, & non rarò reliquis lactantibus, inflammationes mammarum fiunt, ob lactis copiam & corruptionem, quas Hispanæ fœminæ appellant pelo. Quam appellationem in hominum opinionē falsam, ac superstitiosam traduxit Aristo. lib. 7. de Histo. animalium. cap. 11. dicens: vbera enim tota fungosa ita sunt, vt si in poculo pilum fortè hauserit mulier, dolor moueatur in mammis, quod malum pilare, appellant, nec sedatur donec pilus, vel expressus exeat sponte, vel cum lacte exugatur. In hoc affectu summopere contendendum est, ne lac concrescat & obduretur, quod probè cum repulsione fluxionis faciunt posca & rosaceum, si in eisdem madefacti linteoli superponantur, aut acetum mulsum cum farina fabarum & hordei, aut petroselinum malaxatum cum aceto mulso, aut cum posca, sed hoc discutere quoque valet: falsum autem est quod ferunt petroselinum admotum funditus lac stirpare. Optimum autem remedium est, ad mammarum inflammationes, & duritias, sine multa fluxione, quod recipit butyri vaccini ʒ. ij. axungiæ gallinæ & anatis & terebinthinæ vtriusq; ʒ. j. ceræ ʒ. ß. hæc liquefacta linteo excipiantur, quod mammæ inflammatæ superponatur. Valet id quoque ad lactis superabundantiam, & incrassationem, & concretionem ipsius. Si verò inflammatio ad suppurationem contendat, curabitur vt dictum est. Cauendum autem ne in hoc affectu (vt Paulus inquit) mammæ exugantur, ne trahatur sangnis copiosior.

Pelo quod malum appellant Hispan.

Mammarum duritias emolliens.

De Lactis redundantia. Cap. XI.

CVM Lac plurimum in mammis abundat, præter id quòd molestum est, & quandoque sponte defluit, & grauat, periculum imminet ne concrescat, aut inflammationem in mammis efficiat. Quamobrem tenui vtentur cibo quæ laborant, vt oleribus, & fructibus, & aquam bibent: sanguis quoque mittatur eisdem, secta vena malleoli interioris: crura quoque fricentur, manibus & brachiis, nullum aggredientur laborem, & venter leniatur. Mammis autem deponentur lintei posca madefacti, aut portulacæ folia cum aceto trita, aut apium tritum cum aceto, & rosaceo. Aliud farinæ fabarum, farinæ lentium, vtriusque ʒ. j. succi plantaginis ʒ. iij. rosacei ʒ. ij. aceti ʒ. j. Valet ad id petroselinum cum posca tritum. Aliud, succi plantaginis, succi menthæ, vtriusque ʒ. j. ß. farinæ hordei ʒ. j. aceti ʒ. ß. linteis excipiantur, & mammis admoueantur frigida.

Lactis redundantis cura.

De Lactis concretione, Cap. XII.

CONCRESCIT Autem lac aut nimio calore exustus, aut si copiosus fuerit, vbi aquosior & tenuior pars effluat: reliqua verò crassior manat, & caseosa. A frigore autem concrescere posse lac, nullatenus existimamus, quoniam neque mammæ viuente animali adeò magnam ferent frigiditatem, vt concrescat lac in ipsis, neque solet lac frigiditate concrescere, sed potius serescere & liquari. Hoc vnum tamen fieri videmus vt lac pituitosum & viscidum retineatur in meatibus angustis. Causæ sunt mammarum caliditas, lactis crassitudo, & longa in mammis mora, quod accidit vbi lac non exugatur opportunè. Quando à calore concrescit is tactu deprehenditur, & febris magna ex parte accedit, & frigidis iuuantur, si à crassitudine concrescat necessum est calorem accedere, quem agnoscemus, vt dictum est, aut diutius retineri, quod fœmina ipsa refert, nam si retentum est, non fuit opportunè exuctum, lactis frigiditas & lentor, ex natura fœminæ deprehendetur, & frigore mammarum, & lactis post eductionem substantia

Lactis concretio cura.

itantia, quæ viscida erit & tenax, & pituitam colore referet. Vbi à calore sanguis in grumos concrescat, victus erit refrigerans ex lactucis, aut per se, aut cum carnibus elixis, & potus, aqua, aut cum hordeo elixa. Mammis autè adponentur succus solani, cum aceto, aut succus portulacæ cum aceto, aut farina hordei cum aceto mulso, aut eadem cum posca. Præterea succus herbæ quam appellant morsum gallinæ, cùm rosaceo in linteis exceptus: si verò ob lactis copiam concrescere contingat, aut quia non emulgetur opportunè, is sensim emulgendus, non tamen ab infante, quoniam is in ventre ipsius corrumpetur & caseosum fiet, sed catulus canis admouendus, aut minister qui probè id facere nouerit, nec tamen id sæpius faciendum, ne lactis copia occurrat, vt docet Aëtius ex Sorani sententia, quam non omnino seruamus, sed lac sugere concedimus, non tamen frequenter nec copiosè: ad abundantiam verò remedia suprà dicta sunt. Mammis autem superponenda quæ diximus valere ad lactis redundantiam. In quem vsum valet lentium decoctum cum oxyrrhodino: aut lentes in posca bulliant pauco croco addito: & decocto mammæ foueantur. Si tamen lac ob crassitudinem non defluat mammas implebit, & retentus aliquando concrescet, tenui parte diffiante, & effluente. Quibus conuenit victus extenuans, vt ius carnis elixæ cum ciceribus, & anetho, & potus vini albi aquosi, totum autem corpus purgabitur, elect. diaphœnicon. Mammis verò adponemus emplastrum ex farina seminis lini, fœnogræci, cum oleo camemelino & aceto, aut fiat fomentum ex decocto, fœnogræci, seminis lini, seminis apij cum spongia, aut vnguēti dialthææ ʒ.j. olei camemelini ʒ.ij. fiat linimentum. Duritias mammarum ex lactis copia, atque lactis ab ea causa concretione, & mammarum dolores curat fomentum ex decocto quod recipit aquæ lib. iiij. seminis lini, fœnogræci, vtriusque ʒ.j.ß. camemeli manipulum. j. bulliant ad consumptionem quartæ partis, & collaturæ adde sepi hircini liquefacti, & axungiæ gallinæ vtriusque ʒ.ij.

Soranus de lactis suctione.

Fomentum ad dolores & duritias mammarum.

De Lactis vitiosi emendatione, Cap. XIII.

Lac vitiosum.

LAC Vitiosum id appellamus quod cacochymum est, quódque solet acredine mammas erodere & vlcerare: id verò notum est ex praui succi sanguine generari, aut in mammis corrumpi, nec refert dicere quàm prauum infantibus succum præstare possit. De hoc vitio in præsenti capite agemus, nam de vitio ob frigiditatem & crassitudinem, in præcedenti diximus. Causæ eędem omnino sunt quæ cuiusuis cacochymiæ, nempe prauus victus, & prauorum alimentorum vsus: mammarum verò distemperiem, notum est lac corrumpere posse, præsertim calidam. Signa redundantiæ prauorum succorum in toto corpore, secunda parte à nobis abundè tradita sunt: si verò demptis notis quę ostendunt in toto corpore cacochymiam, adhuc lac cacochymum fuerit, vitium mammarum est: vitiosum autem lac mammas exulcerat, & nomas, siue depascentia vlcera, ac serpentia infert: cuius naturam, & in quam partem degeneret, Aëtius probè agnoscere docet, an videlicet subalbidum, nigricantem, flauum, subfuluum, an viridem referat colorem, dicens: Tenuia ac candidissima linteolorum frusta, eo lacte imbuta in vmbra siccabimus, & in his quantum lac à natiuo colore discessit, speculabimur. At verò virosúmne scit, aut aliàs fœtidum, olfactu cognoscemus, sicut salsedinem, amaritudinem, acorem, insipiditatem, gustu dignoscimus: tenuitatem & crassitudinem ac lentorem ex vngue probabimus. Has substantiæ probationes nos parte secunda retulimus. Hæc omnia vitia corrigemus victus ratione, contrariis adhibitis. Aëtius purgationes vitandas præcipit, præsertim si fœmina eo vitio laborare solet quādiu lactat. Nos tamen aut infantes aliis lactandos tradimus, aut eas purgamus animaduersa humoris peccantis natura: ita enim sæpe fit vt in bonum statum lac reducatur, & infans, ac nutrix bene valeant: nam &

Lactis vitium agnoscere.

Lactis vitia emendantur.

Hippo.

Hippocrat.libro 6. de Morbis popu. non tantùm ad emendandos prauos ſuccos nutricum, ſed etiam infantium eas purgare docuit, quod medicis adhuc in vſu eſt. Deinde nutricem alimus boni ſucci cibis, & in omnibus rectam victus rationem inſtituimus. Mammas verò ſi diſtemperatæ fuerint, contrariis attemperamus.

De Lactis defectu, Cap. XIIII.

Lactis inopia cura.

DEFECTVS Lactis, aut inopia, magna ex parte ſequitur defectum ſanguinis boni, & corporis ariditatem. Quandoque verò infantis debilitatem, qui nequeat ſugere lac, nam ad validam ſuctionem ſequitur tractio: quandoque etiam ſequitur mammarum morbum. Sanguis etiam vitioſus lactis generationi eſt ineptus, aut lac vitioſum generat, pituitoſus tamen coctione & calefactione eget. Primum autem lactis inopiam quæ ſanguinis defectum ſequitur reparare docebimus. Decet autem totum corpus humectare, & bonis cibis alere, qui multum ac bonum ſanguinem generent, & nonnullis, qui præter id quòd alere poſſunt, augendi ſanguinem facultatem habent, calidam, & humidam, neutra qualitate valde excedente: lac itaque à ſanis animalibus deſumptum optimum alimentum eſt, caprillum, aut etiam ouillum, & lac elixum cum vitellis ouorum & ſaccharo, vt in Hiſpania paratur, & pulmentum ex oriza prius in aqua, deinde in lacte elixa, & amylum cum lacte & melle, carnes gallinarum, caporum, faſianorum, pauonum, præſertim eorum quos indos appellamus, veruecis, & ſuccus earumdem carnium aſſarum, & caro hœduli, aut agni, & caro procelli aſſa, cum pane autem hæ carnes edantur, & cum ſalſamento ex eruca & melle. Ex piſcibus barbeli, troctæ, murena, laurax, belſuccus, ſalmo, lac augent. Præſtantiſsimus autem cibus eſt, qui à nobis, cibus albus dicitur, ex gallinarum pectoribus elixis, cum farina orizæ, lacte, & zaccharo confectus, Hiſpani frequentem habent, in menſis diuitum. Placentas quoque formamus ex ſeſamo cum melle, quas nouimus abundè lac præſtare, ſi poſt cœnam exhibeantur, proſunt etiam interdiu. Laudatur à quibuſdam lac ſeroſæ. Valent etiam amygdalæ dulces, vuæ paſſæ, & amygdalatum optimum eſt, valent etiam piſtachia, nuclei pini, eruca, paſtinaca aſſa in cineribus. Potus vinum nigrum non auſterum, ſed potius dulce, aut vinum album aquoſum. Mammas quoque ac pectus fricare conuenit, & lac ſugere validius, à totius corporis exercitatione & frictione abſtineant, & à venere, vitioſus ſanguis vt diximus emendandus ſicuti & lac, ſanguis quoque pituitoſus autore Galen. lib.5. de Simpt.med.fa.medicamentis calidis, non multum, neque vltra primum aut ſecundum ordinem, non exiccantibus, eget, vt apio, ſio, polio, & his quæ ſimul ſunt alimenta, vt eruca, fœniculum, anethum.

Ad Mammarum eroſiones.

Mammarum eroſionis cur.

SIQVIS mammarum eroſiones curare voluerit atque ſerpentia vlcera, eo medicamento probatiſsimo vtetur, quo vſus eſt Archigenes & à Paulo traditur, vini Adriani boni ſextarij viginti, rhus quo coriarij vtuntur, libra, cupreſsi pilularum tantumdem, galæ omphacinæ nigræ ſelibra, caſiæ tantumdem, contuſa, diebus decem commadeſcant vino, deinde coquuntur agitata cupreſsi radicula, donec dimidia fere pars fuerit abſumpta, atque tunc herbæ proiiciuntur, ſuccus coquitur dum mellis ſpiſsitudo fiat, deinde vitreo vaſe reconditur, in vlceribus depaſcentibus mero vtitor, ſin autem craſsius fuerit medicamentum vino liquari debet, vt applicetur mammillis depaſtis auribus ſuppuratis, gingiuis ex humiditate putridis, inteſtinorum torminibus, idem verò dolores etiam leuit lacte dillutum.

De ciborum aduersione & inappetentia, Cap. I.

PRAETER Naturales facultates quæ singulis corporis particulis insunt, nempe atrahente, retinente, coquente, & expellente, quibus se ipsa gubernant, reparant, & conseruãt præcedente appetitu, aliæ quatuor insunt ventriculo generales, & communes quibus alimẽtum toti corpori ministrat, non aliter quàm terra plantis, quarum stomachus est. Hæ sunt, attractrix, retentrix, coctrix, & expultrix, quas antecedit appetitus, quibus vitiatis, corpus probe gubernari nequit, vitiantur autem, vitiata temperatura à qua actiones omnes procedunt, aut ob morbum aliquem partium instrumentariarum, vti obstructionem, tumorem, cauitatis amplitudinem aut angustiam, aut ob vnitatis solutionem, vitiatur autem temperatura cum humore, aut sine ipso. Quoniam vero actionum vitia ipsis morbis sunt notiora, singularum vitiatarum actionum curationes trademus, deinde morbos quosdam curare docebimus. De functionum oris ventriculi numero prima est appetitus, quem quatuor alij motus antecedunt, vt parte secunda docuimus. Præcedit namque, membrorum inanitio, deinde naturalis ipsorum appetentia, tertiò tractio membrorum à ventriculo, quartò tristis suctionis sensus, quintò sequitur appetitus auertionis, à causa contristante, quem sequitur appetitus ad consequendum alimentum. Appetitus autem, aut perit, aut remissus admodum est, aut plus æquo intensus & vehemens, aut in prauam ciborum qualitatem conuertitur. De appetitus deperditione, & ciborum auersione quam Græci ἀνορεξίαν appellant, primùm agemus. Huius causæ proximæ sunt absentiæ causarum quæ immediatè appetitum excitant, hæ verò sunt suctionis defectus, & sensus priuatio, si nanque ventriculus suctionem non patiatur, nec sensus excitabitur, nec appetitus, quòd si suctio fiat, ventriculus tamen suctionem non sentiat, minimè etiam appetitus commouebitur. Non fit suctio, quoniam non fit absumptio membrorum, aut alimenti adest in venis copia, aut ob caloris imbecillitatem, qui attractionis est instrumentum, aut propter venarum meseraicarum & iecoris obstructionem, aut nimiam ventriculi caliditatem, ob quam laxatur ipsius os, atque ea ratione ventriculus calidus ad appetendum est minus bonus apud Gale. lib. Artis medicinalis. Idem efficit humor bilioſus os ventriculi occupans, idem in febribus fieri videmus. Si namque continentes citra putredinem fuerit ob multi sanguinis redundantiam, tractiones non fiunt: si verò putredo adfuerit, prauos ac putrecentes succos membra abhorrent, nõ igitur eosdem trahent à ventriculo. Præterea in ventriculi inflammationis, tum ob plenitudinem, tum ob calorem, non excitatur appetentia. In vlceribus quoque ob morsum, dolorem, & irritationem, commotus ventriculus ad excretionem, non appetet ad se trahere. Eadem dispositio sequitur ad fluxum ventris, præsertim bilioſum, & ad colicos dolores, & veteri morbos quosdam. Sensus autem hebes redditur, ob intemperiem frigidam mortificantem, sed nihil obstat quin ab omni intemperie procedere possit, siquidem ad sentiendum probè bona temperatura benefacit: mala igitur oberit, quamuis frigida & humida magis hebetet sensum, calida & sicca minus: intemperantiæ verò quandoque sine humore sunt, & quandoque cum ipso. Vbi appetitus deiectio aliarum partium morbos sequatur, proprias habent morbi curationes, alibi traditas: vbi tamen inflammationes aut vlcera sequatur, eas quæ dicentur curationes admittet. Modò verò eam appetitus labem curare docebimus, quæ ventriculi sequitur intemperiem, cum humore, aut sine ipso, intemperies calida ardore, & siti deprehendetur

Appetitus deficientis cause.

detur,& corruptione ciborum in nidorulentam naturam, frigida contrariis, nempe frigiditate, litis defectu & corruptione ciborum in acidam naturam, quando cum humore consistit, calidus humor ac biliosus, calidam efficiet distemperiem, & signa prædicta sequentur, ac nonnunquam vomitus bilis, & morsus oris ventriculi, & nausea, & oris amaritudo. Frigidi humores si in ventriculi ore consistant, frigidam intemperiem efficient, & notæ accedent frigoris, & grauitas, & nausea, ac vomitus quandoque pituitæ, & corruptio ciborum in acidam naturam. Si à simplici intemperie quæ sine humore est, appetitus deiiciatur, contrariorum exhibitione curari debet, tam ciborum quàm medicamentorum, quorum quædam dicentur in hoc capite, quædam etiam in curanda ventriculi imbecillitate,& eruditate ciborum. Quando verò ciborum auersatio cum humoris redundantia fit,si biliosus fuerit,bilis imprimis vomitu euacuanda, cum aceto mulso præbibito, aut siropo acetoso, deinde digitorum aut pennæ immissione: aut per aluum ducenda,cum pilulis de hiera simplici appellata, præsertim vbi biliosus humor fibris ventriculi inferatur. Quando tamen crassi humores, & tenaces symptomatis causa sunt, præparari debent aceto mulso, aut siropo de quinque radicibus cum aceto, deinde vomendus est humor,cum aceto mulso & seminis rafani decocto,tepido, vometur etiam probè, si cibis prius impleat ventriculum æger, vt beta, & rafanis, deinde biberit aceti mulsi tepidi libram vnam: aut etiam venter electuario diaphœnicon in aceto mulso, aut in aqua mulsa purgabitur. Intemperies autem relicta post humorum vacuationem, si calida fuerit, attemperabitur his quæ præter id quod frigida sint, ventriculo fuerint accommodata: de quibus est miua cotoneorum, & siropus de succo vuæ acerbæ: exterius tamen adponetur oleum melinum. Alimenta sint poma austera, aut pyra talia, assa,& carnes assæ,deinde insperso succo arancij, aut limonis, & miloplacenta, & diuersæ carnium præparationes cum succo vuæ acerbæ, aut cum aceto, & mica panis in posca, & lac acidum. Potus aqua, aut vinum album modicè adstringens,sed abundè dilutum. Ad frigidam intemperiem,& ventriculi imbecillitatem,proficiet siropus de mentha compositus, siropus de absinthio, & inunctio ex oleo nardino, oleo de absinthio, aut oleo de mentha: cibis verò anisum & mentha erunt immiscenda, & diacitron, præsertim ex corticibus. Potus verò erit vinum album non valde potens, nec valde dilutum, sed quale vinum à sancto Torcatio, subrufum, aut aurei coloris, duorũ annorum, quod aquæ mediam partem,aut paulò minùs suscipiat: verùm hac in re non parum aduertenda consuetudo: nam sunt qui vinum meracius bibere assueuerunt. Diuersa autem condimenta, & præparationes carnium cum caryophyllis,pipere,cinnamomo,anisо, & melle cum pauco acido immixto valde cõducunt ad aliciendum appetitum. Quamobrem in omni ciborum auersione post ventriculi vacuationem nihil magis præstat,quàm diuersa apparatio carnium,& herbarum, ex quibus est cõmunis crudarum carnium præparatio, cum alliis, origano,caryophyllis in aqua & aceto,quæ deinde assæ eduntur, ab Hispanis dicitur adobo, & farcimina ex carnibus præguſtanda, quæ appellant longanizas. Experimentum docuit absinthium intra calceos pedibus substratum appetitum demortuum excitare: valet autem caloris ratione,& frigidis ventribus pituita vacuis,aqua mulsa in qua absinthij coma maduerit per noctem, ieiuno ventre bibita. Odoramenta præterea naribus admota cibi appetentiam excitant. Sint autem odores qui ex alimentis exhalant, vt odor mali cotonei, odor panis recenter extracti à furno, & carnis elixæ cum petroselino & mentha, & odores alimentorum quæ cum aromatibus parantur. Expedit autem alimenta ita parare & comminuere,vt facilè deglutiantur, & si aliquis cibus ex eis gratus fuerit, non decet in eius esu modum excedere, ne nouum afferat fastidij genus. Neque erit à ratione alienum, cibos non adeò laudabiles eis exhibere, appetitus reuocandi gratia, parum enim deterior cibus, aut

Ventriculi distẽperantiarum nota.

Curatio dei-ctti appetitus ventriculi.

Fastidientium cibor remedia.

potus delectabilior, melioribus, indelectabilibus, magis est appetendus, autore Hippocrate.

De Canina appetentia. *Cap. II.*

Canina appetentia.

APPETENTIA Canina ea ratione dicta est, quòd per eam homines canum more, vehementi appetitu in cibos feruntur, quos ad ingluuiem deuorantes, deinde reuomunt, & rursus ad cibos redeunt. Huius appetentiæ duas causas Galen. scripsit libro 1. de Caulis symptomatum, dicens: Igitur caninæ appetentiæ causa vna est acidorum humorum vitium. Altera vero, vt dictum est, per totum corpus inanitio, siue ipsam caloris vim, siue retentricis facultatis imbecillitatem sequatur. Accidit autem per primum quidem affectum, vt eorum quæ fuerunt ingesta, multa fiat deiectio: per secundũ vero, vt ob exactam habitus inanitionem cibus per corpus digeratur. Contingat autem à frigida intemperie oriri quandoque caninam appetentiam. Quando ab acida pituita malum oritur, quæ ventriculi os deterſione & morsu ad appetendum vehementer commouet, ructus acidi fiunt, nonnunquam verò deiectiones copiosiores quàm pro ratione alimentorum, ac liquidæ, quoniam venter ad excretionem ab acida pituita irritatur, quandoque etiam acidum vomunt. Frigida intemperies ex eruditatibus agnoscitur, & magna grauitate quam ex ciborum assumptione sentiunt, & quoniam calidis iuuantur, & siti vacãt. Famem verò caninam quæ ex dissipatione succorũ excitatur, agnoscimus ex calore, corporis ariditate, deiectionis paucitate ac duritie: vbi verò calor vehementior non fuerit, pororum sequetur apertionem, & retentricis facultatis imbecillitatem. Quando appetentia canina frigidam sequitur intemperiem, eis remediis curabitur quæ calefacere possint absque adstrictione, quorum quædam dicentur. Si verò acidos humores sequatur qui in ore ventriculi continentur, aquam mulsam bis aut ter in duobus diebus bibet æger, deinde hiera picra purgabitur quantitate ʒ.ß. in aqua mulsa, aut vino diluto, non austero, aut pilulis de hiera picra, illitis cocto ac inspissato melle, quantitas sit à drachma vna, vsque ad tres. Deinde calefacientibus vtemur quę non adstringant, vt anisum, petroselinum, porrum, origanũ, cum melle, aut sapa. Summa præterea curationis in id contendat, vt ventriculi os laxetur, & appetentia deiiciatur, quod fiet per alimenta quę pinguia valde sint, & similes ventris inunctiones. Panis sit recens cum pauco fermento, & anisum recipiat, aut cum butyro, aut porcina axungia pistatus. Iura etiam valde pinguia absorbeant, carnis veruecinæ, aut bubulæ, aut panem in eisdem madefactum edant: aut pultem ex farina triticea melle & axungia gallinæ, aut porci. Aut pilulas duas aut tres ponderis ʒ.j. deuorabunt ex cera & butyro vaccino, aut etiam melle addito. Aues quoque pingues admodum domi altæ & earum axungiæ cum carnibus edendæ, & porci pinguis pars elixa, & cerebella animalium assa. Pisces etiam pinguis carnis eis conueniunt, vti anguillæ magnæ pingues, & thunni partes pinguiores, & malua cum oleo multo elixa, & lac, nisi in ventribus eorum acescat, & recocta, & quæ ex pinguiori lactis parte conficiuntur rotulæ, quas appellant Hispani mantequillas, & oryza cum lacte. Potus autem sit vinum flauum & validum quale est à sancto Martino, aut sancto Torcatio, duorum aut trium annorum. Hanc etenim famam autore Hippoc. thorexis, hoc est vini potio, soluit, siue post cibum, siue ieiuno ventre. Ventriculus autem oleo sesamino liniatur. Qui verò in caninam incidunt appetentiam ex corporis dissolutione & humorum dissipatione, infrigidatione & adstrictione egent. Collocari autem debent in aere frigido. Cibis vtentur, quorum succus non facilè discutiatur, vt carne suilla, & bubula pingui, & pedibus animalium elixis, vt arietis, porci, & bouis probè elixi, atque ventribus eorumdem, vtentur quoque piscibus tenacis substantiæ, vt

Appetẽtia canina signa.

Canina appetentiæ curatio.

cocleis

cocleis, & oriza cum iure carnis bubulæ pinguis elixæ. Panis sit albissimus, cum pauco fermento, & qui antequam coquatur, parum fermentatus est, ac parum intumuit, priorem Toletani appellant candeal, reliquum post coctu-ram, appellant oliuado, & oua elixatione obdurata. Potus sit aqua, aut decoctu prunorum, cui inest facultas molliendi ventrem & mollificandi deiectionem. Cauere autem oportet ne nimio vsu horum quæ refrigerant & appetentiam obtundunt, in contrarium deducantur: nempe in bulimum, aut ciborum omnimodam auersionem, ac perinde cùm melius habere incipiunt, pinguia & quæ validè coctioni obsistunt moderanda. Interim etiam corpus liniatur oleo omphacio, aut rosaceo ex omphacio, aut oleo myrtino, aut oleo rosaceo cum puluere acaciæ, aut olei omphacij & myrtini vtriusque ʒ.ij. pul. acaciæ, hypocistidos, rosarum, singulorum ʒ.j. ceræ, quod satis est, fiat vnguentum, quo corporis moles liniatur.

De Bulimo, Cap. III.

BVLIMOS Magnam famem significat, quæ bouis magnitudini confertur. Magna vtique fames est, sed quæ non diu perdurat: nam deinde animo linquuntur, extremorum refrigeratione, & defectu spiritus laborantes. Hanc verò Gal. lib. primo, de causis sympt. à frigore fieri testatur, dicens: Accidit ad hæc bulimos, ita enim vocant. Estque huius particulæ symptoma, cùm simul & penuria, imbecillitate, & refrigeratione laborat. Eandem trãstulit sententiã Aetius, dicẽs: Bulimos exstomachi frigiditate oboritur, indigentiáque, ac virium imbecillitate, & ab externo frigore ferè in totum initium capit. Alexander tamẽ à calore morbum hunc fieri docet, cùm inquit: Fit autem vt ratio subindicat, ab immoderato calore oris ventriculi, & imbecillitate, vnde nisi alimentum immodicè assumant ægri animo deficiunt. Hoc quoque eodem loco curare docet, adhibitis refrigerantibus, & alimentis quę ægrè conficiantur. Nos sanè vtranque vidimus, nempe ex refrigeratione totius corporis, quę ad ventriculũ penetrauit, & in febrientibus & aliis ob nimiam caliditatẽ, famem celeriter excitatam, sed breui admodum cum animi deliquio cessantem. Tunc autem membra validè trahunt à ventriculo: sentit quoque ventriculus suctionem, à qua vehemens excitatur appetentia: statim verò animo linquuntur, atque sensu suctionis priuantur, ac perinde fame, sed non longè pòst, reuocato laborãte, ac sensu reuiuiscente redit eihorum appetentia. Agnoscitur itaque affectio, quoniam ægri referunt se valde cibos appetere, & magnopere desiderare, quos instanter expostulant, sed nisi celerrimè subueniatur, eosdem animo linquentes auersantur cum extremorum refrigeratione. Si igitur facies eisdem intumescit, albicat, & siti carent, frigoris occasione fit, si tamen sitiant, æstuent, & extenuentur, à calore procedit. Tota medendi ratio, in his tribus consistit: nempe refectione virium, & vt celerrimè reficiãtur, & vt attemperentur. Si igitur fame excitata statim animo linquant, reuocandi sunt odoribus, vti bolo armeno, aceto madefacto, & naribus admoto, aut eius loco terra quauis alia non putrida, aut pulegio in aceto macerato, aut calida præsente intemperie, puluis santalorum cum aceto odoretur. Panis verò recens ac odorem à se mittens, omnibus accommodatur, veluti & odor carnium assarũ, præsertim veruecinæ, porcinæ, aut capi. Mica verò panis vino odorato madefacta naribus admouenda, & laborãdum est, vt eam deglutiat, ore aperto, ac distractis maxillis: desuper verò vinum instillabitur flauum, aut fuluum, atque odoratum, cùm reuiuiscere incipiunt. In ipsa quoque accessione pili euellendi, & extrema perfricanda, & aures vellicandæ. Vbi verò ad se redierint, calida existente intemperie, citra febrem, carnes adhibebimus caporum assas, aut gallinarum, aut pauonum Hispanorum, aut Indorum. Bibent autem vinum valde dilutum, præsertim nigrum: ventriculo verò adponetur emplastrum, ex palmulis, & malis coto-

Bulimos à calore & frigore.

Bulimi notæ.

Bulimi cura-tio.

neis elixis, & cum oleo melino ac vino. Ad frigidam verò intemperiem valent vitelli ouorum sorbiles cum saccharo, & mica panis in iucco carnis, & polenta cum melle, & caro pulli elixa cum mentha, ciceribus, & petroselino. Potus verò sit vinum fuluum, aut flauum odorum: ventri tamen superponetur emplastrum ex palmulis elixis in aqua & oleo anethino, aut in vino. Quando verò fames hæc in febrũ fit accessionibus, in principio ipsarũ solis odoribus aromatũ, vt diambræ, aut aromatici rosati cũ vino, aut odore panis, aut carnis assæ, sunt reuocandi, quod fieri possit, vsque in summum vigorem. Si verò neque per hæc reficiantur, sorbitiones eisdem sunt offerendæ, vt polenta cum melle, aut mica panis liquata in iure pulli, ad quæ sorbenda cogendi erũt: vinum etiam desuper bibent, ac sine mora agendũ vt aliquid deglutiant: eisdem quoq; vtemur in accessionum declinationibus, quo tẽpore liberalius eisdem vti licebit, & alis auium elixis, & pedibus hœdorum, & arietum. In horum censu est ventriculus gruis, & anseris.

De Vitioso appetitu, Cap. IIII.

Appetitus vitiosus.

INTER Reliquos morbos ad appetitum oris ventriculi attinentes est, qui Græcis μαλάκια, & πικα dicitur autem pica, ab aue cui id nomen est, quoniam hæc auis, in eam incidit affectionem, aut quoniam, vt Actius inquit, vti hæc auis diuersis arboribus inseritur, ita qui eo symptomate laborant diuersa ciborum genera appetunt, nec tamen eos cibos appello, dum vocibus accuratè vti volo. Est id symptoma attinens ad animalem facultatem appetentem, quæ in ore ventriculi residet, nempe appetitus corruptus, quem nos actionem læsam in obiecto appellamus. Per eam enim cibi appetuntur varij ad modum, aut extremarum qualitatum, vti, terra, testa, gipsum, sal, acetum, aut acria & validè mordentia, quæ aut nullatenus à sanis appeti solent, aut condimenti tantum ratione. Huius læsæ actionis causa, in instrumento est. Euenit hoc accidens fœminis vtero gerentibus, à secundo in quartum mensem, nonullis etiam absque conceptione, ob mensium retentionem, pueris quoque non paucis, quibus ab infantia in consuetudine fuerit terram edere. Causa est humorum in ore ventriculi consistentium praua qualitas: insunt autem vtero gerentibus copiosi, quemadmodũ & in quibus menses fuere detenti, & nonnullis pueris, vili etiam sunt senes eo malo laborantes. Cæterùm quemadmodum ventriculus temperatus ac sanus similia appetit, ita præter naturam habens appetit contraria, ac perinde putandum prauos succos in ore vẽtriculi contentos, ventriculum commouere ad appetenda contraria, & quæ possunt nonnihil prodesse ad eorumdem humorum malitiam & corruptionem emendandam. In huius affectionis curatione imprimis admonendi, & coercendi sunt adultiores: pueri verò obiurgandi, ac flagellis cædendi. Si in eum inciderint affectum fœminæ ob mensium retentionem, sang. mittetur secta vena, quæ est interna in malleolo, aut vena poplitis: deinde decoctum radicum apij, fœniculi, & asparagi bibent bis, aut ter, atque venter purgabitur, per pilulas de hiera Gal. aut per hieram diacolocyntidos, menses deinde prouocandi cinnamomo lincto cum melle despumato. Mares quoque in eum affectum incidentes pari modo purgandi sunt, prẽparato humore, quibus non parum conducit per rhabarbarum purgatio. Exibeatur autem eis puluis cumini, ameos, maceris, carpesiorum, singulorum ʒ.j. cuius ʒ.ß. accipiet cum vino albo, parum austero. Cùm autem malum vtero gerentibus acciderit, sperandum est nonnullas sponte sanari, quoniam crassi ac lenti, & corrupti humores processu temporis ciborum parcitate absumuntur, & fœtus auctus sanguinem absumit in suam alitionem. Interim tamen probè gubernandæ, ac si opus fuerit, purgandæ. Victus itaque earum erit, exercitatio, quam probè ferre possint. Alimenta sint carnes pullorum, aut perdicum, aut gallinarum elixæ cum ciceribus & petroselino, atque

Appetitus corrupti curatio.

Vtero gerẽtes cũ mala cia laborãt, vt curãdæ.

cum

cum salsaméto ex petroselino,& cicorium,& endiuia,& portulaca,ex quibus optimum fiet enulatitium,cum petroselino & mentha viridi, pauco aceto & saccharo. Aetius commendat pedes, rostra, & ventriculos porcorum. Vitabunt autem pinguia & carnes laginatas,& valde dulcia. Bibent vinum vetus fuluum aut flauum & odoratum:quæ verò vinum non degustarunt,decoctum fœniculi,aut anisi.Quod si debita victus ratione seruata,intra quartum à conceptione mensem non liberentur,aut interim ægrè admodum ferant symptoma,præparandus est humor,vt diximus : deinde verò per rhabarbarum & spicam nardi purgandus:sit autem rhabarbari pondus à ʒ.j. vsque ad ij. Aut purgentur per pilulas de hiera,quam vocant picram. Vomitum quoque procurabunt per decoctum seminis raphani, aut per acetum mulsum, in quo raphanus per noctem maceretur,sed non sunt ad vomitum valde cogendæ, ne concussione ventris abortiant. Languente autem ventriculo emplastrum superponetur ex palmulis in vino albo parum austero decoctis,deinde cum oleo de absinthio malaxatis.Aut miloplacenta cum oleo de absinthio, aut nardino & puluere menthæ siccæ malaxata spuperponatur.

De Siti valida, Cap. V.

SITIS Appetitus est oris ventriculi qui ad fugam primùm mouet animal, cui alter succedere solet qui ipsum ad conuenientis prosequutionem mouent,cui adiunctus est tristis sensus qualitatis quæ in ore ventriculi imprimitur à circunstantibus membris, vt iecore & corde, aut ab humore calido in ipso contento, aut calido simul & sicco, aut siccitatem solam inducere valente. Si namque aliqua harum qualitatum inducta iam foret,atque ori ventriculi facta æqualis,nec mutaret ipsum, neque sitim ob sensus tristitiam moueret. At verò cùm medici intẽperiem aliquam sine humore agnoscunt,ipsam factam absque causa faciente reputant: sed res aliter se habet:nam aliorum membrorum actione qualitas valida induci potest,ad quam valida sequetur sitis, aut alterius qualitatis ratione non minor fames.Sitis itaque à calore excitatur in febribus,& citra ipsas ob calidam iecoris intemperiem, aut humores calidos in ore ventriculi contentos. Hæc quoque ad siccam intemperiem deducitur.Ab initio verò ob salsam pituitam sicca intemperies & sitis fit,& ob febres aridas & nimiam absumptionem humiditatis & exercitationes, & vsum alimentorum exiccantium generatur. Sitis quoque fità corruptione ciborum in ventre,cibúsque grauans,quandam sitis imaginem præbet:aliquando fit ob vini potum, aut etiam ob pulmonis calorem.A calore tamen,adiuncto humore multo,fit sitis, in his qui ascitem patiuntur. Ex alimentis siti conuenientibus, quæ à calore fit, sunt lactuca quæ calorem attemperat,& portulaca, & melopepon, & panis lotus aqua frigida, & aqua frigida,& mucilagines psyllij, in ore detentæ, & oris frigida ablutio, ex seminibus melonis, cucumeris & cucurbitæ, pari mensura addito saccharo candito,cochleare vnum ore sumptum,& sensim ingestum.Ventriculo verò superponimus perseuerante siti, ceratum refrigerans Galen.caput quoq; rosaceo frigido irrigare conuenit. In febribus præterea ardentibus, si tusses siccæ leuiter irritantes fiant, non admodum siti infestabuntur, ex Aphor.54 Sect.4.Si verò à calore & siccitate fiat, posca potus optimus est, nam acetum refrigerat:aqua verò infrigidat & humectat,in quem vsum,vinum valde dilutum actu frigidum optimum est,& siropus violaceus, cum tripla aquæ frigidæ mensura. Valet quoque ceratum Galen. prædictum.In sicca tantùm intemperie sitim efficiente,radix dulcis cum accomodatur, & vinum dilutum valde, & lac,& ius pulli cum hordeo elixi validum est, & lactuca elixa. Sitim quoq; ex ariditate & gutturis ac faucium asperitate, miro modo emendat diatragacanthum in tabellis, vti modò in officinis paratur. In siti calida cum humore,acetum epotum valet. Sed vbi bilioſi humores, aut salis in ventriculo

Siti.

contin

contineantur, vomendi sunt, aut deorsum facilè purgandi. Si ob ciborum copiam sitis imago generetur, nullum melius remedium est quàm vini diluti potio, sensim autem bibendum: ne coctionem impediat, aut ipsum fluctuare faciat. Conuenit omnibus quies, ac somnus, præterquam his qui ciborum copia premuntur, quibus leuis deambulatio erit melior. Quibus autem cibus corruptus est, vomi quàm primum debet. Si ex vini potu sitis oriatur, & valida fuerit, aquæ potu moderabitur: si verò non adeò magna fuerit, superdormire erit bonum, apud Hippocr. Apho. 27. Sectionis quintæ. Quomodo autem sitis curari debeat in ascite, ex eius morbi curatione constabit. Si à calore pulmonis fiat, aeris frigidi inspiratione, potiusquam frigidæ potu curabitur.

De Nausea & vomitu, Cap. VI.

Nausea.

NAVSEA Symptoma est ventriculi attinēs ad expultricē ipsius facultatem, per quod commouetur venter ad expulsionem: non tamen sequitur expulsio: in vomitu tamen manifesta expulsio sequitur. Peccat autē in modo & spatio: in modo quoniam vehementius quàm secundum naturam concitatur: in spatio verò, quoniam commouetur ad excretionem per superiores partes: id verò contra naturam est. Nonnihil etiam peccatur circa animalem facultatem, ad quam attinet displicentia, & auersio, estque appetentiæ vitium, consistens in obiecto quod ventriculo infert nauseam: causa verò est in instrumento. Fit autem nausea atque vomitus, à morbis ventriculi, aut aliarū partium. Morbi autem ventriculi quidam sunt facti, quidam fientes. Nam distemperies quandoque antecedit, ipsa verò cibos corrumpit, & prauos succos generat nauseam inducentes, quandoque ciborum prauitas antecedit, deinde sequitur corruptio eorum & nausea, quorum causa intemperies quoque ventriculi nascitur, sed fit nonnunquam vt vētriculus à iecore, liene, aut capite, aut toto corpore excrementa suscipiat, quæ deinde ventriculum distemperēt, & nauseam inducant. Præterea succi qui in ventre generantur, aut aliunde decumbunt in ipsum, quandoque crassi ac lenti sunt, quandoque tenues serosi, rursus aut in ventre natant, aut in summa superficie adhærent, aut substantiæ ipsius infarciuntur immersi. Euenit sæpe vētris supinitas, nausea, atque fastidium, his qui pinguia alimenta assumpserunt, cùm iam cocta fuerint ac descenderint: relinquitur namque pingue hærens ventriculo, & fastidium ac displicentiam inferens. Vbi calida intemperies ventriculi causa fuerit, sic agnoscetur. Sitis enim aderit, & calor sentietur, & alimenta corrumpētur, ad nidorosam naturam, etiam si ipsa ex se talia non fuerint, vt pisces saliti, & oua in sartagine fricta, & obsonia ex melle, & pipere parata. Præterea qui calidam patiuntur intemperiem, frigidis iuuantur, & qui frigidam, calidis, & siti vacant, & ardore, & cibos corrumpunt, in acidam qualitatem, etiam si eius naturæ non sint, vt acidi & frigidi, & cum aceto & acidis parati. Accedit autem distemperantiis temporis processu excrementorum copia, eius naturæ, quæ non parum docere valent distemperātiæ naturam: nam calida distemperies calida generat excrementa, & frigida similiter frigida. Cùm itaque aliquod excrementum, vomitu reiicitur, id ostendet distemperātia, calore & temperatura. Humorem in ventriculo natare & in spatio ac cauitate contineri cognoscemus, quoniam ab ipso cibi corrumpuntur, & vbi euomantur, secum deferent aliquam portionem succi nauseam facientis. Si tamē tunicis ventris hæreat crassus & lentus, sitim extinguit, & appetitum auget, sed quandoque ipsum minuit, quoniam sensum suctionis hebetat. Per nauseā verò interim nihil moueri sentitur, nec quidpiam excernitur, nisi magna cum violentia & remediis detergentibus præassumptis. Si verò is humor qui hæret tenuis fuerit, non fluctuabit, nec difficilè vometur, ipse quoque excretus suam ostendet naturam, adiungetur tamen ipsi sitis, quandoque & morsus oris ventriculi: si tamen infarctus talis

Nausea pe culiaris cau sa.

suo

ſuccus tenuis & ſeroſus fuerit, cum magna nauſea & inappetentia, nihil excernitur,& ſitis aderit,& cibi in nidoroſam naturam corrũpentur.Qui etiam adhærent, aut infarcti ſunt,ante cibũ nauſeã mouent: qui verò innatant,ante cibos & poſt cibos nauſeam inducũt. Decet quoq; cõiicere an aliunde humor prauus cibos corrumpẽs & nauſeam efficiens traducatur, & vnde: quod maximè deprehendemus, quoniam per interualla traductio fit, & cum ventris ſymptoma augetur,pars à qua ſuccus traducitur, melius habet, & cum venter melius habet, pars à qua traducitur, laborat magis, & omnino partium aliarum à quibus prædicta excremẽta traduci poſſunt atq; totum ipſum corpus conſiderandum, quomodo valeant, & quando deterius ſe habeant: nam cùm membrum aliquod in ventrem transfundit excrementa, vt exoneratur, ita melius habet,& aliud quod recipit,deterius,id verò per interualla euenit, quoniam interim excrementa aceruantur,& non antè.Quando excrementa nauſeam facientia ex toto corpore transferuntur,toti corpori ſubueniẽdum. Quando verò ex iecore,aut liene,eidẽ tum vacuatione, tum attemperamento & debita victus ratione ſuccurrendum, ſed interim quoque ventri præuidendum,his quæ iam receptum euacuant, & deinde his quæ ipſum roborant, ne rurſus quod tranſmittendum eſt recipiat, Vbi nauſea ab intemperie calida cibos corrumpentes procedat, ventriculũ refrigerare oportet, ſiropo de malis cotoneis,& lactucis,& carnibus gallinarum, & pullorum elixis cum lactucis, aut hordeo,aut endiuia. Potus erit aqua hordei, aut vinũ nigrũ probè dilutũ, inungetur tamen oleo melino, aut addito ſucco vuæacerbæ. Si frigida fuerit temperies,contrariis curanda,vti ſiropo de mentha, & alimentis quæ parata ſint cum aromatibus,& melle:liniendus tamen eſt venter oleo de abſinthio. Potus ſit vinum album,aut ruffum. Vina verò fulua aut flaua ſæpe fit vt in languente ventriculo corrumpantur,ſed de his quæ ventriculum attemperant in ſequentibus dicemus.A pinguibus tamen abſtineant, qui nauſeam patiuntur. At verò ſi ex pinguiũ eſu qui in nauſeam inciderit,vti diximus,potus vini albi parum diluti ſatis facit,aut mica panis in poſca, aut in ſucco mali punici, aut oxyſaccharum:iuuat quoque ventriculum ſupernè deorſum fricare. Quibus nauſea concitatur ab humoribus ſeroſis vẽtriculo innatantibus,vomitus conducit,per acetum mulſum tepidum,aut beta elixa in hydrelæo & pauco aceto ẽdenda,deinde bibito raphani decocto vomendum.Rhabarbarũ autem pondere ʒ.ij.eoſdem deorſum purgabit,ac roborabit ventriculũ adſtrictione.Vbi tenues & bilioſi humores in tunicis ventris infarcti cõtineantur,bis aſſumendus ſiropus acidus,deinde purgabitur,pilulis de hiera picra,aut pilulis de aloe & maſtiche:poſtea verò venter oleo melino roborãdus.Craſsis autem humoribus innatantibus vomitus procurãdus aceto mulſo,& raphani decocto, aut betam elixam ex hydrelæo & aceto edent,deinde decoctum ſeminis raphani tepidum bibent,& penna aut digitis intromiſsis vomẽt. Frequentiùs autem fit vt craſsi ac lenti humores vẽtris tunicis tenacius hæreant, qui præparandi ſunt aceto mulſo,aut etiã decocto origani, aut calaminthæ cum aceto mulſo, deinde purgandi ſunt per agaricum in aceto mulſo, quod medicamentum vomitum etiam mouere ſolet:ſed purgantur probè admodum prædicti craſsi ac lenti humores bibito medicamẽto quod recipit, hieræ diacolocynthidos ʒ.ß. diluatur in ʒ.vj.aquę mulſæ.Poſt purgationẽ accommodatur ſiropus de abſinthio,aut pulueris aromatici roſati.ʒ.ß.in vino albo modicè auſtero,tribus diebus ieiuno ventre. Cùm autem vomitus hominem moleſtauerit, cohibendus non eſt interim dum talia vomuntur qualia vomi debẽt, nempe quæ toto corpore redundant,& fœtida,nigra,liuida,ſyncera,& vtcunque naturã iuuantia fuerint. Nec retinẽdus vomitus corruptorũ ciborum,ſed ne corrũpantur,prę-uidendum.Cùm verò vomitus ad imbecillitatem perducit ægrum, & ob eius impetũ alimenta non contineantur,atq; ea de cauſa vires lãguere incipiant, humorum confluxus in ventrem reuellendus, & venter roborandus. Aer ad-

Nauſeæ curatio ab humoribus aliunde trãſfuſis.

Nauſea à diſtẽperie curatio.

Nauſea ab humoribus ventriculo innatantibus.

Vomitus curatio.

frigidum attemperabitur,qui inſpiratur.Humores cõfluentes reuellentur frictionibus brachiorum,& crurum,& eorumdem calefactione,& ligaturis, venter quoq; leniẽdus clyſteribus & pelſulis,Aromatica odorãda, & deguſtanda, ac cibis immiſcẽda, vt cinnamomũ,caryophylli,aniſum,macer,& poma odorata auſtera,& mala cotonea,carnes erunt aſſæ pullorum,aut perdicũ nouellarum,ſine pinguedine,aut prauo odore, vuas paſſas prima menſa accipient, poſtrema miloplacentam,quæ diacotoneum appellatur,à nobis verò ialea,& coriandrũ præparatum,aut puluerẽ ipſius & aniſi in drageta, aut oliuas duas cordubenſes,aut tres:ventriculus oleo nardino linietur,aut de abſinthio, aut melino,pro tẽperatura confluentis humoris,curat etiam humorum vomitum, fluxus ventris,& econuerſo.Quòd ſi cibi reuomantur,ac perinde corpus vniuerſum alimẽto priuatum lãgueat,ſi corruptus iam fuerit, vt vomatur neceſſum eſt,verùm vt non corrũpatur præuidendum aut attẽperato vẽtriculo,aut vacuato,aut fluxione in ipſum prohibita,aut emẽdato cibo, & aſſumpto cum aliquo ex ſalſamentis quæ appetitũ excitant,& ventri amica cùm ſint, ipſum cogunt ab cibos amplexandos,vt ſuccus arancij, ſalſamentũ ex petroſelino, aut quod ex iecore gallinæ faciunt coqui,aut ex ſucco mali punici cũ ſaccharo inſpiſſati ebulitione. Aſſumpto autẽ cibo manus aqua frigida immittẽdæ: id enim maximè ſedat animã,& emplaſtrũ quod ſequitur ſuperponendũ ventriculo,quod nec ieiunis nec cibatis ſemouebitur, pulueris abſinthij, maſtiches,menthæ ſingulorũ ʒ.j.cinnamomi,caryophyllorũ,vtriuſque ʒ.ß.ladani & reſinæ terebinthinæ, quantũ ſatis eſt,fiat emplaſtrum ſcutiforme.Cibo præterea aſſumpto vbi alia non profecerint cucurbitula cũ multa flamma ventriculo affigenda,& ibidẽ dimittẽda donec ſpõtè decidat:& poſtrema mẽſa quę diximus ſumẽda vinum verò odoratũ & auſterum bibendũ. Valet ad vomitiones emplaſtrũ & miloplacenta cũ puluere thuris & mẽthæ,& oleum de mẽtha cum puluere abſinthij.Aliud,olei de mẽtha, olei de abſinthio,vtriuſq; ʒ.ij.pulueris maſtiches, aluminis, cinnamomi,maceris, caryophyllorũ ſingulorũ ʒ.j. Fiat linimentũ.Ad frigidam vẽtriculi intemperiem,& vomitũ,nauſeam abſinthium viride intra calceos calcatum prodeſſe ratio, & obſeruatio inuenerũt.

Vomitus ciborum curatio.

Vomitus remedia.

De Ventriculi imbecillitate & ciborum cruditate, Cap. VII.

Ventriculi coctio læſa.

OCTIO Ciborum in ventriculo læditur,læſa facultate, aut inſtrumento,aut obiecto, facultas naturalis eſt ad quã attinet coctiones perficere,inſtrumentum præter ipſum ventriculum, cuius munus eſt cibos coquere,eſt ſpiritus vitalis & natiuus calor eiuſdem,atque circumſtantium membrorum, obiectum eſt cibus.Facultas in eſſentia mutatur,& impeditur coctio,mutato temperamẽto partis,quamuis mutatione facta ad frigiditatẽ maior læſio ſequatur, quã ſi ad calorem fiat:lædunt quoq; vires coquẽdi,humiditas, & ſiccitas modum excedentes.Inſtrumẽtum vitioſum eſt ſi prauè cõpoſitum ac conformatum fuerit, aut vnitas diuiſa,veluti per inflãmationes,tumores reliquos & vlcera,& alias natiuas vitiatas cõſtructiones. Alimenta vitiant actionẽ,etiam ſi venter nullam affectionẽ pateretur,quoniam debitam quantitatem excedunt, aut mala qualitate prædita ſunt, aut ordinẽ non ſeruant, aut tempus aſſuetum euariat aſſumptio,aut tota ſubſtantia ſunt aliena, aut inuſitata.Cùm verò prauus aliquis humor aut excrementũ in ventre continetur, bifariam coctionẽ vitiare ſolet,tum quoniam ventriculũ alterat, & temperamentum mutat:nec tamen in eſſentia mutata facultate, tum quoniã alimenta ipſa vitiat & corruptioni parat,quod nonnunquã citra læſionem manifeſtam ventriculo illatam fit,vbi cibus ipſe coctu difficilis fuerit. Prætermiſsis tamen tumoribus, vlceribus,& prauis conformationibus ventris nos impræſentiarũ coctionum vitia, & cruditates,quæ ab intẽperantiis ventriculi,quæ cum humore,aut ſine ipſo proueniunt,aut obiecti vitio,curare docebimus. At verò ſigna calidæ intemperãtiæ

ven

ventriculi sunt, sitis, ardor, paruus appetitus ciborum, & à calidis lædi: à frigidis verò iuuari. Frigidam distemperiē ostendit, sitis defectus, appetitus maior, & à calidis iuuari. Corruptio quoq; ciborū in nidorosam qualitatem vbi ipsi non fuerint eius naturæ, ostendit caloreē, & corruptio in acorem, vbi cibi non fuerint frigidæ naturæ, ostendet ventris frigiditatē. Siccitatem ostendit sitis, saliuæ defectus, corporis extenuatio, & ventris præsertim. Alimenta sicca non appetunt, & assumpta ægrè superant, sed iuuantur ab humidis. Humida verò temperatura sine siti est, & pauco potu satiatur, multā saliuam in ore habent, & ab humidis læditur, & oculorum palpebræ quandoque intumescunt. Appetunt sicca, quoniam præter naturales affectus ventriculi contraria appetunt, apud Gal. lib. Artis medicinalis. Intemperantiæ verò quæ cum humore fiunt, agnoscūtur, ex his quæ vomuntur, aut deiciūtur, aut etiam ex linguæ affectibus: nam cùm humores adsunt bilioſi, lingua redditur amara, sicca, scabra, ructus sunt nidorosis, & in eam naturā cibi mutātur, ac sitiunt. Quorū humores frigidi sunt, tales vomuntur aut deiiciuntur, & lingua albicat, non sitiunt, cibi corrūpuntur in acidam qualitatem, talésq; sunt ructus. Præterea bilioſus ventriculus inediam difficilè tolerat, pituitoſus facilè. Quamobrē bilioſi ventres ante cibos, magis quā pituitoſi, & magis quā post cibos lædūtur. Quando prauus aliquis succus in ventre continetur, qui vētrem distemperat, & cibos corrumpit, is vacuari debet, vti de nausea diximus: intemperies tamē ventris contrariis curatur, calida frigidis, vti lactuca elixa, & portulaca, & peponibus elixis cum iure carnium, endiuia, & cicorio, cum aceto, & saccharo, & pane hordaceo, aut ptisana, aut iure carnis cum hordeo elixæ, & carnes ipsæ edendæ, cum acidis succis. Potus sit aquā, vel aqua hordei. Exterius admouēdum oleū melinum, aut idem cum succo vuæ acerbæ, aut palmulæ cum aceto elixæ, aut cerotum refrigerans Gal. Frigidæ verò intemperantiæ probè curātur his quæ calefaciunt, vt carnibus elixis cum mētha, & insperſione piperis, cinnamomi, caryophyllorum, maceris, zingiberis, carpesiorum. Potus sit vinū odoratum, quale est à sancto Torcatio duorum annorum. Desuper ex oleo nardino illiuire conuenit, & de absinthio, & pannus purpura tinctus superponendus ventri. Humida intēperies quandoque sola adest: sæpe verò frigidæ accedit, quam curamus victu exiccāte, vt carnibus assis, & sale, ac cinnamomo & anisō additis, & potu vini calidi, præsertim si frigida fuerit intemperies simul & humida. Nos pilulas ex puluere corticum aranciorum & caryophylorum, aut ex aloe, & caryophyllis deglutiendas damus. Quibus conuenit piper, & caryophyllos cibis addere, & mētham, & bibere quam appellamus claream, atque est œnomeli, cum aromatibus: & siropus de mentha compositus, & siropus de absinthio, zingiber conditum, diatrion pepereon, & mel rosaceum ad cruditates, quę inde sequūtur valent. Confert autē ventri illitum nardinū, oleum de mentha, & emplastrū, quod recipit menthæ aridę, absinthij, mastiches singulorum ʒ.ß. maceris, caryophyllorum vtriusque ℈.j. cum ladano & resina terebinthina fiat emplastrum scutiforme. Sicca intēperies curatur iure carnium, lacte bibito calido, vt mulgetur ab vbere mulieris, aut capræ. Et lac elixum, cum amylo & lac elixum additis vitellis ouorum, & farina triticea ad coagulationē conferunt, & nuclei pini cum saccharo, & bibēt aquam hordei, aut decoctum prunorum, aut vinum album dilutum. In eum vsum valet ptisana, aut puls ex hordei farina. Fiunt autem cruditates ac sequuntur præsertim frigidam intemperiem, sed cibos crudos aut corruptos vomere oportet, aut subducere. Si ciborum causa noxa sequatur, si multi sunt, moderanda quantitas, & ciborū diuersitas vitanda, quoad fieri possit, & vbi plures cibi sumantur, ordo seruādus, ita vt qui faciliùs subducuntur primo loco ingerantur, & tempus assuetum seruetur, & temperatiores eligantur, ne mala eorum qualitas suæ corruptionis, aut cruditatis causa sit. Non sint etiā cibi minimè assueti, aut tota substantia contrarij, nisi quis voluerit omnibus assuefieri, & Hip. præceptum seruare: id verò

Ventri intē peramiarum nota.

Calidæ intemperantiæ ventris curatio.

Cruditates ciborum.

citra morbum. Si somni defectu noxam coctioni intulerit, is quoq; conciliandus est opportunè, sicuti & exercitij tempus seruãdum, & hora deponendi excrementa. Nullam autem cõsuetudinem perpetuò seruare mihi optimum esse videtur ad sanitatis tutelam. Verùm vbi cibus corrũpatur, aut incrudetur, vomendũ, cum aqua tepida, & pennæ immissione in os, aut descensus ipsius procurandus ventris calefactione, manibus calidis superpositis, aut puero, aut catulo admoto ventri, ex documentis Gal. lib. 5. de simplicium medicamẽtorum facul. Deinde cibo excluso vomitu, aut ad intestina translato, venter roborandus, fotu lanæ ex oleo nardino, & mastichino, & vbi flatus relinquantur, anisum sumendum, aut fœniculus, carui, cuminum ad flatum discutiendum, aut aromaticum rosatum, aut in maioribus frigiditatibus medicamentũ diatrion pepereon & similia, ante cibum duarum horarum spatio, aut cum cibo, nõ tamen post cibum vt Gal. lib. 4. de Sani. tu. docet, ne cibus intẽpestiuè distribuatur (cum ferè coctus fuerit, aut prope distribuẽdus) cùm cibis enim coctionem adiuuãt eorum, ferè coctos autem ante tempus coctionis distribuunt. Post fotum & medicamenti calidi assumptionem, quiescẽt, ac dormient, & post somnum cibos accipient boni succi, coctu faciles, & parũ bibent, eritq; vinum album austeritatis particeps, aut flauum odoratum, & in frigida intemperie ad emendandas cruditates valet œnomeli, & quod appellamus, Hippocras, parũ bibitum postrema mẽsa, & zingiber conditum, & drageta ex semine fœniculi, anisi, & dauco, & coriandri semine præparato, cũ saccharo facta. Mel quoq; rosaceum, per horam ante cœnam, quantitate ʒ. ij. futuræ præuidet cruditati.

De Ventriculi inflatione, Cap. VIII.

Inflatio vẽtriculi.

INFLATIO Ventriculi, distensio ipsius est, à copia flatus proueniens: Is autem aut in ventris capacite continetur, aut intra ipsius membranas. Causa generationis ipsius duplex est, aut calor parũ excedens, aut materia crassa ac lẽta. Calor sanè immodicus adeò validè extenuat vt discutiat potius quã generet flatum, extenuato vapore, remissus admodũ calor siue frigiditas valida, conficere flatum nequit, nec leuare; erit itaq; calor flatum generans moderato proximus, sed à natiuo alienus. Vbi tamen is validus fuerit, ciborũ autem natura flatulenta, flatum conficiet, Gal. exemplum lib. 3. de Causis symp. est aeris ambientis tẽperies: nam aerem serenum reddunt, aut nimis calidæ, aut nimis frigidæ tẽporis constitutiones: mediæ verò nebulas gignunt. Quj hunc affectũ patiuntur, dolorem sentiunt in vẽtriculo, & distentionem. & aliquando iuxta ensiformem cartilaginẽ, tumorem. Dolor præterea non tantùm in ea parte distendens se offert, sed similis in dorso è regione, qui quandoq; ad thoracem ascẽdit & ad iugulum, & ciborũ appetitus cessat. Noui hominẽ cui flatus intra membranas ventriculi cõtinebatur, qui à ventriculo per gulam ascendebat, & minimè excernebatur ructu, sed speciẽ præbebat ægro suffocationis futuræ, immorabatur quoq; ibidem nonnunquã vnius horæ spatio, & deinde ad ventriculũ recurrebat. Flatu autẽ sursum aut deorsum excluso leuantur, & quandoque solo cibi descensu, flatui relicta capacitate ampliore. Rursus qui excluso flatu ac leuato dolore statim cibos accipiunt, statim inflantur, distentiones redeunt, & capitis dolor accidit. In curatione si flatus ab alimentis pituitosis ortum habuerit pituita genita extenuenda est, aqua mulsa, aut melle rosaceo aut decocto origani & anisi cum melle despumato, & deinde ab eorũ ciborum vsu abstinendũ. Si tamen à caloris natura, quoniam alienus est, flatus generetur, vbi dolor vexauerit alimento parum antè desumpto, id vomi debet, glans autem supponẽda, ex melle tosto & puluere cumini, aut ex hiera picra, & puluere rutæ siccæ, deinde vẽter lana ex oleo anethino, aut laurino fouendus, aut venter oleo anethino liniẽdus, deinde puluis cumini, & apij seminis inspergẽdus. Perseuerante dolore cucurbitula magna cum multa flãma superponẽda.

Flatus causa.

Inflationis nota.

Inflationis curatio.

Lo-

Longè autem à cibo concitato dolore venter oleo anethino,& rutaceo fouendus, aut emplastrum superponendum ex semine lini, cumino, anito, tritis & oleo anethino commixtis. Aut imprimis, ventris onus deponat per clystere ex decocto calaminthæ, pulegij, & cumini, cum melle tosto, oleo anethino, & sale, deinde assumet diacumini tabellam ponderis 3. ij. aut pulueris eiusdem 3. ß. cum vino pauco meraco, aut simile ex medicamento dianiso accipiet, aut castorei ʒ.j. cum posca, aut aristolochiæ rotundæ 3.ß. cum vino. Deinde præuisionis ratione, si excrementum aliquod in ventre redundat, id præparandum ac purgandum, & venter roborandus fotu olei de absinthio, aut anethini,& nardini. Victus autem optimè instituendus ex alimentis minimè flatuosis: sunt autem flatuosa olera & fructus virides,& potus vini dulcis. Ordo quoque ciborum quàm maximè seruandus, & moderata quantitas. Potus erit vinum antiquum,album aut fuluum,odoratum,aut non assuetis, anisi decoctum, pauca erit potus quantitas. Somnum autem diurnum vitabunt, & ventrem ante & retro pannis purpureis obuoluent, & à cibo lenta vtentur deambulatione.

De Singultu, *Cap. XI.*

Singultus.

SINGVLTVS Motus ventriculi vehemens est, quo tentat causam nocētem excutere, persimilis conuulsioni, de qua sexta Aphor. sectione Hippoc. dixit: conuulsio quædam fit à repletione, quædam ab inanitione, sic etiam & singultus. Sed tamen eius symptomatis causas quatuor generibus seiunxit Galen. lib. 8. de Compositione medicamentorum per locos, prima est, repletio. Cùm enim fibræ ventriculi humore, aut etiam flatu, implentur, ventriculus conuulsioni dispositionem similem patitur, ac concutitur conuulsorio modo, quod humor melancholicus acerbæ qualitatis, præ omnibus facere valet. Persimile symptoma oritur à secundo genere causarum vbi ventriculus ex nimia vacuatione, arefactus contrahitur, & contractorios ac concussorios patitur motus. Ad hoc causarum genus reducuntur, alimenta & medicamenta, quæ acerbam habentia naturam, validè comprimunt ventriculum. A causis quoque mordentibus, singultus excitatur: quod fit vbi acres humores os ventriculi momorderint, aut ibidem geniti, aut aliunde confluentes, aut cibi in eam naturam corrumpantur, aut ciborum ea sit natura, quemadmodum si quis piper & mel, aut piper & vinum ingesserit. Idem omnino symptoma euenire videbis, si vlcus in ventre existat, tunc etenim, quamuis cibus, aut succus parum valentem facultatem mordendi habuerit: mordebit tamen, ac venter exesus vel temperatum calorem alimentorum non feret. Quartum genus causarum est frigus, nimia etenim frigiditate riget ventriculus, & compressionem validam non ferens, commouetur ac singultit. hoc symp. pueris sæpe accidit ventriculo refrigerato, per se, aut pedum frigori consentiente. Signa repletionis sunt, grauitas, si non fiat à flatu, distentio, dolor, & victus præcedens, & defectus signorum, quæ inanitionem ostendunt. Inanitionem autem docent, inedia præcedens, fluxus ventris, vomitus, fluxus sanguinis, & similes vacuationes. Similem dispositionem ostendet victus, ex alimētis acerbis præcedens, vti sorbis, & coroneis malis. Causam mordētem agnoscimus ex ructu nidoroso, ex vomitu bilis, aut cuiusuis acris & mordentis excrementi, aut innotescet ex victu præcedente, cùm æger retulerit aliquod medicamentum eius generis ingessisse. Vlcera ventriculi proprias habent notas, quæ dicentur. Frigiditas agnoscitur ex his quæ præcesserunt, quæ interius assumpta, aut exterius admota refrigerare valuerunt, de quorum numero est pedum, aut capitis refrigeratio: his enim facilè consentit ventriculus. Si à flatu singultus oriatur, eum discutere oportet, his remediis quæ ad ventriculi inflationem, capite superiori, à nobis tradita sunt, in quibus cucurbita cum multa flamma

Singultus causa.

Singultus signa.

recenſetur. Si à craſſo procedat humore, vbi in ventris cauitate contineatur, vomi debet potu aquæ mulſæ, aut aceti multi, aut deorſum ducendus clyſteribus, quæ ex decocto calaminthæ fiant cum melle, & hiera picra, aut ex decocto origani, cum benedicta & ſale, ac melle. Si verò fibris ventriculi infarciantur, præparari debent aceto mulſo, & origani decocto, deinde hiera Rufi purgandi. Venter oleo anethino, aut nardino fouendus, & emplaſtris calidis ad id valentibus, & curſus humorum auellendus, frictionibus brachiorum & crurum, ac victus corrigendus, per ea quæ extenuant, & validior exercitatio & vociferatio, & ſternutatio autore Hippoc. Aphor. 15. libri 6. conferunt. Plato quoque in conuiuio ſingultus remedia ſcribit, ſpiritus cohibitionem, ſternutationem, & multæ aquæ potum: ſed hoc poſtremum, ad ſingultum à cauſa mordente profectum, valet, alia duo ad calefactionem, & flatuum, ac frigidorum humorum excuſsionem. Singultus ab inanitione refectione & humectatione curatur: corpus autem ac venter ipſe reficitur probè, his alimentis quæ bonum ac multum ſuccum præſtant, & facilè coquuntur in ventre, è quorum numero ſunt amylum cum lacte, & ius gallinæ, vitelli ouorum, & carnes gallinarum, caporum, pullorum, & veruecis duorum aut trium annorum elixæ. Potus ſit vinum album aquoſum, & venter oleo amygdalarum dulcium liniendus, & dorſum è regione. Aut ceratum vtrinque admonebimus ex violaceo & amygdalino oleo & cera. Si acerba medicamenta ſingultum concitauerint, dulcia & pinguia remedio erunt, vt ius gallinæ pinguis, aut mellis diſpumati cochlearia duo, aut penidiæ, aut nuclei pini cum ſaccharo, aut ſuccus radicis: acerbus autem humor purgandus, paratus antè potu aquæ mulſæ. Vbi ſingultus à mordentibus, & acribus ſuccis, aut cibis in eam naturam corruptis, aut talibus medicamentis oriatur, hæc eadem vomere potu aquæ tepidæ oportet, aut bibita aqua hordei tepida, deinde ea quæ ſenſum hebetant, & acridinem obtundunt accommodantur, & ſtuporem inducentia. Theriaca igitur noua bibenda in aqua indiuiæ, aut Philonis medicamentum. Attemperant & obtundunt acredinem ſiropus violaceus, & de nimphæa, & medicamentum diatrion ſantalon, & lactuca cruda, aut elixa, & portulaca, & pepo, & ſemen cumeris tritum, cum aqua potum, & ſemen lactucæ, & ſuccus endiuiæ cum ſaccharo, ſint ſucci ʒ.iiij. ſacchari ʒ.j. & ſiropus de ſucco vuæ acerbæ, & de ſucco limonum, niſi exulceratus ſit ventriculus, tunc etenim ab acidis abſtinebimus. Potus ſit aqua hordei.

Singultus ex eſu ciborum curatus.

De Inflammatione ventriculi, Cap. X.

Ventriculi inflammatio & cauſa.

INFLAMMATIO Ventriculi ex affluenti ſanguine generatur, vti & omnes aliæ inflãmationes, quamuis ex eis quædam magis eryſipelatoſæ, quædam magis œdematoſæ, aut ſcirrhoſæ fiant. Agnoſcitur affectus, quoniam pondus ſentitur, dolor, febris, ſitis, æſtus, nauſea, inquietudo, nonnunquam animi deliquium, & extremorum refrigeratio. Victus pertenuis eſſe debet, ac omnino liquidus, vt facilè ſuperetur, veluti ptiſana hordeacea, ius pulli cum lactucis elixi, aut cum endiuia, aut cum malis cotoneis incipiente inflammatione, aut ius pulli cum ſucco arancij, aut ſucco vuæ acerbæ. Potus ſit aqua hordei, aut aqua ex vaſe maſtiche ſuffumigato, aut illito: erit autem potus omnis parum frigidus. In aere attemperato collocentur, aut parum frigido. Quieſcent, ſed frictionibus brachiorum, & crurum vtentur, & clyſteribus ventrem emollientibus, ſomno moderato, & animi tranquillitate. Curatio à ſanguinis miſſione auſpicabitur, ſecta vena interna cubiti lateris dextri, ac ſanguis pro morbi magnitudine & virium robore mittendus. Neque erit à ratione alienum excrementa quæ ab inflammatione in ventris cauitates reſudant (quod fit in omnibus inflammationibus quæ membrana teguntur tenuiore) purgare medulla caſiæ fiſtularis in decocto prunorum, aut pari modo ſero lactis, aut

Inflamma. ven. curatio.

decocto

decocto tamaridorum. Parti verò laboranti admouenda sunt medicamenta quibus inlit aditringendi vis, & neque in principio, neque in alio quopiam morbi tẽpore, ea quæ relaxant admouebimus, sine mixtione aditringentium, seruata illa generali medendi methodo, quam supra tradidimus, quæ sumitur à principatu partis, ob quam partes quarum munus toti corpori commune est, omnino seruare oportet. Admouebimus itaque vnguentum ex rosaceo, melino & cera, aut farinam hordei cum oleo de absinthio, & melino, aut palmulas elixas in aceto deinde malaxatas cum oleo de absinthio, aut miloplacentam malaxatam cum copioso oleo de absinthio, & nardino. Vbi autem validiùs repellere sit opus cum oleo melino & de absinthio addemus rosas, acaciam, & rhu obsoniorum. In summo tamen vigore farinæ hordei, farinæ seminis lini, vtriusque ʒ.j. rosarum ʒ.ij. mastiches, aloes, vtriusq; ʒ.j. olei melini ʒ.iiij. aut farinæ hordei ʒ.j. olei nardini, & melini, quantum satis est, fiat puls. Inclinante morbo, fiet linimẽtum ex farina seminis lini, cum succo absinthij & oleo camæmelino, aut ex floribus camæmeli, melilothi, & farina seminis lini paribus mensuris, cum oleo camæmelino & nardino fiat linimentum. Si verò ventriculi inflammationes in duros conuertantur tumores, mollire ac laxare conuenit oleo camæmelino, cum adipe anseris & gallinæ, addito oleo nardino. Aliud, olei camæmeli, axungiæ gallinæ, œsypi, singulorum ʒ.ij. spicæ nardi, ciperi, myrrhæ, ammoniaci, singulorum ʒ.j. ceræ ʒ.j.ß. Aliud optimum, emplastri de melilotho ʒ.ij. myrrhæ ʒ.ij. mastiches ʒ.j.ß. ammoniaci ʒ.j. olei de absinthio ʒ. ij. misce lento igne. Valet etenim emplastrum de melilotho ad duritias stomachi, iecoris, & lienis, sed ad stomachum cum mastiche & absinthio, & nardi spica, ad iecur cum medullis, adipibus, labrusca, & caprino stercore, & nardino oleo, ad lienem, cum eupatorio, tamarisco, & bacci lauri. Verùm si inflammatio ad suppurationem tendat, puris generatio procuranda, atque tumoris eruptio. Vlcus autem ventriculi diligenti eget curatione, quoniam alimenta venter ante coctionem excernit, morsu concitatus, quamuis ea ex temperatis sint, & quæ sanos ventres mordere non soleant. Agnoscitur vlcus ventriculi, morsu quem ex cibis sentiunt, præsertim salsis, accidis, & acribus. Quod si inter deglutiendum hoc senserit, in gula vlcus est. Accedit vlceribus ventriculi ructus fœtidus, vomitus puris, & ramentorum ventriculi, & quandoque sanguinis, & syncopis vbi puris adfuerit copia. Communis vlcerũ curatio est exiccatio, sed vbi vlcera sordida fuerint, prius mundificanda veniunt. Mundificantia sunt, aqua mulsa, & aqua hordei, & mel rosatum colatum. Purgant autem pus cassiafistula cum aqua mulsa, aut decocto prunorum, aut hiera picra, quæ præter puris vacuationem in vlcera assolidare valet. Post mundificationem valet ad vlceris assolidationem, aloes ʒ.j. in ʒ.iij. aquæ plantaginis, aut aquæ capitum rosarum aut pilulæ de aloe, & mastiche, aut siropus de malis cotoneis, aut myrtinus, aut decoctum rosarum & folliorum mytti, aut pastilli ex succino, in aqua plantaginis. Probatum medicamentum est quod recipit sarcocollæ, thuris, mastiches, tragacanthi, succini, singulorum ʒ.iij. fiant pastilli cum siropo malorum cotoneorum ponderis ʒ.j. quorum tres in die sumet, per interpositas horas. Alimenta eisdem offerentur, carnes pullorum assæ valde commansæ, perdicum nouellarum, turturum, ouorum vitelli, & amygdalatum crassiusculum. Potus sit ab initio aqua hordei, cùm verò assolidare volumus, aqua cinnamomi, aut aqua ex mastiche, modo dicto parata.

Emplastri de melilotho vis.

Ventriculi vlcera.

De Cholera morbo, Cap. X I.

CHOLERA, Morbus hic appellatus est, ob id quod per eam affectionem bilis copiosè effunditur. Symptoma tamen ad expultricem ventris & intestinorum facultatem attinet, per quod simul sursum per os, & infrà per ventrem bilis, & excrementa, ac cibi

Cholera.

eor

corrupti impetu pelluntur, iam crudi, nonnunquam nidorosi, interim acorem referentes. Est sanè morbus hic acutus & valde periculosus. Notæ sunt ventriculi, & intestinorum morsus, quem sequitur fluxus ventris, & vomitus excrementorum variorum, quandoque cum syncope, sudore, pulsu inæquali, & paruo, cum conuulsionibus crurum & brachiorum. Sitis quoque accedit, quando morbus tandiu perseuerat donec stercus per os excernatur, & facies reddatur similis ei quam depinxit Hippoc. parua spes salutis habetur, victus eis conueniens non est vnicus, sed diuersus admodum pro morbi temporibus, nam incipiente morbo permittendum est opus naturæ, dum quæ corrupta sunt & deprauata excernit, & æger melius habet, quinimo (vt dicemus) leuiter iuuanda: sed cùm euacuatio modum excedit, non tantùm medicamentis, sed etiam alimentis supprimendæ sunt vacuationes. Curationis itaq; ratione incipiente morbo, & natura operante atque ea quæ praua sunt, corrupta & maligna excernente, cúmq; per vacuationes iuuatur, decet aquam tepidam bibere ac vomere putrida, quæ à natura cum labore, non satis vomuntur: id est quod maiores dixere, vomitu, curari vomitum. Damnat autem Aëtius, aquam mulsam, quoniam mordet & torsiones efficit, & oleum aqua mixtum, quoniam fluxionem auget. Morsum quoque intestinorum mitigamus & excremẽta educimus clysteri ex aqua hordei iniecto, aut etiam addito rosaceo. At verò cùm corpus collabi, & facultas ægrè ferre cœperit vacuationem, & iam strigmenta, ac intestinorum rasuræ, & colliquamina excernantur, humorum impetus in contrarium vertendus, crurum & brachiorum frictionibus, illitis manibus oleo anethino, aut irino: per hæc enim præter auersionem, curantur conuulsiones, ob quas quandoque eisdem miscemus oleum de castoreo, ligaturæ quoque ac compressiones extremorum iuuãt. Ventri verò imponatur emplastrum ex palmulis elixis in aceto, malaxatis deinde oleo melino, & addita acacia, vel linteum madefactum in succo mali cotonei, cum puluere rhu. Aliud, olei melini, & myrtini vtriusque ʒ.ij. hypocistidos, acaciæ, rhu obsoniorum, singulorum ʒ. ij. pulueris coralorum rubeorum ʒ.j. Aliud, olei nardini & mastichini vtriusque ʒ.j. olei myrthini ʒ.iij. calentibus venter lana foueatur. Aliud, succi malorum cotoneorum, succi pampinorum vitis, vtriusque ʒ.ij. succi menthæ ʒ.j. pulueris malicorij & acaciæ vtriusque ʒ.j. linteum madefactum ventri imponatur. Aut assumet siropi myrtini ʒ.ij. aut succi malorum punicorum modicè acidorum ʒ.j. ℔. aut succi pampinorum vitis tantumdem, aut siropum de malis cotoneis sensim deglutiet, aut amylmm cum succo mali punici, aut valido existente ardore, siropus de vua acerba sensim sorbendus frigidus. Valent in eum vsum pastili de electro Galeni, cum aqua plantaginis instillatitia, aut cum succo mali punici, dormituro. Hæc autem quæ adstringendi ratione adhibentur, si reuomantur nihil vetat quominus eadem rursus accipiat: nam vel in ipso transitu nonnihil iuuatur venter, & tandem manifestè auxiliantur. Sedant hæc eadem sitim, sicuti & puls ex hordeo cum succo mali punici, cucurbitula quoque vrgente vsu ventri affigenda. Dum itaque excrementorum purgatio ex vsu est, ius pulli, cum succo arancij conuenit: cùm autem eadem modum excedit caro perdicis, aut turturis, aut turdi, aut pullorum columbinorum, aut si febris non adest, pauonis indi, assa, succo arancij, aut vuæ acerbæ insperſa, & pampini vitis commansi succo deuorato, & lentes elixæ in iure pulli, excorticatæ, & insperso aceto, & mica panis in succo mali punici: valent etiam sorbæ, & miloplacenta, pyra, & poma austera, & siti vexante atque ardore lactuca, aut endiuia cum aceto elixa vtilis est. Potus sit aqua cinnamomi aut aqua chalybeata, aut vinum nigrum austerum, eadem aqua dilutum. Frigidum sensim de glutiendùm. Quies procuranda, atque somnus præsertim à cibo, & aer attemperandus si calidus fuerit, aut frigidus seruandus: clysteria quoque ex decocto rosarum, capitum papaueris & acaciæ fient. Ea enim somnum conciliant, aut vrgente vsu amylum

Cholere notæ.

Cholere curatio.

cum

cum decocto capitum rosarum iniiciendum. Per magnas imbecillitates, & singultus, licebit viuum modicè bibere, sed austerũ, & aqua chalybeata dilutum.

De Lienteria & cæliaco morbo, *Cap. XI.*

LIENTERIA Siue læuor intestinorum, siue læuitas intestinorum appellatur, quoniam per eum morbum intestina læuia reddita cibos non retinent: atque est facilis & celer descensus ciborum per ventrem, qui parum aut nihil mutati fuere, suam speciem adhuc referentes. Aut sic, est exitus velox eorum quæ comeduntur & bibuntur, quæ talia deiiciuntur qualia fuere deuorata, autore Galen. lib. 4. Apho. comm. 12. & lib. 6. comm. 1. Non longè abest morbus quem cæliacum appellant, sed per eum quamuis citò cibi descendant, ac liquidi, quoniam non distribuntur: cæterùm non ostendunt propriã speciem. Oritur id malum à ventriculi & intestinorum vlceribus, & cicatricibus: vlceratus enim venter, & intestina talia, facilè irritantur ad excretionem ante coctionis tempus: cicatrices verò post dysenteriam contractæ impediunt digestionem ciborum occlusis meatibus venarum meseraicarum, & retentionem impediunt: quoniam egent ad retentionem intestina natiua quadam asperitate. Efficit hunc morbum nimia humiditas, & relaxatio intestinorum, quæ cum tenui humiditate, aut crassa pituita fit, quam sequitur retentricis facultatis imbecillitas in ventre & intestinis. Accedit imbecillitas concoquentis facultatis ventriculi, fluxus ventris biliosus qui abradere possit intestina. Dysenteria, ingestio ciborum prauorum, corruptorum, fœtidorum, acrium, mordentium, aut supra modum humidorum, vsus medicamentorum ventrem purgantium, vel quæ lenificare ipsum possint, sequitur quandoque expurgationem ascitis. Accedit nimia frigiditas, vehemens ardor, excellens humiditas, interna, aut etiam ciborum, potionum, & aeris ambientis, aut loci habitationis. Mihi verò ipsi ex equitatione frequenti post cœnam lienteria sequuta est. Inde fit frequens ac celer ciborum descensus ante coctionem, & liquida deiectio, & facies albicat, corpus extenuatur, & crescente malo in malum corporis habitum incidunt. Quòd si ructus aliqui acidi superueniant, qui prius non aderant, bonum signum est, autore Hippo. Apho. 1. libri 6. significat enim iam cibos aliquandiu retineri. Morbus hic quandoque continuus est, quandoque intermittit, ac per interualla repetit. Appetitus ciborum quibusdam perit demortua facultate appetente, aut cibos ipsos corruptionis ratione fastidiente, aut nimium ralaxato ore ventriculi, aut quoniam non fit per venas suctio: quandoque augetur, vti cum acida pituita fit morbi causa. Victus instituendus est causa prius cognita: nam si hæc fuerit motus corporis, aer ambiẽs, vsus alimentorum prauorum, hæc omnia imprimis vitanda, & cibus bonus eligendus, adstringens, sed non valde acerbus, neque coctionis & distributionis difficilis, vt caro pulli assa, aut gallinæ, turturis, turdi, pulli columbini syluestris, aut caro veruecis, aut hœduli elixa. Alexander cæliacis concedit carnem leporinam, & ferinam, qualis damarum, ceruorum, & cuniculorum est. Immiscemus tamen elixationibus, quæ medicamentorum ad id valentem habent qualitatem. Redundante namque frigiditate, aut humiditate, miscemus cinnamomum, anisum, piper, caryophyllos, nucem aromaticam. Sed accedente biliosa fluxione, & intestinorum ac ventriculi abrasione, miscemus rhu, mala cotonea cum carnibus elixamus, aut persica mala, aut poma austera, aut vuam acerbam, aut myrti baccas. Ante prandium quoque ac cœnam milopl acentam præbemus. Abstineãt quàm maximè ab oleribus: omnia enim prauum præstant succum. Verùm nonnunquam concedimus eisdem brassicam bis coctam, aut simili modo paratam betam, rarò cicorium. Pastinacam quoque in cineribus assam & vino madefactam, & ex leguminibus lens bis cocta, vti & à nobis ad dysentericos paratur, optima est, & oryza cum lacte

Lienteria.

Cæliaca passio.

Lienteriæ causa.

Lientericorum victus.

elixa, & lac ipsum, præsertim in calidis fluxionibus, aut calidum vti mulgetur, aut si in ventre corrumpatur, cum pauca addita aqua elixādum, aut inter elixandum addemus paucam farinam triticeam, & oui vitellos sine saccharo, aut melle, & vitelli ouorum assi, aut in aceto elixi conducunt: licet etiam edere palmulas, amygdalas, nuces tamen ventrem mordent. Panis parum furfuris recipiat, sed anisum ei misceatur, aut cum carnibus & reliquis bis coctū panem edant. Impartiendus est cibus, ita vt bis aut ter in die cibum modicum accipiant. Potus erit vinum modicè austerum, vinosum, nisi causa calida accedat, aut febris: his enim melius est modicè potens, probè dilutum, & non assuetis aqua mastichina, aut calybeata, elixa tamen cum cinnamomi ad finem addito. In vniuersum potus sit pauciss imus, quo ad fieri possit, multus enim potus ex omnium sententia, in ventris quibus vis laxitatibus, perniciosus est. A cibo leuiter deambulandum, abstinendum à somno diurno, non longè à cœna dormiēdum, a somno frictionibus vtantur, aliquo linteo asperiore: incipient tamen à cruribus, deinde ad brachia, deinde ad dorsum, deinde ad pectus & ventrem accedemus, & sinapismis ac dropacibus vtemur, in extremis particulis, & animi tranquillitatem procurabunt. Si humor aliqui calidus ad ventrem confluxerit is reuellendus est, atque ventriculus roborandus, reuellitur frictionibus crurum & brachiorum, ac vomitione quæ per acetum mulsum exercetur, aut per decoctum seminis raphani cum pauco aceto: ventriculus verò roborandus interius assumptis, & exterioribus admotis. Assumitur siropus de malis cotoneis, & milo placenta, & oxysaccharum quod ex succo malorum punicorum & saccharo fit, cui addenda acacia, aut rhu obsoniorum, valent ad idem pastilli de succino in aqua plantaginis dormituris, sint autem ex Gale. compositione. Exterius tamen admouemus emplastrum, ex palmulis in aceto elixis cum semine lini, aut emplastrum ex milo placenta malaxata cum oleo melino, aut myrtino, quibus addere licet acaciam, & hypocistidem. Aut cerotum fiat quod recipit, olei myrtini, olei melini, vtriusque ʒ.ß. pul. rhu, acaciæ, hypocistidos, singulorum ʒ.j. cerę quantum satis fuerit, fiat ceratum. Aliud, olei myrtini, ʒ.iij. vini austeri ʒ.xij. foliorum rubi, foliorum lentisci, foliorum myrti, singulorum ʒ.ß. bulliant & deinde simul omnia malaxentur, & in emplastri forma ventri parum calentia admoueantur. Id quoque memoria dignum, quod sæpe fluxiones adeò copiosè sunt, vt cohiberi nequeant, nisi bilis purgetur, quibus conuenit ante vsum eorum quæ valde adstringant purgatio cum rhabarbaro, in aqua bugloss i, aut decocto prunorum, aut aceto mulso diluto, fit etiam probè purgatio per myrobalanos luteos, in aqua instillatitia cicorij, aut decocto prunorum: sit autem rhabarbari, aut myrobalanorum pondus à ʒ.j. in ʒ.ij. Si tamen frigidi humores in causa fuerint attemperandi, & per acetum mulsum detergendi, & per hieram diacolo cynthidos, aut elect. diaphœnicon purgandi. Remanente tamen imbecillitate retentricis, & coctricis, cum frigore & humiditate, pari modo curanda interius assumptis & exterius admotis, sed nosse oportet valde astringentia lædere & fluxiones concitare autore Aëtio, intus assumuntur siropus de mentha compositus, & aqua mulsa cum decocto origani, & anisi, quæ distributionem adiuuant. Nos obsonium parare præcipimus ad cæliacos, & lientericos, quibus imbecilla est retinendi facultas, gallinæ aut capi elixi pectus minutatim scindere iubemus, deinde duos ouorum vitellos elixos duros, & folia pauca petroselini, deinde ius gallinæ superfundimus, & semen coriandri, & cinnomomum, & vbi febre vacent, piper, præterea arancij succum, quæ deinde lento igne miscentur & inspissantur. Cùm autem cibus è ventre descendit suprà dictis frictionibus vtimur & dropacismis: superponimus tamen ventri emplastrum quod recipit olei nardini, & de absinthio, & de mentha, singulorum ʒ.ß. pulueris menthæ aridæ, absinthij, maceris, mastiches, singulorum ʒ.j. cerę quant. suff. aut ex puluere maceris, caryophyllorum, carpesiorum, &

Lienteria curatio.

Obsonium ad lientericos.

menthæ

menthæ cum pauco oleo de mentha, & ladano, ac resina terebinthina conficimus emplastrum, scutiforme. Valet in hunc vsum emplastrum de baccis lauri. Quod si in malum corporis habitum & ventris inflationem inciderint, venter liniendus oleo de absinthio, & pul. cumini, ac rutæ inspergendus. Valent ad cæliacos, venter gallinæ aridus cum vino bibitus, & rumicis semen, & cornu cerui vstum, & thus fauæ pondere in vino nigro, aut succo sanguinariæ. Theriaca verò optimum auxilium est. Laudat Aetius postremo loco vlitiones, quæ in supremo ventre fiunt, interuallo duorum digitorum aut ampliori, & vlcera multo tempore aperta seruare, fient autem crustæ aut candenti ferro, aut causticomedicamento. Si cicatrices ciborum impediunt digestionem detergentibus vtemur validis, cum Gale.

De Diarrhœa, Cap. XII.

DIARRHOEA Fluxus ventris humoralis copiosus est, & naturali maior: si verò quandoque functionis, & operis naturæ rationem habet, quandoque symptomatis annumeratur. Cùm enim natura quæ praua sunt, & naturæ aduersa excernit, atque coctionis notis præcedentibus, naturæ functio est, & confert, & bene fertur: itaq; hanc conseruamus & approbamus vacuationem, quoniam si sensim fiat, tandem ad sanitatem solet deducere ægrum: si subitò inter bonas iudicationes recensetur, atque est alia ratione symptoma quod consistit in excrementi mutatione. Quòd si id quod excernitur, bonum est, sed à natura irritata pellitur, ac modum excedit vacuatio, bifariam symptoma erit, tum in excrementi mutatione, tum in actionis læsione, sic etiam vbi malum fuerit quod vacuatur, sed tempus coctionis non spectet. Eueniunt itaque ventris fluxiones quibusdam in febribus, quibusdam citra febres, in quibus cum febre fiunt, naturæ actio attendenda & bonam ac vtilem præsentem vacuationem seruabimus, quandiu enim modum non excesserit & notæ coctionis præcesserit, vtilis erit: vbi tamen retineatur magnos capitis morbos afferre solet, vt phrenitidem, letargum & prauos abscessus: neque tamen ipsam iuuare oportet, si iudicationis ratione affatim fiat, dicente Hippo. Quæ iudicantur & iudicata sunt integrè non mouere, nec nouare, nec medicamentis aut aliter irritando, sed sinere. Cùm verò sensim fit ipsam quoque prætermittere, neque eandem iuuare Galen. præcipit libro 1. de Arte cur. ad Glauc. dicens: verùm neque si febris cum diarrhœa fiat, opus erit alia vacuatione, sed hæc satisfaciet, quamuis non sit pro redundantiæ ratione. Nihil tamen vetat quo minùs in longis diarrhœis. Cùm humores diutius descendentes hominem molestãt, & ciborum appetitum lædunt, & intestina laxant, ac mordent, vacuare quod retinetur aut perficere eam quæ nondum perficitur vacuationem, per ea medicamenta quæ simul vacuationem perficiant & ventrem roborent, de quorum numero est rhababarum, & myrobalani lutei parum tosti, vt finita vacuatione febris desinat, & venter roboretur. Sine febre verò fit diarrhœa aut ob ventris imbecillitatem, aut ciborum prauam naturam, aut humorum ex capite fluxum in ventrem, aut ex vniuerso corpore eisdem confluentibus. Ex eisdem verò quædam sunt bilioſę, quædam pituitosæ, quædam diuersorum humorum, quædam colliquamenta secum deferunt, si ex ciborum natura ortum habuerit, ex relatu innotescet. Si à capite defluxerit humor in ventrem augebitur hora somni, & inter dormiendum deglutient, & capitis dolor antecedet, ac grauitas, & spumosa deiectio: si ventris sequatur imbecillitatem, notæ aderunt quæ ostendent ventris imbecillitatem superius traditæ, quæ in distemperie consistent, & distemperantiæ notis: si oriatur malum è toto corpore, aderunt cacochimiæ notæ, quas sequatur cognitio peccantis humoris, aut excrementi, ab his quæ deiiciuntur, colore, & consistentia: & cum biliosa deiectione aderit ventris calor, sitis, & amaritudo oris, ac cùm retinetur, ca-

Diarrhœa.

pitis dolores succedunt naturam humoris referentes. Pituitosa quoque diarrhœa ex pituita excreta dignoscetur, ventris frigore, & sitis defectu, & nonnunquam faciei & ventris inflatione. Colliquamenta quoque cognita sunt, quæ pinguedinem liquatam referunt cum fæce mixtam, aut cum prædicta bile. Diarrhœa quæ bilis fluxione fit adstringentibus, & attemperantibus eget, atque vbi opus fuerit, causæ potius quam symptomatis ratione, euacuatione vti decet. Cæterùm cùm adstringemus, sensim agendum, potissimum vbi diutina fuerit passio: bilis namque in ventrem confluens, si ibidem retineatur, dolores, rotiones, & capitis morbos efficiet, ac ciborum corruptiones. Natura præterea quæ diu misit in ventrem aliunde genitum excrementum, corrigenda prius est, ac sensim in contrarium habitum mutanda, & interim roborandus atque adstringendus venter. In primis itaque bilis purganda cum rhabarbaro, aut electuario diacatholicon, aut myrobalanis luteis, aut tamarindorum decocto. Valétque maximè ad fluxionem sistendam biliosam, quæ sine febre est, lac calidum ab vbere mulctum, aut calybeatum, aut cum lapillis, quos caclias appellant, ignitis paratum. Sic enim serosa pars dissoluitur: ad tertiam tamen partem absumendum, & interim quod supernatat cochleari expurgandum. Quòd si febricitãtibus ipsum exhibere velis, autore Alexandro, atque Aëtio, aquæ quartam partem adde, deinde ipsum ad medietatem elixabis: verùm si in eorum ventribus corrumpatur in nidorem, aut in acidum saporem, melius est ab eius vsu abstinere. Rursus si per diarrhœas biliosas medicus intellexerit bilem in ventre & intestinis contineri, clysteribus facilè ipsam educet, quæ recipient hordei & violarum decoctum, casiam fistularem, & oleum violaceum. Astringentibus post hæc vtemur exterius oleo melino, aut myrtino, deinde acaciam & malicorium, & hypocistidem addemus, cùm vehemẽtius astringere volumus. Emplastrum quoque clidium, quod apud Alexandrum habetur, optimum est, appellatur autem epithema clidium Mnasæi, quod in hunc modum conficitur. Gallæ omphacinæ, hypocistidos, aluminis rotundi, acaciæ, rhus culinarij, malicorij sicci, apij seminis, singulorum vncia: viscj quercini, ammoniaci thymiamatis, singulorũ drachmæ quatuor, picis siccæ, ceræ vtriusque, vnciæ duæ, olei myrti, aut lentiscini vnciæ duæ. Gallam & malicorium contusa cribratáq;, in vini cyathis nouem decoquito, vsque ad tertias, assiduè agitans, deinde in mortarium conjecta terito, ac reliqua similiter in puluerẽ redacta inspergito. Ammoniacum verò aceto diluito: viscũ cum modico oleo emollito, deinde pici ac ceræ ex reliquo oleo liquatis, ab ignéque sublatis adiicito, ac in vnum cogito, necnon iis quæ contrieris affundito, tunditóque fortiter ac vtitor: anum quoq; fouere expedit decocto rosarum & myrti. Diarrhœa verò pituitosa pariter vbi in corpore redundauerit pituita, purgatione eget, per agaricum in aqua instillatitia cicorij, aut endiuiæ dilutum, aut per electuarium diaphœnicon, pauca quantitate, clysteria iniicienda ex betæ aut mercurialis decocto, cum melle & sale, distrahenda ac deriuanda pituita est per vrinam decocto radicum apij. Aut seminis apij, cumini, anisi singulorũ ʒ.ij. cinnamomi ʒ.j. caryophyllorum ʒ.ß. omnia in tenuem puluerẽ redigantur, de quo ʒ.ß. accipiet, cum vino albo. Venter autem foueatur laua madefacta in oleo de absinthio, oleo nardino, oleo de mentha, inspersis etiam ventri puluere mastiches, mẽthæ, rhu obsoniorũ, cumini tosti. Valet in eum vsum emplastrum de baccis lauri & sacculus de absinthio & mentha aridis, calentibus, & inspersо vino odorato, ac puluere cinnamomi, robustioribus addemus acaciam, malicorium & hypocistidem. Bibent autem pastillos ex succino, cum vino austero, aut aqua chalybeata, aut puluerem trium santalorum, aromatici rosati, aut pastillos diacoral. Mora quoque immatura bifariam ministrantur, arida prius ac trita, & bibita pondere ʒ.j. cum vino austero, aut inspersa ventri, postquã oleo myrtiuo fuerit illitus, in quem vsum valentiora adhuc sunt rubi mora. Conueniunt diarrhœa laborantibus,

Diarrhœæ curatio.

Clidium epithema.

Diarrhœa laborantiũ victus.

carnes

carnes pullorum assæ, & turturum, perdicum nouellarum, & passerculorum, ac pullorum columbinorum, quibus in biliosa fluxione addimus succum arancij, aut succum vuæ acerbæ, in aliis rhu obsoniorum, cinnamomum, & mentham, ac caryophyllos. Licet quoque eadem aues elixare ventribus impletis rhu obsoniorum, fructis malorum cotoneorum, & granis mali punici. Pani anisum addimus & furfuris parum admittimus, oryza quoque elixa in iure carnis, aut in lacte conuenit, & lens parata vti ad dysentericos, & lac coctum vt diximus, & obsonium quod parauimus capite superiori. Potus sit aqua chalybeata in biliosis fluxionibus, in pituitosis vinum nigrum austerum, & venter fascia purpurea tegendus.

De Dysenteria, Cap. XIII.

Dysenteria.

DEIECTIO Cruenta quæ ab intestinorum vlcere procedit, dysenteria appellatur, atque ipsum vlcus, cùm accuratè nominibus vtimur latinis, intestinorum difficultas, aut intestinorum tormina dicitur, quoniam per eum morbum intestina dolore torquentur. Ampla tamen significatione omnem cruentam deiectionem appellant dysenteriam, vt inquit Gal. libro tertio, de Causis simpt. sanguis siquidem è vētre secernitur, aut bonus, ísque per temporis interualla, ac significat dimissum exercitium, aut assuetam vacuationem, aut membrum aliquod mutilatū. Excernitur quandoq; sanguis serosus & loturæ carnis similis, qui ostenditiecoris imbecillā concoquendi facultatē. Aut excernitur crassior, nigrior sanguis atque splendens, qui ostendit assationem ipsius & mutationem in melancholicam naturam. Quartò etiam sanguis excernitur intestinis exulceratis, quæ propriè dysenteria dicitur. Nos quoque aliis de causis sanguinem deiici, vt medicamenti expurgantis super expurgatione, & ob imbecillitatem retentricis facultatis, suprà docuimus. Modò verò de intestinorum vlceribus & propriè dicta dysenteria agemus. Causæ dysenteriæ sunt, frigidæ potus, vsus ciborum calidorum, vt mellis, piperis, & eorum quæ abradendi facultatem habent, & vsus medicamentorum purgātium frequens, aut eorumdem magna vis, delapsus humorum per ventrem, & acrium humorum & abradentium, longum profluuium, solet enim antecedere fluxus ventus biliosus, aut atrabiliarius, quem sequuntur excretiones pinguedinis intestinorum, & deinde ramentorum, & membranarū eorumdem intestinorum, deinde sanguinis & puris. Hæc etiam indicant dysenteriam, per quam vbi pernicioſa fiat, virus excernitur, & ichor, qualis è corporibus mortuorum, & gangræna laborantibus partibus, manare visus est: nigra autem bilis si incipiente dysenteria excernatur, lethale signum est, apud Hippo. 4. Apho. Sectione, & eam quæ à salsa pituita fit, libro tertio Apho. Comment. 12. Galen. deteriorem esse dicit, ea quæ fit à bile, quoniam diutiùs hærēs magis exulcerat. Antecedit quibusdam tenesmus, accedit sitis, ciborum fastidium, dolor intestinorum, & quibusdam adeò vehemēs, vt eos perducat ad animi deliquiū, & sudoris euacuationes, vigilias, & imbecillitatem. Refert etiam non parum nosse an in supernis, an infernis intestinis vlcus consistat: cùm enim superiora vexat intestina, ebibitis medicamentis potiùs curatur: cùm tamen inferiora, per clysteria. Consistit autem in superioribus, vbi dolor supra vmbilicum fuerit, & nausea & ciborum fastidium, & vomitus, & deiectionum cruditas, cū quibus sanguis valde subactus descendit, & longè antè quàm deiiciatur sentitur dolor, quem quandoque sequitur animi deliquium, & magna virium imbecillitas: in dysenteria verò quæ crassa molestat intestina, dolor infra vmbilicum sentitur, & is non longè ab excretione concitatur, deiectio copiosa est, & sanguinem habet superfusum, & minimè subactum. Quando vlcera in cæco fuerint intestino carnes excernuntur longiores, maiores, & rubicundores, & grauiùs olentes autore Areteo. Has dysenterias vidimus sæpe finiri superueniente tenesmo.

Dysenteriæ cauſa.

Dysenteriæ ſigna.

Quædam etiam dyſenteriæ fiunt ſine ſanguine aliquo temporis ſpacio, cum videlicet vlcus inteſtini adeo ſordidum eſt effectum, vt pus tantùm ab ipſo manet. Victus eis conueniens eſt, aeris attemperamentum, quies, ſomnus & animi tranquillitas. Alimenta ſint boni ſucci & quæ facilè coquantur, ſed aliquam habeant aſtringendi vim admixtam, & pauca exhibeantur quantitate. Erunt igitur cibi, carnes pullorum, gallinarum, & hepata earumdem, & carnes perdicum. & pullorum columbinorum, turdorum, paſſerculorum, aſſæ, & carnes damarum, leporum, cuniculorum, ſi febre vacent. Aetius à carnibus abſtinere præcipit, niſi morbis longior fuerit. Ex fructibus, punica mala, mel pila, ſorbæ, pyra, aut poma auſtera, præſertim ſuccus deuorandus, craſſa eorum ſubſtantia proiecta: nam pars hæc exaſperat inteſtina, & palmulæ, & malorum cotoneorum ſuccus, ac miloplacenta. Omnibus tamen eduliis lac elixum anteponendum, elixandum autem, aut lapillis, ſed vnus poſt alium iniiciatur, vt vult Alexander, aut candenti ferro in ipſo extincto, aut inter elixandum addatur vitellus oui & pauca farina hordei toſti, lac autem elixum melle addito ab initio adhibetur, quoniam vlcus detergit, deinde affuſa quarta aquæ parte elixatur ſine melle ad conſolidationem, & vitelli ouorum elixorum in aceto.

Dyſentericorũ victus.

Lentium preparatio

Puls ex lentibus quæ in hunc modum paratur, lentes in aqua elixãtur, aqua proiicitur, & lentium cortices, lentes ipſæ rurſus elixantur in iure gallinæ, addito ſemine coriandri & ſucco arancij, aut mali cotonei, aut pauco aceto. Aut micæ panis cũ aqua & ſepo hircino lẽto igne miſcentur, ad pultis formã, & ante reliquos cibos ientaculi loco ſumũtur. Aut fruſta tenuia lata panis per diem antè aſſi, iure gallinæ aut pinguis arietis irrigamus, deinde caſeum vetus pauci ſalis inſpergimus, appellatur à nobis prior cibus, migas enſebo, poſterior autẽ, ſopas enqueſo, aut micæ panis toſtæ ſucco vuæ acerbæ irrigẽtur. Oryza quoque in lacte elixa eiſdem accommodatur, & ius gallinæ elixæ cum fruſtis malorum cotoneorum, carnibus autem ipſis inſpergimus rhu obſoniorum, aut acaciam, aut ſuccum granorum mali punici valde expreſſorum, aut ſuccum vuæ acerbæ, aut vbi febris non adſit puluerem menthæ ſiccæ, aut cumini toſti. Amygdalatum etiam coctum ad ſpiſsitudinem vtile eſt, & ex viridibus frumenti ſpicis ſuccus expreſſus & exiccatus, cum lacte paratur, valet etiam lens cum plantagine elixa, & plantago ipſa elixa aut braſsica bis cocta, addita poſca, & endiuia. Potus ſit aqua pluuialis, quæ plumbum non tetigerit, aut aqua calybeata, aut vinum auſterum nigrum, non validum, eadem aqua modicè attemperetur. In dyſenteriæ curatione locum & vlceris naturam attendere oportet: ex loco namque agnoſcimus an medicamenta per ſuperiora ſumenda ſint, an per clyſteria iniicienda. Ex natura vlceris, nam quæ ſordida ſunt deterſione egẽt, & quandoque cruſtæ generatione. Egent autem dyſenterici adtrictione, mitigatione doloris, attemperatione cauſæ, & reuulſione, aut deriuatione eiuſdem. Cùm igitur ſanguis plurimus excernitur, & vires conſtant, ac ſanguinis redundantia apparet, ſanguinem mittere decet. Aetius externam venam, aut mediam ſecat, nos tamen internam cubiti, quæ iecori reſpondet & ab ipſo ſanguini redundantiam haurit. Deinde ſi vlcus in tribus inferioribus inteſtinis conſiſtat, clyſteria iniicere præcipio, in vlceribus ſordidis, ex aqua mulſa, aut ex decocto betæ cum melle, aut recipiunt aquæ mulſæ lib ij. ſucci roſarum ʒ.ij. Aut aquæ mulſæ lib.ij. ſucci betæ ʒ.iij. ſalis ʒ.ß. Aliud, de cocti betæ & mercurialis libram j.ß. mellis roſati colati ʒ. ij. Si verò attemperare ſit opus, ex decocto hordei & violarum cum ſaccharo fient clyſteria. Quòd ſi vlcera ſerpentia fuerint, & ichores ab eiſdem manauerint, & tenuia ac praui coloris excrementa, valde exiccare oportet, in quem vſum clyſteria conueniẽt ex decocto roſarum, balauſtiarum cum acacia hypociſtide, & rhu. Aliud, lentium pugillum, corticum mali punici, caliculorum glandium, balauſtiarum, ſingulorum ʒ.ß. bulliat in debita quantitate aquæ, & collaturæ adde, acaciæ, boli armeni, puluerís foliorũ myrti, ſingulorum ʒ.j. Si ardor vehemens

Sopas enqueſo.

Dyſenter. curat.

accedit

accedit,hordeum miſcendum in elixatione, & roſaceum addendum, aut ex ſucco plantaginis & roſaceo clyſteria componenda. Proſunt etiam in clyſteribus paſtilli de ſpodio cum ſemine acetoſæ. Quod ſi acris accederit fluxio, ſepum hircinum clyſteribus miſcendum, aut adeps gallinaceus, aut anſerinus:hæc enim inteſtinis illita excrementorum deſcendentium adhęſum prohibent. Tale eſt clyſtere quod recipit decocti roſarum, balauſtiorum,& foliorum mirti li.j.ß.roſacei,& ſepi hircini, vtriuſq; ʒ.ij. Si verò cancroſa fiant vlcera in inteſtinis inferioribus, difficilè admodum curantur, in ſuperioribus immedicabilia ſunt. Vbi dolor vehemẽs vexauerit, Philonis medicamentum immiſcendum clyſteribus. Cùm autem in ſuperioribus inteſtinis vlcera conſiſtunt,ſummopere proficiunt,quæ ore ſumuntur, & quæ ſuperponuntur, niſi fuerint valde ſordida ac putrida. In bilioſis & acribus fluxionibus dyſenteriam efficientibus Actius damnat cataplaſmata & fomenta:quod non approbamus. Superiorum itaque inteſtinorum vlcera alimentis prædictis curantur, & his quæ ſequuntur remediis. Interim ſanè dum vlcera ſordida fuerint,aqua mulſa erunt mundificanda, cuius vnciæ decem manè & rurſus ſerò aſſumentur,aut par quantitas aquæ hordei cum ſaccharo rubeo, deinde lac vt ſuprà paratum eſt propinandum,aut amylum cum lacte & adipe gallinaceo,aut tragacanthum miſcendum: hæc enim mitigant fluxionum morſus & dolorem. deinde adſtrictionis ratione ſaccharum roſaceum antiquum adhibendum, aut etiam bolus armemus addendus, & pauca aqua plantaginis ſuperbibenbenda. Bibendi præterea paſtilli de ſpodio cum ſemine acetoſæ, & paſtilli de terra ſigillata:optimi vero ſunt paſtilli de ſuccino cum aqua plantaginis dormituris exhibiti. valet etiam naſturcij ſemen toſtum cum lacte acido, ſiropus myrtinus, ſiropus de malis cotoneis,& myrobalanos luteos toſtos, aut rhabarbarum toſtum quãdoq; præbemus cum aqua inſtillatitia plantaginis, adſtringunt enim miro modo. Aut baccarum myrti nigrarum ʒ.j.ß. roſarum ſiccarum,œnanthes,acaciæ,ſingulorum ʒ.ß.huius ʒ.ß. ſumatur cum aqua plantaginis inſtillatitia,aut cum decocto rhus,aut prædictus puluis cum carnibus palmularum ſubigatur, & ſumatur quantitas palmularum duarum bis in die. Aliud,malicorij,rhus, achaciæ, radicis ſymphiti, radicis rubi, ſingulorum ʒ.j. aniſi toſti,tragacanthi,vtriuſque ʒ.ij.miſce,& ʒ.j. cum aqua plantaginis inſtillatitia ſumatur,aut cum decocto balauſtiorum, aut puluis acaciæ & rhu obſoniorum cibis inſpergatur,cornu autem cerui vſtum miro modo exſiccat. Emplaſtra verò ſuperponantur ex puluere roſarum,balauſtiorum,ſymphiti, boli armeni,terræ ſinopidis,caliculorum glandium, cum palmulis, aut cum roſaceo & myrtino,aut eiſdem oleis,liniantur,& inſpergatur puluis roſarum,acaciæ,& hypociſtidos. Aut fiat emplaſtrum ex malis cotoneis elixis,deinde cum bolo armeno,puluere ſymphiti & gallarum, addito ſucco plantaginis malaxatis,interim quoq; clyſteribus abluenda inteſtina, & aliis adſtrictio eorumdem conuenit. Vomitus cum aqua mulſa, aut aqua hordei tepida, reuulſionis gratia prouocandus,& vrina deriuationis ratione, bibito puluere quod recipiat,aniſi, fœniculi,ſeminis apij, ſingulorum parem menſuram cum decocto radicum apij, valet enim id ad fluxionem deriuandam per vrinam. Si venenum dyſenteriam effecerit,vomendum prius eſt cum aqua hordei & oleo,aut butyro liquato, deinde theriaca in potu ſumenda, & ptiſana hordeacea, & amylum cum lacte,aut decocto ſeminis lini. Si medicamenti purgantis vi eueniat,aqua hordei abluenda inteſtina, deinde theriaca in potu præbenda cum aqua inſtillatitia bugloſi,aut ſemen naſturcij toſtum cum lacte acido.

Ætij ſententia non probatur.

De Teneſmo, Cap. XIIII.

TENESMVS Inteſtini recti paſsio eſt,per quam perpetua ac implacabilis vrget egerendi cupiditas: eam verò pauca admodum ſequitur dejectio, atque cruenta mucoſa. Cauſa etenim quæ ſymptoma concit

Teneſmus. Teneſmi cauſa.

concitat ſpeciem præbet grauantis, aut mordentis deiectionis, quam ſtatim inteſtinũ deiicere conatur. Cauſæ ſunt frigiditas externa, aeris, aut aquæ, aut lapidi cui æger imprudens inſedit, frigido tempore, aut fæx in cæco inteſtino retenta, aut biliosus, aut ſalſus humor recto adhærens inteſtino, aut vlcus, aut inflammatio eiuſdem œdematoſa. Frigiditatẽ agnoſcemus ex relatu ægri qui referet ſe ingreſſum fuiſſe aquam frigidam, aut te aere frigido expoſuiſſe, aut ſediſſe ſuper frigidum lapidẽ, aut quidpiam tale paſſum. Fęcis retentio agnoſcetur quia dolor infeſtat ventrem infra vmbilicum, verſus dextram partem, in qua grauitas ſentitur, nec tamẽ perinde ſanguis excernitur, nec propriè tenesmus dicetur niſi ex magno conatu excernendi ſequatur aliqua ſanguinis gutta, & pituita viſcida, aut inteſtini ramẽtum ob ſquibalarum duritiem & aſperitatem. Bilis morſus deprehendetur & colore ac ſubſtantia excrementi, ſic etiam & ſalſa pituita, quæ cinerea eſt, & parum viſcida. Vlcus pure deprehendetur, & ſanguine, ſicuti & phlegmone calore, pondere, copiosa ſanguinis & pituitæ excretione. Sequitur autem poſt teneſmum dyſenteria: nam ſi ob vlcus in recto inteſtino fiat, malum aliis impartitur, ſi ob calidam fluxionem, hæc quoque inteſtina exedere & vlcera eiſdem inferre valebit: ſi phlegmone præcedit, vlcus ſequetur, & ardor inteſtinorum, atque perinde vlcus. Victus talis debetur teneſmo laborantibus, qualis his qui dyſenteria laborant, ſed clyſteribus, ac fotibus præcipuè, curatio perficietur: inclinabũt autem omnia quæ eis adhibentur ad frig. aut calorem pro cauſæ facientis ratione. Si igitur malum à frigore ortum habuerit, vinum album meracum in quo ruta, aut pulegium bullierint bibendum detur, & fomenta fient inguinibus & perinęo, atque ipſi ano, ex oleo laurino, rutaceo, & irino, aut ladano & ſtyrace in oleo laurino & irino liquatis, aut vnguento marciato appellato, glomerem quoq; ex furfuribus, aut camæmeli floribus calidum, ac vino albo odorifero inſperſum perinæo & ano admouebimus. Suffumigia quoque fient ex pice, ſemine coriandri, & ſtirace: vaporem quoque recipiet, inſidens vino nigro in quo bullierint roſæ, folia myrti, & rubus, aut fructus cupreſsi, & malicoriũ, aut aceto in quo bullierint furfures, & camęmeli flores, Aetius laudat, quod nos quoque experti ſumus in non paucis ægris, laterem perquam vetuſtum & fumo denigratum vnà cum paleis tuſum, deinde aceto feruenti ſubactum, & linteolo ſedi alligatum, laterem hunc Hiſpani appellãt, adobe, Hęc ſtatim à deiectione admouenda, præſertim ſi dolor infeſtat. Clyſteria verò fient ex decocto camæmeli, anethi, amaraci, pulegij, calamenthi, & ſimilium, aut aliquo horum cum melle, & oleo anethino, irino, rutaceo. Si ob fæcum retentionem teneſmus euenerit, molliendæ ſunt atque educendæ clyſteribus: nam quæ ore ſumuntur grauia admodum ſymptomata & colicũ morbum afferre ſolẽt. Conficiemus tamen clyſteria ex decocto violarum, maluarum, fœnogræci, ſeminis lini, cum adipe gallinaceo, oleo camæmelino, & amygdalarum dulcium. Aut in prædicto decocto, dilues caſiæ fiſtularis ʒ. ij. olei violacei ʒ. iij. addes quoque clyſteribus hieram picram. Herbas autẽ elixas, contuſas, calentes ſedi admouebis. Aut eaſdem herbas cum butyro vaccino, & oleo camæmelino contuſas perinæo & ſedi alligabis. Vbi bilis deſcendens mordens & abradẽs teneſmum effecerit, attemperanda eſt, ſiropo de endiuia, & violaceo, & clyſteribus ex decocto hordei, violarum, & fœnogræci, cum roſaceo, & violaceo oleo. Cùm verò bilis pars inteſtinis adhæreſcit, caſiam fiſtularem clyſteribus addimus, & clyſteria conficimus ex decocto violarum & hordei, cum ſepo hircino, & roſaceo: ſi pituitoſus humor adhæreat recto inteſtino, ſi is ſalſus fuerit, aqua hordei abluendus, & decocto maluarum cum ſaccharo, & oleum violaceum addendum attemperandi cauſa: ſi tamen viſcida fuerit pituita, clyſteria fiant ex aqua mulſa cum melle roſato colato. Aut ex decocto betæ, & mercurialis cum melle & ſale. Aut ex decocto calamenthi, & origani cum melle, & hiera picra: herbæ tamen deinde contundendæ cum oleo irino, &

Teneſmo laborantiũ victus.

Teneſmi curatio.

anet

anethino,& ſedi admouendæ.Si flatus, vt fieri ſolet, adiungatur, aniſum addendum,& cuminum:ſi ab vlcere malum procedat, id abluendum aqua mulſa, aut aqua hordei,ſi ardor adeſt,cum ſaccharo, deinde vnguentum de tutia admouendum,aut vnguentum de plumbo. Dolor vero fotu ex decocto roſarum & camæmeli mitigandus. Si tamen inflammatio malum efficiat à ſanguinis miſsione curationem incipiemus, ſecta vena interna cubiti, & perſeuerante malo,malleoli interni venam ſecari præcipiemus. Deinde ſedem fouebimus decocto roſarum,foliorum myrti,& balauſtiorum in quo hiltrũ madefiat,& calens admoueatur ſedi,idque ſæpe,& interim clyſteria iniicienda ex hordei & violarum decocto cum roſaceo,ſint autem clyſteria tepida aut parum frigida. Philonis verò medicamentum linitum dolores eorum ſedare ſolet. Morbo autem in ſummo vigore exiſtente cũ refrigerantibus admiſcebimus, quæ mitigent dolores,& coquãt,ac diſcutiant humores, de quorum numero ſunt camæmelum, ſemen lini, fœnogræcum, melilothum, ex quorum decocto cum roſaceo & anethino oleo conficimus clyſteria,& in eodem decocto ſpongiam madefactam ſedi admouemus.Glomerem autem paramus ex furfure, ſemine lini,& fœnogræco,quem calidũ vino madefacimus & ſedi ſupponimus. Scire quoque oportet frequentem ſurrectionem ad aſſelam vires frangere,& febres concitare,quamobrem,ſalubrius exiſtimamus in lecto deiicere paucam eam quantitatem quæ cum labore excernitur,quàm toties ſurgere à lecto.

De volvulo, *Cap. XV.*

ILEOS Græcis, latinis voluulus appellatur, ab εἰλέω,quod eſt voluere,ſcribenda autem eſt vox per ι. εἶλεος vt Gal. docet lib. 3. de Mor. po.parte 2.Com.hiſtoriæ,mulieris in Tiſameno, vbi eos qui dictionem per υ. ſcripſerunt,reprehendit. Inteſtinorum tenuium paſſio eſt,quam chordapſon quoſdam appellaſſe Gal.teſtatur lib.6.de Loc.pa.cap.2. ſi tumor aliquis in prædictis inteſtinis ſe oſtendat, & videatur inteſtinum ad chordæ ſimilitudinem conuolutum. Huius morbi cauſæ ſunt, aſsidua ciborũ corruptio, maximè pinguiũ,& eorum quibus nõ aſſueuimus:aut fit à vuluere, aut ictu,aut fæcum durarũ multitudine,aut frigidæ affatim ſumptæ potu,præſertim,vt inquit Aetius ſudãtibus, aut ob delapſum inteſtinorũ in ſcrotum,& violẽtum eorum reditũ,aut obveneni potum,aut ob inflammationem inteſtini tenuis alicuius,magna ex parte fit hic morbus ob inflammationem,aut ob fæcum retentionẽ,id quod Gal.inſinuauit lib.6.de Loc.pa.cap.2. lib. autem 6. Apho.Com.44.inflammationem,aut obſtructionem,eum morbũ facere poſſe teſtatur,non tamen craſſos ac tenaces humores. Morbus hic frequẽtiùs accidit ætate minoribus,& ea ratione ab eodem faciliùs liberẽtur pueri adultioribus.Plurimi autem ab eo morbo pereũt,præ accidentiũ magnitudine, ac malitia.Signa ſunt,dolor vehemens circumuolutus ſupra vmbilicum,ructus inanes,cohibitio flatus,ructus,& deiectionis,cũ murmure, ſed perſeuerante atq; increſcente malo,vomitus bilis ſuperuenit,& in lethalibus fæces ipſæ vomũtur,ſuperueniunt ſudores,extremorũ refrigerationes, & ſpirandi difficultas. Morituris præterea inquit Aetius ſuperuenit ſudor frigidus,vrinę difficultas, & podex ita aſtrictus,vt neq; ſpecilli acumen capere poſsit.Quam ſentẽtiam immeritò damnat Argẽterius ignorãs cauſas horum ſymptomatũ, quas non eſt ſanè difficile inuenire:nam qui dolorẽ validũ patitur in ſuperioribus inteſtinis ob inflammationẽ,ex diſtentione ſepti trãſuerſi,magis dolet compreſſa parte inflammata,atq; ea ratione difficilè ſpirant,vt dixit Aetius ibidẽ.Quod autem attinet ad vrinę difficultatem, conſtat ipſam non fieri difficilem,quoniam non defertur ſerum per renes in veſicam,vt ipſe Argenterius fingit, ſed quoniam ad vrinæ expreſsionem iuuant muſculi abdominis: hi verò ceſſant à munere ſuo ob vehementiam doloris inteſtinorum,qui compreſsione augetur.Quod verò attinet ad podicis clauſuram, verum ſanè eſt: nam muſculus

Ileos.

Chordapſon.

Volvuli ſigna.

Argen. lib. 1. de ſig. me. cap. 7.

anum claudens præ dolore partium ſuperiorum conuellitur & membra omnia inferiora ſurſum trahuntur, impetu quodam expellentia excremẽta ventris per ſuperiora, & vomitu ad fæcum vſque expultionem. Incipit namq; nonnunquam ab inferis partibus impetus excretionis compreſsis ipſis. Etenim hunc excretionis modum annotauerat Gal. lib. 3. de cauſis ſymp. dicẽs. Quum enim ſecundum naturam ſe habuerit ventriculus, è ſupernis partibus ad ſe trahit, atq; per inferiores deiicit: quum verò præter naturã affectus eſt, etiam ab infernis aliquid aſſumit. Quippe nõnullis clyſteres adeò aſcẽderunt, vt vomitione reiicerentur, quemadmodum & ſtercus per lethales voluulos. Atqui ſatius fuerit per huiuſmodi affectus, vt dicamus ventriculum non trahere, ſed ſuſcipere dũtaxat ea quæ ob inteſtinorum compreſsionem violẽter ſurſum feruntur. Nam quod inteſtina (etenim de his aliquid dicere operæpretium fuerit) conſtringuntur, id ipſis ſecundũ naturam conuenit, id quod in aliis libris iam diximus, atque conſtrictionis auxilio adiuta, cibum ad inferas partes deiiciunt: verùm per affectus quoſdam quum cõſtringi inceperit, ea quæ in ipſis continentur, ab infernis ad ſuperiora ferũtur, ita ſolet euenire nonnullis, quibus non licet ventris onera deponere, quia verſantur in foro, vel in alio loco, vel negotio, vt humor quiſpiam acris ad ſedem vſque deſcendat, ibiq; violenter retentus, rurſus ad ſupernas partes referatur, atq; tum & ventriculum rodat, & caput vaporibus impleat. Incipit enim motum à podice animalis potentiæ inſtrumento: deinde quodlibet inteſtinorum ipſum à ſe expellit ad proximum quod loco ſuperiore ſitum ſit, aut aliter quàm antea, quum deorſum trudebatur. Atq; ad hunc modum flatus interdũ retentus recurrit: itaq; non mirum videri debet, ſi per tam violentas inteſtinorum conſtrictiones aliquando tum clyſter, tum ſtercus ad ventriculum præter naturam referatur, atque ſic vomitionis impetum excitet. Hæc Gal. ex quibus manifeſtum eſt, experimẽtò id docẽte, in lethalibus ileis, & in aliis in quibus inteſtina ab ima parte validè mordentur, ab ea impetum conſtrictionẽmq; incipere, & ad ſuperiora inteſtina traduci ex imis partibus excrementa, in his autem conſtrictionibus podex quoque conſtringetur, imis partibus in lethalibus ileis conſtrictis, & ad ſuperiores partes pellentibus. Conſentientibus tamen omnibus inferioribus inteſtinis & impetum iuuantibus, ipſo quoque ano. Sed iam ad voluuli curationem redeamus. In victus inſtitutione id tantùm ſeruandum, vt quieſcant, & dormiant, & alimento vtantur pauciſsimo, ac facilis coctionis, quale eſt, ptiſana hordei colata, aut liquidũ amygdalatum, aut ius pulli cum melle, ſi à cruditatibus acidis malum ortum habuerit. Has verò ab initio vomere oportet, bibita aqua mulſa, aut etiam cum raphani decocto, obtundemus autem morſum excrementorum ſi acria fuerint, ſuperbibita aqua calida: hæc verò hordeacea ſit. Cùm verò cruditates è ventriculo fuerint expulſæ, flatus, & fæces ab inteſtinis deorſum trahemus, glandibus longioribus, de quibus ea quæ conficitur ex hiera picra, cum cumino, aut melle toſto cum puluere rutę. Clyſteria verò iniicienda, ex decocto maluarũ, ſeminis lini & oleo rutaceo. Aliud, decocti radicis cucumeris ſylueſtris lib. j. ℔. mellis ʒ. ij. hieræ picræ ʒ. ℔. ſalis ʒ ℔. Aliud, decocti betæ & mercurialis lib. ij. ℔. olei laurini, olei rutacei vtriuſque ʒ. j. ℔. hieræ Rufi. ʒ. iij. ſalis. ʒ. ℔. Aliud, decocti maluarum, fœnogræci, & anethi lib. j. ℔. ſucci centaurij ʒ. ℔. mellis ʒ. ij. ſalis ʒ. ℔. aut centaurium cum reliquis elixare præcipies, & vaccinum butyrum addes. Deinde fomẽta podici admouenda ex decocto cẽtaurij, rutæ, cumini, anethi, ſpongia in eis madefacta. Fit nonnunquam vt duræ fæces retentæ hoc malum efficiant, quibus id tantùm ex vſu erit vt fæces modis omnibus emolliantur, ac deſcendant, quod fiet per decoctum maluarum, fœnogręci, & caricarum, addito melle & oleo anethino, & camæmelino, ac ſale, quibuſdã etiam caſiam fiſtularem addimus, nos hieram ad clyſteria paratam ex 16. medicamentis cõpoſitam iniicimus, hæc quidem ante cibum, verùm vt Aetius inquit, malo vrgẽte adhuc poſt cibum, ventrem quoq; ipſum fouere oportet oleo anethino, & butyro, aut vnguento dialtheas.

Voluuloſorum victus.

Ex

Expedit etiã eiusdẽ vnguenti drachmas duas cũ reliquis clysteribus admiscere. Quosdã etiam in solium ex decocto maluarũ, altheæ, seminis lini, & fœnogræci descẽdere præcipimus, & per quartam horæ partem ibidem immorari, deinde ventrẽ oleo calenti infusa lana fouere. Oribasij remediũ, Anethum in aqua & oleo decoquatur, atq; ita bibatur, deinde frusta panis ex aqua feruẽti præbeantur, mirum in modũ iuuantur, inquit, etiam si iam stercus vomatur. Pariter rutæ & cumini tritorũ ʒ. j. in potu præbeatur, aut anisi & piperis pares portiones in aceto mulso. Quod verò quidã stercore duro intestinis existente medicamẽta expurgantia propinãt, non laudo, magnam enim inferũt violentiam aliunde trahentia humores: valde quoq; implent intestina, ac perinde valentius vomere cogũt, admitto tamẽ vsum casiæ fistularis cum decocto maluarum, quæ ventrẽ lenient. Bile tamẽ ac pituita citra inflammationẽ voluulũ efficientibus, ventrẽ purgare conuenit, hiera Rufi, aut elect. diaphœnicon in aceto mulso, clysteria eisdẽ conuenient ex decocto maluarum & mercurialis cum melle, sale, & hiera ex 16. medicamentis. Nihil etiam nocebit bibita hiera prædicta, nisi facilè deorsum cedat: nõ pauca enim pituita ac bilis simul purgabitur. Si ab inflammatione malũ procedat, cũ febre aderit angustia magna, dolor & vomitus vehemens, & ardor, in quibus ita affectis sanguinẽ mittere conuenit, secta vena interna cubiti, deinde sequentur localia remedia, de quibus est fotus ex rosaceo, & anethino, aut ex oleo nardino, deinde lana succida oleo calenti & vino immersa, ac desuper emplastrũ molle apponendum ex hordeacea farina cũ aqua & oleo, cui ab initio rosaceum addẽdum, deinde camæmelinum. Breui tamẽ tendit inflammatio in suppurationẽ, siquidem intra tertiũ diem, cum fæcum vomitu solet interimere hominẽ. Aetius tertiam aut quartam horam non excedere dixit, nisi ad suppurationẽ tendat, aliàs tamen longior morbus fiet: clysteria verò fient ex decocto maluarũ, radicum altheæ, seminis lini, cum butyro & oleo violaceo: desuper verò cucurbitulas scarificatas affigere tutũ est, & inclinante morbo theriaca diluta in aqua instillatitia fœniculi, aut papaueris rubei. Si ex veneni potu voluulus concitetur, vomitu reiiciendum venenũ bibita multa aqua tepida, oleo superaddito, deinde ius carnis pingue, aut butyro ibidem liquato, bibẽdum, ac rursus vomendum, deinde theriaca in potu præbenda, cum aqua instillatitia bugloſsi, aut pauco vino diluto. Quòd si malum euenerit ex delapsu intestinorũ in scrotum, corpus supinum situandum & intestina sensim oleo calenti illitis manibus in ventrem reducenda, deinde ligatura compressa adiicienda. Si verò ex violento reditu inflammatio sequatur, vt diximus curanda veniet.

Oribasij remedium.

Voluulo ab inflamma. remedia.

De Coli dolore, Cap. XVI.

COLON Intestinum, dolor nonnunquam exercet, quem coli dolorem, aut colicum morbum appellãt, cuius causas prægressas modò annumerare foret importunum, nisi cum Gal. li. 2. de Loc. pat. diximus, colicos nominatos affectus magna ex parte præcedere cruditates, spiritus flatuosos, vomitus, & nauseas multo tempore inanes, & in præcordiis morsus, fastidium, & ciborũ indigentia. Causæ tamen quæ in ipso intestino cõtentæ dolorem prædictum efficiunt, sunt crassa ac lenta pituita intestino pertinaciter hærens, aut flatus qui nõ inuenit exitum, aut acres humores intestinum erodentes atque ipsi infixi, aut inflammatio. Aut fæcum durarũ retentio, à quibus colicum dolorem ortum vidimus, sicuti & non pauci ex nostris prædecessoribus, atq; sanatio morbum ostendit. Si morbus à crassis & frigidis humoribus oriatur dolor grauis infestabit partes quæ ad vmbiculum attinent, ita vt intestinum terebro perforari videatur, & ructus, & flatus omnis, atq; fæcũ excretio cohibebitur, sed vomẽt quandoque varia ac pituitosa. Cùm verò aliquid deiiciunt id bubulo stercori simile est, & aquæ innatat spumosum, & pituita fæce commixtum: quandoq; etiam fit vt vitrea pituita excernatur, ac morbum sedet. A cibis molestãtur, &

Coli dolor.

Colici morbi signa.

grauantur,& deiecto excremento leuantur, ita vt tum hac nota, tum fæcum natura,tum loci mutationem,colici,à nephriticis distinguantur. Nephritici namq; vna in parte firmatum sentiunt dolorẽ: colici vero circumactum,& sæpe supra renum regionẽ, præterea nausea, & excrementorũ retentio colicis maior est,& vomitus excrementorum corruptorũ. Verùm vt colici frigido ac crasso humore excreto iuuantur,& leuantur,ita nephritici mista crassa urina arenulis,& lapide. At quamuis ab initio difficilè videatur hos morbos interstinguere, non magna refert, siquidẽ clysteria ventrem lenientia & dolorem mitigantia, vtriusq; sunt ex vsu, antecedunt tamen quæ cruditates efficiunt, & pituitam augent. Flatum doloris causam esse, vehementia distentionis intestini agnosces cũ pauca grauitate, nisi pituita ac flatus simul molestent. Vehementia præterea doloris docet in crassis potiusquã in tenuibus ipsum cõsistere, teste Gal. li. 2. de Loc. pa. cap. 1. Mitior autem si fuerit, aut causæ paruitatem ostendet, aut quòd in tenuioribus consistat intestinis. Acres humores coli dolorem efficere agnosces, ex doloris natura, ardore, siti, vigiliis, & biliosis excrementis, & vrinæ ruffedine, & vt Galen. lib. 1. de Lo. patientibus dixit, à calidis tum cibis, tum medicamentis irritantur, & ab omni calorifica victus ratione. Inflammationẽ comitantur, litis, ardor, fubris, dolor vehemens & sæpe pulsus, & nauseæ vehementiores, ac vomitus, fæcis, & flatus retentio, & omnimodæ cohibitio inter initia. Fæcum duritiẽ ostendunt grauitas magna intestinorum distẽtio tanta, vt disrũpi videantur intestina. Antecessit vsus adstringentium, vehemens exercitatio, & calor iecoris adest: præterea solitus est æger fæces tardè excernere. Sequitur autem excretio squibalarum & mucorum, crãssis itaq; ac pituitosis humoribus coli dolorem efficientibus. Victus conueniet calefaciens & pituitam extenuans. Panis sit non aridus ac durus, neque recens extractus à furno, bene fermentatus, & modici furfuris. Ex carnibus gallinæ nouellæ eligantur intra annũ, & nouellæ perdices, & turtures, turdi, & palũbi, & gallinæ mõtanę, quas cecas appellant Hispani, & pauones Indi. Aues tamẽ in aquis degentes omnes vitandæ. Ex quadrupedibus, hœduli, ac cuniculi, qui annum non attigerũt, conducunt. Ex piscibus, laurax, asellus, mulsus, nõ frequenter, solea, plaicia, scarus, turdus, gobius, legumina vitãda nisi raro lẽtem cũ beta ad liquationẽ elixam præbeas, & ex oleribus apium, asparagus, fœniculũ, petroselinũ. Alliorũ autẽ vsum, vti rusticorũ theriacã, Gal. laudat, quòd calefaciat, & flatũ discutiat, citra sitim. Potus vinum albũ anni vnius, nõ dulce, non acidũ, sed modicè adstringẽs præseruationis gratia. Cùm autẽ in morbum inciderit, nulla participet adstrictione, quale est, vinũ à sancto Torcatio, suffauum, aut vinũ persimile à Corpa, aut Yepes, aut Lilio ad nos delatum. Summa curationis his perficitur quę humorẽ extenuãt, coquunt, & euacuant.

Colicæ à pituita curatio.

Quæ verò extenuat, si calfaciant validiùs humorẽ inflatum vertunt, atq; inflant, dolorẽ distentione augẽt. Conuenient itaq; clysteria, glãdes, & quandoque purgatio, & fomẽta, ac cataplasmata, quę hos vsus implere possint: insessiones verò, cucurbitulæ, & illitiones eorũdem loco subrogantur. Clystere optimũ ex vino albo, & melle cõficimus, aut ex vino, & oleo rutaceo, aut ex melle & oleo anethino, ac vino. Aliud, decocti anethi, origani, polij, rutæ li. j. ß. olei anethini ʒ. ij. olei rutacei ʒ. v. Aliud, decocti pulegij. melilothi, rutæ lib. j. ß. hierę ex 16. medicamẽtis, aut hierę Rufi ʒ. j. olei rutacei aut irini ʒ. v. salis ʒ. j. Aliud decocti anethi fœnograeci, seminis lini, mercurialis, quantũ satis fuerit olei anethini & mellis vtriusq; ʒ. iij. salis ʒ. j. Aliud, decocti radicum cucumeris siluestris & fœnograeci li. j. ß. olei irini & rutacei vtriusque ʒ. iij. salis. ϑ. ij. Glandes ex hiera parantur cum puluere cumini & sale, aut ex melle tosto & puluere hieræ Rufi, & sale, aut ex hiera ex 16. medicamen. cum puluere rutæ siccæ & sale: sint autem longitudinis sex digitorum, vt musculum qui anum claudit excedant. Fomenta ventri fient ex oleo irino, laurino, anethino, & rutaceo calidis, cum lana, quibus & clysteribus adipẽ gallinæ, aut anatis addere decet.

Ane

Anethum autem, ruta, melilothum, polium, pulegium, lini semen & similia in vino elixanda, deinde cum oleo anethino aut rutaceo malaxanda, & ad emplastri formam admouenda. Ex elixatione earumdem herbarum & seminum insessiones facimus. Aqua mulsa aut siropo de quinque radicibus, & melle rosaceo colato præparato humore, ipsum purgare conueniet, cum elect. indo, aut hiera Ruf, aut pilulis aureis, conuenient purgato corpore cucurbitulæ abdomini affixæ cum multa flamma, & castoreum quantitate ʒ.ij. cum vino, aut melle rosaceo, non semel, sed sæpe, valet in eum vsum quammaximè stercus lupi, præsertim quod super herbas ceciderit, cum vino, aut aqua mulsa, drachmæ vnius pondus in ipsa accessione, aut si morbus per interualla repetat in ipso interuallo, præuisionis gratia. Aut iliis alligetur cum ceruina pelle, ac valebit amuleti nomine, Galerita, siue corydalus, Hispanis cogugata elixa in simplici iure ipsa edenda, ius autem bibendum. Nos eamdem cum anetho elixare præcipimus in eum vsum. Vinum præterea mulsum mirificè eisdem auxiliatur, & quam nos claream appellamus. Optimum verò remedium est vinum absinthites, quod fit comis absinthij, in vino albo modicè valèti elixis, accipies tamen absinthij ʒ.ij. vini albi à sancto Torcatio, lib. iij. bullient ad consumptionem quartæ partis & colaturæ accipiet ʒ.vj. ieiuno ventre, fiet etiam probè vt nos facere præcipimus si multi acceperis libras centum, absinthij libras duas, & mustũ suapte natura bullire permiseris, deinde absinthium proiicimus & vinum seruamus in annum, & duos annos, quo vtimur, & antiquiori: nihilo enim deterius redditur antiquitate, & theriaca in vino diluta. Ea tamen quæ stuporem inducunt, vti Philonis medicamentum, & theriaca recens, & reliqua nisi extremè vrgente malo, vitanda sunt, etenim quamuis dolorem demortua facultate sentiente sedent, is deinde maior quàm antè redit: frequens verò eorum vsus ad immedicabiles affectiones sæpe deduxit.

Colice à flatu.

Si verò dolor colicus à flatu ortum habeat, alimenta anisum, cuminum, & carui habebunt immixta & inspersa, clysteria iniicienda erunt ex decocto anethi, camæmeli, melilothi cum seminibus anisi, carui, cumini, addito oleo anethino, & rutaceo, ac laurino. Emplastra ex eisdem herbis elixis fient, & cum prædictis seminibus trituratis & oleis de absinthio, laurino, & rutaceo malaxatis, & ex eisdem oleis fomenta conuenient, & potus diacumini cum vino, aut dianisum, aut cuminum, aut carui. Allium cum pane rusticis præsertim citra sitim, vtilissimum est ad flatum discutiendum, & castoreum cum vino, aut aqua mulsa, sit eius pondus ʒ.ij. & cucurbitulæ tum magnæ, tũ etiam frequentes, cum multa flamma abdomini affigendæ: id enim incantationis modo prodesse nouit antiquitas. Verùm vbi crassa subest pituita, non est tuta hæc curationis species, vertitur enim pituita in flatum à calore ignis & malum augetur.

Colice ab acribus humoribus.

Ab acribus humoribus colon intestinum erodentibus notum est sæpe morbum eum fieri. Quibus alimenta conueniunt quæ non corrumpantur facilè, aut à calore mutentur in prauam naturam, vti carnes gallinarum elixæ cum lactucis, aut hordeo, aut auium extrema, atque etiam quadrupedum, vt hœdorum, & veruecum anteriores pedes: tenuius alimentum est ptisana hordeacea, si verò intellexeris à iecore mordaces confluere humores, cum carnibus pullorum vuam acerbam, aut malum cotoneum elixabis, sed purgatio contentorum in ventre præcedat. Potus verò sit aqua hordei, aut decoctum prunorum. Præcipua tamen curationis ratio in purgatione consistit, verùm humores acres intestinis pertinacius hærentes, purgantur probè hiera picra, aut cum melle, aut in pilularum forma, quantitate ʒ.ij. sumpta. Aut purgabitur per decoctum prunorum, aut tamarindorum, aut myrobalanos luteos tostos. Expedit autem non tantùm in ipso afflictionis tempore, sed etiam præuisionis gratia, ita purgare ventrem. A purgatione verò conueniet mica panis in succo mali punici, aut panis cum oxysaccharo, aut siropus de acido limonum, aut saccharum rosaceum cum aqua hordei, aut panis in suc-

co vuæ acerbæ, dolore autem validè infestante, Philonis medicamentum, & quæ modicè stuporem inducunt vtilia sunt, in hac potissimum colici doloris specie. Si verò intestinum inflammationem patiatur, victus conueniet qualis ad volvulum patientes ex inflammatione dictus est. Curationem autem incipiemus à sanguinis missione secta interna cubiti vena, si vrinæ adfuerit difficultas non hæc, sed quæ in malleolo secanda, autore Paulo: præmisso tamen clysteri ex aqua hordei & oleo rosaceo. Ab his quæ validè purgant ventrem abstinebunt, sed ventrem fouebunt oleo melino ab initio, deinde eidem mixto oleo camæmelino, ceratum fiet quod recipiet farinæ fabarum ʒ.ß. vitellos ouorum duos, olei camæmelini, & rosacei vtriusque ʒ.ij. ceræ ʒ.iij. Hoc idem mollius efficies, si olei quantitatem auxeris, & ceræ minueris, aut muccilaginem seminis lini miscueris. Cucurbitulæ quoque abdomini affigendæ sunt cum scarificatione. Reliquum est vt curationem doloris coli à fæcum retentione tradamus, cuius curatio in fæcum detractione consistit: vnica verò ratio medicamentis ad id valentibus est communis, nempe emolliendi vis. Emolliuntur autem fæces clysteribus & bibitis, & ventri illitis. Victus tamen omnimodo sit humectans, vt ius carnis, cum prunis, aut pruna ipsa cum saccharo, & potus sit decoctum prunorum, aut aqua hordei cum saccharo, clystere fæcem emolliens, maluarum, radicum altheæ, vtriusque manip.j. seminis lini, & fœnogræci, vtriusque p.j. bulliant in libris tribus aquæ ad consumptionem tertię partis, de quo accipe lib.j.ß. olei violacei ʒ.iiij. sacchari ʒ.ij. Aliud, decocti maluarum, prunorum & violarum lib.j.ß. olei violacei & camæmelini vtriusque ʒ.ij. casiæ fistularis ʒ.j.ß. sacchari ʒ.ij. Bibant decoctum prunorum, aut casiæ fistularis ʒ.ij. in eodem decocto, aut in decocto violarum & radicis dulcis. Quibusdam etiam profuit bibere decocti prunorum ʒ. vj. mellis ʒ.ij. olei ʒ.iij. venter etiam foueatur medicamento dialthææ, aut oleo camæmelino, & butyro vaccino, aut oleo & axungia gallinæ liquatis. Apponimus nonnunquam peluiculam butyro plenam vmbilico, quod penetrare ventrem, ac fæces liquare & emollire experimento nouimus.

Colica à fæcum duritia curatio.

De Vermibus intestinorum, Cap. XVII.

Lumbricorum differentia.

LVMBRICI In intestinis generantur, ex crassa, lenta, ac putri materia, quidam longi ac teretes, quos appellant, ὠμοβύς στρογγύλαι, quidam lati, qui ex interna intestinorum membrana putrescente generantur, dicti ταινίαι, siue ὠμοβύς πλατεῖαι, semini cucurbitæ similes, sed sæpius longiores ac latiores, quidam parui sunt ἀσκαρίδες, dicti, similes iis qui in caseo generantur, atque in quibusdam putridis vlceribus, & in carnibus occisorum animalium, in quibus magnæ muscæ fæcem deposuerunt, quam Hispani appellant quereſa. Generãtur in pueris vermes magis quàm in adultioribus, quoniam in eorum intestinis excrementa crassa, pituitosa, ac putrescentia abundant, atq; etiam cruditates incalescentes. In his autem sæpe cum febribus fiunt, incipientibus, aut in vigore existentibus, aut inclinantibus: sæpe verò fit vt vermes antecedant, qui deinde febres concitent, agitatis in ventre putrescentibus excrementis, & consentientibus reliquis corporis succis, aut ob inediam & inopiam alimenti languẽtibus, deinde succis improbè gubernatis. Aut quoniam cum succi ex alimentis genitis, excrementa quæ cum vermibus putrent, procedunt ad vasa. Ex omnibus peiores sunt maiores, & rubei, aut ruffi, & multi. Longi in intestinis continentur, & ad ventriculum ascendunt, & os, & nares, & iecur ingrediuntur: sæpe vomuntur, aut deiiciuntur mortui, quandoque viui, lati in colo intestino & cæco generantur, & deiiciuntur, non vomuntur. Galen. 3. Apho. sect. comm. 26. raram dicit eius generationem & longissimum esse & sæpe per tota extendi intestina. Ascarides in recto intestino generantur frequentiùs, & natura deiiciũtur, aut arte educuntur. Causę sunt, quæ pos-

ἀσκαρίδες.

sunt

sunt crassos, lentos, pituitosos, ac putres humores aceruare. Hippo. lib. 4. de Morb. dixit, lumbricos rotundos in intestinis infantium gigni in vtero matris, & causam adiunxit, humorem dulcem putridum diu retentum. Signa eorum qui teretes lumbricos continent in ventre sunt, morsus intestinorum, & ventris, tusses ficcæ, somnus longus, in quo sæpe expauescunt, quandoque exurgunt, & rursus oculos claudunt, stridentdentibus, & os deglutientium modo conformant, infantes præsertim, cibo abhorrent, venter eisdem inflatur, ac similem tympaniæ affectum patiuntur, contabescente corpore. Quibusdam euenit fames quædam insatiabilis, quoniam vermes eorum alimentum arripiunt: quidam ex morsu ventriculi compatiente corde animo linquuntur, tremunt, & pulsum habent nunc intercadentem, nunc recurrentem, febricitant sine ordine, extrema refrigerantur, & frigidum sudant, & nares frequenter scalpunt, & os ac lingua humescit, vertiginē, & oculorum turbationem patiuntur. Pruritum sentiunt in ano, ob ascarides, & si vermem aliquem aut vomant, aut deiiciant, id euidentius indicium est, non tantùm affectionis, sed speciei vermium, à quibus afficiuntur. Victus omnibus conueniens extenuans esse debet, ex alimentis calefacientibus & extenuantibus, sed hæc moderanda sunt pro febrium ratione, si adfuerint febres. Sint itaque alimenta boni succi, quæ acetum habeant admixtum in conditura, aut salsamento: exercitatione vtantur si febris non adest, ante cibum, sed inediam non ferent: siquidem per alimenti defectum morsus vehementiores sentiunt, laudatur berula viridis, cum aceto in cibis. Bibent vinū album parum austerum, aut febris ratione, aquam cinnamomi, ventrem autem lenem seruent, quibus clysteria frequēter sunt vtilia, ad morbi curationem. In curatione tamen detergentibus vti decet medicamentis, deinde purgantibus materiam ex qua generantur lumbrici: quod si per expurgans ventrem medicamentum non educantur simul cum materia, eosdem occidere oportet amaris medicamentis. Quoniam tamen fugiunt amara decet prius dulcia ipsis adhibere in potu, & deinde amara, vt inescati capiantur, & amatorum ingestione pereant. Quod etiam facimus, pauca dulcia cum multis amaris, ac validæ amaritudinis miscentes. Semper etiam cauentes ne validas febres irritemus. Extenuamus itaque humorem aceto mulso cum decocto origani, aut calamenthi, deinde ipsum purgamus bibitis drachmis duabus agarici, in decocto pulegij, aut in aceto mulso, aut bibita hiera Rufi, quantitate ʒ.ij. in decocto origani. Ea quoque quæ per rhabarbarum fit purgatio vtilis experimento cognita est, quin & rhabarbarum quamuis non purget ventrem, solet lumbricos occidere, quamobrem eosdem, aut rhabarbarum, aut quoduis aliud purgatorium medicamentum facilius educet. Si verò purgatione non educantur, vermes occidere decet, bibitis amaris medicamentis: & si interim ad ventriculum ascendat, nihil obstat dulcia iniicere clysteria, vt eos auocemus, & in potu præbere amara: nam si hæc prosequantur, morientur, si eadem fugiant descendent. Occisos autem vermes facilè clysteribus educemus. Vbi æger febre vacet, lumbricos interimes siropo de absinthio, siropo de mentha, abrotono, aut puluere foliorum persici, cuius sit ʒ.ß. in aceto mulso, aut siropo de mentha: aut tantundem pul. dictamni accipient, cum decocto mixtrum, aut decoctum mixarum & pulegij, aut accipiet farinæ lupinorum ʒ.ß. pul. foliorum rutæ, menthæ, absinthij, & gentianæ, singulorum ʒ.j. cum siropo de absinthio, aut decocto mixarum & melle formentur pilulæ paruę, quarum deglutiet decem, aut in boli forma bolos duos ponderis ʒ.j. Si tamen febricitauerit, decoctum mixarum valet, aut cornu cerui vsti ʒ.ij. in aceto mulso, aut aqua mulsa, aut seminis brassicæ ʒ.ß. cum siropo de mentha, aut seminis portulacæ ʒ.ij. cum decocto dictamni, aut pulegij, aut siropo de mētha, aut siropo de radice dulci. Clysteria verò conficimus ex decocto pulegij & absinthij in aqua mulsa, dulcedo namque mellis ad lumbricos capiendos est necessaria, aut simile decoctum

Lumbrici pueris ab vtero matris.

Victus aduersus lumbricos.

Lumbricorum curatio.

ctum fiet ex minori centorio, aut ex herba lumbricorum, quam appellant Hispani, lumbriguera, cum hiera picra, aut fient ex decocto absinthij, centauri minoris & cumini addita benedicta, hiera tamen medicamentum omnibus proficuum est, & aloe in clysteribus, aut bibitum cum aqua multa, clystere optimum ac probatissimum fit ex lacte feminis canabis, cum hiera picra, aut hiera diacolocynthidos: nam colocynthis vermes occidit. Ventrem quoque lenire præcipimus felle taurino, & desuper inspergimus aloe, aut addimus puluerem herbæ lumbricorũ, aut liniendus venter felle ac melle, addito puluere pilularum de hiera, aut absinthium & centaurium in viuo diluto elixentur ad vini consumptionem, & herbæ cum aloe, & felle taurino malaxentur & superponantur ventri: valet si febris magna non adest. Si tamen fluxus ventris accesserit, decoctum foliorum persici ad clysteria commodũ erit, addito puluere eorumdem, & acacia, & malicorio, aut ex decocto corticum mali punici, cum prædictis adstringentibus eadem conficiemus, aut etiam addemus oleum melinum. Nos hoc ordine non paucos curauimus, qui septimum ætatis annum excedebant. Ieiuno ventre eos exercitari præcipimus, depositis excrementis ventris & vesicæ: deinde hora qua prandere assuerunt, dedimus eis ʒ.ij. pilularum de hiera, aut paulò minùs, & de super aquæ mulsæ ʒ.ij. Quibus adeo præsentaneum fuit auxilium vt intra quatuor horarũ spacium, & quandoque trium inedia seruata, deiecerint vermes omnes & magnam eorum copiam intra vasculos quosdam membranaceos. Latos tamen lumbricos prædictis remediis curauimus. Verum ascarides infantium clysteribus ex muria & oleo de absinthio curamus, aut succo canabis, aut adultioribus iniicimus clystere ex decocto centauri cum hiera picra, & sale, aut decocto absinthij addemus hieram picram, aut aloem. Aut ex petasone glans longiuscula formetur & supponatur filo alligata, quamdiu retinebunt, deinde enim extracta non paucos vermiculos adhærentes secum trahet. Præterea glans ex melle tosto & aloe valet: rursus verò prædicta clysteria iniiciantur. Lumbricos præterea & ascarides extrahit vinum in quo elixetur radix mali punici arboris, bibitum, aut iniectum. Eosdem occidit vapor aceti in quo elixum fuerit melanthium, aut eiusdem vsti fumus.

De Hæmorrhoidibus, *Cap. XVIII.*

Hæmorrhoides.

HAEMORRHOIDES à Græcis, & Latinis appellantur, sanguinis fluxiones quæ apertis orificiis venarum quæ ad anum sunt, fiunt, sed affectionum communione placuit hæmorrhoides appellare tumores qui ibidem fiunt, ex sanguinis influxu, intumescentibus extremis venarum quæ sunt ad anum: sed nominant eas cum additione hæmorrhoidas cæcas, quoniam non mittunt à se sanguinem, aut paucissimum. Appellant easdem latini ficus, & mariscas ob similitudinem: quoniam ficus quasdam, mariscas nominant. Causa huius mali est, sanguis multus, crassus, fæculentus, & melancholicus, qui à iecore traditur, aut ex vniuerso corpore redundat, aut post dimissam aliquam euacuationem, sanguinis narium, aut menstruorum, sanguis qui vacuari solebat, in eam partem decumbit. Quam ob rem eo morbo laborare nouimus, fœminas suppressis mensibus, aut post partum sanguine ad eas partes compulso: aut viros post quadragesimum annum, cùm sanguis ad auctionem non est necessarius, & is assatur, & crassus redditur. Idem facit vsus ciborum melancholicum sanguinem generantium, & diuturna solicitudo, ac mœror. Signa sunt dolor ani cum tumore vno, aut pluribus, cum punctione, & sanguinis manatione, aut etiam sine ipsa. Vbi verò non manat, si arte prouocetur, morbum leuat, si verò manauerit immodicè, malum corporis habitum, refrigerationem, & hydropem afferre solet & facultatis naturalis languores ac mortem, si tamen fluentes hæmorrhoidas sistere importunè velis, non minora induces mala, vti obstruction

structiones iecoris, febres quartanas, hydropem, maniam, aut melancholiam, ac perinde si fluentes curare velis, cautè agendum. Victus itaque eis conueniens erit ex alimentis bonum ac paucum succum præstantibus, non melancholicis, neque immixtam habentibus facultatem calefacientem: abstinere namque decet a melle, & aromatibus, præsertim si fluxerint: cùm tamen fluxus modum excedit, austeris & acerbis vti conuenit, vt iure carnium cum quibus mala cotonea, aut pyra acerba elixentur, & oryza, & succus arancij, succus vuæ acerbæ cum carnibus, & cicorium, & endiuia, & aqua mastichina bibenda, aut vinum album austerum. Infestantibus autem cæcis, à vino abstinendum, & aqua cinnamomi, aut radicis dulcis bibenda, atque si punctio in parte sentiatur, aqua hordei, ventrem lenem seruabunt, aut clysteria eisdem iniciantur, ne fæces duritie eas partes lædant. Ab exercitationibus abstinendum, dum malo premuntur, ab equitatione verò maximè. Cæcarum hæmorrhoidarum curatio bifariam impletur, doloris mitigatione, & earumdem apertione. Mitigatur dolor, attemperantibus calorem, aut resoluentibus, siccantibus, & euacuantibus humorem, aut stuporem inducentibus. Attemperat mica panis cum lacte elixa & malaxata deinde applicita, rursus emplastrum ex violarum floribus & hordeo elixis & malaxatis. Præterea olei rosati ʒ. j. cerusæ ʒ. ß. tragacanthi ℈. j. liquoris albi oui. ʒ. ij. ceræ ʒ. ij. misce, hoc medicamentum miro modo dolorem & calorem mitigat. Attemperant quoque calida anodina appellata, vt fœnogræcum, malua, melilothum, semen lini, radix althæa elixa, aut fotus ex eisdem, cum lana aut spongia, & euaporatio, & infessio, in decocto prædictorum, aut brancæ vrsinæ, aut emplastrum ex eisdem, & butyro vaccino, & cepa elixa cum butyro. Hæc quoque nonnihil resoluunt. Exiccant autem tutia, & vnguentum ex eadem confectum, & vngentum de plumbo, & puluis tormentilæ, & decoctum radicis verbasci, & cornu ceruĩ vstum. Præterea floris æris ℈. j. aluminis vsti ʒ. j. cum vino fiat vti sordes. Omnium tamen præstantissimum remedium est, quod multitudinem vacuat, nempe sanguinis missio, præuisionis gratia, aut etiam incipiente morbo, in his qui aliàs eo morbo non laborarunt, vena tamen interna cubiti secanda venit. Quibus tamen humor partem obsedit, & quibus consuetus est morbus, vena poplitis, aut maleoli secanda. Stuporem autem inducit theriaca recens illita, aut Philonis medicamentum, aut rosacei ʒ. j. croci grana 6. opij grana. 4. Aperit autem eadem, succus ciclamini, aut emplastrum ex staphide agria, farina lupinorum, & felle bouis, aut glans ex melle tosto & puluere colocynthidos, aut glans ex hiera Rufi, aut liniantur oleo amygdalarum amararum, cum medulla colocynthidis, & succus centaurij cum melle, & stercus columbinum cum melle, aut ex prædictis emplastra conficiantur, & frictio cum foliis ficus: sed hæc non sine dolore fit, aut sanguisuga arundini includatur, ita vt caput tantùm exerat, & hæmorrhoidi aperiendæ admoueatur. Si verò hæmorrhoides immodicè manauerint, sistenda fluxio est, atque claudendæ sunt omnes, etiam si antiquæ fuerint: dum tamen æger deinde probè regatur: id enim sentio cum Aëtio, atque idem Hippoc. voluisse autumo, cùm dixit: Hæmorrhoidas sanãti antiquas, nisi seruetur, periculum est hydropem, aut tabem fieri (quamuis intelligam Galen. voluisse ex Hippo. sententia, vnam esse seruandam, atque prædictum periculum imminere, nisi vna aperta seruetur. Sic quoque legisse literam Hippocratis.) Aliàs non liceret antiquam aliquam fluxionem sanare, ne humor qui fluere solebat, in partem aliquam ex præcipuis irreperet. Periculum sanè imminere nemo dubitat, id tamen præcautione fugimus, si æger & probè regatur, & statutis temporibus euacuetur sangu. missi. aut purgatione, pro humoris redundantis natura, & in reliquis salubris victus ratio seruetur. Claudũtur autem hæmorrhoides, si immodicè manauerunt, ita vt languor facultatem naturalem sequatur, aliàs id minimè tutum erit: nam hæmorrhoides à multis liberant morbis, nempe melancholia, &

Hæmorrhoidibus laborantibus victus.

Hæmorrhoidum curatio.

quartana. Rursus autore Hippo. lib. 6. de Mor. pop. liberant à morbo lateralí, pulmonia, vlceribus depascétibus, terminthis, formiculis, lepra, & vitiligine. Remedia verò quæ eadem occludere possunt, adstringendi & siccandi vires habent: verùm generalis medendi ratio præcedere debet, auertendus etenim sanguis est, si facultas ad id constat, secta vena interna cubiti. Sin minus, affixis cucurbitulis hypochondriis, & frictionibus ac ligaturis brachiorum. Bibuntur autem, siropus de succo malorum cotoneorum, siropus myrtinus, pastilli de terra sigillata, præstantissimi sunt, & nobis in vsu frequenti pastilli de succino, præbemus etiam saccharum rosaceum antiquum cum bolo armeno, & lapidem hæmatitem cum succo plantaginis. Admouemus autem emplastrum ex aloe, thure, pilis leporis & albo oui, aut cinerem pilorum leporis cum tela aracnei & albo oui, aut inspergantur puluis acaciæ, malicorij, boli armeni cùm pauco calcantho. Aut fiat fomentum ex decocto, balaustiorum, rosarum, myrti, mespilorum, & sorbarum, & aluminis: buliant autem in vino austero, aut ex eisdem malaxatis in linteo compressis fiat sacculus, qui ano applicetur, aut similia decocta infundantur.

De Rhagadiis ani, *Cap. XIX.*

Rhagadiæ.

RHAGADIAE Græcis dicuntur, quę Latinis rimæ, & Hispanis crietas, quæ tales sunt in ano scissuræ, quales in labiis sæpe etiam in intermediis digitis pedum & manuũ fieri solent. Nota admodum passio est, ita vt conspici oculis possit. Causæ tamen sunt, calor cum siccitate, aut sola ipsa immodica siccitas, aut cum humore acri ac mordaci, qualis est bilis, aut salsa pituita, aut ob circũiacentes tumores ad se diuellentes cutim & carnem musculi claudentis anum. In victu alimenta boni succi, & humectantia sunt eligenda, vt caro gallinæ, aut arietis elixa, & spinachia, beta, aut etiam malua, amygdalatum liquidum, & oua sorbilia. Potus sit vinum album pauciferum: vitabunt autem carnes salitas, & salsamenta omnia, & aromata, ventrem autem lenem seruabunt, ne fæces duritie sua impediant rimarum assolidationem. Curatio tamen, in quibus sanguis redũdat, à sanguinis missione incipiet, & à purgatione, in quibus seroſi abundant humores bilioſi, aut salſi. Valet autem deinceps vnguentum de ceruſa quod caphuram recipit, aut fotus ex decocto foliorum oliuæ, polypodio, & alumine, fiat vnguentũ quod recipit, ceruſæ, lithargyrij, plumbi vsti, singulorum ʒ.j. rosacei ʒ.ij. liquoris albi oui ʒ.j. caphuræ ϑ.j. omnia simul in pila plumbea agitentur cum plumbeo pistello, donec in vnũ coeant. Aliud, lithargirij, ceruſæ, plumbi vsti, aluminis vsti, thuris, singulorum ʒ.j. axungiæ gallinæ, anatis, axungię porcinę sine sale, olei amygdalarũ dulcium, olei de papauere, singulorum ʒ.ß. lento igne misceantur, & addita cera fiat ceratum liquidum, ad vnguenti formam, quo bis aut ter in die liniantur rhagadiæ. Aliud, olei rosacei, & myrtini, vtriusque ʒ.ij. mastiches, myrrhæ, mannæ, thuris, aluminis vsti, singulorum ʒ.j. vitellus oui assi vnus, ceræ ʒ.ß.

De Procidentia ani, *Cap. XX.*

Ani procidentia.

PROCIDIT Anũs non aliter quàm relaxato & humectato musculo anum claudente, atque eis qui anum sursum retrahunt: ac fit morbus hic veluti aliarum partium paralysis. Causæ sunt quæ possunt pituitam augere, & nimia refrigeratio ani, qualis natantibus in aqua frigida euenit, & his qui pedes cõtinent diutius nudos, aut in humido & frigido loco, aut in lapidibus sedẽt frigidis, & frigido tempore. Rarò quoq; ob inflãmationem ani. Quibus victus ratio exiccans esse debet, & carnes assę offerendæ, & oryza cum iure carnis & lentes sic paratæ, & succus vuę acerbæ, & mali punici, & vinum austeritatis particeps. Fæx verò emollienda clysteribus, si dura fuerit, ne descendẽs secum anum pessundet. Inflammatio sangui-

Ani procidentis victus.

nis

nis missione curanda est, scissa vena interna cubiti incipiente morbo: sed iam partem obsidente secabitur vena quæ est in poplite, aut malleolo interno. Repellemus autem sanguinis impetũ decocto rosarum, balaustiorum, malicorij, cum acacia, & hypocistide, aut cum rosaceo, & decocto gallarum & myrti. Procedente autem morbo admiscebimus camæmelum & anethum, maluam, fœnogræcum, & semen lini. Verum si plethora non præcesserit, non opus erit à sanguinis missione incipere, sed statim vti fomento ex rosarum, myrti, camæmeli, & fœnogræci decocto, & illinire anum oleo camæmelino, & anethino, immixtis rosaceo, aut myrtino. Si tamen relaxatio ani ab humore irrigante musculos procedat, is purgandus erit, si in toto corpore redundauerit, aut ab intestinis detergẽdus veniet, clysteribus ex aqua mulsa, cum decocto origani, polij, calamenthi, mercurialis & similium, cum sale copioso, aut ex sola muria clystere iniiciendum, & anus muria abluendus. Deinde anum inspergemus puluere acaciæ, & hypocistidos, aut eumdem fouebimus vino in quo ebullierint rosæ, balaustia, cortices glandium, folia oliuæ, malicorium, rhus, myrtus, & quæ acerbam facultatem habent: deinde manibus oleo myrtino illitis intramittatur anus, & rursus pari modo cum spõgia aut lana foueatur prædicto vino calenti & clysteribus eius facultatis vtemur. Ossi tamen sacro emplastra calefacientia & exiccantia admouebimus.

Ani procidentis curatio.

DE MORBIS IECORIS ET LIENIS,

SECTIO OCTAVA.

De Iecoris imbecillitate, Cap. I.

HEPATICOS Gal. nominat, sicuti & reliqui artis medici patroni, eos qui iecoris imbecillitatem patiuntur, quique ad functiones naturales iecoris inualidi sunt, nullo alio apparente morbo, nec tumore, nec vlcere, nec putrefactione, quemadmodum & cæliacos nominant qui ventriculi languorem sentiunt, citra tumorẽ, aut vlcus. Facultates sanè iecoris naturales sunt omnibus membris natura insitæ, iecoris vero maximè, quod naturalium facultatum est origo. Naturales facultates sunt, tractrix, retentrix, coctrix, & expultrix, quarum robur in temperamento membri situm est. Quod etiam mutato tẽperamento in facto esse mutatur, ac perinde langorum iecoris, distemperãtiæ sunt causæ. Distemperãtia verò omnis est calida, frigida, humida, aut sicca, aut ex eisdem composita, & hæ omnes aut cum humore, aut sine ipso. Intemperantiæ autem morbi sunt, imbecillitates verò insignia quædam symptomata, quæ sublatis intẽperantiis statim auferuntur. Harum omnium curationis communis ratio est contrariorum adhibitio, & peculiaris proprij contrarij admotio. Calida itaque intemperies agnoscitur ardore hypochondrij dextri, siti, & quandoque febre, & ciborum aduersione. Humores liquantur, veluti in febribus pestilentibus, & vruntur, ac bilioſi & crassi descendunt, & excreti prauum referunt odorem, nonnunquam & caro ipsius iecoris linquatur, & corpus vniuersum tabescit, & vrina ruffa redditur. Frigida autem superante intemperie, nec febricitant nisi ob causam aliam, vt humorum crassitudinem, & obstructionem cum putredine, nec cibos auersantur, ac longus morbus fit, nec tabescit corpus, sed sæpius in malum deducitur habitum. Quæ verò excernuntur liquamina non sunt, nec fœtent adeò, & ventrem non irritant frequenter, sed ad tempus excrementa accumulantur & pelluntur, & quandoque ad atræ bilis speciem, quæ talis non est, sed potius fæx ac limus sanguinis: aliquando verò similis loturæ carnis, si tamen cum calida intemperie, aut frigida, humida iungatur, humidior erit deiectio, si sicca, siccior. Decet quoque distinguere cuius facultatis sit imbecillitas ex notis; si namque trahens imbecilla fuerit, ventre non laborante, deiectio chylosa erit & liquida, alimento

Hepatici.

mutato sed non diducto. Si tamen deiectio fuerit similis loturæ carnis, diductum fuisse alimentum significat, sed non superatum à facultate coctrice iecoris. Victus calida laborantibus intemperie ex alimentis sit, caro gallinæ, aut pulli, cum lactucis, aut ipsæ lactucæ, & endiuia, cucurbita, & cicorium, & ptisana hordeacea cum aceto, & carnes cum succo limonum, aut vuæ acerbæ, & panis hordeaceus, & vuæ passæ in calida intemperie acidiores, in frigida dulces, sed vinaceos comminuere & edere oportet. Potus verò sit aqua hordei, aut aqua fontana feruefacta. Eis verò qui frigidam patiuntur intemperiem, conuenit caro gallinæ, aut pulli, turturis, aut perdicis, cum aromatibus; præsertim si humiditas accedat, quod frequentius sit: itaque obsoniis addemus origanum, fœniculum, anisum, cinnamomum, caryophyllos, & zingiberum. Potus autem vinum album parum dilutum, quale est vinum à sancto Torcacio, aut à Yepes, Tale est vinum subpallidum à Corpa, & simile à Cantalapetra: valentiora tamen vina alimenta ante coctionem distribuunt. Curatur autem calida iecoris intemperies his quæ refrigerant ad mensuram; dum tamen celeritas, periculi magnitudine metiatur, & omnem subitam mutationem quo ad fieri possit vitemus, minus etenim secura est refrigeratio, calefactione. Quæ verò refrigerant, quædam ore sumuntur, quædam exterius admouentur, sumitur medicamentum de tribus generibus santalorum, cum aqua instillatitia cicorij, diarrhodon abbatis, saccharum rosaceum, aut violaceum, & siropus de acida limonum, & orysaccharum, dextro hypochõdrio admouemus, vnguentum rosaceum, & in magno ardore ceratum refrigerans Galen. & in calida simul atque humida intemperie ceratum santalinum, & vnguentum, quod conficitur ex oleo violaceo, rosaceo, & nimpheæ singulorum ʒ.j.ß. succi violarum, succi rosarum, vtriusque ʒ.ß. bulliunt ad consumptionem succorum: residuo addes pulueris trium santalorum ʒ.j.ß. ceræ quartam partem. Epithemata quoque superponuntur, hyeme calida: æstate tepida, ex aquis instillatitiis, endiuiæ, cicorij, cum puluere trium santalorum, & pauco aceto. Frigidam verò intemperiem curamus assumpto aromatico rosato, cum vino albo, & cinnamomum saccharo conditum, Hispani dicunt canelones, & radices pimpinelæ conditas, & dianisum: cum his autem bibent decoctum cinnamomi, aut anisi, fœniculi, origani, & hyssopi, aut vinum quod appellant Hippocras. Aut accipient zingiberum conditum, aut acorum conditum, aut siropum de absinthio. Liniemus autem hypochondrium oleo nardino, aut de absinthio, aut vnguento quod recipiet olei de absinthio, olei nardini, vtriusque ʒ.ij. succi eupatoris, succi absinthij vtriusque ʒ.ij. bulliant, ad succi consumptionem, & oleis adde pulueris caryophyllorum, cinnamomi, spicæ nardi singulorum ϑ.j. ceræ ʒ.ij. Humidam intemperiem exiccatione curamus citra magnam calefactionem, vt decocto eupatorij, anisi, cinnamomi, aut cum fœniculi decocto, aut cum dialaca, commoto sudore, aut oleo de absinthio illito, aut nardino, & victu exiccante, ex carnibus supradictis assis, & potu vini fului parum diluti. Si tamen sicca adfuerit intemperies humectabimus, sed non citra aliquam adstrictionem. Humectant autem iura carnium, cum fœniculo, aut cinnomomo, & cremor hordei, aut ptisana hordacea cum spica nardi, quies quoque humectat. Abstinebunt autem à melle, & aromatibus, calidioribus. Laudatur iure Hepar lupi, arefactum & tritum, drachmæ vnius pondere cum vino dulci diluto.

Hepaticorum victus.

Hepaticorum cura.

De Iecoris obstructione, *Cap. II.*

Obstructio iecoris.

OBSTRVCTIONES In iecore fiunt aut à flatu crasso nebuloso, quẽ discutere non est facile: aut à crasis & lentis humoribus infarctis in vasis iecoris, præsertim in his quæ sunt à ventriculo in iecur, per quæ alimentum diducitur, & simas iecoris partes penetrat

trat. Antecedunt ocium, vſus ciborum adſtringentium & craſſæ ſubſtantiæ, retentio menſtruorum, aut hæmorrhoidarũ: ſi flatus fuerit, diſtẽtio ſentietur, & dolor ſine aliqua grauitate. Craſsi tamen ac lenti humores grauant, dolorẽ inferunt, & alimenti diductionem impediunt, qui nonnunquam putreſcunt & febres generant. Præterea ex motu poſt cibũ moleſtantur valde, ac dolent vehementiùs, nec tamen à dolore facilè leuantur. Concitatur quoque dolor flatuoſus ex motu poſt cibum, ſed ſine grauitatis ſenſu fit, & facilè recedit. Accedit amiſsio coloris vitalis, pondus ventris, inualidi quoq; redduntur ad exercitationes, nam ſtatim reſpiratio frequentior multo fit, compreſſo ſepto tranſuerſo, redditur pariter vrina eorum decolorata. Summa curationis eſt deobſtructio, & meatuum apertio, & in aliis flatus diſcuſio, quamuis redundante humore, flatum diſcutientia ſequi debeant eorumdem purgationem. Medicamenta ab obſtructione liberãtia iecur, quædam extenuant, & vrinam mouent, quædam vẽtrem purgant, quæ enim in ſimis iecoris continentur, per ventrem extenuata purgãtur: quæ verò in gibbis, per vrinam. Quam ob rem alimenta eis conuenient elixa, vti carnes perdicum, gallinarum, cum ciceribus, & aſparagi, & verula, & folia raphani. Vinum erit album, aut rufum, nec dulce, nec auſterum, quale eſt vinum ſubpalidum, ac ſubruffum à Yepes, & ſimilè à Cãtalapetra. Reliqui aquam cinnamomi bibent, aut aquam fœniculi: vitabunt autem carnes bubulas, porcorum, & aues paluſtres, ac piſces natura magnos, & polypum, & ex leguminibus lentem, orizam, & panem azymum, & fructus acerbæ facultatis, vt pyra, & quædam poma, & mala cotonea, ſorba & corna, palmulas, & vinum nigrum, & vina dulcia, & exercitationes, à cibis aut poſt cruditates. In curatione præterea aduertere oportet: pleno enim iecore purgatio præcedere debet, deobſtructio ſequi. Hora verò accommodatior ad eorumdem medicamẽtorum exhibitionem eſt iam coctis cibis in ventre, atque diductis, neque decet hæc omino nuda eſſe à facultate roborandi iecur. Ea verò quæ ventrem ſoluunt, in decoctis radicum & herbarum aut ſeminum deobſtruentium dilui debent. Deobſtruunt ſanè frigida, vti endiuia, cicorium, ſoncus, ſcariola, acetoſa, ſiropus acidus, & ſiropus de endiuia, & quẽ ex cicorio conficiunt. Calida ſunt, aſparagus, fœniculus, anethum, apium, petroſelinum, bruſcus, iringium, hyſſopus, calamenthũ, polium, pulegium, origanum, aſarum, ariſtolochia, acorus, cinnamomum, ſpica, gramen, ſcolopendra, carpeſia, capparis, rubea tinctorum, lupinorum decoctum, ac cicerum, camædrys, & centaurium: omnium præſtantiſsimum eſt eupatorium. Adiacentum temperatum eſt. Valet in eum vſum acetum mulſum, aqua mulſa ex apij decocto, & ſiropus de quinque radicibus, dialaca, ſiropus de calamentho, & oxymel ſciliticum. Vnguenta ex horum facultatibus conficimus & cerata, olei anethini, olei de abſinthio, olei nardini ſing. ʒ.j. ſucci eupatorij, ſucci endiuiæ, ſucci graminis, ſucci apij, ſing. ʒ.ij. bulliant ad conſumptionem ſuccorum, & reſiduo addemus ceræ quantum ſatis fuerit ad vnguenti confectionem. Ex ſuccis autem & oleis prædictis calentibus fouere conueniet iecur. Purgant tamen agaricus cum zingibere, aut caryophyllis, & rhabarbarum cum ſpica nardi, & electuariũ indum, in decocto origani: liberat miro modo iecur à craſſorum humorũ obſtructione agaricus in ſucco eupatorij, aut in aceto mulſo. Flatu autem diſtendente iecur, cum his quæ deobſtruunt, miſcebimus aniſum carui, aut cuminum: ſuperponimus autẽ dextro hypochõdrio & medio etiam ventri ſupra vmbiculum (id enim ſpacium occupat iecur, vt ex diſſectione nobis ſæpe conſtauit) olei de abſinthio, olei anetini, & nardini ſingulorum ʒ.ij. puluerisaniſi, & cumini vtriuſque ʒ.ij. Pernicioſum autem eſt quod quidem faciunt calybem, ſiue eius ſtomoma, vt de lienis ſcirrho dicemus in aceto tritum & ſole arefactum in potu præbentes fœminis obſtructionem patientibus ex menſium retentione.

Obſtru. iecoris ſigna.

De Iecoris inflammatione, Cap. 111.

Iecoris inflammatio.

IECORIS Inflammationes non aliter quàm aliorum membrorum fiunt, sanguine ad ipsum confluente, aut solo, aut simul cum bile, aut pituita, à sola etiam bile erysipelas fieri potest: œdema tamen non generatur in iecore, neq; in thoracis partibus, autore Galen. libro quarto, de præsagitione ex pulsibus: de scirrho verò dicemus. Causæ inflammationum iecoris notæ sunt, nempe quæ possunt efficere in partem quampiam fluxionem. Signa verò, dolor cum grauitate in dextra hypochondrij parte, qui ad iugulum vsque extenditur: cuius causam Galen. libro secundo, de Locis patentibus capitulo secundo, potius ad venæ cauæ quàm membranarum tensionem refert, in magnis ac duris iecoris inflammationibus id euenire dicens: Tussis exigua, per quam nihil effatu dignum excernitur, difficilis respiratio, sitis magna, lingua arida, ab initio rubra, deinde nigra, fastidium, vomitus bilis vitellinæ, & deinde porraceæ Dura redditur deiectio, nisi ob iecoris imbecillitatem liquida descendat, eodem non trahente succum, vt ipsam non deducente ad perfectionem. Vrina mingitur passea, aut subuiridis, color totius corporis pallidior fit ictericorum instar. Fit itidem inflāmatio iecoris aut in simis, aut in gibbis ipsius partibus, quamuis fieri nequeat altera ex ipsis inflammata relinquam non consentire, ob venarum communionem, teste Galen. libro quinto, de Loc. paten. capit. 6. Distingues tamen atque agnosces partem vehementius afflictam, siquidem vbi partes simæ vehementiùs infestantur, symptomata quæ consensu ventriculi fiunt, vti nausea, vomitus bilis, & sitis, maiora reliquis erunt: vbi verò gibbæ iuguli retractio, tussis, & inspirandi difficultas se magis ostendent, sicuti & notarum coitarum consensus. Præterea & tactu deprehendi poterit inflammatio ac locus afflictus, nisi æger fuerit valde carnosus, aut aqua inter cutem laborare incipiat, aut parua, aut parum dura sit inflammatio, aut æger ob doloris vehementiam minimè admittat manus compressionem. Quod si adhuc ignota fuerit inflammatio præsertim ob paruitatem præcipiendum est vt laborans magnam edat respirationem: sentiet enim in ea parte dolorem. Aderunt præterea febres ardentes, sed ardētiores erunt quę cum erysipelate fient, & sæpe malignæ. Expedit autem inflammationes iecoris ab his quę in musculis abdominis fiunt interstinguere, non paucis etenim medicis imposuerunt duri tumores in ventris musculis facti, ac si in internis sedibus fierent. Quæ igitur inflammationes in iecore cōsistunt ad circumscriptam magnitudinem finiunt, musculorum autem prorogatæ sunt, & in angustum vergunt, veluti & ipsa musculorum figura, præterquam vbi musculi obliqui & transpersi simul implentur. Victus huic morbo conueniens tenuis admodum esse debet, vti ius pulli elixi cum endiuia, aut amygdalatum, aut ptisana hordei colata, cum decocto apij, aut ius pulli cum ciceribus. Potus aqua hordei. Curatio verò à sanguinis missione incipiet. Cæterùm si deiectio dura descendit clystere antecedet, ex decocto maluarum, violarum, & hordei cum oleo violaceo, & saccharo. Sanguis autem ducetur secta vena interna cubiti dextri, aut ea non apparente, media, aut vbi hæc nō appareat, externa. Nos cum magna laborantium vtilitate eam venā secamus quę in medio est anularis digiti & minimi dextræ manus, vbi aut alia præcesserit, aut non fuerit magna sanguinis redundantia, aut vires non admodum constent. Quantitas metienda pro morbi magnitudine & virium robore. Quòd si ab initio clysteri nō fuit opus, sanguine misso eodem vtemur: interim verò bilis vomitus nec sisti nec iuuari debet, nisi æget difficilè admodum vomat: tunc enim licebit aqua hordei bibita aut aceto mulso tepentibus vomere, id enim præter id quòd vomitū iuuat, minus acrem reddit ipsum humorem vomendum, nequeetiam medicum perterrere debent quæ vomuntur & si vitelli, aut porri colorem referant: sunt enim hæc morbi symptomata veluti propria. Cucurbitæ deinde dextro hypocondrio cum sca-

Iecoris inflammati signa.

Iecoris inflammati victus.

Iecoris inflammati curatio.

rifi

rificatione affigendæ,non ſemel, ſed bis, ac ter ſi opus fuerit. Cataplaſmata deinceps ſuperponemus quæ emolliendi, & adſtringendi vires habeant, nec tamen validè repellere in hoc morbo oportet,ſed iecur quadantenus roborare.Conficimus emplaſtrum ex palmulis elixis in aceto & oleo melino & anethino,aut myrrham cũ palmulis miſcemus,aut ex farina hordei, ſeminis lini, fœnogræci cum oleo melino,& roſaceo,aut diacotoneum,huc miloplacẽtam cum puluere abſinthij,& oleo roſaceo malaxamus, ſi vehemens fuerit ardor. Fomenta autem cum lanis ſuccidis fient ex decocto fœnogræci, camæmeli & aneti,cum oleo maſtichino, & anethino, additis roſaceo, & melino. Remittente autẽ calore cũ farina ſeminis lini & fœnogræci miſcebimus anethum, melilothum,polium,& aſarum,aut mirrham & ſtyracem pari menſura miſce cum vino antiquo auſtero,quo hypochõdrium fouebis,aut cum vino auſtero, in quo liquata ſit myrrha, atq; ſtyrax,malaxabis palmulas.Si tamẽ obduretur, quod agnoſces tactu,& doloris diminutione,radicem althææ, & ficum decoctum,cum loliſtarina, & ſeminis lini miſcemus, addito oleo camæmelino & nardino. Aut folia braſsicę elixæ trita cum melle, aut farinã ſeminis lini cum radice althęæ,& oleo laurino,& camæmelino admouebimus. Aliud, ſtyracis, myrræ,maſtiches,caſiæ,ſingulorum ʒ.j. carnium palmularum ʒ.ij. olei maſtichini,& nardini, vtriuſque ʒ.j.ſ. liberat ab inflammationibus iecoris inclinantibus,aut cùm indurantur. Quo tempore valet emplaſtrum quod recipit thuris, croci,ammoniaci, ſtyracis, maſtiches, ſpicæ.ſing. drag.ij. reſinæ terebinthinę ʒ.j.olei camęmelini ʒ.ij.cerę ʒ.j.his etiam addimus ſtercus caprinum, & medullam cruris bouis, & axungiam anſerinum. Aetius verò cucurbitulas cum ſcarificatione affigere præcipit. Vehemẽtes autem dolores, qui inflammato iecore aduenium ſanant,aut leuant,decoctum radicum cicorij,cum radice dulci, aut decoctum eupatorij cum aqua mulſa, aut ſiropus de endiuia cum aqua inſtillatitia cicorij: nam hæc meatus quoque iecoris aperiunt. In eum vſum valet ſiropus de fumaria, cum aqua inſtillatitia lupulorum. Tendente tamen inflammatione in ſuppurationem, quod agnoſces quoniam pro dolore pondus magis quàm antè grauat,& rigor ſuperuenit, & febris maior, & ſitis,ac difficilis reſpiratio.Cataplaſmata ſuperponemus ex caricis cum fari naſœnogræci,& ſeminis lini,aut ex farina fœnogræci,radiçe althææ elixa ac malaxata cum ſtercore columbino,aut ex foliis maluæ, radiçe althææ, reſina, & ſpicæ, aut fotus cum decocto fœnogræci abſinthij, & centaurij fiat. Emplaſtris verò prædictis addemus piper, & zingiberũ cum ſtercore columbino prædicto,& radicem ireos,ſi rupturam inflammationis cupimus, ſtercus autem caprinum hæc iuuat. Apertione ſuppurationis facta, vlcus detergere & mundificare oportet, bibita aqua mulſa, aqua hordei cum ſaccharo, ſero lactis caprini.Mercurialis autem herba omni ferè tempore morbi elixa edẽda, nam iecur ab initio per ventrem expurgat: nunquam enim per hunc morbum ichores deſunt: aperta autem ſuppuratione extergit & mundat iecur: clyſteria quoque ex mulſa, & ex hordei decocto cum ſaccharo, & caſia fiſtulari vtilia ſunt.Neq; eſt à ratione alienũ,cũ cibis miſcere ea quæ leuiter iecur expurgant:non tamẽ aliunde trahunt,hæc enim cũ cibis & ſine ipſis pernicioſiſſima ſunt laborante iecore,in hũc vſum tranſacto morbi ſummo vigore,ius pulli cũ caſia fiſtulari,aut agaricũ in iure pulli cum ciceribus elixi præbemus, & electuariũ diacatholicon,in eodẽ iure diluimus.Sunt qui & elect.diaphœnicon inclinante morbo exhibeant.Toto tamẽ morbi tẽpore clyſteribus vtimur ex decocto hordei & maluarũ cũ ſaccharo, aut ex ſero lactis cũ ſaccharo,aut melle. Ad finem autẽ pure ex purgato oleo de abſinthio inungimus dextrum hypochondrium, aut nardino cum puluere caryophyllorum & maſtiches, & ſiropum de abſinthio,aut ſiropum de malis cotoneis,aut decoctum eupatorij, cum ſpica nardi in potu præbemus.Aut decoctum cinnamomi,ſpicæ,caſię,ciperi,in vino auſtero, niſi calor abũdet,atq; ita iecur firmamus & aſſolidamus.

Iecoris ſuppurati medella.

De

De Lienis intemperie, Cap. IIII.

Lienis morbi.

LABORAT Lien diuersis morborum generibus: nam aut distemperatur, aut eius continuitas soluitur, aut tumor præter naturam ipsum inuadit. Distemperies est calida, frigida, humida, aut sicca, aut ex his coniugata, atque hæ, aut cum humore, aut sine ipso. Ex distemperantiis frequentior est frigida, siquidem lien à bile flaua destituitur, & atram habet abundantem. causæ distemperantiarum lienis communes sunt cum reliquis partibus, internæ & externæ, in assumendis, excernendis, agendis & exterioribus. Calidam intemperiem ostendit calor sinistri hypocondrij, & vbi os ventris compatiatur, sitis, ciborum auersio, & noxa quæ ex vsu calidorum sequitur, siue interius sumantur, siue exterius accedant, ex vsu tamen frigidorum iuuantur: solent etiam maiores lienis calores, cor in consensum ducere, & spirationem, ac pulsum celeriores reddere. Ab ira tamen & tristitia dolor concitatur in liene calido. Frigidam intemperiem ostendunt causæ refrigerãtes, à quibus manifestè læditur lien frigidis, veluti aquæ potu, & aeris frigidi, aut frigidarum rerum contactu, circa sinistrum hypochondriũ. Moleitatur præterea à cibis frigidis, & acido sapore præditis, inde quoque cor compati solet, & pulsus ac respirationes redduntur minores, & intestina compatiuntur, in quibus flatus excitantur, & murmuria: sitis deest compatiente ore ventriculi, & ciborum appetentia constat. Siccam intemperiem docet lienis moles diminuta, quod manus compressione agnosces, & quandoque totius corporis arefactione: læduntur ab his quæ arefacere possunt. Præcesserunt tamen causæ arefacientes, vti cibi tales, & exercitationes, ac vigiliæ. Humida intemperies agnoscitur sitis defectu, lienis incremento, corporis laxitate, si consentiat: noxa verò sequetur ex humidorum vsu, iuãtur autem siccis, & pauco potu. Atque oritur malum ex ocio, morbis humidis præcedentibus, & balneis, & cibis humectantibus, fructibus & oleribus. Calida intemperies siccam facilè adducit, & frigida humidam, sicuti & in aliis omnibus corporis distemperantiis, aut diuturnis, aut magnis. Si distemperies cum humorum copia fiat, bilem agnosces siti, oris amaritudine, linguæ pallore, atque totius corporis, vomitu bilis, & tertianis accessionibus lien molestatur magis, iracundi fiunt. Atra tamen bile infestante tristitia, timor, & solicitudo accedent, ciborum appetentia aderit, aut etiam augebitur, & linguæ color subniger fiet, atq; totius corporis, & repetentiæ morbi erunt quartanę. Redundante tamen pituita, totius corporis color & linguæ albicat, siti vacant, & cibos appetunt, nisi falsa reddatur pituita, & accessiones aderunt quotidianæ: si redundauerit sanguis, somnus accedet, id docente experimento, longus: & media ciborum appetentia, & venarum plenitudo in toto corpore, vrinæ verò coctæ, & subrubræ. Curatur lien distemperatus cum humore, eiusdem humoris vacuatione, deinde attemperamento. Humor biliosus purgatur probè per rhabarbarũ cum spica, in sero lactis caprini, aut per rhabarbarũ dilutũ in decocto epithimi, & polipodij, aut cum sero lactis caprini, in quo infundantur per noctem, sene, epithimum, & polypodium. Pituita purgatur electuario indo diluto in decocto prunorum, senæ, epithimi, & radicis dulcis. Atra bilis purgatur pilulis de fumaria, superbibito decocto vuarum passarum, senæ, & radicis dulcis, aut confectione hamec, in decocto scolopendrij, fumariæ, & radicis dulcis. Sanguine redũdante vena interna cubiti sinistri secabitur, deinde purgabitur, vti ad bilis redundantiam diximus. Intemperiem verò lienis deinde curabimus, calidam quidem epithimatibus ex oleo rosaceo, cum aceto, aut ex melino & rosaceo addita quarta aceti parte. Aliud, succi portulacæ, succi pãpinorum vtriusque ʒ.j. olei rosati ʒ.iiij. aceti ʒ.j. ß. Aliud, poscæ, rosacei, melini olei, succi portulacæ, succi vuæ acerbæ, æquas partes misce. Ex prædictis oleis & cera conficimus cerata. Frigidam intemperiem curabimus oleo de absinthio, & anethino, aut oleo de radicibus caparorũ. Humidam, eisdem

Lien. frigidi signa.

Lienis sicci signa.

Lienis humidi signa.

Lienis curatio.

ad

addito sale, aut alumine vsto, aut puluere corticum radicum capparorũ, cum aceto: hæc autem cum fricatione admouentur. Siccam vero balneis dulcium aquarum, & inunctione ex oleo amygdalarum dulcium, per se, aut cum cera facto cerato, aut etiam addita axungia anatis, & gallinæ curabimus.

De lienis inflatione, Cap. V.

Lienis inflatio.

FREQVENS admodum morbus est lienis inflatio, siue flatuosus tumor, quamuis eius in tumorem eleuatio, nõ satis omnibus nota sit, nec facilè tactus moles deprehendatur. Verùm tangentibus cedit flatus compressa manu, & tensio absq; grauitate in ea parte sentitur, & ventriculus sæpe consentit, & ructus sequuntur, quandoque compresso liene. Victus conuenit qui calefacere possit, & flatum discutere, ita vt panis anisum habeat admixtũ, & obsonia cuminum carui, & anetum recipiant. Potus sit vinum antiquum, à sancto Torcacio, aut à Yepes, aut à sancto Martino trium annorum. Postremamẽsa drageta ex aniso, & anethi semine confert. Ex medicamentis ad idem accommodatis est, dianisum, aut diacuminum, sion quoque, & petroselinum. Superponuntur autem emplastra ex aniso, cumino, semine viticis tosto, cum oleo anethino, & oleo de radicibus capparorum: addimus etiam rutæ semen, aut fouemus sinistrum hypochondrium posca in qua bullierint, pulegium, thymus, serpyllum, & ruta.

De Lienis inflammatione. Cap. VI.

Lienis inflammatio.

LIENIS Inflammatio bifariam generatur, aut ex sanguinis affluxu qui breui impetum faciens partem replet, tum ob vasorum amplitudinem, tum ob membri laxitatem: aut ob facultatis expultricis imbecillitatem, ob quam sanguis melancholicus detentus atq; putrescẽs inflammationem generat. Verùm cum omnibus melancholia immixta sit, sæpius in scirrhum, re[illegible] in suppurationem huiuscemodi inflammationes perducuntur. Agnoscimus morbum ex dolore & põdere in sinistro hypochondrio absque musculorum inflammatione. Accedit pulsus, febris continua, quæ solet per quartum insultum facere atque incrementum. Cùm prorogatur malum, os fœtet, gingiuæ exceduntur, & vlcera in cruribus fiunt, quæ tardè ad cicatricem perducuntur. His victus conuenit paulò minùs tenuis quàm quibus adest inflammatio in iecore, itaq; ius pulli cum mica panis conuenit incipiente morbo, deinde alas auium elixas edere licet inclinante morbo, & processu tẽporis si morbus prorogetur, aues ipsæ conuenient; quæ boni succi sint, & pisces saxatiles, & vuæ passæ & amygdalæ. Potus autem aqua hordei, in febriũ vehementia, quibus remittentibus, conueniet aqua cinnamomi, aut vinum album aquosum. Clysteribus vtentur ventrem mollientibus. Curatio verò incipiet à sanguinis missione secta vena interna cubiti sinistri, vel externæ manus, vt maiori interuallo fiat reuulsio autore Paulo. Cæterũ Gal. lib. de Sang. mis. venam in manu quæ secari debet, explicuit, dicens: Sic igitur & patienteliene. sectio venæ quæ est iuxta medium digitum in sinistra manu, iuuit, quemadmodum & si internam cubiti venam secueris. Id quoque in vsu esse medicorum, venam, nempe mediam inter anularem digitum & medium, secare refert lib. 3. de Anatomicis administrationibus, dicens: Reliqua verò pars quæ paruum digitum adit, dum obliquum cubiti tuberculum perreptat, ramum quẽdam exilem ad posteriora medij digiti transmittit, mox bifariam scissa, altera parte mediam magni digiti & anularis regionẽ ingreditur, quam venam nonnulli in sinistra manu secantes, sinentésque sangũinem ex ea fluere quousque vltro sistatur, lienem ex tali vacuatione iuuari asserunt. Hanc eandem venam Auicenna de dissectione venarum manus loquens, appellauit sceilen, & cap. de phlebotomia dixit: De sceilen verò dicunt, quod quæ dextra

Lienis inflam. curatio.

Quam venam secare conueniat in iecoris & lienis morbis.

in doloribus hepatis confert,& quæ ſiniſtra doloribus ſplenis,& quod ſanguis fluere dimittatur donec per ſe ſtringatur, & ſen.22. libri 5. venarum quarumdam manus ſectionem, quas appellat ſaluatelas, magis quam earum quæ in brachio ſunt,iuuare dixit,in morbis iecoris & lienis. At vero Alexander præcipit internam cubiti ſiniſtri ſecare, & ea non apparente mediam, aut loco ipſius externam, aut quæ in manus eſt iuxta minimum digitum. Secta autem vena ſanguinis naturam conſiderare & purum ac ſincerum ſiſtere, impurum & liuidum educere. Deinde ventrem purgare vomitu & deiectione. Hanc opinionem narrat Gal.lib.de ſangui.miſ. paulò antè citatam ſententiam dicens: Quemadmodum putant qui lienem curari aiunt à venæ ad ſecundum & paruum digitum ſectione. Paulus verò quamuis in lienis inflammatione curandæ non explicuerit quam venam manus ſecare ſit opus,ca.de morbo regio ipſam annotauit,dicens: Nonnulli verò,tum his,tum illis qui ex iecore inflammato, arquatum contraxerunt,venam prope minimum dextræ manus digitum incidunt. Et lib.6.cap.eandem ſecare præcipit,in iecoris & lienis morbis,reuulſionis gratia. Areteus quoq; Cappadox li. 2. de curatione diuturnorum morborum cap.2.in eadem eſt ſententia dicens: Sin à liene ſanguis fertur, ſiniſtræ manus venam illam quæ inter minimũ, anularémq; digitum ſita eſt, reſcindito. Hac præterea tempeſtate omnes ferè medici hanc eandem ſecare præcipiunt,& Aretens eam medicos nõ multos ad lienem attinere voluiſſe ſcribit, idem Gal.Paulus,& Alexander citatis locis. Nos tamen experti ſumus ſectiones has & vtramque probamus. Deinde partẽ fouebimus vino auſtero & oleo roſaceo,aut ſi ardor fuerit maior, acetũ in quo bullierint oliuæ folia, miſcebimus cum roſaceo & lentiſcino oleo. Procedente autem tempore fotus fiet ex poſca in qua bullierint lẽtiſcus, pulegium, & abſinthium, aut eadem in vino auſtero elixentur. Emplaſtra verò ſuperponẽtur ex farina ſeminis lini, farina hordei, cum poſca. Aliud, farinæ ſeminis lini, farinæ loliaceæ vtriuſque ʒ.ß. adipis laurini,adipis anſerini vtriuſq; ʒ.j.poſcæ,& ſapę,vtriuſq; ʒ.ij. Aliud,furfuris ʒ.ij.puleris pulegij,origani,thymi,& abſinthij ſing.ʒ.ß.ſapæ,olei, cappararum,vtriuſque ʒ.j.omnia ſimul in poſca bulliant. Aliud, folia lauri, artemiſiam,& pulegium in poſca elixamus,& oleum addimus camæmelinum,& lentiſcinum. Si inflammatio ad ſuppurationem inclinet, ea cataplaſmata admouebimus,quæ ad iecoris ſuppurationes dicta ſunt, ſed omnia admoueri debẽt tepida, & locus frigori nullatenus nudus exponatur.

De Cirrho lienis & eiuſdem obſtructione. Cap. VII.

Lienis ſcirrhus.

LIEN Facilè induratur,ac ſcirrho laborat vel vbi ex inflammatione præcedente non probè curata, vi infrigidantium medicamentorũ concreuerit humor, aut vbi medicus valde calefacientibus vtatur & tenui parte diſſoluta, craſſa fæculẽta remancat. Fit etiã ſæpe ſcirrhus nullo cõmiſſo errore, ſed calore vehemẽti diſſoluente tenuem partem humoris in liene contenti, fæculenta relicta, aut ob imbecillitatem non purgato melancholico ſucco. Agnoſcitur morbus ex grauitate,& tumore ſub abdomine in ſiniſtro hypochõdrio, & ſenſu doloris, aut pauco,aut nullo: inde ęgri redduntur decolores,aut ad nigredinẽ vergunt, difficilè ſpirant,præſertim ſi exerceantur,& temporis proceſſu iecur refrigeratur,& vniuerſum corpus,& in aquam intercutim incidunt. Quod fit refrigerato iecore aut non expurgato ob imbecillitatem facultatis trahentis lienis. Decet autem humorem ſcirrhum faciẽtem attenuare,diſſoluere,& emollire, interim quoq; & lienem roborare,tum amaris,tum auſteris,vt craſſi humores extenuentur,& lienis facultas expultrix roboretur: hæc enim dũ valet, excrementum melancholicum à iecore tractum per ventrẽ expurgat. Sunt præterea medicamenta lieni accommodata valẽtiora,multò quàm quæ iecoris ſcirrhis debentur. Nam humor eſt craſſior, membrum minus vitæ neceſſarium,& ſi

quid

quid ore ſumatur, longius deduci debet. Victus conuenit ex alimenti quæ bonum ſuccum generēt, & extenuent. Alieniſsima ſunt quæ melancholiam augent. Potus ſit vinum album, nec valde potens, nec dulce, aut decoctum cinnamomi, aut ſcolopendrij, aut aqua calybeata. Exercitatio conuenit moderata, decenti tempore, & ventrē lenem habere. Præſtantiſsima medicamenta lieni obſtructo, aut ſcirrho affecto ſunt, capparis & ſcolopendrium, quibus alia duo iecori accōmodata conferuntur, nempe abſinthium, & eupatorium, ab his eſt tamariſcus dicta myrica, hederæ cacumina, polytricum, anchuſa, ſalicis folia & radicis cortex, ac cinogloſſum, & limonij ſemen, appellant autem herbam hanc, terræ tinctinnabulū, quoniam florē habet tinctinnabulo ſimilem. Sunt his valentiora, radix iringij, aſarum, acorus, ſcordium, trifolium, calamintha, pulegium, gentiana, peoniæ radix, & ciclamini, centaurij minoris ſuccus, & elixatio, brioniæ radix, viticis ſemē toſtum, hypericum, chamępitis, polium, ammoniacum thymiama, myrrha, ſtœcas & abſinthium, & lupinorum decoctum. Ex his ſimplicibus compoſita fiunt medicamēta, quorum quędam ore ſumuntur, quædam fomenti & emplaſtris deſeruiunt, vbi ſcirrhus exquiſitus non fuerit: nam exquiſitus nunquā curatur. Si igitur in toto corpore mali ſucci melancholici redundauerint, purgari debent, deinde in potu accipiet æger drachmā vnam pulueris ſequentis, corticum radicum caparorum, ſcolopendrij, aſari, acori, polij, ſing. ʒ. j. rutæ, ariſtolochiæ, coſti, ſing. ʒ. ß. piperis ℈. j. aut dicti pulueris drachma vna aſſumetur cum ʒ. ij. melli deſpumati, aut pulueris ʒ. j. aſſumpta ſuperbibet æger poſcæ, in qua radices capparorum bullierint ʒ. iiij. aut pulueris corticum radicū capparorum ʒ. j. cum aceto mulſo. Potio alia, foliorum hederæ, tamariſci, vtriuſque p. j. radicum iringij ʒ. j. aſari, cinnamomi, coſti, ſing. ʒ. ij. bulliant in libris tribus vini albi modicè diluti ad conſumptionem tertię partis, & colaturæ bibet ʒ. viij. Fomenta fient ex aceto acerrimo in quo bullierint cortices radicum capparorum, ſcolopendrium, myricæ radix aut cacumina, calamintha, pulegium, & aſarum, in hoc decocto calenti filtrum madefiat & ſuperpoſitum ſeruetur, aut ſpongia pars foueatur. Emplaſtrum quo ſæpe vſus ſum cum magno ægrotantium commodo, caricarum ʒ. ij. bdelij, opopanacis, vtriuſq; ʒ. j. ß. ſtercoris caprini, farinę fœnogręci, vtriuſq; ʒ. ij. pulueris radicum capparorum, & pentaphylli, vtriuſque ʒ. iij. caricæ, bdelium, & opopanax in aceto acerrimo madefiant, deinde reliqua addantur. Aliud, emplaſtri de melilotho, emplaſtri diachylon, vtrius par menſura extēdantur in linteo, & ſuperponantur. Aliud, emplaſtri de melilotho, vnguenti dialthęas, olei de radicibus capparorum, ſingulorum ʒ. ij. quo inungatur pars ſingulis diebus poſt fomentum ſupradictum. Aliud, ariſtolochiæ, acori, gentianę, corticum radicum capparorum, & cacuminum myricæ ſcilę, corticum radicum ſambuci, ſing. ʒ. ij. rutæ viridis, pentaphyli, ſcolopendrij, ſingulorum ʒ. j. ß. infundantur in aceto acerrimo per noctem, manè incidantur in parua fruſta, deinde bulliant lento igne, & aceto pars foueatur: medicamenta verò malaxentur & ſuperponantur. Malagmata quoq; vtiliſsima ac probatiſsima habentur apud Paulum li. 7. alterum citrinum, alterum ex ſimo caprillo, quæ cutim vlcerare valent, & facilè parantur. Aliud, ſaponis mollis, dialthæas, vnguenti Agrippæ, vnguenti aragon, ſingulorum ʒ. j. olei capparorū, olei laurini, vtriuſq; ʒ. j. axungiæ gallinæ, & anatis, medullæ cruris bouis, ſingulorum ʒ. j. ammoniaci in aceto acerrimo diſſoluti ʒ. ij. ceræ ʒ. j. Valet in eū vſum ammoniaci, opopanacis vtriuſq; ʒ. ij. in aceto acerrimo diſſoluātur, & liniantur. Idem faciunt galbanum, ammoniacum, myrrha, ſi in aceto madefiant, & cum reſina terebinthina excipiātur. Bibere decoctum radicum ſcolopēdrij in vaſe tamariſci, curat lienis ſcirrhos, idem ſi vinum bibatur in eo vaſe. Actius. Conuenientiſsimum autem lieni in ſcirrhum indurati remedium exiſtit, ferrū aqua, aut vino, aut poſca extinctum ea ipſa enim aqua aut vinum, aut poſca in principio exhibita, iucunda & vtiliſsima exiſtunt, & per plures ex ordine dies dantur: itaque febrientibus

Lienis ſcirrhoſi victus.

Lienis ſcirrhoſi curatio.

aquam,aut posca dilutam præbeto:eis verò qui teneram carnem habent, ac febre carẽt,vinum:fit autem ferrum quod in ipus extinguitur,stomoma,ipsius autem stomomatis ferri squama,(quam in fabrilibus officinis terrũ dum ignitur & malleo tunditur abiicit)postea agrestioribus hominibus vtiliter exhibetur:præclarè enim hæc lienem liquefacit, vtpote qui consumendi facultatem præstat,quare aliarum rerum complexu opus habet, ne inde stomachus malè afficiatur.Hæc Actius,quæ medici Toletani,aliâs in arte medendi experimentis,& remediorum copia, & vtilitate præstantes, frequenter in vsu habent,& in fœminis quibus lien ob mensium retentionem obduratur. Nos tamen stomomatis vsum non probamus, quamuis Alexander id probet libro octauo,de Sanguinis missione loquens: nullum enim integrè sanatum vidimus:nam aut omnino non sanantur, qui stomoma acceperunt, aut deinde in grauiores inciderunt morbos. Ex Archigenis sententia venam in sinistro cubito secare oportet, & sanguine lienem fricare. Præterea cucurbitulas cum scarificatione superponere, quod Paulus quoque præcipit. Ad obstructiones verò lienis valent ea medicamenta, quorum decoctũ bibendum diximus ad duritiem lienis,& fomenta quæ ex eisdem radicibus & herbis dicta sunt, quorum non pauca comprehendimus suprà capite secundo, quæ cum radicibus capparorum,& scolopendrio miscebimus. Quæ verò diximus ad lienis duritias emolliẽdas vti bdelium,& ammoniacum,galbanum,& myrrha,ad obstructiones quoque valent:nam humores obstruentes terreni & crassi emolliti faciliùs purgantur,diducuntur,& discutiuntur.

Toletani medici.

De Ictero, Cap. VIII.

Ictenus.

ICTERVS Morbus,à similitudine nomen accepit, quoniã ęgri colore similes fiunt aui eius nominis,quæ galbula dicitur:alij dicũt eo malo correptos eius auis inspectione sanari, Areteus Cappadox icterum appellatum refert, à similitudine animalium quadrupedum in specie syluestrium mustellarum,quas ictidas appellãt, latinè viuerras,quarum oculi prædicto afficiũtur colore. A quibusdam morbus regius dicitur,ab aliis arquatus à colore arcus cæli,& eadem ratione auriginosos eo morbo laborantes nominant,ab auricolore. Est sanè totius corporis defœdatus color in pallidum, viridem,aut herbaceum,aut nigricantẽ mutatus,ita vt non tantùm cutis vniuersi corporis,sed & albæ oculorũ membranæ eo tingantur colore.Pertinet morbus ad corporis affectus:nã à symptomate nomen accipit,quamuis id symptoma causas habeat,quæ morbi sunt, quas præcipuè curare oportet.Sunt autẽ causæ huius mutati coloris non paucæ,nam iudicationis ratione natura bilioſum crassum humorẽ ad cutem transfundit,quandoqi symptomatis,vti in iecoris inflãmationibus,aut scirrhis. Horum ratione Hip. 4.Apho.Sect.dixit:Quibus in febribus morbus regius septimo, vel nono,vel vndecimo,vel quartodecimo superuenit,bonũ,nisi dextrum hypochõdrium obduruerit:si verò nõ,non bonũ,in præfatis namqi diebus iudicationis ratione euenire solet, sed paulò antè dixerat: Quibus in febribus morbus regius ante diẽ septimũ accidit,malum.nouit enim, tunc symptomatis habere rationem.Quandoque ob iecoris obstructiones non purgata bile fit,aut ob intẽperiem calidiorẽ ipsius,sanguine bilioso effecto,fit etiã ob vesicæ fellis imbecillitatem,minimè iecur purgantisà bilioso excremẽto,vt solet,aut ob ipsius plenitudinem,ob quam amplius trahere,aut suscipere nequit, aut ob imbecillitatem tractricis facultatis: aut ob meatus ad intestina à fellis vesica tendentis obstructionem.Cùm enim bilis per intestina nõ purgatur, in iecur & vasa regurgitat, cuius meminit Gal.lib.1. prorhe. Com.13. aut ob imbecillitatem expultricis fellis vesicæ. Aut ob animalis alicuius venefici morsum,veluti viperæ,cuius Galen.lib.5.de Locis pat.histo. retulit, aut ob potum venefici medicamenti:aut ob calidum solidorum membrorum intemperiem, quæ sanguinem alimentitium in bilis naturam mutat, quemadmodum & in anasarca

Ictericus siue regij morbi causa.

totius corporis refrigeratio, carnem albicantem reddit, sed id malum sensim nascitur: liquidem tenuis accidit alimentum quod corrumpitur. Signa specierum singularum causarum sunt, si indicatione fiat, quamuis naturæ functio sit totius corporis, cuti tymptoma sit, in coloris mutatione consistens. Agnoscetur autem quoniam signa coctionis præcesserunt, & morbus leuior redditur. Iecoris inflammatio, scirrhus, aut obstructio si præcesserint regium morbum, agnoscentur ex notis in peculiaribus capitibus scriptis. Si igitur ardor & febris, & grauitas adfuerint, inflammatio erit causa: si sine grauitate ador adsit, causa erit intemperies calida. Obstructio non semper cum febre fit, verum vbi obstruatur meatus à iecore in vesicam fellis, vrina flaua, & sæpe virens reddetur: idem fiet si imbecillitas tractionis adfuerit, sed id sine grauitate, quæ tamen cum obstructione sentietur. Quòd si meatus obstruatur qui à vesica fellis tendit ad intestina, præter flauam, aut virentem vrinam, deiectio reddetur alba, & sæpius qualis canum dura. Paulus albam deiectionem apparere dixit vesicæ fellis meatibus obstructis, aut eius tractrice, aut expultrice languentibus. Si tamen regius morbus fiat cum cutis nigredine, lienem laborare notum est, ac minimè purgare ex iecore melancholicum succum: aderit autem grauitas in sinistro hypochondrio, & tristitia, & nigra in vrina subsidentia, & qualis fæx vini nigri, aut ima sanguinis, venæ sectione educti pars. Victus sit extenuans atque deobstruens, panis furfures abundè recipiat, carnes sint gallinæ, pulli gallinacei, turtures, perdices nouellæ, passerculi, elixentur autem cum fœniculo, anetho, ciceribus, & petroselino, sic etiam & saxatiles pisces conferunt. Præterea, endiuia, cicorium, & raphani folia conuenient, & asparagus, iringium, capparis cum petroselino, & berula, carduus, allia cruda, atq; elixa. Vinum bibent album pauciferum, aut decoctum anisi, ventrem lenient clysteribus vbi non fluat abundè, ieiuno ventre frictionibus & exercitationibus vtentur, ad sudorem vsque. Balneum quoque ingredientur ex decocto herbarũ quæ calefaciendi ac dissoluendi facultatem habeant. Quando morbus regius iudicationis ratione fit, opus naturæ permittendum, & icterioſus absceſſus, vt Hippoc. dixit, curandus, balneis aquæ calidæ, aut ex oleo anethino, camæmelino. Si morbus à iecoris inflammatione fiat, cum sanguine misso curabimus, & reliqua adhibebimus, vt suprà de iecoris inflammatione diximus, scirrhus verò vti de scirrho iecoris diximus, & obstructiones de obstruentibus. Hic sanè morbus regius qui ab obstructione fit, frequentior aliis est, cuius curationem aggrediemur, depositа copia redundantis humoris in vniuerso corpore: quod fiet ab initio misso sanguine, secta vena interna cubiti. Purgatio verò eisdem conueniet, sed prius crassitudine bilis flauæ, aut atræ extenuata: alioqui difficiles admodum & inutiles fient purgationes: nonnunquam verò vomitiones conueniunt, si natura humorum impetum ad superiora inclinauerit. Præparatur bilis flaua obstruens, aut implens fellis vesicam, aceto mulso cum decocto radicum apij, aut siropo de quinque radicibus cum aceto, addito decocto radicum asparagi. Bilis deinde purgabitur, electuario de succo rosarum in decocto prunorum, violarum, hordei, & radicis dulcis, aut elect. rosato, in decocto radicum apij, anisi, & fœniculi, aut electuario diaphœnicon in siropo de quinque radicibus, aut rhabarbaro in decocto spicæ, anisi, & radicum apij, aut pilulis aggregatiuis. Ab his rursus ad ea redeundum, quæ meatus aperire possint, & ab obstructione liberare, in quem vsum bibitur graminis decoctum. Valent etiam asparagi, rosmarinum, chamæpytis, rubeæ radix, spica, absinthium, pulegium, polium, calamintha, apij decoctum, & adianti, aristolochia, & verbenaca recta, eupatorium, & endiuia, ac cicorium, gentiana, iridis radix, & cutis balneis calidis arefacienda, & humor extenuãdus ac discutiendus, succo raphani cum vino detersa cuti, aut succi eiusdem ʒ. ß. in vino albo paucifero bibatur, aut succus anagalidis cum mulsa naribus trahatur, id enim oculorum colorem natiuum restituit.

Ictericorum victus.

Ictericorum curatio.

Seruetur autem æger in loco calido pannis obuolutus, & sudor prouocetur, quod fiet decocto fœniculi bibito. His qui febre carent, frigido tempore purgato corpore concicit vinum multum, quod à nobis clarea appellatur. Dextrum autem hypochondrium, nardino, & anethino fouebimus. Si vero calida iecoris intemperies causa fuerit, aut hæc eadem purgata bile remāserit, iecur attemperabimus, vti de iecoris intemperie diximus, vnguento rosaceo, aut santalino, aut cerato Gal. refrigerante, aut accepto medicamento trium santalorum in cabellis. In quem vsum quàm maximè valent refrigerantia clysteria ex decocto violarum & hordei, cum rosaceo & violaceo oleo, & cassia fistulari, Vbi ab imbecillitate vesicæ fellis eueniat, hæc roboranda fotibus ex oleo nardino & melino mixtis, clysteribus autem acribus vtemur, quæ bilem ad intestina deducant. Si à morsu animalis venefici, theriaca, & mithridatium accommodata sunt medicamenta. Nigra tamen bile cutem inficiente expedit ipsam quæ in corpore toto ac liene, ad purgationem parare, aqua mulsa, aut siropo de fumaria, cum aqua lupulorum, & deinde ipsam purgare confectione hamec dicta, in decocto fumariæ, lupulorum, & florum boraginis, aut pilulis fœtidis, aut pilulis de fumaria, superbibito decocto scolopendrij, aut aqua mulsa ex decocto lupulorum, & fumariæ. Fouere autem oportet lienem oleo de radicibus capparorum, aut nardino, & camæmelino, & de absinthio. Cutis deinde arefacienda, & humor in ipsa contentus discutiendus balneis, & frictionibus prædictis. Si verò ex vniuersis corporis calore oriatur morbus regius, corpus attemperandum balneis, aquæ tepidæ, & inunctione oleorum & succorum infrigidantium.

De Malo corporis habitu, Cap. XI.

κακχεξία. *Malus corporis habitus.*

MORBVS Qui à Græcis κακχεξία, à Latinis malus corporis habitus dicitur. Nos tamen eos qui eo malo laborāt, abuliados appellamus. Estque habitus vniuersi corporis emollitio ac relaxatio, quam cōsequitur palpebrarum oculorum œdematota inflatio, & quandoque pedum, id verò à somno apparet, aut eo tempore magis. Causæ sunt, longi morbi, vti febres pituitosæ, & aliæ perducentes ægros ad iecoris, & ventriculi langorem, vti diarrhœa, & dysenteria atque cœliacus morbus, & iecoris aut lienis scirrhi, & retentæ euacuationes assuetæ, & in summa quidquid potest ventriculi, aut iecoris coctionem imbecillam reddere, ita vt sanguis frigidior & aquosior fiat: vapor vero humidus ab ipso leuetur, qui extrema & frigidiores impleat partes. Signa, corporis color subalbidus fit, aut plumbeus, pedes intumescunt, & oculorum palpebræ à somno palpebræ, ante somnum pedes, sed manè à somno detumescunt, coctio impeditur, sed appetitus seruatur, & deiectiones variæ descendunt. Ex ætatibus senes & pueri facilè in malum corporis habitum incidunt: autore tamen Aëtio, senes liberantur magna ex parte, pueri facilè pereunt. Quod alienum foret à ratione, nempe in morbum aliquem facilè incidere, quod significat causæ paruitatem, & vi eius interire facilè, nisi causam adhibuisset aliam: ea est vitalis facultatis puerorum langor, & facilis transpiratus succorum. Sed rursus inquit: At verò qui in vigore ætatis sunt, raro incidunt, & facilè se inde extricant, cuius rei causa est, quoniam iuuenes eutem habent densiorem pueris, ac perinde vapores non adeò facilè transpirantes inflant palpebras, & pedes, & laxant corpus, quod rarò euenit, ob caloris eorum vehementiam, sed cùm semel ob cruditatem aliquam ciborum euenerit, validus & acris calor, facilè arefacit membra, & flatum discutit, accedentibus victu ficco, qualis eis conuenit, & exercitationibus. Curatio huius morbi statim aggredienda, siquidem malus corporis habitus, ab aqua intercutim, non longè abest. Sed facilè in ipsam transit, & perslimiles habent causas. Victus itaque conueniet eis exiccans, ex alimentis quæ facilè coquantur & bonum succum præstent,

Cachexiæ nota.

Cachectico rum victus.

qualia

qualia sunt turtures, perdices nouellæ, turdi, & passerculi: capparis verò, & asparagi per vrinam ducunt humiditatem redundantem. Conuenit vinum album potens, à balneis abstineant, & his quæ crassos succos generant. Accedant quoque exercitationes, & frictiones ex oleis calefacientibus, vt camæmelino, anethino, laurino, & sale. Balnea quoque aquarum sponte calidarum, quales sunt aluminosæ, sulphureæ. Cùm malus corporis habitus retenta quapiam euacuatione euenerit, ipsa reuocanda, aut si euacuatio sanguinis erat, sanguis mittendus, secta vena interna cubiti per interualla, primo, secundo, aut etiam tertio die, nisi causa aliqua id impediat, tunc enim ventrem purgare conuenit, sicut & si ab initio consueta aliqua euacuatio bilis, aut pituitæ foret suppressa, aut cacochymũ fuerit corpus. Purgabitur autem prægsumpta aqua mulsa, cum electuario, aut diaphœnicon, aut cum hiera diacolocynthidos, aut pilulis de agarico. Ventrem autem roborabimus fomentis & medicamentis ore sumptis, de horum numero sunt, Aromaticum rosatum, conditum de floribus roris marini, pliris archoticon, & aqua mulsa in qua absinthij coma per noctem maduerit. Fouemus ventrem oleo nardino, oleo de absinthio, oleo anethino, & de baccis lauri, calentibus. Partes autem inflatæ aut sine alio remedio sanantur, aut fotu vini in quo elixetur camæmelum, addito sale, aut alumine.

Mali corporis habitus curatio.

De Hydrope sine aqua inter cutem, Cap. X.

HYDROPIS Tres sunt species, quarum nomina apud autores habentur Græcos, quæ etiam nos abundè retulimus lib. 12. Progno. in expositionibus nostris. Est sanè prima species ascites dicta, secunda tympania, tertia leucophlegmatica, post has quarta addita, est anasarca. Ascites ea est per quam aqua intra peritonæum continetur, & si flatum aliquem adiunctum contineat, atque ea ratione ab ἀσκῷ ἀσκίτης dicta est, quasi ab vtre, vtrina. Tympania verò à tympano dicta est, quoniam per eam tympani modo venter pulsatus sonat. Estque tumor ventris flatuosus, à flatu intra peritonæum contento, sed non absque humore ibidem flatui adiuncto. Leucophlematia est totius corporis pituitosus tumor, per carnem dispersa pituita multa, ita vt totius corporis temperaturam efficiat frigidiorem, & habitum pituitosum. Areteus Cappadox probè admodum leucophlegmatiam ab anasarca distinxit: leucophlegmatiam appellans, quando totum corpus alba, crassa, ac frigida pituita impletur. Anasarcam verò cùm caro in cruentam saniem colliquatur, ad speciem eius quæ ab vlceribus intestinorum manat. Causa communis est, iecoris imbecillitas, vel primogenia, vel per consensum laborante iecore. Primogeniæ ipsius affectiones sunt, intemperaturæ, & tumores, iecoris confectricem sanguinis imbecillam reddentes. Consentit autem iecur, lieni, ventriculo, septo transuerso, vtero, & intestino colo, & tenuibus intestinis, ac renibus. Nullum autem horum aquam inter cutem efficere valet, nisi iecur cõpatiatur. Ducitur quoq; iecur ad eam affectionem, ex aquæ frigidæ potu, nimia euacuatione sanguinis mẽstrui, aut hæmorrhoidarum. Sic etiam à malo corporis habitu in hydropem transitur, & à liẽteria, dysenteria, & cæliaco morbo, & longa diarrhæa. Sequitur quandoque pulmonis, aut thoracis suppurationes. Pessima est anasarca, deinde tympania, tertium locum habet ascites, quartum leucophlegmatia. Incidunt in hunc morbum viri frequentiùs quàm fœminæ. Concomitantur hanc affectionem, spirandi difficultas, sitis, inappetentia, corporis grauitas, & coloris totius mutatio. Communis victus hydropicorum ex his est quæ resiccandi facultatem habent, & humores extenuent, aut discutiãt, ex carnibus fructibus, potibus, exercitationibus, frictionibus, vnctionibus, & insperſionibus, expurgantibus medicamentis, & vrinam mouentibus vti decet. Nos singularum specierum curationem ordine persequamur.

Hydropis species.

Leucophlegmatia ab anasarca distincta.

De

De Ascite, Cap. XI.

Ascites. ASCITES Aquosa hydrops est, in qua intra peritonæum aqua plurima continetur ipsum distendens, dolores inferens vehementes, difficilem respirationem, sitim, & inappetẽtiam: quòd si venter pulsetur vtris aqua pleni modo sonat, & cum nõ valde distenditur ac impletur venter, si agitetur, aede latere in latus commoueatur sonitus similis sit fluctuantis aquæ. Extenuantur interim reliqua membra, quamuis aliquando malæ, oculorum palpebræ, & pedes intumescant, ob vaporum copiam qui ab aqua eleuantur. Victus exiccans esse debet, vti panis cum anisо subactus, qui fermentum abundè suscipiat. Aues montanæ, perdices nouellæ, turtures, turdi, pulli gallinacei, & vitelli ouorum, liquamen erit, sinapis cum melle & aceto, aut ex petroselino, mica panis in aceto & melle, pipere, ac sale. Insperſiones erunt ex cumino, aniso, & sale, cum caryophyllis, & pipere: amygdalas edere licet, & auellanas tostas, & vuas passas, ac pistacia, præsertim melle condita. Abstinebunt autem à cibis frumentaceis, & oleribus & fructibus viridibus, sed in cibis accipient raphani folia, apium, petroselinum, asparagos, mentham, cicorium elixum. Carduum edere non permittimus ob fibrarum duritiem, & aquosæ substantiæ copiam: radix autem valde dura est, & coctionis difficilis. Potus erit vinum albũ antiquum, aut fuluum tenue: acetum verò quàm maximè sedat hydropicorum sitim: erit autem pauciſsimus potus, quoad fieri possit, quantus frangere sitim tantummodo possit, autore Aetio. Quantum autem conferant exercitationes, præsertim in arena calida, & ipsius insperſiones ventri factæ, equitationes, deambulationes, & frictiones aridæ, non opus est dicere. A balneis abstineant, nisi natura calidi ac sicci fuerint, & neque horum est vsus apud nos in hac affectione. Ventrem autem lenem seruabunt, aut clysteribus vtentur, nisi sponte profluat, nam cùm hac in re modum sæpe excedant, supprimi fluxio debet.

Ascitis vitius.

Ascitis curatio. Curatio à ventris vacuatione orditur (præparato corpore aquæ mulsæ potu) quæ probè sit, cum pilulis aureis, pilulis de rhabarbaro, cum hiera diacolocynthidos, aut accipiet succi radicis ireos ʒ.ij. aquæ mulsæ ʒ.ij. purgat autem validè succus is: quam ob rem non longe à purgatione ob calorem & siccitatem quam infert, decet ius gallinę pinguis bibere. Sic etiam purgabitur probè pilulis appellatis fœtidis, aut succi cucumeris syluestris aridi ϑ.ß. cum aqua mulsa bibet. Brasicæ quoque marinæ succus, quam soldanelam vocant, optimè aquam purgat: sit autem pondus à ʒ.j. vsque ad ij. cum mulsæ ʒ.ij. idem facit cocus gnidus. Deinde medicamenta adhibebimus, quæ vrinam moueant, ea enim quàm maximè conueniunt in ascite, de quibus est decoctum radicum apij, asparagi, calaminthæ, pulegij, origani, addito cinnamomo. Aut ex decocto graminis, iringij, cum aniso, cinnamomo, & eupatorio. Aliud Aetij post purgationem ita validum, vt nisi quis modicè cavtatur periculum sit, ne possit cohibere vrinę fluxionem: itaque cum vrinam profluam videris, non amplius eo vteris. Seminis apij ʒ.xj. myrrhæ ʒ.vij. dauci ʒ.vij. croci ʒ.vij. mei ʒ.vij. phu. ʒ.vij. acori ʒ.iiij. floris iunci rotundi odorati ʒ.iiij. fœniculi ʒ.iiij. sari ʒ.vj. spicæ nardi, casiæ, cinnamomi, seselis, sabinæ, singulorum ʒ.j.ß. excipe vino odorato & pastillos quosdam triobolares, quosdam diobolares, quosdam obolares formato, eósque pro viribus præbeto. Valet in eum vsum theriaca, mithridatium, & dialaca. Aliud, acori, ireos, vtriusque ʒ.ß. centaurij, origani, pulegij, singulorum manipulum ß. spicæ, asari, gentianæ, singulorum ʒ.iij. buliant in libris sex aquæ ad consumptionem tertiæ partis, præterea decoctum rubeæ cum aniso, fœniculo, croco, & pipere. Interim clysteria adhibebimus, ex decocto ireos, centaurij, pulegij, rutæ, origani, cum hiera picra, aut benedicta, aut hiera Rufi, oleo irino, laurino, anethino, rutaceo, & sicionio, quibus addimus mel, aut mel rosaceum, succum betæ, succum mercurialis cum sale. Aliud, decocti rutæ, polypodij, & mercurialis libram j.ß. benedictæ ʒ.j. mellis & olei

rutacei

rutacei vtriusque ʒ.ij.salis ʒ.ß.Roborare verò oportet iecur, à quo malum oriditur,potionibus,linimentis & emplastris. Bibendũ damus vinum,aut aquam mulsam in quibus maduerit per noctem absinthij coma, præterea decoctum eupatorij cum spica,dianisum,aromaticum rosatum.Præterea fiat puluis cinnamomi,spicæ,absinthij,menthæ,carpesiorum,caryophyllorum, æquis partibus sumatur ʒ.ß.in vino albo,aut tantumdem iecoris lupi,cum vino,aut decocto eupatorij, aut absinthij. Linimenta fient ex oleo de absinthio, nardino, rutaceo, aut irino, laurino, anethino. Superinspergemus tamen puluerem cumini,anisi,absinthij,caryophyllorum,ammoniaci,& galbani.Valet in eum vsum vnguentum Agrippæ, dialthæas, cum succo cucumeris syluestris, hoc purgatoriam facultatẽ habet.Aliud ex stercore caprino, oleo irino, & aceto. Aliud stercoris bubuli ʒ.iiij. sulphuris ʒ.ß. bulliat in libris ij.aceti mulsi. Aliud stercoris bubuli, stercoris caprini,vtriusq; ʒ.ij. sulphuris ʒ.ß.puluerisabsinthij ʒ.ij. succi ebuli ʒ.ij. aceti mulsi ʒ.xx. bulliant ad consumptionem medietatis. Aliud, succi ebuli, succi absinthij, succi cucumeris syluestris, sing.ʒ.ij. spicæ, asari,carpesiorum, caryophyllorum, singulorum ʒ.j. fœminis verò quandoq; pessulum immittimus ex anisso, cumino, cardamomo, aristolochia,& pulegio cum medulla ficuum vino subactis: vidimus quosdam paracẽtisi, hoc est punctura ventris, in quinque partibus facta, non penetrante, sanasse,eis partibus purgata aqua. Pauci tamen liberantur apertione, quam non licet exercere nisi vbi alia remedia non profuerint, atque decet eo tempore constantem habere facultatem, & sensim aquam educere, facta scissura prius in abdomine: parum autem supra hanc fiat peritonæi sectio, vt abdomen operiat ipsius sectionem.Interim tamen vires iecoris oportet roborare.

De Tympania, *Cap. XII.*

TYMPANIA Ventris tumor flatuosus est, per quem intra peritonæum flatus continetur, & ipsum distendit, superuenit morbus hic, longis febribus, langoribus ventriculi,& eiusdem ac intestinorum inflammationibus,& scirrhis iecoris, vẽtriculi,vteri, ac peritonei. Accedunt statim dolores vehemens,vigiliæ, difficilis respiratio, ructus & flatus retentio,sæpe etiam febris: quoniam magna ex parte à causa calida morbus oritur, vti ex ventriculi calida intemperie, aut ipsius aut iecoris inflammationes. Victus talis cõuenit qualis capite superiori ad asciticos traditus est, decet enim eisdem exiccantia, & vrinam mouentia admouere. Curatio itaque à purgatione incipiet. Vitare autem præcipit Paulus de purgantibus,ea quæ vniuersum corpus emaciant, & colliquant:ex vrinam mouentibus verò, quæ efficaciora sunt. Probè itaque purgationem perficimus per pilulas de agarico, aut per pilulas de rhabarbaro, si quidem nõ fit tympania sine humoris cum flatu mixtione. Deinde clysteribus vtemur quæ flatum validè discutiant,ex decocto anisi,cumini,centaurij,cum oleo anethino,& rutaceo.Aliud,decocti centaurij,anethi,meliloti,rutæ,lib.j.ß.benedictę ʒ.j. mollis & olei anethini vtriusque ʒ.ij. salis ʒ.j.Aliud, rutæ, anethi, pulegij, singulorum ma.ß.anisi, dauci, cumini, carui, singulorum ʒ.j. bulliant in libris tribus aquæ ad consumptionem medietatis, residuum coletur, & colaturæ adde olei rutacei ʒ.iij.salis ʒ.j.Glandes immittendæ ex melle tosto, cumino,& sale,aut ex hiera piera,succo cucumeris syluestris arido,& sale:quæ verò vrinam mouent vtilia sunt, vti decoctum,quod recipit, anisi, fœniculi, ameos, singulorum ʒ.ij.dauci, cumini, asari, spicæ,singu.ʒ.j.bulliant in libris ij.aquæ ad consumptionem medietatis, & colaturæ accipiat ʒ.iij. aut decoctum calaminthæ, origani, pulegij, & anisi bibant, vbi non fuerit magnus ardor hæc in vino facere expedit. Liniatur venter oleo anethino, & inspergatur puluere cumini, aut oleo rutaceo, nisi magnus fuerit calor, deinde fricetur linteis asperioribus,longa frictione.Emplastra verò superponantur ex ruta,anetho,

Tympania.

Tympaniæ curatio.

camęmelo,meliloto,cum aniſo,cumino,& carui elixis & malaxatis cum oleo rutaceo,aut ex ebulo,cętaurio elixis,& melle malaxatis. Valent in eum vſum aromaticum roſatum cum vino,diacuminum,aut dianiſum,aut diatrion pepereon. At verò ſæpe morbum hunc vidimus à calida iecoris intemperie natum,quem refrigerantibus curauimus,iecori ſuperponentes ſuccum endiuiæ & cicorij cum pauco aceto & vnguento roſato linientes, ſuperponimus aquam inſtillatitiam endiuiæ, cum aceto, & cicorium edendum damus, atque endiuiam.

De Leucophlegmatia, Cap. XIII.

Leucophlegmatia.

LEVCOPHLEGMATIA Carnis totius corporis tumor eſt pituitoſus. Cauſæ ſunt quæ iecur infrigidant, & ſanguinis craſsi ac pituitoſi generationi parant, ex cibis, potibus, & reliqua viuendi norma, refrigerante. Signa ſunt totius corporis tumor, color albicans, carnis mollitudo, ac laxitas, ita vt ſpongiæ modo humorem imbibiſſe videatur. Talis autem redditur caro temporis proceſſu pituita deducente carnem in ſui naturam. Victus his conuenit, qui exiccet & extenuet, panis ſit probè coctus, & cortices meliores ſunt iptius mica, recipiat autem aniſum cùm ſubigitur. Carnes ſint aſſæ turturum, perdicum nouellarum, turdorum, paſſerculorum, & pullorum gallinaceorum, cuniculi, & ouorum vitelli. Olera & legumina vitanda, præter petroſelinum, apium, mentham, boraginem, paſtinacam, aſparagos, folia raphani, cicorium, allia cocta, porra, & cicera. Fructus ſint amygdalæ adhuc amaræ, vuæ paſſæ, piſtacia, auellanæ toſtæ, caricæ, nuces. Inſperſiones fiant ex aniſo, cumino, ſale, piper, zingibere, caryophyllis: liquamen ſit ex petroſelino, aut ſynapi, aut acetum & piper. Vinum ſit antiquum, & colore flauum, atque odoriferum. Parcè bibant & ab aqua abſtineant, & in lecto paulò duriori dormiant. Exercitationibus vtantur validis, & ſub æſtiuo ſole, & talibus frictionibus, & in arena calida. Curatio incipiet à ſang. miſsione, præſertim ſi aliqua ſanguinis vacuatio fuerit ſuppreſſa, veluti hæmorrhoidarum, aut menſtruorum, aut ſanguinis narium, atque tunc vena tundenda quæ euacuet redundantiam ab oppleta particula, deinde plenitudo & vires conſiderentur. Nos fœminis crura ſcarificare præcipimus, cui nullum auxilium confertur. Hydropicis talos ſcarificare Galen. ex Archigene præcepit lib. 9. de Comp. med. per locos, & Cel. idem lib. 3. cap. 21. Hoc remedio malum corporis habitum ſæpius curauimus. Paulus à ſanguinis miſsione abſtinere præcipit, vbi antè miſſus fuerit cùm æger malo corporis habitu laborare cæperat: ſed in omnibus redundantia ac vires conſiderari debent. Eiuſdem quoq; præceptum eſt per interualla ſangu. ducere. A ſanguinis miſsione corpus ſiropis extenuantibus parandum, vti ſiropo de quinque radicibus cum aceto maribus, ſine aceto fœminis, quibus addes decoctum radicum apij, aut origani, aut calaminthæ. Aut fiat ſiropus ſequens, calaminthæ, pulegij, origani, ſingulorum manip. j. ſpicæ, aſſari, cinnamomis, ſingulorum ʒ. ij. aniſi, cumini, carpeſiorum, ſingulorum ʒ. j. ß. bulliant in libris ſex aquæ, ad conſumptionem tertiæ partis, reſiduum coletur, & melle addito fiat ſiropus. Corpus autem purgetur pilulis aureis, aut de agarico, aut de rhabarbaro, aut electuario indo, aut diaphœnicon, aut rhabarbaro cum ſpica infuſo in decocto radicum apij, & iringij. Purgat etiam eoſdem optimè ſiropus acetoſus diarhodon cum rhabarbaro, cuius quantitas ſit ʒ. iiij. bis in tribus diebus. Poſt hæc conueniunt quæ vrinam mouent, quorum copia præcedentibus duobus capitibus habetur, & decoctũ abſinthij, & cinnamomi. Frictiones verò vtiliſsimæ ſunt, quæ fiunt cum oleo irino, & ſale, aut oleo laurino, aut anethino cum pauco aceto, & ſale, aut ſulphure tenuiſsimè trito: hæc frictio vniuerſo corpori adhibetur, & ventri. Simili frictione & validis exercitationibus vti præcepi ſub æſtiuo ſole, in calida arena, adoleſcenti,

Leucophlegmatis victus.

Leucophlegmatis curatio.

Hiſtoria.

quem

quem ex magna leucophlegmatia ad ſanitatem reſtitui quinque dierum ſpatio, probè iam purgato corpore: is ſanè ſe ſoli æſtiuo exponebat, tecto capite, quatuor horarum ſpacio iuxta meridiem, quas frictioni & exercitationi in ſumebat: frictio autem cum oleo irino & ſale fiebat. Alios ſolemus in calida arena prædictis temporibus ſepelire, & eoſdem oleo irino, & anethino fricare, addito ſulphure: ventri emplaſtra admouentur ex ſtercore caprino, aut bubulo, cum ſulphure elixis in aceto mulſo, aut liniatur oleo irino, ſulphure & ſale. Decet autem iecur roborare externis auxiliis, vti oleo de abſinthio, & nardino, aut anethino, puluere abſinthij, menthæ, eupatorij, & baccarũ lauri, cum aniſo, cinnamomo, & caryophylis. Ore tamen aſſumentur paſtilli diarrhodon, & de rhabarbaro, & aromaticum roſatum, atque iecur lupi præparatum, cùm vino, aut aqua mulſa. Anaſarcam autem quæ à ſeroſis colliquationibus procedit & corporis habitum occupat, agnoſces colore inter pallidum & viridem, carnis mollitudine, virium collapſu, ſomno graui, & ciborum inappetentia, & totius corporis refrigeratione, & liquidis deiectionibus decoloratis. Horum curatio difficillima eſt: ſiquidem totius naturæ euerſionem emendare oportet, exiccatione, calefactione iecoris, ventris & totius habitus, per ea quæ dicta ſunt ad leucophlegmatiam, citra ſangu.miſsionem, aut purgationem, ſed frictionibus, vnctionibus, & vrinæ pro vacuatione, & potu exiccantium vti conuenit.

Anaſarcæ curatio.

DE MORBIS RENVM ET VESICÆ, SECTIO NONA.

De Renum imbecillitate, Cap. I.

RENES Imbecillitate laborant, citra vlcus aut inflammationem. Imbecillitas verò quæ maximè nota eſt, ad retentricem attinet facultatem, quę retinendo ſanguinem percolat, ac vrinam puram & naturalem conficit: ſic quidem & renes ob laxitatem ſanguinem delabi permittunt, atq; ea ratione vrina redditur cruenta, ſicuti & ob laxitatem vaſorum ad renes deducentium vrinam, ſic etiam vbi ſanguis in toto corpore redundauerit, & ea via natura abundantiam deponat, cruenta vrina per interualla ſuccedet. Mingitur quoque vrina cruenta, ob venæ alicuius rupturam. Acres autem humores per eos meatus tranſmiſsi, exulceratis meatibus cruentæ vrinæ cauſa fiunt. Renes rurſum imbecilles redduntur, ob intemperiem præſertim frigidam, cui etiam humida adiungitur: ſanguis verò qui mingitur, aquoſus atque ſeroſus eſt, & qui hoc malo laborant, ſiti carent, atque dolore, & à calidis auxiliis iuuantur, pariter atque ſiccis. Si verò ſanguis ob vaſorum laxitatẽ mingatur, is craſſus erit: verùm cùm ſubſederit, cruentum erit ſedimentum, vrina verò parum colorata. Sæpe verò non ſubſidet, ſed turbata manet, colore perrubra, & dolor quidam ſentietur ac ſi renes ſuſpenſi eſſent. Quòd ſi ſanguis mingatur per interualla, ſtatutis temporibus grauitas in renibus ſentietur, & à mictu melius habebunt. Cùm autem talis excretio cohibetur, mala grauia inde ſequuntur, qualia ſunt ophthalmia, vertigo, lumborum dolor, & renum, grauitas, ac lapidis in eiſdem generatio: conſentiente autem iecore, malus corporis habitus, & aqua inter cutem, ſi mictus ſanguinis vena rupta fiat, antecedet violentia magna in leuandis ponderibus grauibus, aut oneribus geſtandis, aut longus & frequens veneris vſus, aut celerrima, & inæqualis, & diſpar equitatio: tunc verò ſanguis affatim mingitur, ac ſine interuallis. Cùm autem mictus ſanguinis erodentes ſequitur humores, dolores antecedunt acres, & vrina flaua, & interim pus quoque cum vrina mingitur & quandoque caruncułæ. Competunt his aues montanæ, vti turtures, palũbi, perdices, turdi, oryza cum lacte, aut iure carnium, & palmulæ, & lentes eo

Sanguinis mictus.

Vrina cruẽtæ cauſa.

Imbecillitatis renum victus.

modo quoad dysentericos paratæ,& aqua chalybeata, aut vinum nigrum eadem aqua dilutum, aut aqua pluuiali. Abstineant funditus ab omni exercitatione,& venere, & decubitu super dorsum,& vsu rerum calefacientium cum acredine, præsertim vbi ab acribus oriatur humoribus. Vitabunt præterea omnia vrinam mouentia. Tussis quoque sanguinis mictum detegit,& vociferatio & ira. Curatio eorum qui sanguinem mingunt ob imbecillitatem retentricis facultatis renum,aut meatuum, tota ad renes & meatus adstringendos & roborandos conuertitur. Prohibitis itaque contrariis, nempe coitu, exercitatione, labore crurum, & vrinam mouentibus, præbebimus eisdem in potu,pastillos de spodio cum aqua plantaginis, aut in eadem boli armeni ℈.ij. aut symphyti radicis ʒ.ß.cum decocto balaustiorum,aut lapidis hæmatitis ℈.ij. in aqua instillatitia plantaginis. Aliud, corallorum rubeorum,acaciæ, balaustiorum,singulorum ℈.ß.in ʒ.vj.decocti sanguinariæ, aut bibat æger succi sanguinariæ ʒ.ij. Renibus verò emplastra admouemus ex mastiche, acacia, rhu, & succo sanguinariæ,aut ex palmulis elixis in aceto deinde malaxatis addita acacia,& oleo myrtino. Aliud,olei myrtini,olei melini,vtriusque ʒ.j.pulueris, mastiches, cinnamomi, acaciæ, balaustiorum singulorum ℈.j. cum resina fiat emplastrum. Si verò sanguis mingatur per circuitus, à sanguinis missione incipere oportet curationem,secta vena interna cubiti,per diem, aut duos dies ante accessiõnem,cum sanguinis copia aceruata iam est.Nullum autem tempus spectandum si sanguis rupta vena manauerit, sed statim fundendus secta vena prædicta per interualla,vt natura in partem aliam assuescat.Conferunt eisdem cucurbitæ lumbis affixę cum scarificatione,& frictio brachiorum valida, atque eorumdem ligatura. Medicamenta verò ore sumet quæ prædiximus,aut lapidem hæmatitem in succo polygonij,aut ex radice symphyti, rhu, & acacia cum succo polygonij & sanguinariæ fiat emplastrum. Vidisti familiarem collegij diui Bernardi, qui sanguinem copiosum & syncerum pauca vrina mixtum mingebat,quem ad sanitatem perduximus semel bibitis pastillis ex succino cum aqua instillatitia plantaginis, hora somni. At verò si sanguinis mictus eueniat ab humorum acredine, hos purgatione ducemus per ventrem. cum electuario rosato,& casia fistulari,in decocto prunorum, & radicis dulcis, aut electuario diacatholicon, in decocto prunorum, violarum, hordei, & radicis, deinde si vlcus remanserit detergendum & assolidandum, & in summa ea via curandum,quæ à nobis tradetur ad renum vlcera.

Mictus sang. curatio.

Historia.

De Renum inflammatione, Cap. II.

Renum inflammatio.

INFLAMMANTVR Renes sanguine ad ipsos confluente, & eosdem distendẽte,cuius morbi causæ sunt,dolor, ictus, saltus, equitatio celeris & vehemens, compressio, & multi sanguinis in eas partes transfusio. Signa autem accedunt dolor lumborum, ea parte quæ ventriculo è regione retro respondet,ardor,febris pro morbi magnitudine magna,sitis,bilis vomitus,capitis dolor,mentis turbatio, vigiliæ,nonnunquam procedente malo animi deliquia, & extremorum refrigerationes, vrina cohibetur,aut redditur pauca, & flaua, aut ruffa,aut rubra, ab initio tenuis, procedente morbo crassa,& mucosa, frequenter mingunt,& cum labore, dolore,& calore, ac morsum tussi, aut sternutatione vehementius redditur malum. Deiectio dura excernitur, & pauca, se ipsos erigere nequeunt, minimè tamen progredi, crus eiusdem lateris stupet.In victu conueniunt alimenta quæ facilè coquũtur & parum alere possunt,vt lactucæ elixæ, aut endiuia, aut cucurbita, & vbi virium robur exigatur hæc in iure pulli elixanda venient,amygdalatũ præterea eisdem conuenit. Magna verò ciborum abstinentia noxia est, si quidem per ipsam vrina acrior redditur,quod Rufus Ephesius libro de renum & vesicę affectibus affirmauit.Potus sit aqua hordei, sed inclinante malo panis in iure pulli edendus, & alæ auium elixæ, & parum

Inflammatorũ renum victus.

carnis

carnis pulli parui elixi, aut perdicis nouellæ, troctas quoque, & fluuiales rubeculas, ac ſoleas edere licet, ac paſtinacam aſſam in cineribus, aut elixam, aut liſer, & oui vitellos, cum ſaccharo: cum carnibus autem & piſcibus petroſelinum, aut fœniculum, & amygdalatum accipient cum ſeminibus melonis, & cucumeris inclinante morbo. Venter clyſteribus molliendus ex decocto violarum, hordei, & ſaccharo. Sanguinis miſsio eis optimum remedium eſt. Verùm Galen. lib. de Sanguinis miſsione, renes ambigere dixit, quoniam in medio corporis ſiti ſunt, ac perinde iuuãtur venis brachiorum, aut crurum ſectis. Quamobrem incipiente inflammatione ſanguinis impetum reuellemus, ſecta vena interna cubiti patientis lateris, fiétq; cum Aetio repetita. Sed cum ſanguis partem obſederit, derivationis ratione, venam malleoli interioris eiuſdem partis aperiemus. Hanc autem repetere non decet, ſed ſemel ſecta vena totum ſanguinem euacuandum educere: cucurbitulas verò cum ſcarificatione lumbis affigemus, vbi per cataplaſmata quæ ſequuntur non ſedetur dolor. Clyſteria rurſus iniicienda ex decocto hordei, violarum, ſeminis lini, & ſaccharo, & pinguedine gallinæ liquata, aut ex decocto maluarum, ſeminis lini, & fœnogræci, cum oleo roſaceo, & axungia gallinæ, & anatis, aut ex decocto hordei, oleo roſaceo, & caſia fiſtulari, addimus autem ſaccharum, alij mel. Cataplaſmata verò ſuperponemus ex farina ſeminis lini, farina hordei, & roſaceo, aut ex farina fœnogræci, farina hordei, ſantalis rubeis cũ oleo camęmelino, & roſaceo incipiente morbo, aut fiat linimentum ex vnguento roſato & ſantalino pari menſura. Dolore verò valde aucto addemus oleum de papauere, aut parum medicamenti Philonis: aut recipiet vnguenti roſati ʒ.j. vnguenti populeonis ʒ.ß. olei camæmelini ʒ.ij. Morbo tamen inclinante, aut humore iam obſidente partem, fient emplaſtra ex farina ſeminis lini, aſaro, chamæpity, & eruo, cum paſſo. Licet quoque addere polium, abrotonum, iuncum rotodum odoratum. Eodem tempore emplaſtra cõficimus ex farina ſeminis lini, erui, ireos, paribus menſuris cum oleo laurino, aut irino, & galbano. Bibet interim æger decoctum cicorij, cum puluere ſeminum melonis & cucumeris, aut ſiropũ de endiuia cum oxiſaccharo, aut ſiropi violati ʒ.ij. aquę hordei ʒ.iiij. aut ſiropum de endiuia cum aqua inſtillatitia melonis: vitanda autem ſunt quæ cum acri calore vrinam cient. Tranſit quandoque inflammatio in ſcirrhum, atque obdurantur renes nimium refrigerati, aut tenui inflammationis parte diſſoluta, quod ex põdere agnoſcimus, & doloris hebetudine, & quoniam renes ſuſpenſi videntur, & cruris perpetuus accidit ſtupor, maior quàm antè, & vrina minor redditur, & facilè inde malus corporis habitus ſequitur. Curabitur autem emplaſtris, linimentis, clyſteribus, atque his quæ vrinam mouent. Emplaſtra conficimus ex farina ſeminis lini, oleo anethino, & axungia gallinæ, aut ex caricis, farina fœnogræci, decocto radicum althææ, & medula cruris vituli, clyſteria iniiciemus ex decocto maluarum, caricarum, & melle, addito oleo camæmelino, & de lilio albo, aut ex decocto radicum althææ, ſeminis lini, oleo camæmelino, axungia gallinæ liquata, & ſale. Vrinam mouebimus aqua mulſa ex decocto radicum apij, aut decocto capillorum Veneris, aut ſiropo de quinque radicibus ſine aceto. Tranſeunte tamen inflammatione in ſuppurationem, eandem agnoſcamus, rigore, febre maiori, & pondere. Cæterùm fient inordinati rigores, & febres per acceſsiones augmentum recipiẽt, veſperi potiſsimum. Cùm ſuppuratio iam facta eſt, dolores & febres fient minores, pondus magis manifeſtum. Cùm rumpitur, pus mingetur, & nonnunquam rerum carunculæ, & ſordes atque excrementa, & pondus minuetur. Coadiuuare tũc oportet ſuppurationem & eruptionem, iuuatur optime ſuppuratio clyſteribus ex decocto caricarum & radicis althææ, cum oleo amygdalarum dulcium, & axungia gallinę, aut ex decocto maluarum, radicis althææ, oleo camæmelino, & butyro vaccino. Emplaſtra quoq; ſuperponẽtur ex ficubus cũ radice althææ, & oleo elixis & malaxatis. Cùm verò ruptura ſup

Renum inflammatorum curatio.

Scirrhus renum.

Scirrhus renum curatio.

purationis cupimus, emplastra conficiemus ex caricis, foliis maluarum, stercore columbino, & melle, aut ex caricis, radice ireos, terebinthina, adipe gallinæ, & oleo laurino, & humorum prauitate vrgente eruum, & baccas lauri addemus, mulsum quoque cum rutæ decocto rupturã accelerat bibitum: Clysteribus verò oleum irinum & sal copiosum addemus. Rupto abscessu vlcus mũdare expedit, & carnes renum reficere, roborare, & malignã putredinem coercere. Abluit renes aqua mulsa, siropus capillorum Veneris cum decocto radicum fœniculi, & cicorij decoctum cum melle despumato, aut decoctum pulegij, aut origani cum melle. Vlceris benignitas agnoscitur, quoniam pus album, leue, & æquale, ac quã minimè fœtidum cũ vrina mingitur. Malignum verò, quoniam pus fœtidum est, aut liuidum, & muscosum. Prædicta mundare valent vlcera. Sed lac asininum optimum est, deinde caprinum, cum melle & endiuia, aut cicorium elixum, & cucumis. Reficietur autem carò renum per mundificationem lacte ouillo, aut bubulo. Bibendum autem calidum, aut ab vbere mulgendum. Quibus etiam amylum cum lacte elixum, & similago, sic etiam parata vtilis est. Verùm erosiones renum & praua ipsorum vlcera non facilè curantur, sed eadem mũdare ac validè siccare decet, cum medicamento diaireos in tabellis, & aqua mulsa ex iride, & eruo, aut ex iride, & erui farina cum melle, & resina terebinthina confectis emplastris. Sed ad renes exulceratos sunt quæ sequuntur.

De Rennm vlceribus, Cap. III.

Renum vlcus.

EXVLCERANTVR Renes prçcedente inflammatione suppurata, aut rupta vena, aut humoribus erodentibus diutius per renes transeuntibus. Inflammatio cognita est, & venæ ruptura ex his quæ capitibus præcedentibus diximus. Humores erodentes dolore, & calore renum, atque vrinæ acredine agnoscuntur, quibus vrinæ color accedit ruffus, aut flauus, non ab his tantùm renes exulcerantur, sed à lapidibus qui ibidem generantur. Renibus exulceratis, pus mingitur, quod cum vrina valde subactum descẽdit, nec facilè subsidet. Pus autem agnoscitur fœtore percolatum, præsertim si ignitis carbonibus fundatur. Vlceratis præterea renibus minguntur nonnunquam carunculæ: his accedunt loci dolor, & calor, & ea quæ præcesserũt, vt venæ in renibus ruptura, aut eorumdem inflammatio. Quibus vlcera renes infestant, ob inflammationes, aut venæ rupturam, remedia capitibus præcedentibus tradita conueniunt. Acribus tamen infestantibus humoribus alimenta conuenient quæ refrigerent humores, & renes attemperent, vti lactucæ, endiuiæ, pepones elixi, & cicorium, aut endiuia, aut cucurbita, aut rumex elixa, aut pepones elixi cum carnibus pinguibus. Carnes quoque auium montanarum, aut perdicum, turturum, & turdorum, gallinæ, & capi nouelli, squamosi pisces, & saxatiles, & amylum cum lacte, & similago, & hordeacea ptisana, & succus hordei viridis, panis bene fermẽtatus ac paratus, lac præterea asininum, ac serum lactis cum melle confert, cum mundificare vlcera instituimus, deinde lac ouillum cum melle, aut lac bubulum conuenit. Potus aqua hordei, aut vinum subnigrum modicè austerum, probè dilutum, quale est yllanum, & aqua radicis dulcis, sed sit potus paucæ quantitatis. Quies conuenit, & summa abstinentia, ab equitatione, saltu, venere, & ira, & alimentis salsis, acribus & acidis, & vrinam mouentibus calidis. Curatio verò incipiet à purgatione acrium humorum reuulsionis ratione vomitum mouere decet, bibito agarico in aceto mulso, aut decocto seminis raphani. Purgabitur verò per inferiora deriuationis gratia, per electuarium rosatum, cum medulla casiæ fistularis. Deinde vlcus mundabitur aqua mulsa, cum decocto capillorum Veneris, aut cum decocto cicorij, & radicis dulcis, aut cum aqua mulsa in qua bullierint radix dulcis, & vuæ passæ sine vinaceis. Aut seminis melonis, cucumeris, cucurbitæ, peponis sing. ʒ. ß. succi radicis dulcis, &

Vlcerum renum curatio.

sacchari

sacchari, vtriusque ʒ.j. cochleare vnum sumatur ieiuno ventre cum aqua instillatitia cicorij, aut decocto seminis maluæ. Post mundificationem consolidandum vlcus est, bibito bolo armeno cum aqua cicorij, aut pastillis de alicacabo, hoc est diaphysalidos, cuius sint ʒ.ij. in aqua mulsa, aut in aqua instillatitia cicorij. Aliud, Seminis melonis & peponis, & vtriusque ʒ.ß. succi radicis dulcis ʒ.ij. tragacanthi, myrrhæ, gũmi arabici, boli armeni, thuris, singulorum ʒ.j. cum siropo rosaceo, aut myrthino conformentur pastilli, ponderis ʒ.j. quorum vnum assumet cum aqua mulsa, aut aqua instillatitia cicorij, aut bibet aquæ mulsæ ʒ.iiij. succi saliuæ ʒ.ß. myrrhæ, & tragacanthi, vtriusque ʒ.ß. aut coralli, tragacanthi, succini, singulorum ʒ.ß. cum decocto cicorij. Emplastra superponentur ex farina hordei, farina erui, myrrha, & resina terebinthina. Aliud, myrrhæ, thuris, mastiches, boli armeni, singulorum ʒ.j. succi plantaginis aridi ʒ.j.ß. picis & resinæ quantum satis est. Vlcera verò si serpentia fuerint, & ichores, ac liuidam saniem à se mittant, aut difficilè, aut numquam curantur, sed tamen prædictis remediis conandum id efficere.

De Diabete, Cap. IIII.

Διαβήτης à verbo διαβαίνω, hoc est, pertranseo dicitur, quia vrina in hoc morbo citò pertransit: hæc est renum passio quæ à quibusdam vrinæ profluuiũ, ab aliis dipsacos, ab aliis matella inter cutem appellatur. Qui hunc morbum patiuntur statim assumptum potum per vrinam emittunt, adhuc quantitate maiorem, siquidem non tantùm potus celerrimè trahitur, vesicam implet, ac mingitur, sed à vasis trahitur humor. Rarus morbus & peregrinus est, renum significans calidam intemperiem, & magnam imbecillitatem: calida enim intemperies causa est adeò validæ attractionis, ob imbecillitatem autem retentricis fit, vt statim defluat in vesicam, qua impleta rursus mingitur sine mora. Contulit Galen. miro modo morbum hunc, caninæ appetentiæ otis vẽtriculi cum læuore intestinorum: per eam namque cibi validè appetuntur, sed statim tracti ob imbecillitatem ventriculi non retinentur. Deficiente rursus alimento alterũ appetitur, quod tractum deiicitur, nequeunte vẽtriculo, præ imbecillitate cibos retinere, sic etiã renes vehementi calore trahunt potum, à iecore, & iecur à vẽtriculo, tractus nutẽ potus minimè retinetur, sed sua grauitate delabitur in vesicam: hæc verò non trahit, sed recipit, sicuti neque intestina trahunt cibos à ventriculo, sed ab ipso per lienterias præ imbecillitate delabuntur in intestina, hæc verò grauata cõtentos cibos excernunt celeriter. Absente quidem alimento, redit statim fames, quæ ob ventriculi frigiditatem valida est, atq; canina: & in renibus ob calorem trahitur potus celeriter. Cùm verò ob imbecillitatem retentricis delabatur, rursus renes appetunt aquam valido quodam appetitu. Significabunt itaque diabetem valida sitis, calor renum, & mictus celerrimus ac valde copiosus, totius corporis tabes ac colliquatio, vrina alba & aquosa, venter aridus. Alimenta eis conueniunt quæ refrigerent, humectent & ventrem lenientia, ad ipsum conuertant fluorem vrinæ, vti lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, endiuia, carnes verueecis, porcorum, gallinarum, elixæ, & pedes porcorum & boum, & pisces saxatiles, & succus mali punici, aut arancium, cum saccharo. Valet ptisana hordeacea, & amylum, & similago cum lacte elixa, & carnes cum mali punici granis edendæ, aut arancij succo, aut limonis, & caseum recens salis expers, & pira & mala cotonea elixa. Decet abstinere ab acribus, & salsis omnibus, ab exercitatione, & cutis refrigeratione, aut adstrictione, & brachia oleo camæmelino fricare, & clysteribus vti, quæ refrigerent, humectent, & leniant ventrem. Curationis ratione. Paulus inter initia sanguinis missionem nõ alienam esse dicit confert autem vomitus multo cibo ac potu præassumpto, vẽtrem lenire conuenit clysteribus ex decocto hordei, violarum, prunorum, & tamarindorum, cum oleo violato,

Διαβήτης

Diabetis causæ.

Diabetis signa.

Diabetis victus.

Diabetis curatio.

addita

addita hiera picra: confert siropus rosatus, aut myrtinus, cum aqua instillatitia cicorij. Cataplasmata verò fient ex farina hordei cum rosaceo & aceto, quæ lumbis & iliis admouebuntur. Prætorea emplastrum ex baccis myrti, oleo rosaceo & succo plantaginis, aut ex farina hordei, acacia, hypocistide, cum succo portulacæ, & oleo myrtino. Aliud, succi plãtaginis, succi virgæ pastoris, vtriusque ʒ.ij. pulueris myrti ʒ.iij. pastillorum de spodio ʒ.ij. Lumbi quoq; vnguento rosato, aut cerato refrigerante Galen. liniãtur, aut vnguenti rosati ʒ.j. vnguenti populeonis ʒ.ß. misceantur, aut vitis pampini cum aqua capitum rosarum malaxẽtur, & lamina tenuis plumbi perforata lumbis alligetur. Sudorem verò elicere est ex vsu aquæ impetu in contrarium conuersio, id fiet si in laconico balneo ingrediantur, aut pedibus admoueatur intra lectum triticum elixum malidum adhuc.

De Lapide renum, Cap. V.

Lapis renũ.

IN Renibus & vesica lapides generantur, aut geniti continentur, nam lapides in renibus geniti in vesicam translati augentur, ac retinentur. Causæ lapidis in materia & efficiente consistunt, materia est crassus ac lętus humor, aut terrenus ad renum ventres delatus, ex cibis eius naturæ, & cruditatibus genitus. Efficiens est calor acris qui tenuem humoris partem dissoluit, crassa relicta dura & concreta. Lapides in renibus senibus & adultis magis fiunt, pueris magis in vesica, liquidem, puerorum succi magis fluxi sunt, nec proinde à renibus in vesicam delabuntur, senum autem retinentur in renibus vbi concrescunt. Sunt variæ lapidum differentiæ. nam quidam sunt longi, quidam rotundi, quidam leues, alij asperi, nonnunquam vnus, quandoque plures gignuntur, & hi aut albi, aut pallidi, aut rufi, aut rubei, aut nigri. Falluntur qui putant, albos in vesica, rubeos in renibus generari: omnium enim colorũ prędictorum fiunt in renibus lapides pro diuersitate materiæ & efficientis, nam à sanguine fiunt rubri, assati deinde nigri, & à pituita fiunt albi, bile mixta flaui. Qui leues sunt facilius, asperi difficilius excernuntur. Concrescunt primùm arenulæ multæ deinde viscidus humor easdem cõgregat & compingit: calor verò omnia obdurat, non aliter quam in fluuiorum litoribus arenosis, lapides vi solis genitos videmus. Sed & tophi iuxta canales & aquarum fluenta generãtur, fæce obobdurata, quod pari modo fieri in renibus & vesica existimandum est. Signa lapidis renum sunt, dolor præfixus in lumbis, pondus, difficultas vrinæ, hæc verò cùm mingitur ab initio aquosa est & syncerata, deinde fabulosa quæ dolorem leuat & morbum sæpe sanat: nam fit quandoque vt præter arenas mictus lapis remaneat. Incipiẽte accessione, ac natura ad excretionem lapidis commota, nausea accedit, ructus, & vomitus præsertim à cibo & deiectio cohibetur, sed egerendi cupiditas frequẽs molestat. Testis lateris renis patientis contrahitur, & crus patitur stuporem. Deinde cum lapis descendit, dolor acrior sentitur in meatibus vrinariis, maximè cum lapis asperior aut magnus fuerit, hic dolor in iliis sentitur. Cùm verò in vesicam delabitur, dolor cessat, verùm vbi non mingatur paulò pòst, vt lapis vesicæ curandus erit. Quoniam tamen morbus hic per accessiones inuadere solet, victus diuersus conuenit in accessione, & præseruationis ratione. In accessione sanè conuenit ius pulli ciceribus elixi, aut beta, aut borago, aut lactuca, aut pepo in iure gallinæ. Ante accessionem verò præuisionis ratione, carnes gallinarum, pullorum, caporum, fasianorum, turdorum, turturum, & troglodytum, perdicum, attagenarum, & ex quadrupedibus, veruecis, hœduli, & cuniculi. Ex piscibus troctas, soleas, plaicias, sabocam, & salmonem, & lauracem, & ouorum vitellos tremulos edant. Ex leguminibus ius cicerum, & ptisanam hordeaceam. Ex fructibus, amygdalas, pistacia, nucleos pini, vuas passas & cappares, & melones, ac pepones. Ex oleribus endiuiam, cicorium, petroselinum, apium, folia raphani, pastinacam

Lapidis in renibus generatio.

Lapidis renum victus

nacam,& ficer,aſpargos,berulam,& carduum, liquamẽ ſit petroſelinum, aut eruca. Panis ſit probe fermentatus & albus in furno, recipiet autem auſum dum ſubigitur. Potus ſit vinum album, non antiquum, nec validum, quale eſt vinum à ſancto Torcatio,aut à Yepes aut, a Libo,ſubꝫ albiuũ,vnius aut duorũ annorum,idque modicè dilutum,autaqua multa,& quandoqꝫ poſca. Aquæ vero tepidæ potum ante cibos laudat Alexander. Vitent autem vrina nigra, & craſſa,& valida & antiqua,& aquam turbidam,ac cœnoſam,ſed tenuiſsimam pellucidam,aut per mortarios lapideos colatam bibant. Eſt ſane aquæ potus adeò vtilis,niſi ventriculi temperies obſtitat,vt plures lapide renum laborantes excluſo ſemel lapide, abſtemij numquam iterum id mali ſenſerint. Panem quoque azymum,aut pauci fermẽti,aut male paratum, aut in cineribus aſſum deuitent:præterea carnes bubulas & porcorum,ac ceruorum. Vitent lac,& caſeum omne,& oua dura,atque frixa,& piſces omnes craſſæ ſubſtantiæ, vt polypum,thynnum,anguilas. Exercitationibus moderatis vtantur,& cõuenientibus anni temporibus pro humorum peccantium natura, aut ſanguis eis mittatur,aut venter purgetur,quibus vomitus à cibo vtilis eſt. Vbi morbus cũ ſanguinis redundantia fiat, ſanguinem mittemus ſecta vena interna cubiti eius lateris,ex Aetij documentis,nec tamen totum ſanguinem redundantem vacuabimus,ſed partem ſeruabimus ad morbi longitudinem. Idem autor in teſtium inflammationibus ſi ſanguis fuerit multus, venam cubiti ſecare præcipit. Si verò non multus, venam tali. Quod in renum lapide & inflammatione ſeruandum videtur. Cæterùm Hip.lib.6.de Mor.popu. Sectione prima, venam poplitis ſecare præcipit,& Gal.idem confirmat,& ratione ſuadet,liquidẽ partes quæ infra iecur ſunt, ſectione venarum quæ ſunt in poplitibus, aut in malleolis curantur. Neque alienum à ratione videtur quod cum diſtinctione præcepit autor libri de renum affectus dignotione & medicatione: is enim languente facultate venam brachij ſecare iubet,conſtante verò, eam quæ in poplite. Præcedant tamen lenia clyſteria quæ tradentur. Prauis ſuccis redundantibus,purgatione eſt opus. Purgantur verò renes clyſteribus,vomitibus, & inferiori ventre. Sumant autem in potu electuarium indum in decocto radicum apij & fœniculi,& radicis dulcis, aut caſiam fiſtularem liquatã in oleo amygdalarum dulcium,aut elect.diaphœnicon, in decocto apij, fœniculi, & calaminthæ,aut in decocto vrticæ,capillorum Veneris,& pulegij. Clyſteribus rurſus vtantur,quæ ventrem emolliant, & dolorem mitigẽt, quale eſt quod conficitur ex decocto furfurum,maluarum,fœnograeci,ſeminis lini,cum oleo anethino,melle,& ſale. Aliud,decocti anethi,meliloti, camæmeli, libram j.ß.olei camæmelini,anethini,& laurini,ſingulorum ʒ.j.mellis ʒ.ij. ſalis ʒ.j. Aliud, decocti maluarum,radicum althæę,& fœnograeci li.j.ß.mellis,vini albi,olei anethini,ſingulorum ʒ.ij.ſalis ʒ.j. Quidam id bibendum præbent cum minori ſalis quantitate, & maximè iuuat. Nos ſæpe cum magno ægrotantium auxilio præbuimus, medullæ caſiæ fiſtularis ʒ. j. in olei amygdalarum dulcium, & vini albi vtriuſque ʒ. iij. dilutam. Exterius quoque linimenta & fomenta admouemus,quæ emolliant, ac laxent meatus & dolorem ſedent,quorum eſt oleum camæmelinum,anethinum,laurinum & amygdalarum, dulcium, & ex eiſdem cum cera,oleo ſeminis lini,axungia gallinæ,anatis,& cera, cerata liquida conficimus,quibus renes ac ilia liniuus: fouemus etiam eaſdem partes decocto camæmeli, meliloti,anethi,aut ſeminis lini, fœnograeci, & croci, aut decocto maluarum,radicum althææ,fœnograeci,& ſeminis lini, quibus addimus pulegium & calamintham,& vermes terreni in oleo camæmelino frixi valent, & mica panis in oleo anethino & aqua, inſeſsiones fient ex decocto pulegij,origani, calaminthæ, melilothi, maluæ althææ, fœnograeci, ſeminis lini. Decet quoque medicamentis ore ſumptis lapidem frangere, ſunt autem hæc moderati caloris, nam quæ his ſunt calidiora lapidem obdurant. Dimouent itaque ac frangunt lapidem, acetum mulſum cum decocto radicum

Sang. miſ. in lapide renum.

apij aut ſiropus de quinque radi. Cum aceto, cum decocto rubeæ, aut decoctũ radicum tribuli, aut iringij, aut aſparagoru, aut fœniculi, & adiantum, hoc eſt capillus Veneris vtilis eſt, & decoctum radicum maluæ agreſtis, aut corticis lauri, & lythoſpermon, radix capparorum, ſaxifraga, betonica, ius cicerum, radix graminis, & brioniæ, & peucedani. Ex compoſitis ſunt dialaca, diacurcuma, theriaca, lithotribum, mithridatium: dianiſum vero arenulas repurgat à renibus & veſica, ſi tamen lapis in meatibus vrinarijs infarciatur, & deſcenſum remoretur, cucurbitulas leues affigemus, paulò infra locum doloris, vt ad veſicam trahentes pluribus affixis cucurbitulis per ilia ad veſicam deducamus lapidem. Verùm hæc remedia, & quæ vrinam mouent, & lapidem frangentia, non conueniunt ante corporis purgationem, & clyſteriorum ventrem lenientium vſum, ne eorum vi excrementa ad anguſtos meatus confertim ferantur. Doloribus autem vehementibus perſeuerantibus ſtuporem inducere conueniet bibito Philonis medicamẽto, aut recenti theriaca. Delapſo lapide in veſicam dolor ceſſat: verùm quandoque magnitudine figitur in meatu veſicæ, atque impedit vrinæ exitum. Procurandum igitur ſtatim cum in veſicam deciderit, vt expellatur. Corpus imprimis concutiendum leuatis coxis & ſupino corpore, & lapis ad colum veſicæ ducendus: ſi verò ibidem figatur, rurſus ſupino corpore in cauitatem veſicæ tranſponatur, & vrina excluſa rurſum commoto corpore deducatur, donec promptè permeet: nam quandoque ob id figitur quod longior ſit, & tranſuerſim accedat. Quod ſi neque tunc lapis expellatur, catheteron quod Hiſpani argaliam appellant immittendum, aut maluæ cauliculus, aut cirpi pars tenera alba, quæ ad radicem eſt, atque excluſa vrina, tentandum lapidem in veſica contentum conterere: ſi verò in penis meatu infigatur, multa vrina prius retenta conandum impetu compreſsione facta ipſam excernere, ſi neque ſic pellatur lapis, periculum eſt ne iſchuria pereat æger, ſicuti & Philagrius ſcriptum reliquit, conandum itaque eſt medicamentis vrinam cientibus ipſum pellere, aut vulſella trahere aut iuxta glandem in ea parte ſectione facta ipſum extrahere. Nos theologo cuidam apprimè perito, lapidem iuxta glãdem firmatum, vulſella eduximus. Erat ſanè trigintaquatuor annorum, ſed ipſum ad ſenectutem vſque, bona victus inſtitutione à morbo liberum diximus, qui tamen ante id ſingulis annis lapides in renibus multos gignebat. Excluſo lapide aſperitatem in renibus & meatibus vrinarijs relictam curamus, bibito lacte aſinino, cum ſaccharo, aut diatragacantho cum aqua inſtillatitia cicorij. Arenulas verò quæ in renibus generantur emittimus bibito decocto aſparagorum, aut iringij. Dianiſum idem facit, ſuperbibito decocto graminis, aut vino albo.

Lapidi renum cucurbitula proſunt.

Lapidem frangens ex Martiani teſtimonio.

IEPORIS Pellem in ollulam coniice, & in furnum demitte, atque vbi vſta fuerit, ita vt conteri poſsit, acceptam tere, & ex ipſa cochlearium vnũ cum vino ieiunis in ſolij calidæ aquę inſcenſu præbe. Si verò velis experimentum pharmaci ipſius accipere, ex eo in vinum coniice, & in vinum item lapidem ex flumine acceptum iniice, & contectum per paucas horas ſine, & in grumos lapis diſſoluitur. Quod verò ſequitur maximè probo, Acori, Phu, hiperici, ſingulorum 3.6. ſeminis porri 3. 12. ſpicæ nardi 3.10. caſiæ, lithoſpermi, ciperi, ſingulorum 3. 25. excipe melle, & exhibe fabæ magnitudinem. Sanguis præterea hircinus miro modo frangit lapidem in renibus aut veſica, & dolorem mitigat. Paratur optimè ab Aetio, & ab Alexãdro, & cochlear vnum exhibetur cũ paſſo, eſt adeò probatum medicamentum, vt appellatum fuerit iure deorum manus. Verùm ad eius odoris prauitatem emendendam Aetius folium, aut amomum ſanguini miſcet. Alexander verò odoratas herbas edendas hirco porrigit. Accommodatur quoque in eum vſum auis parua quæ trogloditas appellatur, ab aliis canda

tremu

tremula,à nobis bizbita,hæc edenda est cruda,non semel sed sæpe prius salita. Aut cinis eius sumendus cum vino albo,& melle,sed vnius cinis totus sumendus, cum pipere & folio. Bifariam itaque paratur, passerculus, aut deplumis viuus sale obrutus, sic enim præstantior putatur à Philagrio, tum ob sanguinis, tum ob stercoris auis vim,quæ imbecillitantur vstione. Aliter non deplumis passerculus in ollulam coniicitur, ac deinde operculo addito vritur, licétque cinerem cum melle cocto ad vsum seruare. Aetius passerculum agnoscere docuit,Paulus τρωγλοδύτην, ipsum nominauit,atq; Andernacus passerculum nomine Trogloditem intellexit, quem præcipit Paulus cum pénis integrum comburere, & cinerem bibere cum pipere,phyllique momẽto ex vino, Aëtius quoque Trogloditem passerculum depinxit vti Paulus. Cæterùm Alexandri codices græci mendosi sunt,in quibus post sanguinis hircini commendationem scribitur τρωγλῆτην κατανυσσόμην, & Andernacus,mirrham trogloditicã vstam,transtulit,perinde deceptus, quod mirrha troglodítica omnium optima sit,apud Dioscoridem:nouerat autem interpres ipse,Paulum passerculum intellexisse,cui consentit ex Aetio adducta sententia. Vbi igitur Alexandri codices habẽt τρωγλῆτην, scribendũ videtur, τρωγλοδύτην, & passerculus intelligendus, qui vstus, aut salitus huic accommodatur morbo, testibus etiam barbaris medicis,quibus id experimento constitit, Aetio atque Paulo idem affirmantibus.

De Lapide vesicæ. Cap. VI.

LAPIS Vesicæ frequentius in pueris generatur,crudis succis in vesicæ amplam capacitatem delapsis, accedente calore acri, eædem namque sunt horum lapidum & eorum qui in renibus generantur causæ, idem generationis modus. Signa verò lapidem in vesica ostendentia sunt, dolor infra os pubis, grauitas, mingendi difficultas,& quandoque retentio vrinæ,nonnunquã vrinæ stillicidium,pudendi erectio,pruritus genitalium, tenesmus apparens, & similis dispositio post mictum sensata in colo vesicæ. Victus eis conueniens similis esse debet victui ad lapidem renum capite superiori scripto, sed magnopere contendendum ne pueri statim à cibo nullo ordine moueantur, nec cibos intempestiuè,aut peruerso ordine sumant. Curabitur tamen eisdem ferè remediis, quæ ad frangendum renum lapidem tradita sunt, quibus addes cicadas arefactas,detractis pedibus & alis,è quibus duas exhibere conuenit in puluerem redactas cum media spicæ parte. Et lapis indaicus, qui tecolithos dicitur, auxiliatur eisdem, & acetum mulsum scilliticum,cum graminis decocto. Valent in eum vsum troglodites,& sanguis hircinus,compositum quoque medicamentum,quod sequitur optimum est,lithospermi,seminis apij, fœniculi,seminis peoniæ,singulorum ʒ.iij.adianthis,corticum radicum capparorum, radicis graminis, singu.ʒ. j.gummi pruni ʒ.ß. omnia in tenuem puluerem redigantur,& misceantur mellis despumati libris ij. accipiet singulis diebus ieiuno ventre ʒ.j.ß.si dolor valde molestat,oleo scorpionum, aut vnguento Agrippæ pubes & perinæum linienda sunt, & ventri clysteria iniicientur ex decocto fœnograeci, maluæ, radicum althææ, melle oleo anethino & sale.Si vrina supprimatur cathetero educenda, aut cirpo dimouendus lapis, aut totius corporis concussione leuatis femoribus. Nos lapidem quem in colo vesicæ continebat fœmina quædam religiosa,qui etiam vrinam omnino cohibebat, cum hehementi dolore,admoto speculo matricis patefecimus & vulsella eduximus:erat sanè magnitudinis ferè nucis regalis. Sed vidi lapidem quem obstetrix à colo versicę fœminę cuiusdam vtero gerentis,iam prope partum,manibus, magnitudinis parui oui gallinæ. Quòd si prædictis remediis lapis non excernitur,sectione opus erit,quam non exercemusnisi constantibus viribus. In senibus verò rarò fit vt vesicæ colum consolidationem admittat.

Lapidis vesica.

Lapide vesicæ labo. victus.

De Inflammatione vesicæ, Cap. VII.

Vesica inflammatio.

VESICA Inflammatione laborat ex sanguinis effluxu, cuius causæ sunt suppressæ hæmorrhoides, aut menses, ictus, lapis magnus, saltus, longa equitatio, frequens veneris vsus. Signa sunt dolor vehemens, inter os pubis & anum, febris continua, mentis turbatio, bilis vomitus, vrinæ suppressio, egerendi cupiditas qualis in tenesmo. Victus eis conuenit qualis morbis acutis, ius pulli, amygdalatum, lactuca elixa, mica panis in iure pulli, sed inclinante morbo licebit, alas auium elixas edere. Potus aqua hordei, aut decoctum radicis dulcis. Curatio à sanguinis missione incipiet, secta vena poplitis, aut malleoli, deinde clysteribus & linimentis venter mollietur, & dolor mitigabitur, ac relaxata interim parte cõcedet vrinam, clysteria itaque iniicienda ex decocto maluarum, violarum, & hordei cum oleo rosaceo & camæmelino, aut ex decocto maluarum, fœnogræci, & hordei, cum rosaceo & axungia gallinæ. Casiam quoque fistularem clysteribus iniicere conuenit. Fouemus partem oleo anethino, & camæmelino, aut nardino, & de scorpionibus, aut vnguento Apripæ, aut marciaton, liquatis in oleo camæmelino & axungia gallinæ, aut decocto fœnogræci, seminis lini, & camæmelini, cum oleo scorpionum, & anethino. Vesica porci, aut bouis semiplena oleo camæmelino & decocto maluarum tepidis admouenda, pubi & perinæo, talia decet esse auxilia omnia: calida namque ac frigida eos manifestè lædunt, tales etiam fient insessiones. Si verò neque ex horum vsu vrinam dimiserit æger, rosaceum intra vesicam iniiciendum, & cucurbitula cum scarificatione parti affigenda. Et in extremo periculo ex vrinæ retentione imminente, vrina per catheteron prolectanda prius manibus compressa modice vesica: nam & id satisfacere solet. Sunt quoque dolores nonnunquam adeò vehementes vt cogamur stuporem inducentibus vti, epoto Philonis medicamento, aut recenti theriaca, aut sotira, aut aliquo horum in vesicam iniecto.

De Vesicæ vlceribus, Cap. VIII.

Vesicæ vlcera.

VLCERA In vesica fiunt à causis externis vulnerantibus, & à lapide, & ab acribus & salsis humoribus, atque excrementis cum vrina transmissis, qui abradunt, & ad finem ipsam exulcerant, aut ob ruptam suppurationem, accedunt alimentorum acrium, & salsorum vsus, atque medicamenta eiusdem naturæ. Signa sunt, mictus sanguinis & puris, quæ non valde commiscentur vrinæ. Galenus libro sexto, de Locis patientibus inquit. Sæpe verò pus solum excernitur sine vrina, id tamen manifestè ostendit in vesica exulcerationem consistere. Paulus. Si sanguis aut pus sine vrina excernatur, pudendorum vlcus significare dixit. Verùm vtrumque significare posse, nõ est dubium. Pus autem à vesica excretum fœtidum est, squamulæ etiam excernuntur, in vlceribus vesicæ maiores, in vlceribus meatuum vrinariorum minores, squamæ quoque à vasis excerni solent, verùm cum febre: adest autem vrinæ tenuitas, ac perinde Hip. Apho. 77. Sectionis 4. dixit: Quibus cũ vrina crassa, furfurea quædam simul exeunt, iis vesica scabie laborat, vt per crassam coctam significaret, cum qua squamæ non exibũt à vasis. Præterea ardor, & dolor sub pectine, & vbi ad vesicę colum attingat dolor, ad perinæum attinet, & mictus tẽpore augebitur, nisi adeò sordidũ fuerit vlcus, vt ab vrinæ acredine non tãgatur. Aliàs verò frequẽter mingere & cũ dolore coguntur. Scire etiã conuenit senes nõ liberari ab hoc morbo, & paucos ex reliquis, sed in omnibus tentãda curatio cũ non omnino salus desperata est. In victu aliméta conuenient quæ bonum succum generẽt, & calorẽ, si quis abundat, at tẽperent, veluti cũ ab ardore vrinæ malũ oritur. Tunc autem conuenit, lactuca, cucurbita, pepo, & lac, præsertim asinæ. Abstinebunt autem ab acribus & salsis, & vreticis omnibus, quæ propriè talia sunt. Bibent

aquam

aquam hordei, aut decoctum radicis dulcis, venter lenis seruandus, & motus leuis corporis conueniet (si febre vacant) veluti deambulatione ad excernendum pus, exercitatio tamen, vigilia, & inedia, & potus copiosus, aut meracior & alimentorum varietas nocet. Curationis itaque ratione humorum redundantia purgari ab initio debet, cum electuario rosato, & casia fistulari, aut cum elect. indo, deinde in potu accipient siropum de endiuia, aut succum radicis dulcis cum decocto cicorij, aut pastillos diaphysalidos, hoc est ex vesicaria herba, quam alchechengi, & halicacabum appellant, horum enim ℈.ij. aut 3.j. cum aqua instillatitia endiuiæ miro modo curant renum, vesicæ, & meatuum vlcera, consolidatione. Bibitur etiam in eum vsum lac asininum, sed mundificatione perfecta, lac etiam caprillum. Præterea lac de seminibus frigidis cum saccharo mũdificat vlcera, vesicæ iniectum. Idem facit aqua mulsa sola, aut cum succo radicis dulcis, quę ad scabie infectam vesicam conducunt. Valet quoque ad vlcera vesicæ tutia præparata cum lacte iniecta, & collirium de cerusa, cum magnis doloribus anguntur, iniiciendum est, aut lac cum decocto papaueris. Si verò vlcera serpentia fuerint, quod ex ichoribus manantibus tenuibus constabit, atque coloris prauitate, & squamularum cum pure mixtione, & magno fœtore, ea quæ adstringendi vires habeant iniicienda sunt, veluti acacia cum lacte, aut sero, aut bolus armenus, aut pastilli de spodio, aut diaphysalidos, harum enim vis maxima est assolidandi vlcera renum & vesicæ aut iniectis, aut bibitis, sed interim sordida vlcera mundare conuenit lacte seminum frigidorum cum melle, aut lacte asinæ cum melle, & vires roborandæ, siquidem doloribus, & puris vacuatione vires languẽt, & ægri contabescunt, & dolores mitigandi fotibus ex decocto seminis lini & fœnogræci, & insessionibus ex eisdem. Pubi verò & perinæo superponuntur, œsypus lota, anseris axungia, butyrum, & styrax.

Vlcerum vesicæ.

De Sanguinis mictu à vesica, & grumis, Cap. IX.

AB Vlceribus vesicæ & à venis in ipsa ruptis sanguis manare solet, sed interim in ipsa concrescit in gruma & crassam pituitam, quod euenit sanguine in aquam calidam fuso, vti in sanguinis missionibus quæ fiunt ex pedibus, aut manibus: idem fit sanguine crasso ac copioso in vesicam effuso simul cum vrina, grumi itaque & crassa ac lenta pituita meatum obstruunt vrinæ, & hi quandoque ex sanguine à renibus delapso gignuntur. Sequuntur autem praua admodum symptomata, nempe deliquium animi, vigiliæ, mentis turbationes, faciei pallor, extremorum refrigeratio, vrinæ retentio. Curatio huius morbi diuersa conuenit sanguine affatim fluente, aut iam in vesica concreto: cùm enim fluit ac manat, adstrictione opus est, & victus ac medicamenta talia esse debent, qualia mictui sanguinis à renibus conuenire diximus: adde quòd quędam eisdem similia in vesicam per syringam argenteam iniiciuntur, de quibus est lac ouillum cum bolo armeno, aut succus plantaginis cum acacia, aut decoctum poligonij & balaustiorum, aut pastilli de electro, cum aqua capitum rosarum instillatitia. Aut succo polygonij cũ acacia fouere conuenient, & membra extrema fricare, ac si copia adfuerit sanguinis, ipsum mittemus, secta vena interna cubiti, & superponemus pubi bolum armenum & acaciam in posca. Cùm verò sanguis concretus in grumos in vesica continetur, bibendum dabimus acetum mulsum, aut aquam mulsam cum decocto radicũ apij, aut siropum de quinque radicibus cum aceto, aut coaguli leporis ℈.j. in aceto mulso, aut in aqua instillatitia foliorum raphani, aut acetum mulsum scilliticum præbemus dilutum cum lixiuio ex cinere ficus ligni. Aliud radicis peoniæ, aristolochiæ, radicis sabinæ, singulorum ʒ.j. belzoini ʒ.ß. conformentur pilulæ tres cum succo foliorum raphani, de quibus vna sumatur cum aceto mulso, aut iure cicerum, aut artemisiæ decocto. Theriacam præterea in decocto radicum apij bibendam damus, in vesicam verò iniicimus lixiuium ex

Sanguinis mictus.

Sanguinis grumi.

cinere ficus cum aqua mulsa, aut acetum mulsum, aut aquam mulsam, cum coagulo leporis, aut decoctum radicum apij cum aristolochiæ puluere, aut decoctum cicerum rubeorum, asari, spicæ nardi, cum ℈.j. belzoini, additis etiam aceti guttis. Insessiones autem fient ex decocto rubeæ, calaminthæ, pulegij, origani, & centaurij. Quòd si vrina diutius retineatur catheteron immittendum, quo vrina educatur, & rursus prædicta admoueantur medicamenta, & pubem liniemus oleo scorpionum, anethino, & camęmelino. Extremum autem remedium est, vbi alia non profuerint, sectione vti qualis accommodatur his qui lapide vesicæ laborant.

De Vrinæ stillicidio, Cap. X.

Stillicidiũ vrinæ.

SYMPTOMA Id quod Græci στραγγουρίαν dicunt, nos vrinæ stillicidium appellamus. Sequitur autem ad imbecillitatem facultatis retentricis musculi claudentis colum vesicæ, aut causam mordentem vesicam. Imbecillitas sequitur humidam ac frigidam intemperiem, ad quam consequitur vesicæ relaxatio. Morsus autem vesicę sequitur acredinem vrinæ, aut vlcus vesicæ. Vrina acris fit ob bilis mixtionem, aut pituitæ salsæ, aut puris aliunde manãtis. Mordetur quoque atque ad excretionem irritatur vesica, vlceris ratione, siquidem pars vlcerata nihil minus mordetur ab vrina naturali, quàm vesica aliâs sana, à biliosa, salsa, aut purulenta vrina. Præterea omne quod à parte mittitur, id partem grauat quantitate, aut qualitate mordet, nisi à ventriculo excretio fiat. Sed rursus quemadmodum de qualitate vrinæ diximus ipsam mordere quoniam acris, aut salsa est, aut quoniam vesica exulcerata facilè à quibusvis causis mordetur, ita vrina quãtitate grauat, quoniam multa est, aut quoniam facultas ob imbecillitatem ipsam non fert, ac perinde vrinæ *stillicidium* sæpe sequitur ad imbecillitatem facultatis retentricis vesicæ. Ob hanc namque fit vt vrina sensim delabatur, & instillet vel nolentibus nobis, ita vt aliquando pauca adhuc vrina in vesica contenta cogamur ipsam excernere, aut ob acri moniam, aut quoniam facultas ipsam continere nequit. Causæ distillationis vrinæ ob acrimoniam sunt, bilis, aut salsa pituita, aut pus, cum vrina micta, aut vlcus vesicæ, aut eiusdem excoriatio, & exesio. Causæ stillicidij vrinæ ob imbecillitatem sunt, quæ refrigerant, & humectant colum vesicæ, atque paralysim inferre valent. Signa eius stillicidij vrinæ quod oritur ab acrimonia sine vlcere vesicæ trademus, nam quæ cum vlcere adsunt, ea sunt, quæ de vlceribus vesicæ diximus. Acris tamen vrina si purulenta fuerit, pure agnoscetur, quod cum vrina subactum est, aut in ima parte subsidet, accedit fœtor, præcesserunt signa vlceris renum, aut meatuum vrinæ, aut inflammatio in parte alia suppurata, quæ per vrinam purgatur. Si verò ob bilis redundãtiam acris reddatur, signa bilis accedent, vrina erit ruffa, aut flaua, & corpus extenuabitur. Salsa pituita agnoscitur, quoniam vrina alba est, & sedimentum cinereum in imo matulæ residens fæcis modo. Relaxatio vesicæ agnoscitur ex redundantia pituitæ, vrinæ crassitudine, & albedine, vrina descendit sine dolore, aut acredine & morsu, & causæ præcesserunt refrigerantes & humectantes, de quibus est, ocium, potus aquæ frigidæ, & tale balneum, & sessio in lapidibus frigidis, aut tempore frigido. Qui patiuntur vrinæ stillicidium puris ratione aut vlceris vesicæ, curari debent, vti de vlceribus vesicæ *diximus*, & curatione aliarum suppurationum. Eos verò qui vrinæ stillicidium ob eius acrimoniam patiuntur, curabimus ab initio humorem biliosum, aut salsam pituitam per ventrem purgantes, vt bilis, aut salsæ pituitæ copia minuatur, & per ventrem deriuetur. Sunt qui audeant in hac affectione post corporis purgationem vrinam mouentia adhibere: quidam verò id denegant, vrinam acrem nullatenus ad vesicam deducendam esse asserentes. Sed nos vretica medicamenta negamus, non tamen in vniuersum quæ vrinam moueant:

Stillicidij vrinæ causa.

Stillicidij vrinæ curatio.

frigida

frigida namque conuenient vrinam attemperantia, & meatus ipsos excalefactos, cum bile iam purgata, parum eius reliqui fuerit, aut salsæ pituitæ. In victu itaque conuenient lactucæ, cucurbitæ, endiuia, cicorium, puls ex hordei farina, & ptisana ordeacea, & carnes pullorum (cùm pullos absolutè profero, gallinaceos intelligo) aut gallinarum cum eisdem elixæ, pepones quoque crudi, aut elixi, frequenter accepti vrinæ ardorem, & stillicidium caloris ratione ortum, sæpe sanant. Potus sit aqua hordei. Præterea puluerem efficiemus ex semine melonis, cucumeris, cucurbitæ, peponis, cum succo radicis dulcis, aut puluere ipsius & saccharo, cuius cochlear vnum exhibemus, cum aqua instillatitia endiuiæ. Renes autem lenire oportet vnguento rosaceo, aut immixto cum cerato refrigerante, eodem remedio linire decet iecoris regionem, atque vesicæ, aut etiam oleo violaceo, rosaceo, aut nymphææ. Clysteria eidem vsui accommodantur ex decocto violarum, & hordei, cum oleo violaceo, rosaceo, nymphææ, & saccharo. Hæc autem clysteria diutius retinere conetur, siquidem vrinæ ardori valde conducunt. Si verò vrinæ stillicidium à relaxatione oriatur, pubem & perinæum calefacere & siccare conueniet, foueantur itaque oleo nardino, aut irino, aut anethino, & laurino, ac rutaceo, quibus addimus castoreum. Glomerem quoque semine anethi, & floribus camæmeli, & foliis rutæ plenum, vino calenti madefactum perinæo, & ano applicamus. Frictiones partibus eisdem adhibendæ. Conuenient quoque sinapismi & malagmata ruborem inducentia. Relaxatis neruis, & hebetudine accedente vrina supprimitur. De hac tamen affectione cap. sequēti dicemus. Quòd si vrinæ stillicidium eueniat ob laxationem vertebrarum spinæ, vt fieri solet (cuius affectionis Galen. meminit) immedicabile malum fit. Victus autem ipsis conuenit calefaciens & exiccans.

De Vrinæ difficultate ac suppreßione, Cap. XI.

DIFFICVLTAS Vrinæ quæ δυσουρία dicitur, easdem in genere causas habet, cum ἰσχουρίᾳ, id est vrinæ suppressione. Sola maioris & minoris ratione dissidentes. Causæ etenim quæ vrinam impediunt atque eam cum difficultate emitti cogunt, vbi augeantur, ipsam omnino cohibebunt. Hæ verò sunt, quæ expultricem imbecillitant, & sensus habetudo, & quæ viam obstruunt. Serum præterea sanguinis supra renes detinetur, aut non tractum, aut non colatum, quandoque vreteras penetrat, sed non vesicam. Imbecillitant refrigeratio, & relaxatio vesicæ, & vrinę retentio, donec vesica nimium distenta languida ad excretionem reddatur, obstruunt meatum, lapis, pus, sanguinis grumi, & crassa pituita, inflammatio, caro adnata meatui. Si malum à refrigeratione ortum habuerit, causæ præcesserunt refrigerantes. Huic affectui solet accedere sensus hebetudo: at verò cùm vesica vrinam non sentit, retinetur, aut tardius iusto excernitur, sensum autem hebetem refert æger. Cæterùm cùm hebes sensus est atque vrinam non sentit æger, detenta implet vesicam, sicuti dormientibus euenire solet, & his qui in concione, oratione, aut forensibus negotiis, aut coram præstantioribus assistere coacti sunt: fit enim vt vrina vesicam distendat, & meatus à multitudine vrinæ comprimatur, & angustior reddatur, & vt fibrarum comprimentium vis soluatur, quo tempore vesica vrinam exprimere nequit, vel nobis ipsis conantibus. Lapis obstruens agnoscitur atque curatur, vti suprà docuimus. Pus agnoscitur quoniam vlcus præcessit in vesica, aut renibus, aut partibus superioribus. Sanguinis grumi agnoscuntur ex fluxu sanguinis qui præcesserit, & notis suprà traditis. Inflammatio ex notis inflammationis, caruncula agnoscitur, quoniam vlcus præcessit in ea parte in qua superexcreuit caro, immisso quoque cathetero tangitur, & rumpitur, ac deinde sanguis manat, & simul caruncula & vrina secernuntur. Crassa verò pituita agnoscitur, quoniam causæ præcesserunt ipsam augētes, vti

Dysuria.

Dysuriæ signa.

vti ocium, aquæ potus, cruditates, & alimenta craſſam pituitam acernantia. Signa lethalia ſunt, ſi adusque quintum diem retinet vrina odorem eius ore, aut naribus emitti. Præterea ſingultus prope mortem aduenit, & quibuſdam ſerum ſanguin. per ventrem ſecernitur. Vbi vrina difficilè excernatur, aut omnino contineatur, ob veſicæ relaxationem, aut ſenſus hebetudinem, calidis fotibus medebimur, pubem & perinæum linientes & fouentes oleo laurino, aut irino, ac ſicionio, aut oleo ſcorpionum, aut vnguento Agrippæ, aut oleo irino & laurino æquis portionibus cum pauxillo caſtoreo, aut vino in quo calamintha, & pulegium bullierint. In veſicam autem iniicimus oleum ſcorpionum, inſeſiones quoque fient ex decocto pulegij, calaminthæ, cum ſale, & ſulphure, titillatio commouenda, & pediculus immittendus vrinario meatui. Huic vrinæ retentioni atque imbecillitati, quæ ſequitur ex diſtenſione fibrarum veſicæ à multitudine vrinæ, prodeſt manibus veſicam comprimere, & conari eamdem expellere, & catheterum immittere & inſidere prædictis decoctis herbarum quæ emolliant ac laxent meatum, à copia preſſum. Vitanda verò ſunt quæ vrinam mouent. Quando vrina retinetur obſtructo meatu à lapide, corpus concutiendum, & femoribus leuatis, ſupino corpore, vrinam mittere tentabunt: ſineque eo remedio cedat, per catheterum dimouendus eſt lapis, & per eumdem vrina prolectanda, ventre manibus preſſo, aut etiam ſuctione miniſter ipſam trahet, aut ore, aut ſyringa. Si à pure obſtruatur meatus veſicæ, aqua mulſa iniicienda, & vbi opus fuerit, catheterum immittemus. Si verò obſtruatur à ſanguinis grumis, medella ſuprà tradita eſt capite nono. Inflammatio quoque vt ſuprà diximus, curari debet, ſi caro meatui adnaſcatur, aut turberculum, ſi ſuppurationem admittat, ſuppurabitur: ſi verò non ſuppuretur, catheterο immiſſo euelli debet ac rumpi, aut immiſſo cirpo, aut ex cera ſimili cõfecto inſtrumento. Quòd ſi vrina cohibeatur à craſſa pituita, acetum mulſum bibendum, cum decocto iringij, aut aſparagorum radicum, aut dialaca cum decocto apij. Per ſiringam verò aqua mulſa iniicienda, & vbi alia non profuerint catheterum immitti debet. Fotus quoque accommodantur ex oleo irino, amygdalarum amararum, oleo ſcorpionum, aut oleo ſicionio, aut laurino. Inſeſsiones fient ex decocto herbarum calidarum, quales ſunt pulegium, origanum, calamintha, anethum, & melilotum. Quòd ſi in renibus, aut meatibus vrinariis obſtructis coerceatur, deobſtructio & relaxatio erunt ex vſu.

De Mingentibus in lecto, Cap. XII.

Mingentes in lecto.

SVNT Qui vrinam dormientes emittant, atq; id vna duarum cauſarum, aut ob nimiam vrinæ acredinem, ob quam veſica mordetur, & ad excretionem cogitur, aut ob imbecillitatem muſculorum veſicam claudentium, ob quam facilè ab vrina grauatur, vtriuſque tamen accedit ſomnus inſomniis plenus, atque grauis: ſomniant etenim ſe vigilantes quærere quo in loco vrinam deponere honeſtius poſsint, ſibíque ipſis loca diuerſa proponunt, è quibus vnum cum labore & ſolicitudine conqueſitum eligunt. At verò interim tam vehementer ab vrina premuntur, vt totum animum, totámque phantaſiæ actionem, ad veſicam applicantes, minimè ad externa agnoſcenda conuertantur. Quòd ſi ab vrinæ acrimonia malum procedat, faciliùs curabitur, bile purgata, & iecore refrigerato, atque renibus, & aquæ hordei potu, & *peponum eſu*, & ſeminum eorumdem, atque lactucarum vſu. Si tamen ob laxitatem muſculi claudentis veſicam eueniat, pueris id frequẽtiùs accidet, cruditatum ratione. Mel itaque roſatum colatum ante cœnam ſumendum, id enim cruditates emendat. Bibent præterea ante cœnam, myrrhæ ℈.ß. pulueris calaminthæ ℈.j. in vino albo, aut in aqua mulſa, aut ſeminis rutæ triti ʒ.ß. in vino, aut gutturis galli veteris vſti ℈.j. cum vino, aut teſticuli leporis abraſi, in vino odorato.

Sument

sumentur. Foueantur autem pubes & perinęum oleo irino & laurino, aut oleo anethino & myrrha. Aut oleo vulpino & castorei momento, partes quoque perfricandæ prædictis oleis, & chimolia cum vino calaplasmatis modo pubi & perinæo admouenda.

DE MORBIS PVDENDORVM ET VTERI, SECTIO X.

De Testiculorum inflammatione, Cap. I.

TESTES Aliquando inflammantur citra scroti inflammationem, quandoque verò scrotum sine testibus, quãdoque ambo simul patiuntur. Habent in vniuersum easdem causas cum aliarum partium inflammationibus, sanguinis nempe impetum ac defluxum, & ictum, aut vulnus. Si testis inflammetur sine scroto, pars colorem non mutabit, & interior erit dolor, non exterior, & ad lumbos vsque ascendet, atque ob copiam sanguinis grauitas, febris quoq; accedet. Si scrotum inflammetur sine teste, rubore pars afficietur & extimus erit dolor, sine febre. aut lumborum consensu. Ambobus laborantibus, cum dolore, pondere, & grauitate, febris aderit, & coloris mutatio. Grauis morbus est, & qui celeria exposcit remedia, ne suppuretur interim, aut in scirrhum vertatur. Victus itaque inflammationi testium competens tenuis esse debet, vti lactuca, cucurbita, aut poma assa, aut ius pulli. Panis paucus probè paratus, qui furfuris bonam partem accipiat. Potus aqua hordei, aut cinnamomi. Quiescat æger, & clysteribus eius venter leniatur. Curatio à sanguinis missione incipiet, seruato Aëtij præcepto, vt in magna copia sanguinis venam cubiti internam secemus: ea verò non accedente, venam malleoli internam. Nos quoque vtramque secare præcipimus, incipiente quidem inflammatione, venam cubiti & ipsa iam partem obsidente, eam quæ in malleolo. Emplastra verò & linimenta parti admouebimus, quæ ab initio parum quidem repellant, attemperent autem, atque roborent partem. Liniatur igitur rosaceo & aceto, aut farina hordei cum rosaceo & aceto obducatur. Sit farinæ pars vna, rosacei partes duæ, aceti pars quarta. Transacto principio emplastrũ superponemus, quod recipiet farinæ hordei, farinæ fabarũ, vtriusq; ʒ.j. camęmelini & rosacei, vtriusque ʒ.ij. aceti ß.ʒ. Cùm verò inflammationem dissoluere tentamus hoc admouemus emplastrum, furfuris ʒ.iij. olei camęmelini ʒ.iij. sapæ ʒ.iiij. vini ʒ.ß. Aliud, farinæ seminis lini ʒ.iij. aquæ mulsæ ʒ.xij. bulliant, lento igne. Aliud, furfuris ʒ.iij. mellis ʒ.vj. Aliud, farinæ fabarum ʒ.ij. farinę seminis lini ʒ.j. sapæ & vini, vtriusque ʒ.xv bulliant simul. Aliud, stercoris vaccinis, farinæ fœnogræci, vtriusque ʒ.ij. vini quantum satis fuerit. Tendente inflammatione in suppurationem, eam adiuuare conueniet radice althææ elixa, & oleo camæmelino addito. Suppurato autem scroto, aut teste, eius apertionem procurabimus antequam corrumpatur, aut medicamentis, aut candenti ferro. Si in scirrhum transierit, mollientia conuenient, nempe radix iridis in oleo anethino & vino elixa, aut radicis cucumeris syluestris tritæ ʒ.iij. farinæ loliaceæ ʒ.ij. bulliant in libris duabus vini, cui mellis addantur ʒ.ij. Aliud, farinæ seminis lini, farinæ loliaceæ, vtriusque ʒ.ij. ammoniaci dissoluti in aceto ʒ.j.ß. vino calenti misceantur ad pultis formam.

Testium inflammatio.

Testium inflammatorum curatio.

De Hernia, Cap. II.

HERNIA, Græcis κήλη dicta est, Latinis etiam ramex. Cuius plures sunt differentiæ à loco & materia tumoris huius desumptæ. Quædam enim fit ab aqua, quæ aquosa appellatur, Græcis ὑδροκήλη, quædam est carnosa, dicta σαρκοκήλη, quædam fit prolabente omento in inguinem, aut scrotum, quæ ἐντεροκήλη, dicitur. Quædam prolabente in-

Hernia.

ὑδροκήλη.

ἐντεροκήλη.

testino, dicta ἐντεροκήλη. facto autẽ in inguine tumore, malum βουβωνοκήλη, nomen habet. Omnium causæ sunt, ictus, saltus, vulnus, vociferatio, exufflatio, & vehemens quiuis conatus. Aquosa verò fit ab aqua scrotum implente, aut vasa quæ ad alendos testes deducuntur, quæ κιρσοκήλη, hoc est, varicosa hernia dicitur. Causæ hernię aquosæ sunt, quæ imbecillitant facultatem iecoris concoctricem, quemadmodum in ascite hinam & est quidam ascitis modus hernia aquosa, cùm intra scrotum aqua continetur, nam & ibi intra peritonæum est. Cùm autem vasorum erythroidis membranæ, per quæ alimentum ad testes diducitur naturalis facultas languet, sereſcit sanguis, & vasa aqua implentur. Agnoscitur autem tumore, grauitate, & pauco dolore. Si aqua multa fuerit, parum cedet tactui tumor, magis cedet in pauca. Varicosa hernia agnoscitur quoniam in scroto non tangitur aqua, sed supra testem, ipsum tegens continetur, quo minus tactu distingui ab aqua possit, & oblongus atque ouatis tumor est. Hernia carnosa post ictus, vlcera, & vulnera sequitur, ac durus tumor est, cum naturali colore ac sine dolore, si scirrhosa sit hernia. Si fæculentus humor contineatur, color rubicundus, aut liuidus in scroto apparebit. Intestinalis verò fit relaxato meatu ad scrotum ex peritonæo tendente, aut rupto, quo fit vt in scrotum intestina prolabantur, aut in inguinem, atque prolabitur aliquando solum omentum, vbi ad inguina relaxatio non magna, aut ruptio talis fiat. Locus cognitus est. Intestinorum autem prolapsus agnoscitur, doloris vehementia, sonitu, tumoris quoque magnitudine, & fæcis interclusione. si omentum tantùm decidat, minor dolor accedet, & minor moles, & sine sonitu. Si ob relaxationem peritonæi fiat, sensim malum accedet, & signa aderunt redundantis humiditatis, & sine dolore eueniet malum, quamuis omento, aut intestinis prolabentibus dolor succedat. Cùm verò ruptura, herniæ causa fuerit, dolor præcedet, & ictus, saltus, aut vulnus, aut vociferatio, aut exufflatio, aut oneris magni eleuatio, aut equitatio anteceder. Fit hernia quandoque duplex, si carnosa aut intestinalis fuerit, aut ex omenti prolapsu, aut aquosa intra erythroidem. Carnosa hernia, nõ aliter quàm manus opera curari valet. Aquosa verò medicamẽtis eget quæ aquam discutere, ac dissoluere valeant, de quibus est oleum rutaceum, irinum, & laurinum, cum puluere cumini, anisi & rutæ. Iuuantur corporis purgatione. Nonnunquam verò incisione, quemadmodum & qui ascite laborãt. Sectionis formam Paulus lib. 6. docet. sicuti & eam quæ herniæ carnosæ, aut scirrhosæ accommodatur. Omenti delapsus in inguinem, aut scrotum curamus compressa parte, & medicamentis validè astringentibus cum ligatura eidem morbo accommodata. At verò qui hanc herniam, aut intestinalem patiuntur ex ruptura & fibrarum separatione, faciliùs curãtur quàm qui id mali ex relaxatione sentiunt. Medicamenta conducentia herniæ intestinali, similia sunt eis quæ ad omenti prolapsum valent, ligatura quoque valida eisdem superponenda, sed prius intestinis in locum pristinum redactis. Aeger itaque supinus iaceat leuatis femoribus, & redactis cruribus, donec calcanei natibus apropinquẽt. Minister tamen manibus calentibus, atque oleo camæmelino & vino illitis, scrotum tangens, intestina sensim reducat, emplastrum autem adstringens pube & scroto abrasis, si ætate adultus fuerit, superponet, neque ipsum detrahet donec per se decidat. Emplastrum fit ex mastiche & resina, aut ex mastiche, pice, puluere cumini, & symphyti, quo pueros plures incipiente hernia inguinali sanaui. Aliud Aëtij symphyti lib. 1. mannæ, thuris ʒ. iij. candida ouorum recentium vnà cũ vitellis numero sex, symphytum tritum ac cribratum in fictile vas coniicimus eique thuris mannam, seu pollinem, cum ouis subactam addimus, deinde suillo adipe veteri adiecto, ad emplastri formam redigimus, atque hoc intestino prius reducto adhibemus, deinde alligamus. Aliud optimum in vsu habitum, Picis nauales ʒ. v. colophoniæ ʒ. iij. lithargyrij, gummi ammoniaci, opopanacis, bdelij, mastiches, terebinthinæ, singulorum ʒ. i.

ἐντεροκήλη.

Hernia curatio.

boli

boli armenici, thuris, sanguinis draconis, sarcocollæ, aloes, cẽtaurij, symphyti maioris & minoris, oxyacanthæ, pilularum cupressi, gallarum viridium, putaminum mali punici, vermium terrestium singulorum ʒ.ij. glutinis piscium, visci quercini, gallæ muscatæ, telæ arachneorum, singulorum ʒ.j. ß. glutinis pellis arietinæ madefactæ, & dilutæ in aqua chalybeata & aceto ʒ. ij. misce lento igne ad emplastri formam. Loco glutinis pellis arietinæ, licet tauri collam subrogare. Poteris tamen vbi hæc non satisfecerint manus opera vti, ex præceptis Pauli libro sexto.

De Seminis profluuio, Cap. III.

SEMINIS Profluuium Græcis γονορροία appellatur, symptoma est retentricis, aut expultricis facultatis, testium & vasorum quæ testibus asitum semen continentia, à Galen. sic definitur. Est seminis assidua excretio cole haud quaquam intento. Sequitur autem aut à semine factam irritationem, aut retentricis imbecillitatem, ob quam vel nolentibus nobis semen perpetuò defluit, sine veneris appetitu, incitamento, tentigine, aut delectamento, nisi quando, vniuersim & accumulatim excernatur, calidum ac multum semen occurrens, tunc etenim seminis acredinem sequitur: aliquando etiam conuulsione fit expressio vt in comitialibus morbis. Causæ sunt quæ semen calidum ac mordax efficiunt, & quæ vasa continentia humectant, atque relaxant. Seminis acredinem agnoscens, si tentigo accedat, si pudẽdum erigatur, aut intumescat, si accumulatim & cum aliqua delectatione fundatur, & si fœtidũ sit. Imbecillitas retentricis agnoscitur, quoniam sensim defluit aquosum semen, nullam inferens tentiginem. Curatur seminis incontinentia quæ ab acredine fit, victu refrigerante, lactucis, endiuia, cucurbita, lentibus, & aquæ potu, sit autem aqua chalybeata, ac clysteribus, quæ refrigerandi vim habeant, quiete & animi tranquillitate, balneis aquæ dulcis, & decubitu super altero latere. Vitandus autem decubitus super dorsum, & puluinarium copia, ac lectus valde mollis, & imaginatio, atque occasio omnis cogitandi de rebus venereis, fugiant etiam vinum, & oleum. Præterea conducit ab initio sanguinem mittere secta vena interna cubiti, si sanguinis adfuerit abundantia, & venetis præcesserit insueta abstinentia. Deinde ventrem purgare facilè, cum casia fistulari, & elect. rosato in decocto hordei, violarum, & prunorum, & deinde lumbos ac renes fouere oleo nymphæx, oleo violaceo, & rosaceo, præterea vnguento rosaceo. Lamina quoque plumbi perforata multis in locis lumbis alliganda. In lecto tamen violas ac rosas inspergere oportet, & nimphæx flores, viticis germina, & myrti folia, frictiones superioribus membris adhibendæ validè, & si æger iuuenis ac constans fuerit, & calido anni tempore, non erit alienum frigidæ balneum ingredi. Si verò seminis incontinentia ob vasorum laxitatem, & retentricis imbecillitatem eueniat, victus exiccans esse debet, lentes præbendæ elixæ cum aqua & aceto, & beta conueniet, & lac seminis cannabis, & semen ipsum, cum sale tostum, & pyra assa, & auellanæ tostæ. Carnes pauca quantitate edantur assæ. Potus sit aqua cinnamomi, aut chalybeata. Lumbi quoque rosaceo oleo & vnguento liniantur. Exercitationibus vtantur & frictionibus validis, & balneis aquarum sponte calidarum, aut arte paratarum. Insessiones quoque fient ex decocto rosarum, myrti, rubi, balaustiorum, lumbis autem & iliis iuxta os pubis emplastra admouebimus, ex palmulis in rosaceo & aceto elixis, aut ex oleo rosaceo, & nymphęę, cum acacia, hypocistide, & rhu. Hæc verò his etiam qui ob seminis acredinem laborant, conueniunt: verũ valida refrigeratio renes lædit. Conducunt quoq; omnibus ea quę semen facultate sua extingunt, & quæ corrũpunt, extingunt quæ refrigerant, vti lactuca, blitũ, atriplex, cucurbita, pepones, & cucumeres. Hæc semen incrassant & extingunt, sed non corrumpunt: quæ verò siccant id cor-

γονορροία.

Seminis profluuij causæ.

Seminis profluuij curatio.

rumpunt,quamuis calida ſint,vt ruta & vitex, & eius ſemen,& nymphęa,quæ frigida eſt: hæc à tota ſubſtantia autore Galen. Rutam itaque eduliis miſcemus, & ſemen eius, & ſemen viticis in aqua portulacæ præbemus bibendum. Diacuminum ſimiliter,& dianiſum,& diacalamintha valent,& puluis ſequès. Seminis lactucę,portulacæ,ſeminis viticis,ſingulorum ʒ.ij.anili,cumini,foliorum & ſeminis rutæ, ſingulorum ʒ.j. calaminthæ ʒ.j ß. huius ʒß. cum aqua inſtillatitia lactucæ bibitur in ſeminis fluxu ob acredinem, ob relaxationem verò cum aqua cinnamomi. Eiſdem ferè remediis curantur, qui nocturnas pollutiones patiuntur: nam ab eiſdem cauſis malum oritur. Rarò perit aliquis ab hoc morbo, interim tamen hominem reddit effœminatum, mollem, ſegnem, timidum, extenuatum, incuruum,& imbecillem, quorum contra continentia,& à venere abſtinentia facit.

Pollutiones nocturnæ.

De Priapiſmo, Cap. IIII.

Priapiſmus.

CVM Genitale membrum validè omni ex parte tenditur, ſine veneris appetentia, morbus priapiſmus appellatur, à Priapo nomine ſumpto, quem pœtæ fabulantur natura talem habere colem. Quod non tantùm viris ſed fœminis euenit, quibus vteri collum rigidum fit ſæpe ſine veneris appetentia, non aliter quam dum venerem appetunt. Gal.lib.2. de Meth.med. ſatyriaſin & priapiſmum pudendorum morbos eſſe dixit. Verùm Ariſ.lib.4.de Gene.ani.cap.3. quibus facies inflatur, ſatyriaſin pati dicit. Cauſa eſt flatus à craſſis humoribus ortus, vi caloris acrioris, aut à ſemine retento, fœminis verò ob eaſdem cauſas, & ob menſium retentorum flatuoſam ſubſtantiam. Flatulentus verò ſpiritus generatur in his qui acribus cibis vtuntur, à venere abſtinent, aut lumbos cinctura comprimentes calefaciunt, aut ſuper lumbos cubant. Tunc etenim arterię quæ ad colem ex lumbis deſcendunt, quibus à natura ora ſunt, quàm aliarum patentiora, ſpiritum copioſum admodum effundunt, in fiſtuloſum neruum, qui etiam natura diſtenditur & flatum recipit. Incipit ſanè malum vel fiſtuloſo nerno diſtento: ſequente verò ab arteriis ſpiritu multo, aut ab ipſis arteriis calefactis patentibus oſculis & in fiſtuloſum neruum flatum fundentibus. Flatum autem cauſam eſſe, breuis detumeſcentia docet. Euenit id malum maribus & notum eſt, euenit quoque fœminis: agnoſcetur autem, quoniam vteri ſtomachum diſtẽtum ſentiunt, cum dolore iuxta os pubis, ſine pondere, ſine febre, ſine vteri præfocatione, cum veneris appetẽtia, cum quadam coli vteri palpitatione. Areteus Cappadox ſatyriaſin eum priapiſmo confundit, ac negat fœminas in ſatyriaſin incidere, ſed fallitur. Huius ſanè morbi curationem, cum mulieribus accidit, ſcripſit Aëtius. Victus eis conueniens infrigidans eſſe debet, qualis ſuprà ad gonorrhœum traditus eſt, quãuis inclinante malo aut attemperato calore expediat calidis & ſiccis medicamentis, quæ flatum diſcutiant, vti ptiſana hordeacea, & puls ex hordeo eis conuenit, & puls ex lentibus. Potus ſit aqua hordei, aut aqua chalybeata: venter clyſteribus leniatur quibus etiam aliqua inſit acrimonia, quæ recipiens mercurialis decoctum, & mel, ac ſalis nonnihil. Exercitationes eis conducũt, & vbi humor aliquis redundauerit vomitus, autore Gale. nullo modo ventris purgatio teſte Paulo. Quòd ſi ex retentione ſanguinis, aut ſeminis non conſueta euenerit malum ſanguinem mittere conueniet, ſecta vena interna cubiti, aut etiam media: retentis verò menſibus ea quæ eſt in malleolis interna. Lumbis frigida admouenda ſunt, veluti roſaceũ, cum pauco aceto, aut oleum nymphææ, aut ſuccus portulacæ, ſolani, & lactucæ, aut vnguentum roſatum, aut ceratum refrigerans Galeni, aut epithemata fient ex aqua roſarum inſtillatitia cum puluere ſantalorum rubeorum & pauco aceto, ceruſa quoq; cum aqua inſtillatitia roſarum vtilis eſt, & ſemen peponis, & cucurbitæ & ſucco portulacæ, & ſolani caphura miſceatur, & linteoli madefacti lũbis ſuperponantur

Priapiſmus fœminarum.

tur. Attemperato autem calore, aut excusso semine, si præter consuetudinem retentum fuerit, calida ac sicca conuenient remedia quæ spiritum discutiant à neruo fistuloso, de quibus est rutæ semen, & folia, aut semen viticis potum, & germina lumbis & pudendis admota in vino elixa, & decocto rutæ & viticis calido genitalia foueantur, & folia rutæ & vitex in aceto macerata deinde elixa & malaxata lumbis & pudendis emplastri modo superponantur.

De His qui venere vti nequeunt, quos impotentes appellant, Cap. V.

Veneri inepti.

NOVIMVS quamplures matrimonij lege cõiunctos vxoribus qui eisdem debitum reddere nequeuntes, ad nos remedium expostulantes accesserunt, aut vxoribus grati esse cupientes, aut legem adimplere volentes, aut prolem habere desiderantes, quibus remedia & curationem adhibuimus. Quidam etiam pelicibus auscultantes suam impotentiam & ad venerem infirmitatem confessi, frustra perfricuerunt frontem, nullo ad malè agendum accepto auxilio. Putant autem nonnulli, maleficas vetulas, incantationibus eos (vt aiunt) ligasse, & ad venerem inualidos fecisse, & quosdã ad proprias vxores aggrediendas, quosdam ad omnes fœminas. Hos autem maleficiatos iurisconsulti nominant. Frigidi verò sunt, à naturali causa tales. Sunt etiam nonnulli generationi inepti ob virilis membri breuitatem, nonnulli quoque quoniam semen recta iaculare nequeunt, qui ὑπορραφίαν, hoc est subuulsi, dicuntur. Breuitas membri non curatur, subuulsi curantur manus opera, eos qui dæmonum iniuria fuerint affecti (quod ego rarissimum puto) ad religiosos & exorcistas remitto: reliquos autem coniugatos curandos suscipio. Est hæc affectio, testium refrigeratio, & vasorum seminarium, & relaxatio fistulosi nerui coli insiti. Ad testium refrigerationem sequitur seminis paucitas, & aquositas, & flatuosi spiritus inopia. Ad nerui fistulosi relaxationem sequitur impotentia erigendi membrum genitale. Causæ sunt quæ infrigidare & humectare possunt colem ac testes, de quibus est ocium, & nimia ventris pinguedo, siue omenti moles. Potus aquæ frigidæ, & vsus medicamẽtorum refrigerantium, qualia in renum inflammationibus & testium, atque priapismo admouere solent medici, seminis inopia agnoscitur, quoniam conantes cum labore paucum emittunt, & id cum animi deliquio, & facultatum omnium animalium intercidentia. Præterea ex notis quæ ostendunt, cordis frigiditatem, ac testium, quarum meminimus in secunda huius operis parte. Seminis frigiditas agnoscitur ex eius tenuitate & aquosa substantia, & in fœcunditate nerui fistulosi relaxatio agnoscitur, quoniam semẽ emittunt sine erectione, siue qua venerem appetunt, & tentiginem sentiunt. Seminis defectus & tenuitas curatur his quæ semen generant, quorum natura calida parum est, sed humida & flatuosa, siquidem semen natura flatuosum est, ac perinde venerem Aphroditim, hoc est spumosam antiqui dixerunt, in quem vsum quædam à tota substantia valent, quæ dicemus. Relaxatio nerui curatur his quæ calefaciunt, ac siccant, quæ exterius coli & perinæo, hoc est interfœmineo, admouentur. Alimenta itaque semen augentia bene nutriunt, calida & flatuosa sunt, vti bulbus, pastinaca, faba, cicer, cardui radix, amygdalæ dulces, grana pini, polypus, testes gallorum. Medicamẽta sunt, scincus, siue stellio, & satirion, nasturcium, orchis, & vrtica. Alimenta medicamentosa sunt, semen lini, & eruca. Hæc itaque quædam per se, quædam cum pane, & carnibus edẽda sunt. Sint autem carnes perdicum, turturum, coturnicum, passerum, phasianorum, caporum, pauonum præsertim indorum, cum quibus nullus acidus succus miscẽdus: acetum etenim, & acida omnia semen extingunt, & flatus generationem coercent. Vinum nigrum ac dulce bibant, in mollibus lectis cubent, ac super dorsum, lumbos cingant modicè comprimentes fasciam pãni tincti coco, Exercitentur moderatè, equitatio eis magis conuenit. Odorent moscum & ambram, & galiam, de rebus ve-

Subuulsi.

Curatio inualidorum ad venerẽ.

nereis confabulentur,& cum fœminis colluctẽtur, quæ tamẽ sua pulchriores non sint,ne alias cupientes propriam contemnant, aut minimè delectentur eiusdem illecebris. Horum curationem assequemur abstinẽtes ab omni sanguinis missione,aut purgatione,nisi alio morbo laborauerit ,cor autem calefaciemus,linimento ex galia, & ambra in oleo de styrace, aut belzuino. Testes verò & genitale eisdẽ liniemus,aut oleo de scinco,aut vulpino,aut irino, cum myrrha,& castoreo. Vinum mulsum postrema mensa bibent,& pliris archoticon accipient cum vino,aut diatrion pepereon,diagalãga, aut medicamentum diasatirion, drachmæ vnius aut duarum pondus cum vini ʒ. iiij. A proprietate substantiæ valent,testiculus vulpis siccus,tribus & bibitus, atque genitale cerui. Nos sequenti victu quendam validum fecimus. Præcipimus ei vt sex integris diebus ab vxore extra vrbẽ secederet, deinde nocte postrema accedens iter equestre trium horarum perageret, & cum vxore cœnaret capum assum,& carnis veruecis elixæ partem cum eruca,vinum autem nigrum biberet,ad finem verò vinum mulsum, hoc autem peracto, vt se ad somnum reciperent, atque vxor marito lumbis hæreret, ad mediam vsque noctem, & interpellaret ea hora somnum, & rursus media hora transacta aut paulò plus ad somnum rediret,manè verò cum vxore congrederetur. Qui mihi retulit omnibus his peractis,valuisse satis,non tantùm ea, sed pluribus aliis noctibus, quibus id remedium tentauit. Quamobrem placuit idem in aliis experiri, qui etiam voti compotes euaserunt. Paucos etiam inuenies qui interpellato somno,ac rursus dormientes, non appetant venerem contentiosè. Aliis præcipimus dragetam sumere aut postrema mẽsa,aut ieiuno ventre,quam conficimus ex puluere seminis nasturcij, seminis vrticæ, erucæ, atque zingiberis. Valet in eum vsum pastinaca melle condita, addito zingibere, pipere, & caryophyllis.

Impotẽtis historia.

Veneris appetitus causa.

De Mensium suppressione, Cap. VI.

Mensium suppressio.

MENSES Non omnibus fœminis descendunt secundum naturam,sed eis tantùm quibus sanguis natura abundat: incipiunt etenim menstruæ purgationes cum incrementi celeritas reprimitur. Quod quibusdã ad decimumtertium annum, quibusdam ad decimumquartum accidit: siquidem iecur copiosum sanguinem generat, qui non totus in membrorum alitione & incremento absumitur,quo tempore eadem omnino ratione semen in maribus generatur, atque mas & fœmina apti fiunt procreandæ proli eodem tempore. Vis autem generandi sanguinem adeò copiosum languet, quibusdam quinquagesimo anno, & quibusdam 45.aut paulò citius, aliis 55. aut paulò tardius, ad quod accedit tenuitas,atque crassitudo sanguinis,nam quibus sanguis tenuior, & calidior est,& si copiosior non fuerit,menstruæ purgationes citius euenient & tardius finientur: quibus tamen sanguis est crassior & frigidior,tardius euenient, & citius finientur. Expurgatur sanguis abundans atque vitiosus singulis mensibus,nisi conceperint. Si igitur alicui menses non appareant, quo tempore secundum naturam descendere solebant,meritò eidem suppressos mensesdicemus. Supprimuntur autem,aut ob sanguinis inopiam aut plethoram, aut sanguinis vitium,aut vteri affectum,aut animi symptomata. Sanguinis inopia accedit ob aliquam manifestam & copiosam sanguinis vacuationem, fluxum sanguinis narium,aut hæmorrhoidarũ,aut vulnus, aut sanguinis missionem, aut magnam purgationem,aut sudorem, aut vomitum, aut ob phymatum & pustularum erumpentium multitudinem. Insensili quoque vacuatione vt alimenti inopia,& nimia exercitatione,balneis & calore ambientis supprimuntur,ad quod accedit pororum nimia apertio, & sanguinis tenuitas, aut ob febres,aut calidam corporis,aut solius vteri intemperiem. Iecoris verò intemperies atq; imbecillitas inopiam sanguinis efficit. Plethoræ signa alibi tradita

mensiũ suppressorum causæ.

sunt

sunt. Vitium sanguinis in tenuitate consistit, ob quam non purgatur; aut in crassitudine,& lentore,qualis etiam in pinguibus admodum adest, in quibus tenuitate sæpius peccat, aut calore, aut frigiditate. Vteri affectus sunt meatuum angustia,frigiditas,pinguedo,membrana à natura data quibusdam,quę clausæ appellantur,aut non perforatæ, carnositas, cicatrix quæ generantur post vteri vlcera,aut partum violentum,aut abortum sanguinis menstrui purgationem cohibens. Animi symptomata sunt, metus, ira, solicitudo. Causæ quoque prægressæ quæ ad prædictas reducuntur,accedentes, menstruum sanguinem cohibuerunt,hæ sunt in aquam frigidam ingressus, aut crurum in eadem lotio,esus lactis,aceti,aut rerum acidarum,interim dum menses purgantur,dolor,ictus,flagella,quoniam in partem aliam auertunt. Dum menstruus sanguis deficit,inopiam reparamus alimentis & corporis refectione, qua ad conualescentes vtimur,parte secunda operis. Si ob vteri affectionem cicatricem,carnositatem,aut membranam, hæc alibi curare docebimus. Mensium suppressio, cum ab aliqua de prædictis causis eueniat, & ob conceptionem, vtrum eorum in causa fuerit, in his quæ viris se miscuerunt, non erit facile agnoscere alterum eorum,primis mensibus: siquidem eis aduenit cibi fastidium,corporis totius ad motum segnicies,horores, inæquales sensus, ventris tumor,vitiosus appetitus,lumborum grauitas,vrina quibusdam crassa, cœnosa,ruffa,subcruēta,quibusdam aquosa,& subpallida ac tenuis, nonnullis cum difficultate emittitur. Calidam intemperiem agnoscimus, & bilis abundantiam,corporis calore,pallido colore,extenuatione, siti, vrinæ ruffedine, vbi sanguis aliquando purgetur tenuitate,calore,& acredine,& morsu inter purgandum illato. Frigiditas ac sanguinis crassitudo agnoscitur,corporis frigiditate,nimia pinguedine, subalbido colore, intumescentia œdematosa, vrina tenui, aquosa & subpallida. Calida intemperies quandoq; sanguinem dissoluit,& corpus extenuat,cuius refectionem & attemperamentum, ad curationem adhibendum: fit autem nonnunquam vt bilis quoque abūdet, ac perinde ad sanitatis restitutionem, bilem purgare,& corpus ad bonam ducere temperaturam oportet. Bilis quidem per electuarium rosatū purgatur: corpus verò infrigidantibus reducitur ac restituitur, & humectantibus, si interim caloris vi inaruerit, aut sanguis à causis præhabitis dissoluatur. Quibus carnes gallinarum & caponum conueniunt, & veruecis elixæ, & agnorum & porcellorū cum peponibus,boragine, lactuca, & hordeo. Potus sit aqua aut vinum aquosum modicè dilutum. Conuenit eisdem ocium,& animi tranquilitas, per hæc enim humectato & attemperato corpore,sanguis accrescet,& menses sponte succedent,nisi aliud impediat. Si menses à frigore,aut humorum crassitudine supprimantur,victu extenuante vtemur. Panem paucum edent & probè paratum,addito anisо,carnes elixæ erunt cum ciceribus,& petroselino,ouorum vitelli tremuli,pisces saxatiles,carduus,pastinaca,obsonia melle parata, cum cinnamomo & caryophyllis. Abstineant autem ab his quæ acidam, aut acerbam facultatem habent, vinum bibant valde vetustum, odorum, colore fuluum,aut aquam mulsam,aut cinnamomi decoctū. Exercitentur opportunè, partes inferiores fricentur, balneis crurum vtantur. Curationis ratione crassos humores imprimis parabimus ad purgationem,aqua mulsa, aut siropo capillorum Veneris cum decocto radicum apij, aut aqua instillatitia fœniculi, aut artemisæ,aut siropum de quinque radicibus sine aceto bibent cum aqua apij. Corpus verò purgetur pilulis de agarico,aut hiera diacolocynthidos,aut electuario indo,aut diaphœnicon,aut Elescopi. Præcedente purgatione exercitationes conuenient, & crurum frictiones. Quatuor autem diebus ieiuno ventre ante præfinitum purgationis menstruæ tempus, bibet aquam mulsam ex decocto rubeæ tinctorum,aut ex decocto calaminthæ,aut siropi de artemisia ʒ.iiij. cum decocto calaminthæ, aut dictamni, asari, & pulegij. Aut accipiet pulueris calaminthæ tenuissimi ʒ.j.ß. cum mellis despumati cochleariis

Mensium suppressorū sig.

Mensium suppressorum curat.

Mensium suppressorū remedia.

tribus

tribus. Præstantissimum auxilium, & quod nunquam fallit vbi ob humorum crassitudinem mẽstrua purgatio cohibetur, purgato corpore. Pastinacæ condiantur melle, addito pipere, zingibere, & caryophyllis, mellis autem cocti & despumati eiusdem conditi accipiet ʒ. ij. pulueris cinnamomi tenuissimè triti & cribrati ʒ.j. sumatur quatuor diebus ante diem purgationi definitum. Aliud calaminthæ, artemisiæ, absinthij, pulegij, origani, thimi, singulorum manip. ß. acori ʒ.ß. croci ʒ.j. bulliant in libris sex aquæ ad consumptionem tertiæ partis, residuum coletur, cui adde mellis ʒ.iiij. & rursus bulliat donec omnem euomuerit spumam, huius decocti bibet ʒ.viij. valet etiam myrrhæ ϑ.j. cum aqua mulsa, aut castorei ϑ.ß. cum decocto origani, aut decocto sabinæ, aut ipsum sabinæ decoctum per se, aut cum melle, aut asari, & iridis decoctum. Abluere quoque crura decet decocto calaminthæ, origani, & pulegij. Aut insidere ad vmbilicum vsque in decocto artemisiæ, polij, pulegij, & origani. Aut per infundibulum suscipiet vaporem decocti, sabinæ, rubeæ, acori, calaminthæ. Liniantur autem imus vẽter, lumbi, & perinæum, oleo de styrace, belzuino, oleo laurino, & anethino, addita myrrha, & galbano. Præterea per clystere quod mitrenchitam appellant in vterum fundetur, oleum susinum, aut laurinum aut decoctum calamithæ, & origani cum myrrha, & croco, & oleo de styrace.

Suppressis mẽsibus frictio crurũ.

Fricare verò interim conuenit crura, quod quibusdam mẽses qui iam descendere cœperunt, suppresit, quoniam pauca aderat abundantia: vbi verò magna adfuerit copia, profuit crurum frictio: supresis quoque mensibus confert crura scarificare ante tempus præfinitum, & puluerem calaminthæ, aut cinnamomi modo dicto tribus continuis diebus adhibere. Suffitus verò aromatum muliebria educit, autore Hippocra. vti styracis, aut belzuini, aut lauendulæ, aut iunci triangulati: frigidas autem vteri distemperantias hæc curant quæ diximus. Passulus optimus, resinæ terebinthinæ ʒ.ß. myrrhæ ʒ.j. croci ϑ.ß. styracis, & calbani vtriusque ʒ.ß. mellis ʒ.j.ß. cum coto, aut carpta lanafiat pessulus crassitudinis digiti medij, longitudinis paulò maioris, aut fiet ex melle, myrrha, & succo absinthij, aut melle, galbano, belzuino, & oleo irino, aut laurino. Plethora verò si adfuerit, venam poplitis secare conuenit, aut venas quæ sunt in malleolis, aut crura scarificare. Quod remedium pinguibus & obesis fœminis optimum est, siquidem præter id quòd redundantiæ partem demit, ad vterum ducit humorem vacuandum, & menses aduocat, sed magnis his euacuationibus præcedentibus, ad remedia suprà dicta redeundum, & vbi non adfuerit frigida intemperies, quæ minus calida fuerint eligentur, vti crocus, cinnamomum, aqua mulsa ex origani decocto, oleum susinum, & de styrace, asari, & iridis decoctum, aut dictamni, & pulegij. Expedit verò huic morbo curationem diligenter adhibere, ne fœminæ incidant in grauissimos morbos, vti aquam inter cutem, molam, asthma, pulmoniam, iecoris inflammationes, obstructiones, & maniam.

Ad vehementes ante purgationem dolores.

SVNT Plurimæ quæ iuxta purgationis tempus validos patiuntur dolores in lumbis, imo vẽtre, & pube quibus subuenitur mollientibus medicamentis, quæ humorum crassitudinem extenuent, aut calorem acrem attemperent, in vniuersum tamen meatus laxant, ventrem linire præcipimus oleo laurino, anethino, irino, susino, aut amaracino calentibus. Aut ceratum conficimus ex oleo anethino, susino, styrace, & pauca cera, & panno lineo hæc excipimus. Aut ventrem fouemus decocto fœnogræci, meliloti, anethi, camæmeli, cum oleo anethino & camæmelino. Aut insidere præcipimus in decocto fœnogræci, melilothi, anethi, amaraci, & croci. Aut in vterum infundimus oleum anethinum, aut susinum, aut de styrace. Aut vitellos ouorum tres cum oleo susino & anethino calentibus confundimus, & imo ventri superponimus.

De

De Menſium ſuperflua purgatione, Cap. VII.

MENSES Immodicè fluunt, aut ob eorumdem naturam, aut ob vteri affectum: menſtruus ſanguis acredine, aut tenuitate, aut copia peccat: Vteri vitium eſt venæ ruptura, aut exeſio, aut anaſtomoſis: vena rumpitur partu, aut aborſu, exeditur fluentibus menſibus acrioribus. Aperiuntur ora venarum vteri, ſanguinis tenuitate, aut copia. Agnoſcuntur immodica ſanguinis profluuia, temporis longitudine: ſiquidem fœminæ quædam purgantur trium dierum ſpacio, quædam quatuor, aut ſex, quædam 8. atque aliq; vndecim integris. Copia verò ſanguinis fluentis, tum ex his agnoſcetur, tum etiam facultatis langore qui inde ſequitur. A partu verò quædam ſeptem, quædam vndecim diebus, quædam integro menſe purgantur. Sanguinis acredo agnoſcitur, dolore, ardore, & febre, quæ quandoq; concitantur, & acrimonia fœtore, & pallido, aut flauo colore. Tenuitas agnoſcitur quoniam ſine dolore manat, aut calore, éſtque ipſe ſanguis ſubſtantia tenuis, & decoloratus, ſicuti & fœmina ipſa, cuius naturalis temperies, aut aſcititia frigida eſt. Copia ſanguinis agnoſcitur ex notis plethoræ, & quoniam copioſè fluentibus menſibus, ab initio nihil mali inde ſentiebant, nec languebat facultas. Partus & aborſus noti ſunt. Verũ vaſis ruptura ex impetu ſanguinis fluentis conſtat: ſiquidem affatim erumpit. Eroſione verò fiente dolor & acrimonia ſentiũtur, & ſenſim ſanguis manat, & pus miſcetur, & ichores fluunt, cum fœtore, & coloris prauitate. Anatomoſis agnoſcitur, quoniam ſine dolore ſanguis manat, paucus, tenuis, & ſeroſus, & ſigna ſanguinis abundantis adſunt, aut ſeroſitatis ipſius: ſi ſanguis vitioſus calore & acredine fuerit, ob bilis mixtionem, hæc purgari debet deriuationis ratione, iecur attemperandum his quæ modicè refrigerent, vti cerato ſantalino, vnguento roſaceo: deinde quæ dicemus adſtringentia admouebimus. Victus itaque cõueniens exiccans eſſe debet atq; adſtringens: ſint autem aues montanæ aſſæ, turtures, columbæ, perdices, turdi, paſſerculi, lac coctũ, & oriza cum lacte, aut poſca, & poma auſtera, & pyra, & cotonea, & ſorbæ, ac meſpila. Potus vinum nigrum, aut aqua chalibeata. Quieſcant, & brachia earum fricentur, atq; crura autore Aetio. Præterea cucurbitulam quam maximam mammis affigere Hip. præcepit. Remedia ſtatim adhibebimus, ſaccharum roſaceum antiquum, cum puluere boli armeni, aut poſcæ ʒ.iiij. balauſtiorum, & hypociſtidos, vtriuſq; ʒ.ß. aut carallorum rubeorum ʒ.j. aquæ inſtillatitię plantaginis ʒ.iij. aut paſtillorum de ſpodio ʒ.j. cum aqua inſtillatitia plantaginis, aut decocto radicum rubi, aut paſtillorum de ſuccino ϑ.ij. cum decocto balauſtiorũ dormituræ. Optimum auxilium eſt lapis hæmatitis ʒ.j. in decocto radicum rubi, aut balauſtiorum, ſiropus roſatus, ſiropus myrtinus, ſiropus de malis cotoneis, & ſiropi myrtini ʒ.iij. ſucci vuæ acerbæ aridi ʒ.j.ß. Curat imprimis vteri vlcera, eroſiones, & venarum rupturam, ſuccus plantaginis in yterum infuſus, aut decoctum roſarum balauſtiorum, caliculorum glãdium, cum acacia, & hypociſtide. Emplaſtrum etiam apponatur ex balauſtiis, roſis, & foliis myrti elixis, deinde cum oleo myrtino & melino malaxatis, aut palmulæ elixæ in poſca pubi admoueantur, aut eiſdẽ addes acaciã & hypociſtidem. Liniantur etiam pubes & lumbi oleo myrtino, melino, & roſaceo. Inſeſſus quoq; fiẽt ex decocto roſarũ, balauſtiorũ, corticũ mali punici, caliculorũ glandium, & myrti foliorũ. Peſſi autem fiẽt ex acacia & hypociſtide, & alumine, ac thure, cum ſucco plantaginis aut ſanguinariæ,

Menſium profluuium

Menſium profluentiũ nota.

De Fluxu muliebri, Cap. VIII.

QVANDO Excrementa ab vtero lõgo tempore fluunt alia à ſanguine, muliebrem fluxum appellamus. Eſt is ruber, aut albus, aut pallidus, aut liuidus, pro humoris mixti natura, ſcrutabimur tamen hoſce colores, ſi linteola in ipſis madefacta ſoli exiccanda exponamus, color enim inde patebit. Cauſæ ſunt malorum humorum redundantiæ

Muliebris fluxus.

in toto corpore, aut vteri exulceratio. Ex toto autem corpore quandoque per interualla accedit, & copiosior est. Vteri partes per hunc morbum madent, corpus extenuatur, nisi aqua inter cutem, vt solet, succedat, pallent, & intumescunt oculi, cibos fastidiunt, & cùm retinentur, dolorem in lumbis & spatulis sentiunt. Victus exiccans conducit, & qui vires abundè reficiat, ac boni succi cibus, quales sunt carnes gallinarum, perdicum, turturum. Bibēt aquam anisi, aut vinum austerū, frictionibus brachiorum & partium superiorū vtantur, atque quiete. Vbi quidem fluxus fuerit ruber, cōstantibus viribus sanguinem mittemus, secta vena interna cubiti, sed sanguis reuulsionis gratia per interualla mittetur. Vbi verò fluxus fuerit albus, pituitam abūdantem ostendit, & corpus egere purgatione, parato prius ipso per aquam mulsam. Pallida fluxio bilem flauam, cœnosa, atram ostendit, & purgationem eorumdem humorum conuenire. Purgato autem corpore in albo fluxu conferent quæ vrinam moueant, quoniam & hæc fluxionem auertunt. Deinde medicamenta adstringentia adhibenda sunt, quorum copiam præcedenti capite tradidimus quæ bibuntur, aut in vterum funduntur, de quorum numero est vinum dulce calfactum in cortice mali punici, & succus poligonij, & plantaginis, & oleum susinum prædictis mixtum, & vti in sessionibus decet, ex his quæ cap. præcedenti diximus, & siropum precioſum appellatum bibent, ex succo stercoris asinæ, id enim Actius commendat. Eadem remedia aliis conducunt fluxionibus & cucurbitulæ lūbis, dorso, & sub alis affixæ, & interim linteolis detritis mundentur loci, ne à fluxione exulcerentur, atq; rosaceo & susino liniantur, aut post mundificationem cum vino & decocto balaustiorum, aut rosarum foueantur. Adstringunt vterum, ita vt virginitatem recuperasse videantur, quæ diximus, atq; medicamen. Actij. Gallas per octo diesin aqua macerato, deinde lanam mollem & puram tingito & non exprimito, sed siccatam subdito. Aliud semen rumicis acuti viride terito & subdito, aut siccum aqua subigito, & subdito.

Muliebris fluxus cura tio.

De Vteri præfocatione, Cap. IX.

VTERI Præfocatio, grauis admodum morbus, conuulsionis modus est, quo vterus ad superiora cōuellitur: nam & ipsæ fœminæ ab imis partibus ad superiores tractionem sentire se fatentur. Quædam earum sine sensu & motu iacent, & sine pulsu aut paruissimo, ita vt vix percipi possit. Quædam animi deliquium patiuntur, sed sentiunt, & mouentur, stupidorum more, & difficilè spirant. Quædam præter stuporem, & difficilem respirationem motus quosdam efficiunt conuulsionis crurum & brachiorum. Neque tamen adeò graue malum foret vterum conuelli, nisi inde consentiret cerebrum, cor, & septum transuersum & quandoque iecur, vētriculus & lien. Causæ huius morbi sunt, feminis retentio, aut suppressio menstruorum, aut humorum malitia, fibras vteri occupantium. Nec mirum videri debet & si causa quantitate parua tam grauia inferat mala, siquidem pauciſsimum virus venefici animalis ex morsu relictum, lethalem efficit dispositionem, & prauus humor in digito pedis corruptus, morbum efficere comitialem valet consentiente cerebro, sic etiam pauca seminis, aut sanguinis menstrui quantitas, vbi prauā nanciscantur corruptionem, vniuersum corpus perfrigerare valebit, & animi deliquia stupores, conuulsiones, & apnœam efficiet. A nimia verò refrigeratione malum oritur, atque euenit frequentius hyeme, & post aborsum aut difficilem partum, religiosis & viduis. Occurrit quibusdam malum per accessiones, antecedunt autem pigritia, faciei pallor, crurū refrigeratio, tremor, sensus hebetudo, præcipuè visus, & lingua contremiscit, sub tristes fiunt. Iam verò instante accessione, obmutescunt, difficilè spirant, & pulsus paruissimus & obscurus redditur, & nonnunquam aboletur, & sensu priuantur, & quædam ex ipsis respiratio

Vteri præfocatio.

Vteri præfocationis causa.

tione. Ex quibus cõtingit nonnullas in ipsa accessione perire, accedẽte pulsu intercadente inordinatè, inquit Paulus, nos tamen ordinatè intercadentem deteriorem cum Gal. reputamus. Cùm verò restitui cœperint, mallæ rubent, palpebræ aperiũtur, sensus redit, motus, ac respiratio, pulsus augetur magnitudine & vehementia: ab vtero tamen humiditas manat, ore relaxato, & intestina murmurant. Curatio morbi alia competit in ipsa accessione, alia verò post ipsam, quæ præuisionis gratia adhibetur: cũ itaq; mulier morbo corrupta sit, fricanda sunt crura, & liganda validè, odoratis suffumiganda, & naribus fœtida admouenda, quoniam odorata vterum ad se conuertunt, fœtida verò fugant. Naribus admouebimus fumum vstorum pilorum, aut plumarum præsertim perdicum, aut cumini vsti fumũ, aut lanæ, aut lucernæ sebaceæ extinctæ, aut piscis, aut bituminis, galbani, aut castorei, inferius verò galla locos linimus, aut oleo de styrace aut mosco, & oleo laurino, aut alipta, aut galla moschata, aut suffumigabitur, styrace, aut belzoino: deinde leues cucurbitulę affigendæ erunt inguinibus, & infra vmbilicum, quibus sacculos herbarũ calidarum, calidos admouebimus, vti florum arãcij, aut ex pulegio, & amaraco, camæmelo, meliloto, & caryophyllis, & styrace plenos. Digitum quoque oleo susino, aut styracis illitum obstetrix ad vsque vterum immittet, ac partes eas perfricabit, inde enim lenientur, laxabuntur, & humiditatem, aut semẽ effundet vterus: qua emissa leuabitur, Interim acclamãdę sunt propriis nominibus, digiti cõprimendi, atque pili euellendi, & pudenda manibus obstetricum calentibus leuiter perfricanda. Conferunt sternutatoria, castorium, aut emphorbium naribus insufflentur, glandes & clysteria quæ calfaciant & flatum discutiant, de quibus cap. de colico morbo multa sunt scripta. Sed iam quomodo præuidendum sit ne in accessionem incidant, dicamus, à victus ratione auspicantes. Conuenit vti alimentis quæ exiccãdi facultatem habeant, cuius modi sunt, turtures, perdices, turdi, assæ autem sint. Abstineant à piscibus, lacte, ab amygdalis, nucleis pini, nucibus, eruca, napis. Aquam elixam per se bibẽt, aut cum aniso. Ventrem lenem seruabunt, frictionibus crurum vtentur, & exercitationibus, ita vt longius incedant, aut in iumento gestentur, non tamen in cursu: nam hic motus vomitum concitat, & vteri præfocationem: acclamatio & vociferatio cõducunt. Sunt quædam mœstitiam patientes, quibus lęta nuntia sunt afferenda & cantilenis exhilarandæ, & prata, ac ortos lustrabunt. Si verò lege conceditur, venere modicè vtantur, vbi ex seminis retẽtione morbus habuerit ortum. Remedij ratione abundante sanguine, secanda vena est, retentis autem mẽsibus ea quæ in malleolo. Præparato verò corpore vomitus commouendus per aquam mulsam tepidum, aut etiã decocto seminis raphani addito. Venter verò purgandus, si praui redundauerint succi, casia fistulari, electuario Elescopi, aut diaphœnicon, aut hiera diacolocynthidos, aut hiera simplici cũ aqua mulsa. A purgatione cucurbitulæ inguinibus & femoribus affigendæ leues, aut cum scarificatione & vlcuscula sale inspergenda sunt. Pessi ex odoratis immittantur, vti styrace, oleo nardino, & axungia phasiani, aut oleo susino, & amaracino. Vtentur interim his suprà ad seminis diminutionem cap. de gonorrhæa tradidimus.

Vteri præsentium varia.

De Vteri procidentia, Cap. X.

VTERI Procidentia rarus morbus est, nec periculosus. Qui multis de causis euenire solet. Prolabitur etenim vterus dirruptis mẽbranis quibus superius ligatur, rũpuntur autem, ob casum ab alto, aut saltum, aut conatum vehemẽtem graue aliquod leuandi gratia, aut ob partem difficilem, aut cùm obstetrices imprudẽter cum violentia extrahunt fœtum viuum, aut mortuum, quod ipsius quoque magnitudo facere poterit, aut eueniet ob relaxationem à pituitosis & lentis humoribus, id quod vetulis magis euenit. Graues rursus animi turbationes, vti subitus timor, aut

Vteri procidẽtis causa.

malum nuntium,& ſimile aliquod,ab Hiſpanis appellatum, ſobreſalto, vterũ prolabi ad os vuluæ faciunt,& quandoq; extra, toto corpore, neruis & vtero ſolutis.Cauſæ dictæ ſunt. Notus autem eſt morbus, vitiũ in ſitu partis. Victus eis conueniens eſt. Mulier quieta in lecto ſeruari debet, ſuper dorſum cubãs. Alimentis vtatur exiccantibus & boni ſucci,& quę flatum non generent.Potus ſit vinum album antiquum,& odoratum,aut decoctũ aniſi,corporis omnẽ agitationem & maximè ſternutationem vitabit.Venter modicè liniendus decocto maluarum & oleo, aut decocto prunorũ cum oleo camæmelino & ſaccharo:nihil autem ventrem proritans adhibendum:nam ſi aut proritẽtur, aut dura fæx expellenda ſit,conantes vterum propulſabunt: ſi tamen venter plus æquo humeſcat,relaxatio augebitur.Curatio hac via optimèperficietur.Mulier fęcem & vrinam deponet, ne hæc impedimento ſint, & ſuper dorſum cubet ſeiunctis femoribus & genubus leuatis, circumplexis verò tibiis, obſtetrix deinde illitis manibus oleo irino & ſuſino vterum calefaciat,& ſenſim ad interiora & proprium ſitum deuoluat,ſimul laneum inſtrumentum inteo obuolutum,figuræ pudendi virilis immittens, id verò in vino auſtero madeſcat prius & acacia,& hypociſtide inſpergatur, deinde exterioribus partibus linteum duplicatum vino madefactũ,aut hapſum lanæ,in quo roſæ & folia myrti bullierint,calens admoueatur,pubi autẽ hapſum lanæ poſca imbutum.Quod ſi vterum non facilè reducant obſtetrices, ipſum prius vino fouebunt, in quo bullierint fœnogræcum & lini ſemen, aut oleo de ſemine lini, & ſuſino, aut betæ decocto.Præcipiendum autem poſt reductionem, vt crura cõiungat, extenta & dextrum ſiniſtro ſuperponat:ſic enim ſeruabitur ne rurſus procidat. Aut ligabis crura eius molli faſcia à coxis ad genua vſq;. Cucurbitulę deinde cum multa flamma infra vmbilicum affigentur. Hæc tertio quoque die remouenda erunt,& decocto lauri foliorum,corticum mali punici, & palmularum in vino fomenta fient,atque hæc eadem in emplaſtri formam adhibebuntur. Naribus quoque odorata admouebunt,& partibus inferioribus fœtida, contrario modo his quæ ad vteri præfocationẽ diximus: & vmbilico emplaſtrum ex ladano,reſina terebinthina,galbano, ſtyrace, galla, macere, & caryophillis.Aut ex alipta moſchata,galla moſchata, ſtyrace, & ladano.Si verò vterus humore madeſcens,& à natura minimè gubernatus,& ab aere externo læſus computruerit,pars putreſcens abſcindetur:neque enim inde mortis imminet periculum,teſte Paulo,ſed & nos cuidam fœminæ ætatis annorum 34.vterum putrefactum abſcidere præcipimus,decem ab hinc annis,quæ adhuc viuit.

Vteri procidentis vitium.

Vteri procidentis curatio.

De Vteri reclinatione, Cap. XI.

Vteri reclinationis curatio.

VIDIMVS Quàm plures fœminas vteri reclinatione, aut retractione laborãtes, quarum quædã referunt ſe ſentire vterum veluti molem quãdam inguini affixam, quædã verò ad ſeptum trãſuerſum aſcendere putãt,cũ ad ſuperiora trahitur, & partes ad ſeptum attinentes comprimit,quandoque deorſum, & ad os pubis anterius,quandoque poſteriusad os coccigis inclinat.Cauſa eſt ſanguinis redũdantia,qualis adeſt menſibus retentis:immergitur autẽ ſanguis intra vteri vena dextra, aut ſiniſtra, aut vtraque parte, ac proinde in alteram aut vtranq; trahitur conuulſionis modo. Aetius à iecore aut liene morbum oriri dicit,atque agnoſci, quoniam in latus eiuſdem viſceris inclinat. Tunc quoq; in eo latere dolor moleſtat,& cruris eiuſdem ſtupor,dolor,refrigeratio.Talis in vtroque crure ſentitur diſpoſitio ſi antè aut retro inclinet, & vrina retinetur,cum ad pubem vergit:cùm verò retrorſum deiectio, atque flatus, & neq; clyſteria admittere poſſunt, niſi genubus innitantur. Cibus his conuenit,ius pulli,& eius caro,quorum vitelli,& amygdalatum:ab acidis abſtinebunt. Potus vinum aquoſum,aut decoctum cinnamomi:cubet in latus ſanum. ſi altera parte laborat, venter clyſteribus leniatur ex iure carnis & oleo ſuſino, aut

deco

decocto maluarum & fœnogræci cum oleo anethino, & vrina retenta cum recto siphone trahatur. Si morbi magnitudo id admonet, & vires constant, vena interna cubiti secabitur patientis lateris. Pars autem dolens fouebitur oleo irino, susino anethino, additis odoratis, si inclinauerit sursum, aut in latus: si verò deorsum, fœtida conuenient suffumigia ex his quæ tradita sunt ad vteri præfocationem, vt autem vterus humorem aliquem emittat, & ad naturalem situm redeat pessus immittendus ex lana, digiti medij magnitudine, imbutus susino oleo, & styrace, ac galla, nisi deorsum inclinauerit, tunc enim vmbilico odorata superponenda, ac leues cucurbitæ sunt affigendæ.

De Vteri inflatione, *Cap. XII.*

Vteri inflatio.

ELATVS In vtero quandoque clauditur, & aut in cauitate ipsius, aut in substantia, vnde fit vt vterus distendatur, veluti venter in tympania. Euenit id malum frequentiùs enixis si non seruantur, & conteguntur, & obuoluuntur fasciis. Licet nonnunquam grummis sanguinis retentis eueniat. Agnoscitur malum vteri dolore, distentione, & murmurio, grummi verò, quoniam interim fœmina mensium purgationem patitur, & grummus aliquis descendit. His victus conuenit extenuans, & flatum dissoluens, cibi pauci sed boni succi. Potus verò anisi decoctum, aut vinum album pauciferum. Siue sanguinis grummi adsint, siue crassa pituita flatui præstet materiam, bibita bis aqua mulsa ex anisi, & cinnamomi decocto. Purgabitur ægra per hieram diacolocynthidos, aut per electuarium Elescopi, in aqua mulsa, deinde clysteria iniicientur ex decocto pulegij, anethi, cumini, cum oleo anethino, & rutaceo, & melle, & pars oleo laurino, & rutaceo fouebitur. Pessus quoq; ex lana carpta formatus oleo susino, anethino, & styrace imbutus supponetur. Hac enim via flatum plurimum ab vtero excussum vidi, multo humore deinde sequuto, in quem vsum galbanum liquatum in oleo laurino & susino, cum cumini puluere, aut illitum, aut infusum valuit, & medicamentum dianisum, aut diacuminum, aut pliris archoticum, cum vino sumptum.

Vteri inflatio curatio.

De Vteri hydrope, *Cap. XIII.*

Vteri hydrops.

EX Humorum defluxu, & seminis in vterum delapsu vesicæ intra vterum generantur, quæ viscido humore, aut aqua implentur, atque existimant fœminæ esse conceptum, nam venter intumescit, & menses retinentur. Accedit dolor, murmurium, vigiliæ, & insomnia terribilia, quandoque etiam febricula, corporis grauitas, & spirandi difficultas. Omnia sanè hæc symptomata patiebatur Leonor à Sanctaren, quam vidistis sex integris mensibus laborasse, atque constantissimè contendebat se in vtero gestare fœtum viuum, quem moueri dicebat, at verò remediis adhibitis, sexto mense excreuit ab vtero varia & admiratione digna, quæ in pelui magna suscepit obstetrix supra septuaginta vesicas membranosas, ac membranis hærentes, aqua pallida plenas, castaneæ quantitatis: septem verò frusta membranis inuoluta coloris carnis lienis, quorum quædam medietatem lienis humani æquabant, quædam paulò minora. Aqua verò multa erumpit, & tota moles libras romanas duodecim appendebat. Ante omnia victum instituere oportet qui calefaciat, exiccet, & extenuet, flatum verò discutiat, exercitentur, aut in curru, aut lectica, aut iumento gestentur, totum corpus fricetur & imus venter validius: sudores quoque prouocandi sunt. Ad curationem tamen conducit vrinam & menses mouere, hieram diacolocynthidos in aqua mulsa bibendam dare, insessiones efficere ex decocto pulegij, origani, calamenti, & centaurij, aut ex decocto centaurij foueantur loci, aut id infundatur cum myrrha & sale, aut decoctum pulegij, mercurialis, & origani cum sale & melle. Aut suffiatur myrrha, aut

Historia.

lauendula. Aut pessulus supponatur ex lana imbuta oleo susino cum myrrha, galbano, sale, & melle, aut oleo susino, cum aristolochia, cumino, & sale insperſis. Bibendam dabimus aquam mulsam cum puluere gentianæ, aut pulegium & piper cum mulso.

De Mola vteri, Cap. XIIII.

Mola.

MOLA à grauitate & motu difficili dicta, vteri morbus est, durusve tumor, qualis obdurata & informis caro, generatur ex semine in vterum delapso, atque menstruo sanguine pariter ibidem collecto, & ab ardenti calore exiccato, atque obdurato. Augetur ac si animal esset non susceptione, & nutritione, sed appositione & agglutinatione, suppetit autem materiæ copia, tum ob seminis delapsum, tum ob sanguinis qui non purgatur redundantiam. Quamobrem ab initio non tantum fœminis ipsis, & obstetricibus, sed etiam medicis imponit, speciem præbens conceptus, menses enim retinentur, venter augetur, appetitus læditur, mammæ intumescunt, & calostra refundunt, & multam saliuam spuunt, & lumbi grauantur, sed procedente tempore distinguitur: nam mola dolorē efficit in ventre punctorum, nullus motus percipitur, corpus extenuatur, vires languēt. Solet hic morbus temporis processu hydropem adducere iecore perfrigerato, aut à sanguinis copia quæ non purgatur, extincto calore natiuo ipsius. Sed in hydrope tumor tangitur, ac pulsat tympani modo, aut digito comprimenti cedit, nec fluctuat: & quamuis in hydrope sit tensio maior, in mola est maior duritia, quæ in latus decidit recumbente fœmina, veluti lapis. Primis mēsibus curatur, procedente tempore aut nunquam aut difficilè admodum, quoniam vehementius vtero adhæresci, & quoniam maior mola ægrius extruditur: verùm curationem aggressus voti compos fui, victum adhibēs extenuantem, ex boni succi alimētis aridioribus, & vini odorati potu, aut aquæ cinnamomi, exercitationibus, gestationibus, ventris lenitione, & mensium prouocatione. Purgare verò corpus præcepi, electuario Elescopi in decocto pulegij, & vidi molam excretam, in pelui in qua insidebat fœmina, vt vaporem decocti calaminthæ & artemisiæ reciperet. Proderant in eum vsum siropus de artemisia, cum decocto gentianæ, & marrubij, aut decoctum artemisiæ, centaurij, aristolochiæ, gentianæ, pulegij, & thymi in vino, aut insessio in eodem, aut fotus similis, aut prædictæ herbæ in vino elixæ cum oleo rutaceo, & adipe ceruino, & axungia anatis malaxatæ emplastri modo, ventri admoueantur. Pessi quoque fient qui imbuantur oleo irino, rutaceo, & melle, aut oleo amaracino, susino, axungia anatis, & medulla ceruina. Valet emplastrum diachylon, dialthæas, vnguentum Aegripæ, extra aut intra vterum, diacuminum accipient, aut dianisum, cum vino, aut dialaca cum aqua mulsa, aut rubeæ decocto, aut ireos & agori decoctum cum melle bibent, & vt summatim dicam, quæ menses prouocant, quorum meminimus, accommodata sunt, & pessi proritantes, sed non valde nec frequentius ne vterum exulcerent, & dropaces ex galbano, myrrha, styrace, & resina, aut ex sinapi, ficubus & melle emplastrum, cum sale. Et suffitum ex aqua marina, aut decocto pulegij, thymi, hyssopi, scordij, centaurij, & baccaro lauri, per arundinem, aut infundibulum recipiet.

Mola curatio.

De Vteri inflammatione, Cap. XV.

Vteri inflammatio.

VTERI Inflammatione ex affluēte sanguine fit quemadmodum & reliquæ inflammationes. Atque habet bilem nonnunquam, aut pituitam redundātem admixtam: verùm occasiones sunt, partus difficilis, abortus, mensium suppressio, validus corporis motus, vlceratio, vteri compressio ab onere vel dura sella, aut nimia refrigeratio. Signa quæ ab Aëtio artificiosè tradita sunt referamus, statim accedit vteri, pubis, imi ventris, & lumborum dolor, atque ardor, & si digitum immittas

Vteri inflāmati signa.

mittas, durum, ardens, clausum, & contractum vterum tanges, vbi in ore veteri, aut colo inflammatio fuerit, si tamen in fundo & cauitate consistat, imi ventris dolor infestabit, & vterus non contrahetur: verùm retrahetur ad inflammatam partem, atque reclinabit eò. Non est sane hæc veteri prætocatio, aut declinatio: quoniam in hac cum inflammatione adest febris ardens, & loci ardor, & processu temporis multa quæ dicentur symptomata. Nam si inflammatio ad posteriora vergat, dolor spinam molestat, & stercus cohibetur, & obduratur ea de causa, si ad anteriora vrina supprimetur, aut stillicidium accidet, si dolor pecten affligat. Si in latere inflammatio fiat, inguina distenduntur, crura grauantur, & difficilè mouentur, & ea causa stupent. Hæc incipiẽte inflammatione fiunt: verum ipsa inualescente febres accedunt, capitis dolor, stomachi afflictio, imi ventris tumor, ardor, distensio, grauitas coxarum, lumborum, præcordiorum, inguinum, fœmorum, horrores discurrentes & pungentes, pedum torpor, genuum perfrigeratio, extremorum exudatio, pulsus parui, ac denti, animi deliquium, & exolutio. Magis increscente morbos, singultus, dolor tendonum colli, maxillarum, sincipitis, oculorum in profundo præsertim. Vrina & deiectio supprimuntur, delyrant, & dentibus stridet. Victus eis competens per tenuis esse debet, incipiente inflammatione, aut vigente, veluti ptisana hordei colata, aut nõ colata pauca, & ius pulli, aut amygdalatum: ad finem vero ouorum vitelli, atque vbi fuerit inflammatio parua, ab initio. Potus aqua hordei, ventris lenificatio, clysteribus ex aqua hordei & saccharo, & rosaceo, aut violaceo oleo, iniectis. Quies præmittenda præsertim crurum, sed brachia fricanda. Vbi vires consentiant, & nulla ingens vacuatio sanguinis præcedat, vena interna cubiti secanda est, & sanguis per interualla ducendus venarum autem quæ sunt in cruribus sectionem, in inflammationibus veteri factis, cúmque iam partem obsederunt prodesse nouimus, non parum autem lædere si incipientibus inflammationibus pudendorum & veteri, quis crurum venas secaret. Pubem autem fouebimus oleo melino, aut rosaceo, & aceto. Aut palmulas in aceto elixas cum rosaceo, & melino malaxatas apponemus. Aut mala cotonea in aceto & rosaceo elixentur in emplastri forma: verùm si hæc non tolerat, rosaceum cum aceto superponatur, sordida lana imbuta. Aut ex succo plantaginis, & semperuiui cum oleo melino & rosaceo. Fouebimus pubem, vbi notæ erysipelatis se ostendant, aut ex succo solani semperuiui, polygonij, vmbilici veneris, aut ex succo plantaginis, portulacæ, & pampinorum vitis: feruore verò inflammationis remittente, emplastra fient ex fœnogræco, farina seminis lini cum camæmelino, aut farina fœnogræci cum farina hordei, in aqua mulsa elixentur, & lana oleo calenti imbuta pectini admoueatur, aut superponatur muccilago seminis lini, & fœnogræci cum oleo anethino & cera. Sedato feruore ex butyro, & oleo suísino, anethino, adipe gallinæ fotus fiant, & cum cera, cerata. Pessi verò ab initio subdantur, imbuti oleo rosaceo, melino, & gallinæ adipe, aut in aqua dulci tertiæ elixationis fœnogræci & seminis lini, addito anserino, & gallinaceo adipe liquatis, hic pessus optimus est incipiente morbo & vigente cum rosaceo, finiente cum æsipo & oleo suísino, aut etiam nardino oleo & cera. Tumores veteri nonnunquam obdurantur, aut tales ab initio facti, aut post inflammationes, incipientibus, si nihil obstiterit, sanguis modicè detrahetur secta vena poplitis, aut malleoli, nisi magnam intellexeris sanguinis copiam: tunc enim venam internam cubiti secabis. Deinde fotibus emollies duritiam ex oleo anethino, suísino, adipe gallinaceo, anserino, & cera alba, præterea fotus & pessos conficies ex his, medullæ ceruinæ, bouinæ, & adipis laurini singul. ʒ.j. succi ebuli, muccilaginis fœnogræci, vtriusque ʒ.ß. olei suísini, adipis anserini & gallinacei, singulorum ʒ.ij. simul liquentur & bulliant, ex his pessos conficies, & partem linies, intus & extra. Idem efficies ex oleo nardino, suísino, & cera, aut eisdem addes styracem, & galbanum. Aliud, olei laurini

Veteri inflãmati curatio.

&

& nardini vtriusque ʒ.j.adipis anserini,adipis vrsi, pinguedinis porci, sing. ʒ.ß. galbani,opopanacis vtriusque ʒ.j.ceræ ʒ.j.misce. Valent dialthæas,& vnguentum Agripæ. Si verò tumor suppuretur quod agnosces pondere, rigoribus, & febribus,ac pulsu. Emplastra superponantur ex caricis,resina, & adipe gallinaceo: liniatur verò pars intus & extra susino, & styrace, atque æsipo, & myrrha, & fiant insessiones ex decocto pulegij, calaminthæ, & artemisiæ, vt rumpatur, aut butyrum vaccinum cum adipe gallinaceo, & susino infundatur,aut eisdem irinum addes.

Vteri abscessus.

De Vteri vlceribus, *Cap. XVI.*

Vteri vlcera.

VLCERATVR Vterus multis de causis, aut enim abscessus erumpit, aut difficilè peperit, & obstetrix imperitia, aut fœtus sua magnitudine vterum læsit, aut in aborsu,aut in extractione fœtus mortui idem euenit, aut fluentibus mensibus acrioribus, ac valde calidis. Signa sunt, dolor acris, & mordax, punctura, capitis dolores, & oculorum ad radices, qui etiam ad digitos manuum & pedum extenduntur, & ceruicem molestant, & in cute punctiones sentiunt, & subitas totius corporis mutationes frigoris & caloris,& discurrétes horrores. Manant etiam nonnunquam per interualla fœtidum pus & praua sanies,quę exteriores ipsas partes exulcerat & erodit. Victus his conuenit qui exiccet, & carnes assæ boni succi. Potus sit aqua hordei,aut aqua radicis dulcis,aut aqua mulsa,& clysteria lenientia, & quies. Si inflammatio vlceri iungatur,sanguinis missio conueniet, sed sine ipsa corpus parandum aqua mulsa, & purgandum pilulis de agarico, aut ipso agarico, aut electuario elescopi in decocto origani & radicis dulcis. Deinde cum speculo matricis quem diopteram appellant,vlcera inspicienda sunt qualia,quanta,& quo loco sita,& aqua mulsa iniecta abluentur,aut decocto iridis, aut decocto aristolochiæ, aut lacte asinino, aut caprillo: succus verò plantaginis solus iniectus plures sanauit. Quòd si dolor vexauerit fœminam, adeps anserinus liquatus cum pari mensura rosacei iniicientur. Rursus decoctum rosarum, myrti, & aluminis cum croco conuenit,& sæpe his abluatur vterus, & pessi ex rosaceo cum puluere aristolochiæ immittantur, & linamenta concerpta sæpe munda reponantur ostio vteri,& aqua rosacea & ceruſa interim eædem partes irrigentur,& linamenta eisdem imbuta admoueantur. Vlcera verò depascentia curat lac asininum, aut equinum iniectum, & puluis radicis iridis cum lacte, aut insperſus solus: idem facit aristolochia cum lacte, aut aqua mulsa, aut lupinorum amarorum puluis solus aut cum melle ad pessuli formam subdatur. Vnguente quoque de tutia parum cum lacte infundere præstantissimum est, aut alumen, thus, & myrrham cum lacte asinæ, aut succi plantaginis ʒ.x.mellis rosati ʒ.ij. Ab his autem medicamentis quæ validè mordent & scaras generant, abstinendum est.

Vteri vlcera curatio.

Vteri vlcerum depascentium curatio.

De Clausura vteri, *Cap. XVII.*

Vteri clausura.

VTERI Clausura, siue oris vteri compressio, quam Græci φύμωσιν vel φύμωσιν appellant, aut post exulcerationem fit, plus æquo adiunctis partibus, aut ob scirrhosum affectum obdurato & callescente ore vteri, quamobrem aut vterus semen non concipit, aut vbi conceperit mortis fœtus & matris periculum imminet. Notus morbus est visu & tactu. Cuius curatio emollientibus perficitur, tum pessis, tum insessionibus, tum cataplasmatis. Pessi fiant ex lana,aut coto imbuti in oleo susino & æsipo, aut axungia anatis, axungia gallinæ, & medulla ceruina, aut medicamento dialthæas cum oleo laurino,& æsipo, aut fiat emplastrum ex farina seminis lini, fœnogræci, oleo laurino, dialthæas & sale. Aliud, resinæ terebinthinæ ʒ.j.axungiæ gallinæ,olei susini,vtriusq; ʒ.ij.bdelij, ammon

ammoniaci, vtriusque ʒ.ij. cum melle fiat linimentum, aut cum cera ceratum insessiones fiant ex hydrelæo, aut ex decocto maluarum, fœnogræci & seminis lini. Si malum inueterauerit ex odoratis suffimenta fient.

De Sterilitate, *Cap. XVIII.*

STERILITAS Quandoque viri defectus est, quandoque fœminæ: vir etenim aut testibus caret, aut genitali, aut id sex digitorum longitudinem non attingit, quę mensura ad seminis intra vterum perolectionem ferè semper exposcitur, vel sunt ὑποσπαδίαιοι, hoc est subuulsi, qui semen recta proiicere nequeunt. Aut quoniam ob frigidam intemperiem semen pauçissimum & infœcundum generant, aquosum & frigidum, aut crassum valde, aut ob nimiam caliditatem torrefactum. Obesi præterea infœcundi fiunt, & nimium graciles, & qui genitale erigere nequeunt, aut seminis meatus oclusus est carne, aut cicatrice. Viros ad venerem, & prolis propagationem ineptos suprà cap. quinto curare docuimus, sed testium calorem ob quem semen torretur, curãt refrigerãtia lumbis & testibus admota. De fœminarum verò sterilitate modò agemus, siunt autem steriles ob vteri & testium intemperiem, calidam, frigidam, humidam, aut siccam, & cum humore, aut sine ipso. Morbi quoque instrumentarij conceptionem impediunt, vti breuitas vteri, aut angustia, aut laxitas, aut distorsio, crassitudo, aut gracilitas eiusdem, osculi angustia, aut clausio, cicatrice post vlcera genita, aut membrana obcæcato meatu, aut nimia eius amplitudo: vlcera quoque & tumores, mensium suppressiones, & profluuia & aliarum humiditatum, conceptionem impediunt. Violenti concubitus inualidi ad conceptionem sunt, inquit Aëtius: amor verò ad prolem generandam conducit, sicuti & maris ac fœminæ pulchritudo. Aëtas verò puerilis impedit, aut si conceperint non speratur tutus partus matri, aut proli. Quamobrem ante decimumoctauum annum, abstinebunt puellæ à venere, nisi corporis proceritatem habeant, lumbos latos, pectus augustum, nates prominentes, & manus latas: tunc enim 17. anno licebit, talis etenim forma ad procreationem aptior est. Vteri frigiditas agnoscitur ex mensium suppressione, aut eorumdem paucitate, aut crassitudine, aut ferositate, si accedat humiditas, pubis stupor, de signis frigiditatẽ ostendẽtibus est, & earum partium frigiditas, atque fœmorum & lumborum. Hæc vbi increuerit. Veneris appetentiam tollit, & vteri os contrahit. Si tamen humiditas accedat, laxabitur, & aquosi erunt, decolorati menses, ac copiosi, & contraria siccitatem ostendunt, calor vteri agnoscetur, ex pilorum copia, calore partium vẽtris inferiorum & lumborum, sanguinis menstrui pallore & calore, & ad venerem promptitudine. Qui itaque voluerint prolem procreare ante alia conuenienti victus ratione vtantur oportet, boni succi cibis, de quibus sunt turtures, perdices nouellæ, testes gallorum, coturnices, passerculi, phasiani, pauones indi, & gallinæ, vinum sit dulce, modicè validum, vitent autem aquam, vtantur in cibis, nucibus, amygdalis, granis pini, eruca, & ormio, vitẽt quæ vrinam mouent & propriè vretica appellantur, & mentham, & calamintham, quia semen languidum efficiunt, & rutam quæ semen corrumpit, sed si non purgentur probè cibis miscebimus quæ menses adiuuent attenuatione, vti apium, smyrnium, gingidium, scandix, & odorata. Pastinaca verò assa, & vino madefacta vtilis est, & cardui radix: impingantia vitent, & extenuantia, & à purgatione menstrua coeant: id enim aptissimum tempus est cum primum purgata manserit fœmina. Abstinebunt à validis motibus & exercitationibus quæ sanguinem & semen absumunt. Frigidam vteri intemperiem curabimus oleo nardino, anethino, laurino, oleo de styrace, quibus pubes & lumbi liniantur, & fœmina, aut ex eisdem quædam vtero iniiciantur, & pessi fiant ex myrrha & galbano, aut fotus fiat ex oleo amaracino, oleo de styrace, cum myrrha, & casto-

Sterilitatis differentiæ.

Sterilitatis signa.

Sterilitatis curatio.

reo, aut ex vino in quo calamintha & pulegium bullierint & acori radix. Acorum quoque conditum accipient, aut diacuminum, aut carui, aut dragetam ex ipso pulegio liceo, & pauco pipere. Bibere autem castorei ʒ.ß. cum vino prodest. Calidam vteri intemperiem refrigerantibus curamus, lactucis, cucurbitis, portulaca, aquæ potu, aut vini albi pauciferi, balneis etiam aquæ dulcis, somno & quiete. Lumbos autem fouere rosaceo, aut oleo nymphææ conuenit, aut vnguẽto rosato linire, aut pessum indere ex oleo nymphææ cum succo portulacæ, aut succo solani, lactucæ caules saccharo conditæ sumendæ sunt. Humida vteri intemperies rarò sine humore est, ac perinde ante alia corpus purgandum est, & vomitu à cibo vtantur, exercitationibus & frictionibus, præsertim partium superiorum, aues edent assas, vti perdices, & montanos passerculos, atque turtures, & vinum fuluum bibent, modicè austerum. Pubes verò foueatur oleo nardino, & anethino, aut vino in quo bullierint calamintha & pulegium, aut insessiones ex eisdem fiant, aut quædam modicè adstringentia in vterum fundantur, vti cumini, carui, anisi decoctum, cum balaustiis, & rosis. Sicca intemperies balneis aquę dulcis curatur, & ex eadem factis insessionibus, & iniectione intra vterum olei susini, aut amygdalarum dulcium, aut lactis, laç quoque bibendum datur, & vini diluti potio. Si verò præter intemperiem malorum humorum adfuerit redundãtia, eamdem pro cacochymiæ specie purgare conuenit, ante reliquam curationem. De vteri clausura & reclinatione suprà docuimus vt curari debeant, sic etiam clausionem curabimus & inflationem: quæ verò hiantem habent vterum, nec se ad seminis retentionem colligunt, adstringentibus egent, vti austero vino, in quo bullierint rosæ, balaustium & myrti folia.

De Conceptionis notis, Cap. XIX.

Conceptionis nota.

SIGNA Conceptionis ex Actio hæc sunt, si à coitu vterus colligitur, clauditur & siccus est, si à pudendo recedit, & ad semen retinendum & amplexandum mouetur, semen non excludunt, sed horrores sentiunt, moderatus quidam dolor circa pudẽdum & vmbilicum accedit, os pudẽdi aridum est, & vteri os, vt Hipp. dixit, comprimitur, sine tumore, aut inflammatione, & sursum trahitur, veneris appetentia languet, menses supprimuntur, citra molestiam, venæ pectoris liuent, & mammæ intumescunt, & lac habent, temporis progressu pallent oculorum cauitates, nigræ fiunt maculę in facie, & lentigines, colli pars anterior calidior, posterior frigidior apparet, si appetant acida, salsa, & picam pati incipiant, aut secundo & tertio mense ipsam patiantur, si os nimiũ madescat. Hæc appellant Hispani, cõchentos. Ad motus torpor, & effœminatus fit aspectus, color albidior, aut pallidior fit, & circa consuetum purgationis tempus, mammæ intumescunt, toto corpore, ac lumbis grauantur: vrinam calidiorem excernunt, & mensium ratione vterus incalescit, & vrinę stillicidium quibusdam euenit ab initio conceptionis. Præter ea Hippoc. aquam mulsam dormituræ bibendam præbet, atq; si concepit tormina inquit, sentiet: sin minus, non concepit. Accedunt etiam quibusdam somni graviores, & longiores, atque in somnia terribilia, timoris plena, ob quę excitantur subitò & clamat, atq; è lecto exiliunt, & ventrem vulneratum iri suspicantur somniantes. Accedit temporum saltus, atq; arteriarum quæ sunt in collo, palpebrarum grauitas. Aliis primo mense nonnihil sanguinis purgatur ab vtero, aliis minimè.

De Pica siue malacia, Cap. XX.

Pica siue malacia.

PICA Symptoma est ad animalem facultatem ventriculi attinens, siue vitiosus appetitus. Euenit autem frequentius fœminis vtero gerentibus, secundo aut tertio mense, atque appetunt carbones, terram, gipsum, aut testas. Causa est retentio sanguinis menstrui, atq;

tur

occursus eiusdem ad ventriculum, qui mutat eius temperaturam. Cæterùm cùm sanguis pituitam habeat mixtam, atq; hæc cum sanguine corrumpatur, si in salsam mutetur, aut aliam corruptionem & putrilaginem assequantur, diuersarum rerum appetitus fiet, ac perinde pica dicta est, quoniam quemadmodum auis eius nominis diuersis arborum generibus inseritur, ita & fœminæ quæ hoc symptoma patiuntur diuersos cibos appetunt, aut quoniam hæc varios quoque appetit cibos & prauos. Notus morbus est, ex accidenti prædicto, præterea accedit multa in ore saliua, stomachi imbecillitas, ciborũ auersio, bilis ac pituitæ vomitiones, quibus melius habent. Victus conuenit exiccãs, vti carnes assæ, & acida liquamina, paucus potus vini fului & austeri, dulcia vitent, & ciborum copiam. Diuersitas autem eorum procuranda, tum vt aliquid accipiant, tum vt ex variis cibis aliquem eligant. Exercitationibus vtantur quæ sibi conueniunt, neque valde lassentur. Prima mensa oliuas sale & aqua conditas accipient, aut vti à nobis conduntur, sale, aqua, origano, foliis lauri, & corticibus limonum, aut capparis cum aceto & sale, aut capparorum germina eodẽ modo parata, aut mala persica arida quæ Hispani, oreiones appellant, aut amygdalas auratas, aut cicorium, aut endiuiam cum aceto, aut ius pulli accipient elixi cum malis cotoneis, aut pyris austeris, aut eidem iuri succus mali punici, aut succus vuæ acerbæ, aut succus pampinorum vitis inspergatur, quæ terram appetunt amylum recens accipiãt, valet etiam succi portulacæ ʒ.ß. aut ipsa portulaca mansa, aut polygonij succus, aut endiuiæ. Verùm si prauorum succorum redundantia magna fuerit, vomitus concitandus aceto mulso, in quo raphanus per noctem maduerit, aut venter purgetur, rhabarbaro cum nardi spica. Deinde siropum de menta compositum, cum aceti mulsi parte media bis in die bibendum dabimus, aut siropum de succo persicorum. Ventri autem palmulæ cum aceto elixæ superponẽtur, aut miloplacenta cum posca malaxata, aut oleum melinum cum aceto, aut melinum & nardinum cum aceto, aut hęc eadem cum vino austero aceti loco. Aquæ verò calidæ non valdè potus humorum prauitatem moderatur.

Pica quare dicta.

Pica curatio.

De Aborsu, Cap. XXI.

Aborsus causa.

NOVIMVS Quàm plures fœminas tertio à cõceptione mense, aborsum facere, & rarò aut nunquam fœtum ad integritatem seruare cuius symptomatis causæ magna ex parte sunt mucores laxantes & emollientes acetabula, aut fortè nimia humiditas relaxans acetabula, & vteri os, & facultatem retẽtricem imbecillitans. Quas tutius foret antè quàm conciperent præparare, quàm conceptionis tempore easdem turbare auxiliis. Cæterùm expetit dum laborant curatione vti & remediis mitioribus. Victus conueniens exiccans esse debet qualis cap. præcedenti traditus est. Exercitationes conueniunt, & frictiones, & balnea aquarum sponte calidarum. Curatio verò corpus præparãs ad conceptionem à totius corporis vacuatione incipiet, vbi prius aqua mulsa, aut siropo de quinque radicibus sine aceto paretur. Purgatur autem probè ante conceptionem electuario Elescopi, in decocto origani, & calaminthæ, aut pilulis aureis. Conceptionis tamen tempore agarico purgantur facilè, aut elect. diaphœnicon pauca quantitate. Deinde vterus ipse expurgandus est pessis, suffitibus, & illitionibus. Pessi itaque fient ex melle tosto, & cumini puluere, aut ex lana carpta imbuta oleo laurino, aut irino, aut vino in quo per noctem maduerit colocynthis. Suffiatur vterus odoratis sæpius, & vteri os liniatur oleo irino, nardino, anethino, laurino. Aut fundantur intra vterum vinum & myrrha, aut vinum in quo balaustium & rosæ bullierint, ad imbecillitatem retẽtricis. Pituituam verò purgat vinum in quo agaricus per noctem maduerit. Optimum quoque remedium Aetius tradidit cum inquit: colocynthidem magnam, supernè incidito, & seminibus eiectis ac demissa medulla

oleum irinum infundito,& cum defecta particula colocynthidem operito,& per diem ac noctẽ madefcere finito,deinde feruenti cinere coquito,& oleum exolato & in vterum inicito, deinde puluis baccarum lauri cum vino, aut oleo anethino vtero admoueatur,aut fufinum oleum cum myrrha & ftyrace, aut galla,cum galbano in irino oleo liquato.Lapidem aquilæ geftare brachio ligatum conuenit. Experimento tamen noui valere lapidem cunei modo infertum ilici,vbi collo appenfus geftaretur.Fit autẽ fæpe vt fœminę abortiant, ob motum corporis vehementem,& faltum,aut ob ictum,aut cibi alicuius defiderium,aut ob vteri intemperiem,aut ob alimenti defectum,& magnam aliquam vacuationem, præfertim ab vtero, aut fœtus mortem, aut flatum vtero incluſum. Cauſas fanè prægreſſas vitare oportet, debita victus ratione vti, & languentes alimento reficere,& morbos vteri, vt fuprà diximus, curare.

De Extractione fœtus mortui & fecundæ, Cap. XXII.

Fœtus mortui cauſæ.

FOETVM Educere ab vtero multis de cauſis ante tempus partus conati ſunt maiores noſtri: nam cùm puella, aut adulta, ſed parua,concipiebat imminente ex fœtus magnitudine periculo mortis, geſtationis, & partus tempore præueniebant remediis aborſum mouentibus, quod noſtra religio facere prohibet, neque enim licet interficere quempiam. Verum mortuum iam fœtum arte conandum,vt celerrimè educant.Moritur autem ob alimenti defectum, aut eius malitiam,aut plethoram ob quam ſanguine impletur fœtus, aut ſolutis acetabulis ſaltu,aut ictu,aut tuſsi, aut ſternutatione, aut humiditate nimia laxatis,aut bibitis medicamentis quæ validè menſes prouocẽt, aut potu amarorum,aut nimia inedia præcedente,ſangui.miſsione, aut purgatione. Fœtus mortui ſigna ſunt quæ dicemus, fœtus etenim non mouetur, ſed decumbente fœmina in latus, in id deuoluitur ac decidit, grauat etiã plus quàm ante mortem, & mammæ extenuantur, aut altera ſi è duobus alter mortuus ſit, atque eundem abortiet. Humiditates ab vtero manant, corpus vtero gerentis languet,& albicat,& molleſcit,& ipſa ſegnis fit,caput dolet,oris fœtor ſequitur, palpebrarum inflatio,viſus tenebroſitas,ciborum inappetentia,& iam putreſcente fœtu ichores manant ab vtero, tempora pulſant, malæ rubent, febres excitantur,& horrores,ſitis,atque turbulenta inſomnia.Similia his accedunt ſi poſt partum aut aborſum ſecunda retineatur. Quod fit ob dolorum vehementiam retracto ac veluti conuulſo vtero, ſic ſecundam colligente,ac comprehendente,vt neque ſecundam expellat,nec eamdem permittat extrahere: hæc verò ſymptomata valida ſunt & breui à partu aut aborſu concitantur detenta ſecunda. In fœtus mortui eductione prodeſt, inſeſsio in decocto fœnogræci,maluarum & ſeminis lini,aut ex eorumdem decocto pudẽda fouere, aut vaporem prædictarum herbarum & rutæ per infundibulum recipere.Aut cum vngula aſini ſuffiatur per infundibulum, aut idem fiat cum capite ſardinæ ſalitæ,aut gagate lapide, atque os vteri inungere oleo ſufino, & anethino conuenit. Præterea galbani, & belzoini, vtriuſque ʒ.ß.in oleo irino liquentur in quo peſſus madefcat & immittatur, aut decoctum colocynthidos per metrenchitam infundatur. Præterea ſpicæ nardi, cinnamomi, rutæ, ſingulorum ʒ.j.myrrhæ ʒ.ß. accipiat ʒ.j.ß. cum decocto ſabinæ, aut rubeæ. Aliud, pulueris ſabinæ,aſari,myrrhę,ſingulorum ʒ.ß.bibantur in decocto gentianæ,& rubeæ:

Secundæ eductio.

id verò non tantùm fœtum educet mortuum, ſed etiam ſecundam. Educit quoque ſecundam theriaca diateſſaron,& ſternutatoria,ſed cum commouentur, nares & os apprehendemus, cum Hippoc.id docente. Aut peſsi fiant madefacti in decocto cucumeris ſyluestris, aut in oleo irino, & ſucco cucumeris prædicti, aut fiat puluis ex ariſtolochia, ſtaphide agria, elleboro nigro, & colocynthide æquis portionibus, & parum eius inſpergatur peſsis, qui prius imbuantur oleo anethino, aut ſufino. Aut peſſus infundatur in ſucco cucumeris

meris syluestris & felle tauri æquis portionibus. Vteri verò os linire vnguento tetraphármaco confert. At verò si secunda apparuerit, obstetrix illitis manibus oleo irino ipsam molliter tractãdo sensim educat, nunc in dextram nunc in sinistram partem, nunc recta ipsam trahens, cauens ne dirumpatur. Quòd si neque per hæc edat, non decet cum violentia ipsam trahere: natura etenim solet eam excludere, cum putruerit, aut cum flaccere & tabescere cœperit, sed interim dum non concedit, femori pars exclusa ligabitur, ne recurrat, & os vteri oleo susino, de styrace, & amygdalarum dulcium linietur, vt laxatum tractioni cedat.

De partu difficili, *Cap.* XXIII.

PARIENDI Tempus fœminis vtero gerentibus naturale est, cum fœtus ad eam peruenerit magnitudinem, vt ei desit in vtero alimenti copia, siue boni sanguinis abundantia, tum etiam dum cordis calor, qui antè multo humore sopitus iacebat, in tantum increuit, vt ventilatione magna egeat, & refrigeratione, qualis inspiratione frigidi aeris fit. Eo sanè tempore in lucem exire contendit, ac calcitrat, & acetabula dirumpit. Per id quoque tempus, os vteri aperitur quod antè conclusum adeò erat, vt neque specilli acumen caperet, accedit etiam vteri facultas expultrix quæ id quod grauat, molestat, & dolorem infert, extrudere conatur. Est id tempus nouem mensium spacium, quo manet ac perficitur fœtus in vtero, & in lucem procedit, sed id tempus decem mensium ab Hippocra. dicitur, qui decem menses lunares, 28. dierum numerat, quod spacium tempus menstruationis fœminarum est, sequitur autem partus tempora menstruorum. Decimestres autem partus Hippoc. lib. de octimestri partu, septem quadragenariis dierum in lucem edi dixit, atque eosdem educari, sunt autem hi ducenti octoginta dies, nouem verò menses qui à nobis 30. dierum, aut 31. numerantur, sunt dies supra 270. in quibus decimestres partus, ab Hippocr. dicti, ferè perficiuntur, ac sunt apud nos nonimenses partus, ipsius decimestres: non enim semper attingent vltimum diem de septem quadragenariis. Iam verò naturalis partus accedens difficilis redditur, ratione matris, aut fœtus, aut secundarum. Cùm enim hæc ad partum sint necessaria, vbi aliquod horum à natura secesserit, partus ea de causa vitiosus ac difficilis reddetur, sic etiam si externa causa præter naturam accesserit. Ex matre quidem si ipsa obesa fuerit, aut languida, aut timida, aut dolorum impatiens, & inexperta, aut angustum habet os vteri, aut oblæsum inflammatione, aut vlcere, aut rhagadiis, aut in recto intestino vlcus, aut tumorem, aut duram fæcem habuerit, aut ob morbum in vesica, aut in musculis ventris, aut quia conatur ante tempus parere. Fœtus verò partum difficilem efficit, magnitudine corporis, aut capitis, aut ob imbecillitatem, aut quia mortuus est, aut ob figuræ descensus prauitatem, expedit enim vt manibus ad genua conuersis, capite recta ad os vteri descendat: hæc enim est naturalissima figura, hanc sequitur vbi in pedes conuertatur, aliæ omnes præter naturam sunt, aut ob paruitatem, ob quam non apprehenditur, aut ob fœtuum numerum, vni etenim sunt quinque & septem, retulit quoque mihi vir fide dignus se vidisse. Valentiæ fœminam quæ vno partu, peperit 12. secundarum autem ratione, quoniam duræ sunt, & difficilè admodum rumpũtur, aut ob molitiem, adeò facilè, vt serosus humor ante partum totus effluat, deinde arescat vterus pariendi tempore. Causa externa est nimia frigiditas constringens, aut siccitas, aut calor dissoluens, atque imbecillitans. Signa causarum externarum nota sunt, aut ex tempore, aut relatu haberi poterunt: fœmina similiter an obesa sit facile constat: langorem ostendent præcedentes morbi, aut vacuationes, aut animæ accidentia, sic & si timida, aut impatiens fuerit. Angustia oris vteri tactu constabit, reliqui autem morbi vteri ex notis, suis capitibus traditis. Sicuti & noxæ intestini recti, vesicæ, aut ventris. Tempus præterea definitum est

Pariendi tempus.

Partus decimestres.

Partus difficilis causa

Partus difficilis signa.

partui. Fœtus languidus agnoſcitur, ex præcedentibus morbis matris, & ex tardo ac difficili motu: mortuus autem quia non mouetur, & ex accidentibus ſuprà narratis. Magnitudo ex ventris mole, & parẽtum magnitudine. Figura ab obſtetrice tractu præhenditur, vt capitis magnitudine. Secundarũ durities pariter tactu, & quoniam conante fœmina abũde, & fœtu exiſtente ſano, non ſuccedit partus. Areſcit autem vterus delapſa aqua quæ in alantoide continebatur, atque conſtabit facilè an effluxerit. Si fœmina languida fuerit, roboranda eſt alimentis: ſi obeſa, adiuuanda digitis obſtetricis oleo ſuſino calenti illitis. Si morbum aliquem de prædictis vteri, veſicæ, ventris, aut inteſtinorum patiatur, his tempeſtiuè obuiãdum antequam partus tempus accedat. Timidæ exhortandæ ſunt, & admonendæ, & aduiuandæ: nõ tamen ante tempus. Cùm enim dolores primùm ſentire cœperunt, deambulatione vtantur, donec os vteri hiet: tunc enim ſedebit, aut in ſede molli, & elatiori, ita vt parum recto corpore ſedeat, aut ſuper genua viri valentis qui eandem firmam teneat, cui etiam ipſa innitatur, aut vt aliæ faciunt, in lecto decumbant parum erecto corpore, aut in ſede anteriori parte caua. Obſtetrix verò nõ ſtatim manum admoueat, ſiquidem id ante tempus aggreſſæ dolores concitant maiores, & longe à partu. Verùm ſi iam hiante vteri ore, & fœtu ad exitum accedente, ob magnitudinem corporis aut capitis tardetur, linimentis vteri os laxandũ eſt nempe oleo ſuſino, amygdalarum dulcium, & de ſtyrace, quibus illitis manibus obſtetrix leniter os vteri dilatabit, ſic & vbi anguſtum fuerit. His quoque atque ſiccitate laborantibus conueniet fotus ex decocto maluarum, fœnogræci, & ſeminis lini, & intra vterum parum eius cum oleo amygdalarum dulcium, aut ſuſino infundere. Si fœtus vitioſa figura deſcendat, manibus obſtetrix conuertat corpus infantis donec in caput vertat, & digitis comprehenſis humeris ipſum iuuabit, ſine violentia. Si plures fuerint ac ſimul acceſſerint, eum qui propinquior eſt, iuuabit, alterum verò reducet, atque conuertet, & vtrique modo dicto viam parabit. Si ſecunda obduritiem non rũpitur, digitis lanianda eſt. Si humor effluxerit, & vterus areſcat humectãdus eſt decocto fœnogræci, aut decocto maluarum, & oleo ſuſino: ob cauſas externas expedit aerem attemperare & viam emollire. Parum præterea difficilem emendant decoctum cinnamomi, aut decoctum cicerum, aut ſabinæ, aut ſedeat in decocto fœnogræci & calaminthæ, vſque ad vmbiculum, aut peſſus & ſtyrace & gallinæ axungia immittatur, aut partes oleo de ſtyrace & ſuſino foueantur.

DE ARTICVLORVM MORBIS,

SECTIO XI.

De Coxarum dolore, Cap. I.

Coxa dolor.

COXAE Dolorem, aut coxendicis, Græci ἰσχιάς & eo morbo laborantes ἰσχιαδικούς appellant, & Hiſpani à dolore coxæ eoſdem nominant coxos, latinos imitantes, Græcam autem vſurpantes vocem ciaticos. Huius mali cauſa eſt, craſſus ac lentus humor in coxendicis articulo infarctus, cuius generationem antecedunt quies longa, cruditates, menſium aut hæmorrhoidarum retentio, aut alterius magnæ aſſuetæ vacuationis, vt fluxus ventris, aut vomitus, frequens quoque coitus id mali ſæpe adduxit, incipit autem à lumbis, ſæpe ab ipſa coxa, & cõſentiunt inguina, & femora, & nonnunquam crus, & pes eius lateris, in quem ſæpe malum deſinit, humore tranſlato. Morbus notus eſt. Dolor enim vexat partem natis prominentiorẽ & reſpondentem in inguine partem, & quandoque femur, & crus. Victus cõuenit exiccans, vt carnes aſſæ, quæ bonum ſuccum, tenuem, non multum præſtent, aqua cinnamomi, aut aniſi, mediocris exercitatio, deambulatio, frictio, balneum

aquæ

aquæ ſponte calidæ. Ventrem verò clyſteribus emollire atque irritare expedit. Curationem incipiemus conſiderata prius corporis diſpoſitione, an plethora, an cacochimia adſit. Quòd ſi plethora adfuerit, ſanguinem mittemus ſecta vena interna cubiti, incipiente affectione: ipſa verò inueterata venam poplitis aut malleoli eiuſdem cruris ſecabimus. Hanc eandem ſecare oportet adhuc incipiente malo, ſi menſes retenti fuerint in cauſa, aut hæmorrhoides. Præſente verò cacochymia craſſos ac lentos humores purgationi parabimus, aceto mulſo, aut aqua mulſa cum decocto origani, aut pulegij. Deinde corpus purgabitur, pilulis aureis, aut fœtidis aut de hermodactilis minoribus. Expedit quoque vomitum à cibum frequenter mouere, cum raphani decocto, aut ſeminis eius, aut cum aceto mulſo in quo per noctem raphanus maduerit. Clyſteria acria in hoc morbo vtiliſsima ſunt ex decocto calaminthæ, pulegij, origani, melle, & ſale, quibus addemus hieram diacolocinthos. Aut ex decocto centaurij, abſinthij, & lupinorum cum oleo rutaceo, melle, & multo ſale. Aliud, ſaluiæ, ſtœcados, & chamæpityos, ſing. manip. j. polypodij. ʒ. j. ſeminis aniſi, fœniculi, & anethi, ſingu. ʒ. ß. bulliant in libris ſex aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, reſiduum ſeruetur ad clyſteria, quæ conficientur addito melle, ſale, & benedicta, aut hyera diacolocynthidos. Aut fiãt ex muria piſciũ & melle, atque oleo rutaceo, quæ valida admodum ſunt, & breui prodeſſe vidimus in non paucis. Conducũt etiam cucurbitulæ cum ſcarificatione abundante ſanguine in parte affecta: aliâs fiant cum multa flamma, hæc præuacuato corpore, quemadmodum & reliqua remedia localia. Quæ etenim repellunt, nullatenus conueniunt, quoniam humorem impingunt in loco. Quæ tamen diſcutiunt ante corporis vacuationem ad partem plus adducũt, quàm ab ipſa diſſoluant. Opportunè igitur adhibita quæ humorem diſcutiunt optima ſunt, quæ pro loci ſitu valentia eſſe debent. De his eſt fotus oleo rutaceo adhibitus, aut ex lixiuio & ſale, aut nitro, aut ex rutaceo & galbano linimentum: liquetur autem galbanum aceto. Aut calamintha, pulegium, melilotum, ruta, anethum, centaurium, & roſmarinum in aceto bulliant, & eo calenti, ſpongia frequenter pars foueatur. Aut emplaſtrum ſuperponatur, quod recipiet farinæ erui, farinæ lupinorum, cachryos, ſingulorum ʒ. j. ß. radicis ireos, ariſtolochiæ, ſtaphidis agriæ ſingulorum ʒ. j. mellis & aceti vtriuſque ʒ. iiij. Aliud, cachryos, radicis ireos, foliorum rutæ, ſing. ʒ. j. piperis. ʒ. j. pirethri ʒ. j. ß. ſulphuris ʒ. ij. omnia triturentur, deinde accipe galbani, opopanacis, ammoniaci, ſing. ʒ. j. diluantur in aceto, & omnia ſimul cum reſina terebinthina ad emplaſtri formam conficiantur. Ex his quoque dropaces fient, ex reſina, galbano, ammoniaco, additis pipere, euphorbio, & ſulphure, aut loco huius vini fæcem addimus. Validum emplaſtrum fit ex radice cucumeris ſylueſtris in aceto elixa, deinde cum adipe porcino malaxata. Fiunt etiam emplaſtra ex ſtercore columbino, ficubus, & aceto mulſo, ſic, ſtercoris colũbini ʒ. ij. ficuum ʒ. j. farinæ cachryos ʒ. ß. mellis & aceti vtriuſque ʒ. iij. huic addimus ſtaphidem agriam. Aliud, ſinapys ʒ. j. cachryos, farinæ erui, vtriuſque ʒ. ß. piperis ʒ. j. cum aceto & melle miſceantur ad emplaſtri formam. Aliud, vnguenti marciati, quod alij appellant marcianum, vnguenti Agrippæ, vtriuſque ʒ. j. olei rutacei ʒ. ij. galbani in aceto liquati ʒ. ij. euphorbij ʒ. ß. pirethri, ſtaphidis agriæ, vtriuſque ʒ. j. reſinæ quantum ſufficit, fiat emplaſtrum. Hæc medicamenta veſicas inducunt, & humorem purgant. Ex adurentibus eſt lepidium, ſiue agriocardamum, quo vtimur ad emplaſtra, in hunc modum, folia agriocardami, aut radices cum adipe ſuillo contunduntur ad emplaſtri formam, & loco dolenti ſuperponitur, tandiúque permittitur donec pars ingreſcat, aut liueat, deinde ſemoueatur, & loco eius galbanum in aceto liquatum cum oleo irino, aut ciprino ſuperponatur. Poſtremo loco in huius morbi curatione ſuccedit manus opera: candenti etenim ferro cruſtas inducimus, tribus in locis circa articulum, & diu ſeruamus vlcera.

Coxæ doloris curatio.

De Articulari morbo atque podagra, Cap. II.

Articularis morbus.



ARTICVLARIS Morbus, Græcè ἀρθρίτις, dicitur, est autẽ morbus sic propriè appellatus, dolor articulos infestans, nullum autem statutum habet articulum, quem semper infestet, sed nunc vnum, nunc vero alterum, aut plures simul. Cùm verò dolor articulos pedis infestat podagra, cùm articulos manuum, chiragra dicitur. Nonnunquam verò incipit à loco vno & deinde plures deprehenduntur malo & manus, & pedes, & genua, & cubiti, & genæ, & guttur & ceruicis vertebræ, aut coxendix, quæ ischiade dicitur, de qua cap. præcedenti. Morbus hic ex defluxione generatur, ac solet per circuitus inuadere, vt vere & autumno frequentius, quandoque etiam aliis temporibus, cum videlicet in transmittente particula ea copia abundans humor, qui morbum facere solet, congestus est, vt cogatur ipsum in partem transmittere imbecilliorem. Hæc verò est aliquis articulorum corporis, aut plures ex eis. Sunt autem imbecilles, aut ex propria natura, quod euenit his quibus morbus est hæreditarius, & aliis nõ paucis: sed sunt quibus tempore tales redditi sunt, nimio motu, aut longa quiete, aut post longas & valentes exercitationes subitò se ad ocium transferentibus, quales sunt qui in iuuentute laborarunt, acceptaverò mercede aut multa conquisita pecunia, in senectute otiantur plus æquo, cæteri, baccho, & veneri indulgentes. Has sanè putamus causas esse, ob quas diuites laborant podagra præ aliis.

Articularis causa.

Articularis causæ.

Morbus hic difficilè curatur & in quibusdam curari nequit. Causa est, quoniam articulorum natiua laxitas & imbecillitas quorumdem emendari non potest. Si verò tempore facta fuerit, nonnulli sanãtur, quos ego noui, alij verò, vt Areteus inquit, ab initio referentes morbum in causam aliquam externam vt calciamenti attritum, aut longum iter, aut plagam, antequam remedia tentent, morbus augetur, & remedia nõ admittit. De causis est vsus ciborum quibus calida aromata, medicamenta, & mel miscentur, quæ cibos non integrè confectos ad articulos deducunt, vinorum validorum potus, vti vini à sancto Martino, equitatio frequens, præsertim suspensis pedibus, frigidæ inassuetus potus, regio valde humida, & talis habitatio, dimissio vacuationis consuetæ. Est quoque assueta seminis vacuatio consideranda. Ictus quoque id mali adduxit, & prolapsus, & animi perturbationes. Generatur itaque morbus vbi aliqua humoralis causa in corpore redundauerit, aut ob malam viuendi rationem, aut fortè vbi non multus esset humor, occasio id præstare valuit. Tunc etenim humor in articulum prorumpit & copulas distendit, ac neruis & musculis proximis dolorem infert. Est tamen proxima morbi causa sanguis, quandoque bilis, nonnunquam pituita crassa ac lenta, quæ temporis processu in parte impacta, à calore assata transit in tophum, siue porum, atque pituitam ipsam gipseam nominãt, quam verum gipsum, cum ab articulis educitur, existimabis. Raro etiam à melancholia procedit, sæpe ab humoribus mixtis. Fit non rarò iudicationis ratione, morbo alio per abscessus ad articulos iudicato, de his est colicus morbus, à quo humor peccãs in articulos transferri est visus. signa sanguinei articularis morbi in eisdem generibus cum aliorum humorum morbis continentur, apud Galen. Hæc sunt ex coloribus desumpta, accidentibus, & vsu medicamentorum, ac si diceres à iuuantibus & nocentibus. Rubeus color sanguinem ostendit, & tensio, & pulsus, & sanguinis in toto corpore redundantia, & tumoris magnitudo, quibus accedunt ætas, tempus & temperatura, & victus, quæ sanguinem augere possint, & retenta sanguinis assueta vacuatio, & quod minimè à calidis aut frigidis auxiliis adiuuantur, sed vacuatione sanguinis. Bilis agnoscitur colore pallido, ardore partis, non magno tumore, acri dolore, vrina ruffa, aut flaua, febris accessionem comitatur ætas, temperatura, anni tempus, & victus, bilem augentia eam ostendunt, & quod ab his quæ refrigerant manifestè iuuantur. Accedunt vigiliæ, iræ, solicitudo, & animi turbationes. Pituitam docent, color tumoris al-

Articularis morbi signa.

al

bicans,& eiusdem laxitas,& doloris paruitas,cum grauedine & diuturnitate. Accedunt tempus,ætas,regio,& temperatura pituitam aceruantes, & victus, & ocium,iuuantur à calidis.Salsa pituita vbi adfuerit mordaci dolore & acri agnoscetur,& in vrina cinereum aderit sedimentum, & color partis albidus. Melancholia rarò vt diximus,articulos peruadit,quos colore denigrat.Talis autem est natura ægri,tale tempus,talisque ætas,ac victus similis præfuit.Sanguineus articulorum dolor curatur ab initio sanguinis missione, si præseruationis gratia fiat ineunte vere,aut autumo, quamuis venam corporis secare licebit,nisi destinatus sit articulus in quem sanguis irruere solet: tunc etenim à parte distantissima ducemus sanguinem, incipiente tamen accessione valentibus viribus laborãte pede,vena interna cubiti eius lateris secabitur, aut si ea non apppareat,media, laborante verò manu,vena poplitis, aut malleoli eius lateris secanda erit, nisi aut frigidum fuerit corpus, aut debile, aut antiqua ipsa passio,his enim frequens sang. missio nocere solet. Aetius eam quæ est iuxta plantam pedis, secare iubet. Educemus autem sanguinem copiosè, sed per interualla, vt fluxionis impetum in contrarium ducamus. Vti autem repellẽtibus ante corporis vacuationem periculum affert recessus humorum in particulas nobiliores, vti iecur, ventriculum, cor, maximè verò in pulmonem,id docente experimento, cui subscribit ratio, siquidem pulmo, tum perpetuo motu,tum etiam substantiæ raritate trahit ac recipit eam redundantiam.Post sanguinis missionem medicamenta admouebimus parti repellentia antequam humor totus in parte figatur. Optimum autem est oxyrrhodinum linteolis,aut lana madefacta,& superposita,frigida æstate, tepida hyeme sint fomenta,tale est vinum nigrum cum oleo rosaceo, aut vinum in quo rosæ & myrtus, & cupressi pilulæ bullierint. Deinde conuenient quæ coquere ac discutere possint humorem, de quibus est farina fœnogræci, farina hordei cum oleo camæmelino, & vinum cum oleo nardino. Aliud, galbani, ammoniaci,vtriusque ʒ.j.liquentur in aceto,quibus addes croci ℈.j. olei camæmelini ʒ.ij.resinæ & ceræ,vtriusque ʒ.ß.Aliud,vitellos ouorum duos, croci ℈.j. olei camæmelini, & vini, vtriusque ʒ.ij. Optimum ad dolores sedandos est, ceruſa cum rosaceo.Sedat dolorem & coquit humorem,quod sequitur,theriaces ʒ.ij. ceruſæ ʒ.j. rosacei ʒ.ß. vini albi ʒ.ij. Dolore tamen vrgente valde, stuporem inducere conuenit,deinde dolore sedato partem fouere vino albo,& oleo cacamæmelino,ne impactus aliquis relinquatur humor. Stuporem autem inducit theriaca recens illita, aut Phylonis medicamentum, aut requies magna, aut opij graua sex in ʒ.iiij. vini, his pars liniatur. Si verò fluxio bilioſa fuerit, hæc ab initio purganda est,semel præbibito aceto mulso aut siropo acido simplici. Purgabitur autem, pilulis aggregatiuis, aut pilulis de nermodactilis; quamuis enim nauseam & perturbationem efficiant, conuenient his qui negotiis irrepetibilibus sunt adstricti, quoniam breui fluxionem cohibent,valet in eum vsum electuarium de succo rosarum. Repellentia verò parti admouenda,valentiora quàm in sanguineo articulari:talia sunt,solani succus, aut succus plantaginis cum pauco aceto, aut etiam rosaceum cum aceto, quod mitius est,aut rosas virides cum plantaginis foliis tritas adiungemus, aut lactis & rosacei parem mensuram.Cessante fluxione emplastra fientex farina hordei, farina fœnogræci cum vino albo, aut ex pice, ammoniaco,& oleo rosaceo,aut ex resina,& cera æquis portionibus liquatis in rosaceo & camæmelino.Conuenit bibere quæ vrinam mouent,vti siropum de quinque radic.Cum aceto,aut siropum de byzantio.Si verò stuporem inducere sit opus,folia mandragoræ superponemus,aut hyoscyami,aut opij parum cum vino, & ab stupefactione pars fouenda decocto origani.Si pituitosus morbus fuerit, humor ab initio parabitur aqua mulsa, aut aceto mulso cum origani decocto. Purgabi-

Articularis sanguinis curatio.

tur autem pilulis aureis, aut cochiis, aut hiera diacolocyntidos. Vomitus frequens vtilissimus est, cum aceto mulso, & anethi decocto, à cibo verò vtilis vomitus est: implemus autem ventres eorum cibis, quales sunt olera, fructus, lac, & aquam tepidam bibendam damus, & intromissis digitis vomere præcipimus. Siropum etiam de quinque radicibus, aut aquam mulsam ex apij decocto, ad vrinam mouendam propinamus. Frictiones etiam fiunt linteolis asperioribus, & fotus ministramus his quæ discutiunt, calore & siccitate, spongia madefacta in vino in quo bullierint alumen, & pilulæ cupressi, aut cum lixiuio cineris vitis, aut cineris ficus, aut pars cessante fluxione liniatur galbano, & ammoniaco in aceto solutis & oleo lumbricorũ mixtis, & styrax & lixiuium cum sapone valent. Præterea brassica viridis superposita dolorem sedat, aut apium malaxatum, aut verbenaca recta, aut cinis caulium & radicum brassicæ cum axungia porcina: valet etiam farina loliacea, & stercus bubulum in aqua mulsa elixum. Experimentum probauimus valere quàm maximè absinthij comam in aceto elixam, deinde malaxatam calidam superpositam. Finiente autem morbo axungiam porci addimus, sedat sanè breuissimè dolores & tumores discutit, & chamæpytis elixa ac malaxata cum butyro vaccino. Articularem melancholicum purgant diasene, & confectio hamec, & pilulæ indæ. Dolores eorum mitigant medulla cerui, & vituli, oleum camæmelinum, & de styrace, cum cera, hæc eadem humorem emolliendo ac discutiendo absumunt. Tophi verò, duri tumores ac terrestres sunt, geniti vna duarum causarum, aut nimio calore tenuem partem absumente, aut ob naturam terrenam, congesti, aut transmissi humoris. Methodus itaque curationis conuenit per medicamenta quæ humorem emolliant, & aliqua ex parte discutiant, emollire enim quàm maximè conuenit: quem vsum præstant, adeps porcinus sine sale, medulla vituli, aut cerui, malua elixa, & oleo camæmelino aut adipe suillo malaxata, valent ad idem, bdelium, ammoniacum, & styrax æquis portionibus cum oleo antiquo, & caseus antiquus, atque acerrimus cum porci pingui carne malaxatus, & emplastrum diachylon cum pingui porci liquatum, & emplastrum de adipibus, aut eius nominis vnguentum. Aut medicamentum διαττρίμμα id est ex calcaneo porci ad emplastri formam, apud Paulum. Radix quoque althææ elixa, cum pice, resina, & styrace liquatis, in oleo malaxata. Victus conueniens his qui articulari malo vexantur, ex alimentis est, quæ bonum succum generant, non valde humidum neque fluxioni paratum, quales sunt turtures, perdices, gallinæ, phasiani, lactuca, & cucurbita in calido morbo, atque endiuia, & saxatiles pisces, ij paucam ferunt inediam, ipsam tamen omnes seruabunt, morbo incipiente, quoniam tunc victum tenuem seruare debent, dum fluxio perseuerat, vinum interdicendum, aqua autem vtendum cinnamomi, aut nimium redundante bile, aqua hordei. Pituita verò abundante inedia conueniet & vinum nigrum, paucum, valde dilutum. Cœnæ aut dimittantur, aut tenues sint, & omnino parce viuere debent, nihil enim magis morbum affert, & repetere facit, quàm ciborum plenitudo, cruditates, & ebrietates, ventrem lenem seruent, aut clysteribus vtantur, in pituitoso morbo acrioribus: animi accidentia valida vitent. Præseruationis autem ratione in anno eos bis, aut ter purgare conuenit, hiera picra, aut terebinthina cum saccharo, trium aut quatuor drachmarum pondere. Quibus exercitationes ante cibum moderatè conuenient. Omnes à caseo, lacte, carnibus crassi succi, fructibus, & vinis validis abstineant, & ab aromatibus cibo mixtis. Paulus sal minutim tritum in oleo articulis affricari præcipit, bis in die manè & vesperi, inclinante inflammatione, toto vitæ curriculo, vt homo ab eo morbo vindicetur.

Tophorum in arti. curatio.

Articulorum auxilium.

De

De Pernionum curatione, Cap. III.

PERNIONES Qui Græcis chimethla vocantur, bifariam ſolam partes extremas corporis vti manus & pedes & aures afficere, cum vlcere, aut ſine ipſo. Cauſa eſt nimia frigiditas ambientis aeris quæ ſanguinem congelat: is verò deinde putreſcens pruritum efficit, quoniam acris vapor non inuenit exitum. Sequitur inde vt valde putreſcens ſanguis ac præter naturã incaleſcens carnem adiacentem exulceret. Perniones qui ſine vlcere ſunt, probè curantur, muria calida ſuperfuſa, in qua beta bullierit, aut farina erui cum ſucco aſphodeli, aut decocto radicis eiuſdem, aut liniantur cera liquata oleo in quo allium bullierit. Optimum eſt decoctum naporum valde calens. Aliud probatiſsimum, vini albi li.j. aluminis ʒ.j. bulliant, & vino pars foueatur, aut immergatur. Præterea decocto lupinorum pars foueatur, deinde melle cocto & ſulphure liniatur. Perniones cum vlcere factos curant olei lentiſcini ʒ. j. ceræ quarta pars, napus excauetur & intra ipſum infundãtur, deinde abluta parte decocto lupinorum, aut muria, ceratum refrigeratum admoueatur. Probatum eſt roſaceum cum cera in napo elixum, & frigidum admotum. Valet in eum vſum thuris, aluminis vtriuſque ʒ.j. minij ʒ.j. ℈. reſinæ terebinthinæ ʒ. ℈. adipis ſuilli ʒ.j. lento igne miſceantur. Aliud, thuris & aluminis, vtriuſque ʒ. ℈. vnguenti de minio ʒ. j. olei lentiſcini ʒ. ℈. Vnguentum empirici cuiuſdam vuod vlceratis pernionibus valet, & fiſſuris pedum, manuum, & labiorum, lithargyrij, thuris, zingiberis, ſingulorum ʒ. j. ceræ, mellis, & olei quart. ʒ. fiat vnguentum.

Pernionũ.

Pernionũ curatio.

FINIS.

Chriſtophorus à Vega Complutenſis librum de Arte medendi peregit, ſuæ Aetatis anno quadrageſimo ſeptimo. noſtræ ſalutis. 1557.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA

INDEX EORVM QVAE IN HOC VOLVMINE CHRISTOPHORI A VEGA, DE ARTE MEDENDI, CONTINENTVR.

A

ABORSVS Causæ & curatio. fol. 665
Acetum quid. 237
Achores & earum curatio. 488
Actio omnis à forma. 369
Actiones omnes an homo pertectiſsimas edat. 150
Actiones non vitiantur ab omnibus morbis pari modo. 451
Actiones omnes an à ſimilaribus procedant partibus. 54. & 55
Actionum perfectio. 151
Actionum vitiatarum cauſæ generales. 452
Actionum læſarum cauſæ. 449
Actionum læſarum generalis inuentio. 437
Actionum differentiæ. 436
Acutè cernere duobus modis. 353
Acus quid. 295
Adipis generatio. 51. temperatura. 52
Admirandi occaſio. 155
Agere & reſiſtere an fient eadem. 10
Agendum quid ſit à ſang. miſ. 344
Agilops & Anchilops. 540
Aer quare facilè mutantur. 204
Aer diſtemperalis corporibus ſeruandis. 209
Aer quantum alterando valeat. 208
Aer bifariam corpus mutat. 202
Aeris temperatura an ſit calida & humida. 9
Aeris præparatio. 200
Aeris inſpirati vſus. 202
Aeſtatis temperatura. 203
Aeſtatis calor quare vehementior. 204
Aeſtimatiua quid. 171
Aetas ſubſiſtentium. 69
Aetas ſcopus correpugnans. 323
Aetates temperamentis diſtinguntur. 72
Aetatis indicatio. 478
Aetatum generalis diuiſio. 69
Affectio conſideranda ad medendi methodum. 469
Affectus in quibus ſang. mitt. 323
Affectuum complicatorum curatio. 473
Alæ anſerum. 287
Alexipharmaca & alexitheria pharmaca. 91
Alimenti tranſitus ad iecur. 17
Alimentum triplex ex Hippo. 16
Alimentum an deferatur renibus cũ vrina. 53
Alimentorum differentiæ. 240
Alimentorum confectio. 16
Alimentorum diuerſorum ordo aſſumptionis. 305
Allia quid. 268
Allium calidum & frigidum. 268
Alopecia quid. 486. curatio eius. ibid.
Altrici & auctrici quatuor facult. miniſtrant, an plures. 103
Altricis facultatis origo, & an venæ facultatem habeant ſanguificam. 98
Alnerchigas quid. 252
Amantium ſigna, reſpiratio & curatio. 520
Amnios quid ſit. 34
Amore correpti vnas non amant. 250
Amygdalæ dulces. 256
Amylum quid. 24
Analogia quid. 176
Anaſarcæ curatio. 633
Anethum quid. 264
Anginæ cauſa, & ſigna. fol. 555. victus & curatio. 556
Anginæ curandæ ordo. 557
Anguilla quid. 295
Ani procidentia. 616
Ani procidentis victus. fol. 616. curatio. 617
Anima quid ſit. 94. & 95
Anima rationalis media. 183
Anima rationalis vniuerſalia conſiderat. 184
Animal ex qua oui parte conficiatur. 287
Animal quandiu viuit, nutritur. 104
Animal ſpeciẽ ſumit à matre & à materia. 50
Animalia ex ſe mouentur. 179
Animalia bruta vocibus conceptus ſuos exprimunt. 146
Animalia quæ tardè conſiſtunt, longam habẽt inclinationem. 270
Animalia domeſtica & agreſtia. 269
Animalia quæ loco mouentur. 175
Animali. genera cibo diuerſa. 269
Animalis facultas quæ ad ſenſus omnes deferatur, an ſit vnica tantùm. 129
Animalis facultas ſedes cerebrũ probatur. 126
Animalis facultas in corde ſita, ex Ariſtotele. fol. 125
Animalis ſpiritus quid. 128

Animalium per ætates temperamenta. 270
Animalium victus vires variat. 271
Animalium ex regione diuersitas. 271
Animalium ex sexu diuersitas. 270
Animalium habitus. 272
Animatorum ordines. 180
Animæ pathemata. 120
Animæ partes ex Platone. 97
Animæ facultates ex Aristotele. 97
Animæ essentia methodo inquiritur. 94
Animæ essentia quænam sit. 95
Animæ rationalis pars. 122
Animæ intellectiuæ dignitas. 180
Ani rationalis vires. 181
Animi perturbationum occasiones. 121
Animi perturbationes ad sanit. agnoscendæ. 385
Animi perturbationes alienæ à viro sapiente. 385
Animi perturbationis ortus. 121
Anistarda quid. 286
Anser quid. 283
Apium quid. 263
Apoplexiæ causæ & species. 521
Apoplexiæ magnitudo ex respiratione assequenda. 521
Apoplexiæ signa & curatio. 522
A primis qualitatibus nullum temperamentum aliud ab ipsis confugere. 58
Aprorum caro. 276
Apparatus ad vomitum. 374
Apparentia in somno non omnia sunt insomnia. 174
Appetitus facultatibus omnibus animæ miscetur. 96
Appetitus mouet animal. 175
Appetitiua animæ pars. 180
Appetitus vitiosus. 588
Appetitus corrupti curatio. ibid.
Appetitus deficientis causæ. 584
Aqua vitæ. 236
Aqua hordei non est flatuosa. 571
Aqua gustus dulcis quando apparet. 258
Aqua dulcis sola infrigidat & humectat. 228
Aqua ad quos vsus bibitur. 228
Aqua an alere possit. 229
Aqua immersi & naufragium passi curatio. 558
Aqua an sit summè humida. 8
Aqua & nitrum quantum infrigident. 227
Aqua quid. 226
Aqua hordei. 244
Aquas corrigere. 395
Aquarum ex niue effectus. 227
Aquarum electio. 226
Aquarum genera. ibid.
Aquæ pluuiæ. ibid.
Aquæ puteanæ. 226
Aquæ stagnantes. 226
Aquæ ex niue & gelu. 227
Aquæ fontanæ. 228
Aquæ fluuiales. 228
Aron quid. 267
Arantium quid. 257
Ars tota à signis inchoanda est. 197
Aristoteles de facultate formatrice dubitauit. 46
Aristotelis de pulsu opinio. 112. quæ improbatur. ibid.
Arteriarum sectio. 343
Arteriacorum medicamentorum assumptio. 559
Asparagi quid. 264
Asphodelus quid. 267
Ascites quid. 630
Ascitis victus & curatio. ibid.
Asclepiadis & Epicuri confutatio. 4
Asini caro syluestris. 277
Assertio de potentiarum accidentali perfectione. 152
Assertio quid. 367
Asthmatis causæ, signa & victus hastmaticorum & curatio. 561
Athenæi opinio de fœminarũ generatione. 47
Atra bilis exquisita. 26
Attagen quid. 285
Attractio similitudine formarum fit. 372
Auctio quare cessat. 103
Auctio quomodo fiat, ex Aristot. 103
Auditoria facultas organum quale habet, quod etiam obiectum. 142
Auditus visu dignior qua ratione. 142
Auditus obiectum. 148
Auellanæ quid. 255
Auena quid. 245
Aues paruæ. 285
Augmentatio an sit motus. 101
Auerrois sententia de melancholicorum timore. 515
Aurium dolor, inflammatio, & dolentium curatio. 541
Aurium vlceratarum remedia. 542
Aurium sonitus. ibid.
Autumnus quare mortiferus. 204
Aurata quid. 290
Auerrois falsa opinio de venenis. 91
Auicennæ rationes recitantur & confutantur. 98
Autumnus qualis. 204

B

BALNEA aquarum sponte nascentium. 230
Balneum quid. 229
Barbarorum opinio de medio in vniuersa substantia. 61
Barbi quid. 296
Beta quid. 261
Bilis temperatura. 22
Bilis flauæ generatio. 22
Bilis non naturalis quas habet species. 22
Bilis porracea. 22
Bilis æruginea. 23
Bilis rubra. ibid.
Bilis zinaria. ibid.
Bitum quid. 622

Boca quid. 292
Borago quid. 262
Bonus succus. 241
Bulbus sculentus quid. 267
Bubula caro. 275
Bulimos à calore & frigore. 587
Bulimi notæ & curatio. Ibid.
Butyrum quid. 282

C

Cacochimia quid. 313
Cacochimiam. qui humores efficiunt. 348
Calida valde cocoquere possũt. 355
Calidæ intemperantiæ ventris curatio. ibid.
Calidi corporis signa. 198
Calidi morbi causæ. 423
Calidum bifariam dicitur. 108
Calor pueri maior calore iuuenis. 76
Camari quid. 296
Cannabis. 247
Canina appetentia, eius signa, & curatio. 586
Capparis quid. 257
Capillorum colores & figura. 398
Caprina care. 275
Capiti noxia quæ sint. 495
Capitis dolor à plethora. 491
Caput agendorum. 315
Carduus quid. 264
Carnes & pisces simul edere pernicioſum. 290
Carnes salitæ. 273
Carnis generatio qualis. 52
Carnium fermentatio. 273
Carnium generalis præparatio. 272
Caro suilla an sit magis nobis similis arietina. 274
Caro & adeps, à qua materia generationem accipiunt & alimoniam. 51
Caro non est sensus particeps. 128
Caros qui à lethargo differat. 503
Cartilaginei pisces. 296
Castanea quid. 257
Catarrhi causæ, signa, & victus catarrhis conueniens. 547
Catarrhi curatio. 548
Cati caro. 277
Καταῤῥῆξις quid. 338
Catochos cerebri passio. 504
Catocho laborantes, oculos seruant apertos. 504
Catochi curatio. 504
Caseus quid. 282
Cauda quid. 278
Cauda tremula. 286
Causa quid. 196
Causarum non naturalium administrandarum ratio. 199
Causarum genera. 196
Causarum lædentium actiones exempla. 451
Causæ à quibus imperficiuntur alimenta. 239
Causæ conseruantes quare dicuntur moderatæ. 280
Causæ morb. in formatione & figura. 430
Causæ morb. in cauitatib & meatibus. ibid.
in superficie, in numero, in magnitudine. 431. in situ. 432
Causa vnitatis solutæ. 432
Causæ accidentalium specierum. 433
Causæ quæ morbos omnes curant. 466
Causæ morborum in temperatura. 423
Causæ ineuitabiles quid. 195
Causæ non naturales considerandæ. 483
Cæliaca passio. 599
Cœna an esse debeat maior prandio. 304
Cepa quid. 268
Cephalus quid. 291
Cerasa ficubus & vuis anteponuntur. 251
Cerasa quid. 251
Cerebri calida & sic. temperatura. 399
Cerebri frigid. & humidi notæ. ibid.
Cerebri temperati notæ. 397
Cerebri calidi, frigidi, sicci aut humidi signa. 398
Cerebrum quid. 278
Ceracei quid. 296
Ceruina caro. 276
Ceruisia quid. 238
Cholera quid. 597. notæ. 598. curatio. ibid.
Chylus quare albus. 17
Chrysomila quid. 252
Cibi oportunitas. 302
Ciborum descensus celeris & tardi causæ. 458
Ciborum quantitas. 302
Ciborum corruptio quomodo agnoscitur. 381
Cibo corrupto non fricentur extrema. 382
Cibus modum excedens quæ mala affert. 303
Cibus quoties in die exhibendus. 303
Cibus statim sumendus an sit ab exercitatione. 223
Cibus albus. 245
Cicera quid. 246
Cicercula quid. 246
Cicuta alit sturnos. 90
Cidonia quid. 254
Citrea mala quid. 257
Ciuitatum situs aduertendus. 201
Clidium epithema. 602
Clysteriorum vsus. 375
Clystere commune. ibid.
Clysteria frequentia nocent. ibid.
Clysteria an alere possint. ibid.
Cochleæ quid. 278
Coctio ante purgationem an conueniat. 355
Coctio à natura & modicè calidis an fiat. 354
Coctio à frigidis. 355
Coctio an contendat ad crassiora. 355
Coctio quid. 29
Coctio in quibus tẽperamẽtis est validior, 105
Coctrix fac. motu non eget. 107
Cæphalea quid. 495. eius causæ & signa. 496
Cognitio naturalis constitutionis quantum confert. 480
Coli dolor. 609
Colici morbi signa. 609
Colicæ à pituita crassa curatio. 610

Colicæ à flatu. 611
Colicæ ab acribus humoribus. ibid.
Colicæ à fæcum duritie curatio. 612
Colis relaxati curatio. 525
Colores apparentes. 141
Coloris veri generatio elementorum substantiis debetur, à quibus causis coloris generentur. 140
Columba quid. 284
Comitialibus à ventriculo curatio. 511
Comitialis orti à parte quapiam curatio. 511
Comitialis morbus cursic dictus. 507
Comitialis morbi tria genera. 508
Comit. morb. causæ.ibid.signa. 509
Comitialium victus.510.curatio. ibid.
Compassio magis propria. 418
Conceptionis notæ. 664
Conger quid. 295
Continentes febres an sint continuis acutiores. 328
Considerandain morbis quæ. 459
Conseruatio corporum quibus causis fieri debeat. 209
Consueta minus molestant. 219
Consuera quare minus lædant. 220
Consuetudinem mutare. ibid.
Consuetudinis ratio habenda. 478
Conuulsio qui fiat. 455
Conuulsionis tres species. 456
Conuulsionis tertia species. 525
Conuulsionum signa. 526
Conuulsorum victus. ibid.
Conuulsionis curatio. ibid.
Conuulsis non totus sanguis confertim mittendus. ibid.
Conuulsionis siccæ cura. 527
Coturnix quid. 285
Cor quid. 280
Cor & arteriæ simul distrahuntur. fol.114.cuius contrariæ rationes dissoluuntur. 115
Cor omnium membrorum calidissimũ est. 62
Cordis calidi notæ.399.frigidi.&c. 400
Cordis intemperies neminem subitò interimit. 576
Corpora lapsa similibus seruanda. 211
Corporis constitutiones tres. 414
Corporis affecti consideratio. 476
Corporum diuisio. 197
Corpus humanum per quæ conseruatur. 199
Coxæ dolor. 668
Coxæ doloris curatio. 669
Crepantia quomodo sonant. 144
Crudis humoribus quid agendum. 359
Cruditates ciborum. 593
Crudus humor quis. 357
Crustata quid. 295
Cubandi modus. 309
Curatio epilepticorum infantium. 509
Curatio inualidorum ad venerem. 650
Curatio deiecti appetitus ventriculi. 585
Cucumis quid. 249
Cucurbita quid. 249
Cucurbitularum vsus. 345
Cuniculus quid. 277
Cutis generatio. 35
Cutis & tactus quare media. 63
Cynicæ conuulsionis curatio. 524

D

DAMARVM caro. 277
Deambulationis spatium. 217
Dæmonum pacta. 384
Deglutitio liquidorum & solidorum. 155
Deiectionum mutatio completam ostendit purgationem. 365
Deiectionum vitiatarum exemplum. 457
Delectatio an fiat affatim facta mutatione.162
Dentium dolor & curatio. 549
Dentium doloribus remedia externa. ibid.
Dentium caries. 550
Dentium defœdatorum curatio. 550
Dentiũ instabilium causæ.to.551.& stupor.551
Deriuatio quid. 340
Diabetis causæ,signa,victus,& curatio. 637
Diacrisy quid. 257
Diarrhœa quid.601.curatio. 602
Diarrhœa laborantium victus. 602
Dissimilaris pars ob figuram. 31
Dolor an fieri possit à siccitate aut humiditate. 166
Dolor non trahit. 366
Dolor an sit læsa actio. 441
Dolor capitis ab ictu. 494
Dolorem efficere ex accidentibus bifariã. 167
Dolores infantium sedantia. 388
Dolorem atque delectationem efficientia. 162
Doloris causa disquiritur. 165
Doloris capitis à bile curatio. 491
Dolor cap.à pituita. 492
Doloris capitis ab humore melancholico curatio. 493
Domiciliorum spacia. 201
Dormire à pillulis. 353
Draconlium quid. 267
Dubium de peccato humorum in quantitate & qualitate. 311
Dulcis sapor. 156
Dysenterij curatio. 604
Dysenteria,eius causæ,& signa. 603
Dysentericorum victus. 604
Dysenterici an purgandi sint. 349
Dysuria & eius signa. 645

E

EBRIETATI nocent pulli columbini. 494
Ebrietatis remedia. 382
Ebrietatis mala. ibid.
Elementa in mixto ex Platone. 6
Elementa an in mixto maneant. 3.& 6
Elementorum concursus. 8
Elementorũ numerus quare quaternarius. 2
Elementorum numerus & Hippocrate. 5

Elementum quid. 1
Encanthis & Rhias. 540
Eraſiſtrati opinio de pulſu & arteriarum contento. 311
Erinacei caro. 277
Eruca quid. 263
Eſſe & eſſentia quid. 183
Euacuatio inſenſilis. 378
Euacuatio quid. 341
Euacuationes partium quæ implentur. 379
Excrementa in tertia regione. 315
Excrementorum genera. 311
Excrementorum vitia. 311
Excrementorum vitiũ à quibus ſumatur. 446
Excrementorum vitiatorum cauſæ. 456
Exercitatio quid. 214
Exercitatio cibos præcedat. ibid.
Exercitationes quales quibus corporibus conueniat. 218
Exercitationis terminus. 216
Exercitationum genera. 216
Exerciti a temperatorum. 218
Exercitium quas efficit mutationes in corpore. 216
Exquiſiti morbi. 434
Exteriora conſideranda ad curationem. 483

F

FABÆ quid. 247
Facultas vitalis cui inſidet membro. 97
Facultas altrix à corde oritur ſecundum Ariſtot. ibid.
Facultas ſentiens à corde ex Ariſto. ibid.
Facultas iraſcibilis. 108
Facultas vitalis. 109
Facultas ſenſibus aliunde traducitur. 125
Facultas ſentiens à loco mouente quomodo ſeparatur. 96
Facultas animalis an in cerebri ſubſtantia, an in membranis reſideat. 127
Facultas formatrix & auctrix non abolentur ante decrepitã ætatẽ, niſi morbi gratia. 102
Facultas diſcretiua. 104
Facultantes miniſtrantes quæ dicantur. 104
Facultarum internorum ſentientium inuentio ex Galeno. 172
Facultates præcipuè quibus diſtribuuntur. 111
Facultates pulſatiles duæ. 111
Facultates in eſſentiali perfectione conferuntur. 152
Facultates naturales aſſueſcunt. 221
Facultatum miniſtrantium inſtrumenta. 105
Facultatis langor vnde. 321
Facultatum interius ſentientium ſedes. 175
Fames non eſt appetitus proſecutionis. 300
Fames an naturalis ſit. 300
Fames an ſequatur chyli cõſumptionem. 299
Famis eſſentia. 298
Famis obiectum. 299
Faſtidientium cibos remedia. 585
Faſcinatio non eſt vt vulgus putat. 385
Fatigati dormire coguntur. 309
Febrẽ concitare & febres accendere qui ſit. 527
Febrientibus calido & frigido cui debeantur frigidiora. 479
Fernelij confutatio. 59
Ficedula quid. 285
Ficus quid. 249
Finis motus quid. 176
Flaua bilis quid. 22
Flatus cauſa. 594
Flauæ bilis vſus. 22
Fluxus ſanguinis à naribus. fol. 545. eius curatio. 546
Fluxus ſanguinis narium. 377
Fluxus ſang. narium moliri arte. ibid.
Fluxus lachrymarum, ſigna fluxus, & victus lachrymarum fluxui congruens curatióque lachrymarum. 532
Fœminæ an ſemen generent. 44
Fœminæ ſemẽ generãt ex Galeni opinione. 48
Fœniculus quid. 264
Fœtus quo tempore mouetur. 36
Fœtus ſitus. 36
Fœtus formatio quatuor tẽporib⁹ diſtincta. 37
Fœtus mortui cauſa. 666
Fœtus mortui ligna. 666
Fomentum ad dolores, & durities mammarum. 582
Formas ſine materia ſuſcipere quid. 169
Formationis fœtus tempus. 36
Formatiua facultas in ſemine. 36
Formatrix facultas an in ſemine maneat. 46
Formatrix facultas. 35
Fraga quid. 249
Frictio præparatoria. 214
Frictionum genera. 214
Frigiditas functionibus inutilis an ſit. 106
Fuchſij reprehenſio. 70. & 71
Fuchſij ſolutio dubij. 32
Fumus carbonum. 558
Fungi quid. 268
Furfures capitis. 487
Furfuribus capitis victus. 488

G

GALENI ſententia de aqua. 8
Galeni ſententia de elementis. 4
Galeni opinio de animæ eſſẽtia. 94
Galenus aduerſus Lycum. 77
Gallinacius. 283
Gallina quid. 283
Ganga quid. 285
Gargareon quid. 553
Gargareoni inflammato victus. 553. & 554
Gargareonis prorogati curatio. 554
Garum quid. 267
Genera cauſarum morborum. 415
Generalis morborum curatio. 465
Glandes quid. 258
Glandium vſus. 376
Glandulæ quid. 279
γονορροία. 649

Grus quid. 286
Gustus quidam tactus. 156
Gustus munus. 155
Gustus læsiones. 441

H

Hæmorrhoidarum purgatio. 378
Hæmorroides. 614. earum curatio. 615
Hæmorrhoidibus laborantium victus. 615
Hemicrania. 496
Hepatici qui dicantur. 617
Hepaticorum victus & cura. 618
Hernia quid. 647
Herniæ curatio. 648
Hippocratis & Galeni opinio de alitione ex humido. 30
Hippocratis opinio de elementis. 4
Hirci pinguiores, sunt minus fœcundi. 40
Hircorum caro. 275
Hirundo quid. 286
Hispaniæ feracitas. 200
Hispanis buñuelos. 243
Hispanis hoiuejas. 243
Hœdus quid. 275
Hominem moriturum esse an demonstrari possit. 190
Homines an nostro ęuo, antiquis, viribus æquiparentur. 192
Hominis generatio ex causis. 38
Hora diei ad purgationem eligenda. 325
Hora mittend. sanguinem. 325
Humidæ temperaturæ victus. 405
Humiditates secundæ & quales. 29
Humidum innatum an melius refici possit. 73
Humidi innati refectio in melius an fiat. 74
Humidum primigenium. 107
Humores tantum tres. 27
Humores crudi an purgari debeant. 357
Humoris purgandi qualitas inspicienda. 347
Humores quatuor an nutriant. 29
Humores à iecoris carne generantur. 18
Humorum redundantium signa. 348
Humorum numerus an sit quaternarius. 26
Humorum numerus ex dicto Hippo. 27
Humorum ad expulsionem præparatio. 362
Humores omnes ad purg. attenuendi. 362
Humorum vitia. 22
Humorum generatio. 17. & 18
Humorum descriptio. 16
Hydropis species. 629
Hyeme quare accrescit pituita. 205
Hyemis morbi duorum genera. 205
Hyemis temperatura. 204
Hyemis morbi quare longi. 205

I

ICTERVS morbus regius, & eius causæ. 626
Ictericorum victus & curatio. 627
Iecur altricis animæ sedes. 98
Iecur radicationi plantarum simile. 18
Iecur quid. 286
Iecur primo, cor secundo, cerebrum tertio loco generatur. 35
Iecoris inflammatio. 620
Iecoris inflammati signa. 620
Iecoris inflammati victus & curatio. 620
Iecoris suppurati medella. 621
Iecoris situs, siue stebe. 36
Iecoris quantitates. 401
Imaginatio an mutare possit alienum corpus. 383
Imaginatiua læsa, an sensus aliquis exterior necessario lædatur. 438
Imaginatiua facultas læsa sensus externi compatiuntur. 175
Imbecillitatis renum victus. 633
Incubo quid. 512. eius curatio. 513
Incubone laborantium victus. 512
Indicatio à temperatura. 477
Indicationes à viribus & morbo. 480
Inedia ad quæ. 379
Inflatio ventriculi. 594
Inflationis notæ. 594. & curatio. ibid.
Infantis nati quæ habenda consideratio. folio 386
Infantis ortus. 37
Infantium dentitio. 390
Infantium fluxui ventris remedia. 391
Infantium vlcera oris. 391
Insomnia considerare. 310
Intellectus duo non sunt duæ substantiæ. folio 185
Intellectus agens quid. 181
Intellectus potentiæ quid. 181
Intellectus potentiæ non est agente perfectior. 181
Intellectus agens qua ratione intelligit. 182
Intellectus vniuersalium est. 182
Intellectus verum & falsum cognoscit. 182
Intellectus impatibilis est tam agens quàm potentiæ. 182
Intellectus communis an sit. 183
Instrumentaria pars. 31
Instrumentarias partes habere corpus animantium non est necessarium. 95
Instrumentorum secundum genus. 107
Intellectio separatarum substantiarum. 186
Intemperici simplicis probatio. 68
Intestini recti relaxatio. 391
Internæ morborum causæ. 420
Intibum quid. 261
In motu locali quæ adsunt. 176
Ira quid. 120
Irascibilis anima. 119
Iter agentes quibus abstinere debent. 394
Iter agentes sub æstu Solis. 395
Iter agentes sub valido frigore. ibid.
Iuniperi fructus. 252
Iuuenis & pueri calores. 75
Iuuenis & pueri calores duobus modis comparantur. 76

L

LABRAX quid. 291
Lac quid. 280
Lac sine mutatione in ventriculo alere. 282
Lac vitiosum, eius cognitio, & emendatio. 381
Lac reparantia. 389
Lacte solo alendi infantes. 387
Lactis temperies. 280
Lactis diffe. ex animalibus eiusdē speciei. 281
Lactis electiones. 281
Lactis color ex Galeno & Aristotele. 389
Lactis probatio. 389
Lactis redundantis cura. 581
Lactis concreti cura. ibid.
Lactis inopiæ cura. 583
Lactuca quid. 260
Læsio mouentis facultatis. 443
Læsæ actiones singulorum membrorum. 444
Læsionum differentiæ. 436
Lapidi renum cucurbitulæ prosunt. 640
Lapis vesicæ. 641
Lapide vesicæ laborantis victus. 641
Lampetra quid. 295
Lapharhum quid. 262
Lapis renum, & eius in renibus generatio & victus. 638
Lassitudo vlcerosa. 224
Lassitudo tensiua. 224
Lassi phlegmo speciem referens. 224
Lassitudo ex siccatiua. 224
Lassitudo tensiua. 225
Lassitudo phegmonodes. 224
Lassitudines spontaneæ. 224
Lassitudum genera. 224
Lateralis morbi notæ. 569
Latitudo summa qualitatum an semper impleri debeat. 11
Lepus quid. 277
Lentium præparatio. 604
Leucophlegmatia quid, & eius victus. 632. eius curatio. ibid.
Lethargus. 501. causæ, signa & victus, & curatio eius. 502
Lens quid. 245
Lien quid. 280
Lienteria quid & eius causæ, & lientericorum victus. 599
Lienteriæ curatio. 600
Lientericis conueniens obsonium. 600
Lienis scirrhosi & curatio. 625
Lienis morbi. 621
Lienis calidi signa. 621
Lienis frigidi signa. ibi. sicci & humidi. ibid.
Lienis curatio. 621
Lienis inflatio & inflammatio. 623. eius curatio. ibid.
Lienis scirrhus. 624
Limones quid. 257
Lingua quid. 279
Linguæ relaxatæ curatio. 524
Literis incumbere quota hora à cibo licet. 247
Lixiuio caput abluere & sapone. 548
Locorum conciliatio. 331
Locorum situs. 200
Lora quid. 237
Lumbricorum differentiæ. 612
Lumbrici pueris ab vtero matris. 613
Lumbricorum curatio. 613
Lumen spiritalis substantia. 140
Lycus aduersus Hippocr. 77

M

MACERATIO carnium. 272
Magnus morbus apud autores quis. 317
Mali corporis habitus curatio. 629
Malus corporis habitus. 628
Malua quid. 262
Malus quid. 255
Mammillæ quid. 279
Mammarum inflammationes. 580
Mammarum inflammatarum curatio. 580
Mammarum durities emolliens. 581
Mammarum erosiones. 583
Mandimus quare. 255
Mania siue furor, & eius signa quæ. 518
Maniacorum victus & curatio. 519
Manus organum organorum. 82
Manna quid. 298
Maris & fœminæ genitalia. 39
Maritima loca. 201
Materia seminis. 43
Mœstitia quid. 120
Mihum quid. 245
Mingentes in lecto. 646
Medicamenta aliqua esse temperata, quæ symmetra appellantur. 84
Medicamenta purgantia qua facultate trahant. 369
Medicamenta purg. ieiuno ventre. 352
Medicamenta vt talia dicantur, cui conferri debent. 86. & 87
Medicamenta calida & frigida medicamenta non similiter se habent ad corporis alterationem. 88
Medicamenta localia ad achoras. 489
Medica. purg. an ad humorem pergat. 372
Medicamentorum vires. 92
Medicamentorum trahendi vis inquiritur. 370
Medicamentorum ordines. 84. 85
Medicamentorum frigidorum reductio. 86
Medicamentum non purgat diuersos humores à natura. 369
Medicamentum an sit temperatum. 85
Medicamentum aliquod an sit quod cùm purgatorium sit, si non euacuet, conuertatur in humorem vacuendum. 368
Medicorum consilium damnatur. 308
Medicaminum & ciborum mixtiones detestandæ. 273
Medicina de quibus est. 197
Medici ad infantes gubernandos industria. 388
Medulla quid. 279

Mel in sanguinem, & in alijs in bilem vertitur. 297
Mel detergit. 297
Mel cannæ. 297
Mel hecticis malum. 575
Melancholia naturalis. 24
Melancholia vstione genita. 85
Melancholia an appetitum ciborum alliciat. 25
Melancholia non naturalis. 26
Melancholia an fiat ex pituita. ibid.
Melancholia morbus. 513. eius causæ & signa. 514
Melancholici libidinosi quaratione. 405
Melancholicorum timor & tristitia vnde oriantur. 514
Melancholicorum victus. 516
Melancholicis terror incutiendus, exemplo. 516
Melancholiæ flatuosæ curatio. 517
Melica quid. 292
Mellis temperies. 297
Melo quid. 248
Meloplinum quid. 297
Melongia quid. 249
Membra à variolis tuenda. 590
Membra conualescunt. 379
Membra singula an semen generent. 35
Membra ex sanguine genita. 51
Membrorum diuisio ex Galeno. 98
Membrum præcipuum quod. 98
Membrorum diuisio quæ optima. 56
Membrum alteri ministrans. 99
Membrorum temperamenta ordine recensentur. 62. & 63
Membrorum generalis diuisio omnia comprehendens. 33
Membrorum generatio & fœtus formatio. 34
Memoria quid. 172
Memoriæ læsio. 505. causæ, & eius curatio. ibid.
Mero quid. 292
Merula quid. 292
Menses prouocantia. 377
Mensium purgationi nõ est tempus vnum. 378
Mensium suppressio. 652
Mensium suppressorum causæ. 652
Mensium suppressorum signa. 653
Mensium suppressorum remedia. 653
Mensium suppressorum curatio. 653
Mensium profluuium. 655
Mensium profluentium notæ. 655
Mentha quid. 263
Mespila quid. 255
Methodus generalis conseruationis corporum. 212
Mola quid. 660
Molæ curatio. 660
Molle & durum quid. 161
Mora rubi. 252
Mora quid. 251
Morbi intemperatura. 414
Morbi magni & parui. 417
Morbi benigni & maligni. ibid.
Morbi communes & sparsi. 417
Morbi facti & fientes. 418
Morbi continui. 418
Morbi breues & diutini. ibid.
Morbi in compositione. 421
Morbi in numero. ibid.
Morbi in quantitate. ibid.
Morbi situs. ibid.
Morbi figuræ. 416
Morbi conceptaculorum. ibid.
Morbi compositi. ibid.
Morbi quibus numeris curari debeant. 472
Morbi omnes omnibus fiunt temporibus. 206
Morbi cõgruẽtes an sint minus periculosi. 463
Morbili. 590
Morbis magnis sanguinis mittendus vt intelligi debeat. 318
Morborum genera. 409
Morborum curationes an æquis numeris fieri debeant. 469
Morborum siccorum causæ. 427
Morbus ad aliquid bifariam. 406
Morbus an sit ad aliquid. 410
Morbus acutus. 418
Morbus proprius & per consensum. ibid.
Morbus, causa, & symptomata per se indicant. 476
Mortui prægaudio. 382
Mortuus subitò præ tristitia. 385
Motuum & actionũ perfectio accidentalis. 151
Motuum perfectio accidentalis. 150
Motus neruorum sine sensu & sensus sine motu an consistere potest. 160
Motus sine sensu in vnico nerno an existere possit. 161
Motus cõtrarij an quieté habeant mediam. 112
Motus & quies non sunt communia sensibilia. 124
Motus causa caloris. 424
Motus animæ causa caloris. 425
Muliebris fluxus. 655
Muliebris fluxus curatio. 656
Mustum coctum. 233
Myrti fructus. 252
Myxa quid. 256

N

NARIVM vlcera. 545
Nasturcium quid. 263
Naturales facultates quo & qua ratione distinguentur. 101
Nausea quid. 590
Nauseæ peculiaris causa. 590
Nauseæ curatio ab humoribus aliunde transfusis. 591
Nauseæ à distemperie curatio. ibid.
Nausea ab humoribus ventriculo innatantibus. 591
Nerui gustus. 155
Neutra corpora. 405
Notæ distinguentes phrenitidem ab inflammate diaphragmatis. 499
Nocturna cæcitudo & eius curatio. 539

Nutrix à venere abſtineat. 388
Nux pini. 256

O

OBSTRVCTIO iecoris. 618. eius ſigna. 619
Ocimum quid. 264
Ocium quæ mala offert animæ & corpori. 215
Oculi conſtructio. 529. & morbi. ibid. & curandi methodus. 530
Oculorum localia medicamenta. ibid.
Oculi quid. 279
Oculis caligantibus remedia. 393
Oculorum colores. 141
Oculorum vlcera. 534. eorum cura. ibid. nebulæ, & albugines. ibid.
Oculorum ſugillatio, & eius curatio. ibid.
Oculorum ſuffuſio & ſigna. 536
Oculus an ſit de natura aquæ. 131
Odor cum exhalatione & ſine ipſa producitur. 142
Odores duorum generum. 153
Odorata omnia an delectent aut contriſtent. folio 154.
Odoratus organum ex Ariſt. 147
Odoratus organum ex Galeno. 148
Olfactus hominibus inferior aliis. 151
Olfactus humani perfectio inquiritur. 150
Oliuæ quid. 256
Ophthalmiæ cauſa. 530
Ophthalmiæ ſigna & curatio. ibid.
Ophiaſis quid. 486
Ordo in cognoſcendis morbis. 461
Ordeum quid. 244
Ordinis ciborum perturbatio in menſis magnatum. 239
ὀρῦγες quid. 359
Organa ſenſus an reſpondeant elementis. 129
Organum odoratus ex partium conſtructione diſquiritur. 148
Oris vlcera. 551
Oris vlceribus ſerpentibus remedia. 552
Oris fœtor, & curatio. 553
Ortigo quid. 285
Oſtreæ quid. 296
Ouila caro. 275
Ouorum differentiæ. 288
Oxalis quid. 262

P

PALMÆ fructus. 255
Palmulæ in capitis dolore. 494
Palpebrarum pruritus. 540
Palpitatio quid. 529
Palpitatio quomodo fiat. 456
Palpitationum cordis notæ. 576. & curatio. ibi.
Palpitatio à calida intemperie, & frigida. 577
Panatelæ ad tremorem. 528
Pandiculatio febricitantium. 455
Panis materia alimentoſa. 243
Paralyſis & eius cauſæ. 522
Paraliſeos notæ & curatio. 523
Paralyticorum victus. 524
Pariendi tempus. 667
Partus decimeſtres. 667
Partus difficilis cauſæ. 667
Partus difficilis ſigna. 667
Parotides & earum curatio. 544
Pars inſtrumentaria. 31
Pars diſſimilaris ob figuram. 31
Partes diei ærem mutantes. 202
Partis affectæ cognitio habenda. 481
Partium principatus conſiderandus. 481
Partium formatio conſideranda. 481
Partium connexio conſideranda. fol. 482. & rectitudo. ibid.
Paruus pilæ ludus noſter alius erat Gal. 216
Paſtinaca quid. 267
Pauones quid. 284
Pediculorum curatio. 488
Pepones. 248
Perdix quid. 284
Peripneumoniæ ſigna & curatio. 562. & 563
Pernones. 673
Pernionum curatio. ibid.
Perſica quid. 252
Peſſulum ad memoriam. 506
Peſtis fidum præſagium. 206
Petroſelinum quid. 263
Phaleſi quid. 246
Phantaſia quid. 171
Phantaſia intuitionibus intellectui immediatè miniſtrat. 184
Phantaſma quid. 182
Pharmaco aſſumpto bibere ſtatim. 353
Pharmaco ſumpto quid agendum. 364
Phaſianus quid. 285
Phlyctænæ oculorum. 534
Phragolinus quid. 291
Phrenitis. 497. eius medela. 500
Phrenitidis cauſarum differentiæ. 498. ſigna. ibid.
Phreniticorum victus. 500
Phthiſis quid. 574
Phthiſicorum ſigna, & victus. ibid.
Pica ſiue malacia. 664
Pica quare dicta. 665
Picæ curatio. 665
Pilorum decidentiæ curatio. 487
Pingue omne. 271
Pira quid. 253
Piſa quid. 246
Piſces fluuiatiles. 296
Piſces olfaciunt. 149
Piſces pelagij meliores. 289
Piſces fluuiales. 289
Piſces reliqui coctionis facilitate conferuntur. 290
Piſcium natura. 288
Piſcium electio. 289
Piſtacia quid. 256
Pituita an in ventre generetur, an in iecore. 23
Pituita non naturalis. 24

Pituitæ salsæ generatio. 24
Plantæ quare non sentiunt. 169
Plaicia quid. 295
Plethora quid. 312
Pleuriticorum victus. 570
Pleuritidis curatio. 571
Pleuritidi fomenta quæ conueniant. 571
Præcautio quibus debetur. 476
Priapismus quis. 650
Priapismus fœminarum. 656
Principium motus in brutis. 176
Protropum quid. 233
Polenta quid. 244
Pollutiones nocturnæ. 650
Porrum quid. 268
Potus quo tempore sumendus. 307
Potus delatiuus. 307
Potus dapes an claudere debeat. 308
Portulaca quid. 262
Posca quid. 238
Pruna. 254
Pterygion & illius curatio. 533
Puerorum purgantia. 349
Pulsuum vsus. 116
Pulsus causæ continentes. 117
Pulsus differentiæ. ibid.
Pulsus mutatio in mag. celer. & crebritatem an simul adueniant. 117. & 118
Punica quid. 254
Pupillæ dilatatæ curatio. 538
Pupillæ tabidæ curatio. ibid.
Pulmo quid. 280
Pulmonis temperaturæ. 404
Pulsatilis facul. sedes. 110
Pulsatilis facultas duplex. 113
Pulsus læsionum causa. 453
Purgandorum corporum ratio. 361
Purgantia medica quibus conueniunt. 348
Purgare ad animi deliquium. 352
Purgatio quibus non conuenit. 348
Purgatione incœpta à cibo & somno abstinere. 353
Purgatione excedente modum. 364
Purgatione finita quid agendum. 364
Purgationem quæ præcedunt. 363
Putridis febribus quibus sanguinis missio conuenit. 319

Q

QValitatum ordo agendi & patiendi. 10
Quæstiones considerandæ ad medendi rationem. 467

R

RANÆ quid. 296
Raphanum quid. 265
Rapum quid. 267
Recocta quid. 282
Rectitudo non in febris longis sita. 336
Redundantia in prima regione. 314
Redundantia in secunda regione. 315
Refrigeratri statim ad ignem non accedant. 395
Refrigeratis qua ratione aqua frigida prosit. folio 36
Reminisci quid. 171
Renes ambigunt. 334
Renes qua materia alantur. 54
Renum inflammatio. 634
Renum inflammatorum victus. 634
Renum inflammatorum curatio. 635
Renum scirrhus, & curatio. ibid.
Renum vlcus, & curatio. ibid.
Repassio fit inter æqualia. 11
Repassio an sit. 10
Repassionem esse non citra distinctionem ferendum. 12
Repugnantiarum modi. 401
Respiratio an liber motus sit. 177
Respiratio an electione fiat. 178
Respiratione fæx deorsum per ventrem mittitur. 458
Reus quid. 295
Renulsio quid. 340
Rhagadia ani. 616
Risus sardonicus. 527
Robur virium ad sanguini missi. maius quam ad purgat. 321
Rubeculæ quid. 296
Ructus causa. 455

S

SACCHARVM quid. 297
Salmo quid. 291
Sanguis mittendus non est cum satietate. 325
Sanguis mittendus dies. 325
Sang. mittend. quantitas. 326
Sang. miss. ad animi deliquium in maximis inflationibus. 330
Sang. missi. ad animi deliquium in dolo. ingentisi. 330
Sang. missi. ad animi deliquium quibus morbis. 327
Sang. mittend. in ardentiss. febr. ad animi deliquium, & in quibus. 327
Sang. miss. ad coloris mutationem. 331
Sang. missi. impartienda. 331
Sang. missi. in pleuritide. 335
Sang. miss. quædam circunstant. 343
Sangui. missi. pro virium ratione. 321
Sang. missio in lapide renum. 639
Sangui missi. vtera gerentibus. 324
Sanguine non facilè exeunte quid agendũ. 344
Sanguis naturalis. 18
Sanguis tẽperatus an calidus, an frigidus sit. 19
Sanguis temperatus ex Aristot. 19
Sanguis frigidus quomodo. 20
Sanguis à calore temperato fit. 20
Sanguis calidissimus, & bile calidior an sit. 20
Sanguis effectus. 21
Sanguis animatus an sit. 21
Sanguis vitiosus. 21
Sanguinis mictus. 633
Sanguinis mictus curatio. 634. & 643

Sangui. miſsio in morbis præſentibus aut futuris. 316
Sanguis quid. 280
Sanguis an ſit vltimum alimentum. 31
Sang.miſsi.per interualla. 333
Sang.miſsi.repetita ob imbecill.facult. 333
Sanguinis miſsio in comitiali. 511
Sanguinis miſsi.pueris. 322
Sanguinis ſputum.563.curatio. 564
Sanguinis ſputi à ventre, aut à pulmone curatio. 567
Sanguinis ſputum ex diſtillatione. ibid.
Sang.ſput.ex vena rupta,aut eroſa. 568
Sanguificam facultatem caro iecoris tribuit venis. 99.& 100
Sanguiſſugæ. 345
Sapor quid. 156
Sapor dulcis qua ratione medius & qua extremus. 156
Sapores apparentes. 258
Saporum ſpecies. 156
Sardena quid. 239
Saualus quid. 292
Scarificationis vſus. 345
Scandix quid. 263
Scombrus quid. 292
Scopi coindicantes ad quãtitatem attinẽt. 326
Scopus ab ætate. 321
Secundæ eductio. 666
Secundum locum motiuum non conſtituit ordinem animatorum. 180
Semen fœminis non eſt ex Ariſto. 45
Semen maris an ſolam præſtet efficaciam ex Ariſto. 45
Seminis profluuij cauſa. 649
Seminis profluuij curatio. 649
Seminum electio. 242
Semen vnde procedit. 41
Semen genitale. 40
Semen excrementum eſt. ibid.
Semen actu viuat an non. 40
Semen an à ſingulis membris generetur. 35
Seminis efficacia ex Hippocrate & Galeno. 47
Seminis generatio & materia. 42.& 43
Seroſum in ſanguine excrementum. 28
Senſationes paſsiones fiunt. 122
Senſibile per ſe & per accidens quæ ſint. ibid.
Senſibilia communia an proprias refundant magines. 123
Senſibus omnibus dolores accidunt. 138
Senſibus commune an ſit, rerum formas ſine materia ſuſcipere. 168
Senſibilia communia ſenſum mutant ſua ſimilitudine. 124
Senſibilia communia non mittunt imagines per medium ad potentiam. 125
Senſum communem in corde Ariſt.ſtatuit. 170
Senſus humani an ſint brutorum perfectiores. 152
Senſus guſtus. 155
Senſus omnes dolore & delectatione affici. 62
Senſus communis inuentio ex Ariſtot. 169
Senſus externi propria ſentiunt ſinſibilia. 170
Senſus non ſolas rerum ſimilitudines ſuſcipiunt. 168
Senſus quo gratiores ſunt minus à nobis ſeparant. 130
Senſus qui patiuntur dolores minores & quare. ibid.
Senſus communis non eſt apud Galen. facultas aliqua. 172
Senum victus. 392
Senum cibum prima menſa. 393
Senum dentibus commodantia. 395
Septimeſtres partus quare vitales. 37
Seſanum quid. 247
Sexuum temperaturæ ex Hippo.& Galeno. 81
Sexus quare diſtincti. 38
Siccum & humidum quomodo cognoſcantur. 80
Siccum omne an durum ſit. 80
Siccum & humidum duobus modis. ibid.
Sidra quid. 238
Signa propria & communia. 460
Signorum generalis inuentio, & agnoſcendi viæ. 461
Signa frigidi corporis. 199
Signa duorum generum neutra. 405
Signa neutra toto genere præter naturam. 406
Signum quid. 459
Signorum differentia. ibid.
Siliqua quid. 256
Similares particulæ ſecundum Gale. 32
Similiaris pars. 31
Similaris pars bifariam dicitur. 33
Similitudo maiorum ad parentes ex Ariſtot. vnde ſumitur. 47
Similitudo natorum ad parentes ex Galeno. 50
Simulacra rerum ſenſibilium alia à ſenſibus ſuſcipiunt. 169
Singultus cauſa. 455
Singultus cauſæ.595.& ſigna. ibid.
Singultus ex eſu ciborum curatio. 596
Σίραιον quid. 236
Siſer quid. 267
Sitis quid. 589
Sitis ſign.purgationis completæ. 364
Situs patientis ad ſang. mittendum. 344
Situs partium. 482
Situs commune ſenſibile. 124
Sobanum quid. 362
Solea quid. 295
Sonantia metallica impedita franguntur. 144
Somni ſpacium. 309
Somni commoda & noxa. 310
Somni remedia. 311
Somnium quid. 173.174
Somnus naturaliſsimus. 309
Somnus diurnus. 309
Somnus & vigilia. 173
Somnus purg.ſignum completæ. 365
Somnus cauſa. 174
Somnus an per ventriculi calorem. 308
Somnus quid. 308

Soni natura, causa & subiectum. 143
Sonus quibus inhæret. 144
Sonus sensim effunditur. 143
Sorba quid. 255
Species sine simulachra an à rebus mittantur sensibus omnibus. 13
Spinarum euulsio. 558
Spiritus noxæ. 454
Spiritus naturalis an sit. 110
Spiritus generatio. 356
Staminum genera. 107
Staphyloma quid. 536
Starna quid. 284
Sterilitatis differentiæ. 663
Sterilitatis signa. 663
Sterilitatis curatio. 663
Sternutatoria. 503
Strangulatorum curatio. 558
Subuulsi quid. 651
Succi aliis à sangu. cum sanguine mixtis, quid agendum. 332
Sudorem elicientia. 378
Sudor an natura fiat. 378
Suffocatæ carnes. 272
Suffusionum curatio. 537
Suffusorum victus. ibid.
Suilla caro. 276
Super fructus quid sit bibendum. 258
Suppressis mensibus frictio crurum. 654
Suppuratio pectoris. 572
Suppurat. ruptur. notæ. 573
Suppuratorum victus. 573. curatio. 574
Surditas quæ curari potest. 543
Symbola inuicem quare facilius mutentur. 2
Symptomata à causi præter naturã orta. 454
Symptomatica vacuatio differt à symptomate. 446
Symptoma omne an nascatur à morbo. 447
Symptomata alia symptomata generant. 449
Symptomatum tria genera. 435
Synapi quid. 263
Syncope quid. 577
Syncope affectorum victus ad acres succos. 578
Syncope à crassis humoribus. 578
Syncopes causæ. 454
Syncope ob acres humores. 577

T

TABIS curatio. 575
Tactus omnibus sensuum externorum organis inest. 159
Tactus obiecta varia. 161
Tactus læsiones. 441
Tale ex se, & tale ex accidenti. 82
Tale actu, & tale potentia. ibid.
Taurorum caro. 275
Temperamenta per sexus distincta an sint. 81
Temperamentum optimum antiqui prætermiserunt. 67
Temperamentum quid. 57
Temperamentum duplex. ibid.
Temperatura duplex. ibid.
Temperatissimum corpus an magis aliis causis morbosis resistat. 64
Temperati corporis signa. 198
Temperati ad pondus expositio. 62
Temperatum non est leuitatis & grauitatis medium. 63
Temperatum vniuersa substantia, & temperatum ad iustitiam. 63
Temperarum ad iustitiam an sit extremorum medium. 64
Temperatura & ætas sine consuetudine indicant contra Galen. 478
Temperatura media & quæ ab ea labũtur. 60
Temperatura vitæ longioris. 66
Temperatura optima qua ætate. 73
Temperatura potentia talis, & actu talis. 59
Temperaturarũ valde labentiũ correctio. 404
Temperatum causis magis aliis obstat. 64
Temperaturæ siccæ correctio. 405
Temperaturæ nouem. 60
Temperaturæ ad pondus inuentio. 60
Temperaturæ externæ. 82
Tempora omnia tripartita. 205
Temporis consideratio ad sanguinem mittendum. 326
Temporum mutationes. 202
Temporũ mutationes fugere nõ valemus. 207
Temporum à natura variationes. 206
Tempus prolem procreandi. 39
Tempus purgationi aptum. 352
Tenesmi causæ. 605. curatio. 606
Tenesmo laborantium victus. 606
Testacea quid. 296
Testes quid. 279
Testes facultatem toto corpori transmittunt. fol. 43. & 44.
Testium inflammatio. 647
Testium inflammatorum curatio. 647
Testiũ vsus ex Aristo. & an semen generent. 42
Teramus quid. 517
Tipha quid. 245
Thomæ de Garbo temeritas in Galeni reprehensione. 78. cuius argumenta soluuntur. 79
Thucididis testimonium. 173
Toletanæ prouinciæ venti. 201
Toletani medici. 626
Tonsillarum inflammatarum curatio. fol. 552. suppuratio. 553
Tophorum in artic. curatio. 672
Tota substantia agentia quatuor modis. 91
Tractio à facultate. 366
Tractio à calore. 366
τραγίζειν idem quod hircire. 40
Tremor quid, & trementium victus, & tremoris curatio. 528
Trigla quid. 291
Triticum quid. 242
Troctæ quid. 296
Tubera quid. 268
Turdus quid. 292
Turdus quid. 284
Tumorum causæ. 428

Turricolæ quid. 286
Turtur quid. 285
Turisani sophistæ pertinacia. 114
Tussis causæ, signa, & curatio. 559
Tussis ab acri distillatione. 560
Tympania quid & eius curatio. 631
Typhomania quid. 505. eius curatio. 504

V

VACVATIO quid. 347
Vacuum an trahat. 567
Variolarum curatio. 389
Venena calida toto genere lethalia. 96
Venena calida non alunt. 89
Venena frigida non genere sed quantitate. ibid.
Venenorum natura qualisnam inquirenda. 89
Venenorum duplex natura. 89
Venenorum natura & medicamenta quæ eis aduersantur. 91
Vere qui optimè degunt. 203
Veris temperies. 203
Venæ sanguificã recipiunt facultatem. 98. & 99
Venæ quæ secantur. 333
Venæ quę secãtur in morb. diuersarũ partiũ. 333
Venæ secandæ in iecoris & lienis morbis. 623
Venæ sectio in hæmorrhoidibus. 335
Venæ sanguificam facultatem habent. 29
Verni morbi. 203
Veneri aptum tempus. 380
Venus quæ mala afferat. 381
Venerem stimulantia. ibid.
Veneris malis quæ prosunt. 381
Veneri inepti. 651
Veneris appetitus causa. 652
Venter an ex chylo alimentum capit. 299
Venter bene valens similia, ægrotans contraria appetit. 301
Ventorum genera. 207
Ventorum temperatura. 107
Ventris repletio ad vomitionem quanta. 374
Ventriculi coctio læsa. 592
Ventriculi intemperantiarum notæ. 593
Ventriculi distemperantiarum notæ. 585
Ventriculi temperaturæ. 404
Ventriculi inflammatio, causæ & curatio. 596
Ventriculi vlcera. 597
Ventriculus quid. 286
Vertigo quid sit, 506. signa eius, & victus, 507
Verulla quid. 262
Vesica multo vitioso succo referta purgationem non indicat, contra Galen. 481
Vesicæ relaxatæ curatio. 525
Vesicæ inflammatio. 642
Vesicæ vlcera. ibid.
Vesicæ vlcerum curatio. 643
Victus aduersus lumbricos. 613
Victus laborantium. 324
Victus iter agentium. 324
Victus nauigantium. 326
Victus eorum qui in ocio degunt. ibid.
Victus infantium. 386. & 387
Videre res à longe vnde procedat. 141
Vigiliarum remedia. 510
Vina quid. 231
Vina ex calce & gipso. 236
Vina alba. 233
Vina nigra. 233
Vina languida. ibid.
Vinorum differentiæ. 232
Vinum an calid. temp. conueniat, præsertim calidæ naturæ. 234
Vinum calidis temperaturis quare denegandum & quando. 235
Vinum per ætates. 235
Vinum senibus. 236
Vinum austerum. 233
Vinum vinosum. 233
Vinum mulsum. 236
Vinum coctum. 236
Vinum an exsicet. 232
Vinum meracius quando bibendum. 259
Vinum dulce. 232
Vinum alit. 231
Vires morbis in indicando conferuntur. 477
Vires quæ reparant. 344
Vires deficere quæ indicant. 344
Vires ad purgationem an esse debeant maiores quàm ad sangui. miss. 351
Virium robur ad sangui. miss. 320
Visio ex Platone in Timæo. 132
Visus generales læsiones. 452
Visus obiectum quod est. 140
Vitalis spiritus. 109
Vitalis facultas quibus distribuitur. 110
Vitiare actionem quid. 410
Viuentium felicitas. 186
Vlcera capitis infantium. 390
Vmbrina sine vmbra. 291
Vnguentum ad paralysim. 583
Vngula oculi quid sit. 533
Vngues ferrei. 377
Vnitatis solutæ curatio. 474
Vniuersale cognoscitur ob phantasma. 185
Voces an ex instituto significent. 145
Vocis differentiæ. 146
Vocis mutationes per ætates & sexus. 147
Volatilium differentia. 283
Volitionem producentia. 187
Voluntas intellectui imperat quippiam examinare. 188
Voluntas quid. 186
Voluntas agens & patiens. 186
Voluntas patiens libera non est. 187
Voluulo ab inflammat. remedia. 609
Voluuloforum victus. 608
Voluulus quid. 607. eius signa. ibid.
Vomere quid ex antiquorum opinione. 373
Vomere bis in mense. 373
Vomere per valida medicamenta non est hac tempestate in vsu. ibid.
Vomitus & nauseæ causa. 454
Vomitus curatio. 591. 592. remedia. ibid.
Vomitus in syncope. 580

Vomitus quibus vtilis. 374
Vomitus quæ mala affert. 374
Vomitui excedenti remedia. 375
Vox quid. 243
Vox exercitatio est. 217
Vox ex electione procedit. 245
Vox mentis conceptus exponit. ibid.
Vox an deducat similitudinem conceptus. 246
Vrinæ quantitas. 377
Vrina quando mouenda. ibid.
Vrinam mouentia. 379
Vrinæ scallicidium. 644. causæ & curatio. ibid.
Vrinæ cruentæ causæ. 633
Vrtica quid. 263
Vteri præfocatio. 656
Vteri præfocationis causæ. 656
Vtero præfocatorum curatio. 657
Vteri procidentis causæ. 656
Vteri procidentis victus. 658
Vteri procidentis curatio. 658
Vteri reclinationis curatio. ibid.
Vteri inflatio. 659
Vteri inflati curatio. 659
Vteri hydrops. 659
Vteri inflammatio. 660
Vteri inflammati signa. 660
Vteri inflammati curatio. 661
Vteri abscessus. 662
Vteri vlcera. 662
Vteri vlcerum curatio. 662
Vteri vlcerum depascentium curatio. ibid.
Vteri clausura. ibid.
Vteri purgatio. 377
Vtero gerentibus mitr. sang. 324
Vtero gerentes cùm malacia laborant, vt curandæ. 588
Vtero gerentes an purgandæ sint. 350
Vtero gerentium symptomata quo pacto curentur. 385
Vterus gallinæ. 287
Vuæ quid. 250
Vuæ passæ. 250
Vulpium caro. 277

Z.

Ziphæ quid. 256
Zizum sine oryza. 245

FINIS.

Digitized by Google